
37
23 A
1









Ant: Guardi del: *Giuseppe Filosi Sc.*

BIBLIA SACRA
VULGATAE EDITIONIS
SIXTI V. PONTIFICIS MAXIMI
iussu recognita,
& CLEMENTIS VIII.
auctoritate edita

cum selectissimis Litteralibus Commentariis


IOANNIS GAGNAEI,
IOANNIS MALDONATI,
EMMANUELIS SA,
GUILIELMI ESTII,
IOANNIS MARIANAE,
PETRI LANSSELII,
THOMAE MALVENDAE,
IO. STEPHANI MENOCHII,
IACOBI TIRINI,
IACOBI GORDONI,
& IACOBI BENIGNI BOSSUET.

ACCEDUNT

Romanæ Correctiones, ac Lectionum Varietates a FRANCISCO LUCA BRUGENSI observatæ, & Notationes in loca variantia ab eodem concinnatæ, in sua singulæ capita tributæ: nec non selecta variorum Prolegomena, nunc primum in unum collecta: indices denique plures accuratissimi.

TOMUS PRIMUS
complectens GENESIM.





VENETIIS
MDCCXLVII.

Excuderunt { MODESTUS FENTIUS, & IOANNES TYBERNINUS sub signo Providentiæ.

SUPERIORUM PERMISSU AC PRIVILEGIO.

P R AE F A T I O.



Icet ambigendum diu non fuerit quo Operum genere potiſſimum in eruditorum utilitatem prelum exercere expediret, cum ſacræ Litteræ præſto eſſent, diu tamen mente verſavimus quo ornatu iis non indigno, ſimulque Studiorum rationi accommodato, in publicam lucem prodirent. Ea namque cum ſit divini eloquii excellentia ut ſententiæ numerum verborum quam longiſſime excedant, nullum reperiri poſſe Expoſitorem arbitramur qui ita ſolus omnes partes adimpleat, ut longe plura quam fuerint præſtita non ſuperſint deſideranda. Non præterit quidem nec numero quantumvis multiplicato, propter imbecillitatem humani ingenii, perfectum quid ſuiſque omnibus numeris abſolutum hoc præſertim in genere haberi poſſe; verum ſicut unicuique propria Deus tribuit chariſmata, ſic facilius credimus plures, quam unum tantum, vel pauciores, ad perfectionem accedere. Plures itaque eoſque ſelectos Explanatores colligere animum ſubiit, ut præſtantium ingeniorum viribus collatis propius communium votorum metam liceret attingere, quod in eorum altero deeſt altero miniſtrante.

Bibliorum editiones huiuſmodi non ſemel antehac curarunt viri eruditi: primaque omnium occurrunt Biblia Sacra cum Gloſſa ordinaria a Strabo Fuldenſi Monacho Benedictino collecta, variiſque poſtea Patrum tum Græcorum tum Latinorum explicationibus locupletata cum Annotationibus Nicolai de Lira Franciſcani, nec non Additionibus Pauli Burgenſis Epiſcopi, & Mathiæ Thoringi Replicis, opera & ſtudio Theologorum Duacenſium. Iteratis typis cuſum eſt opus iſtud: duas vidimus Venetas editiones, alteram anni 1588. alteram vero anni 1603. quæ Gloſſam quoque interlinea-

nealem habent : P. Bernardus Lamy in Biblico Apparatu Antverpianam anni 1634. commendat.

Balthasar etiam Moretus, duobus sibi iunctis sociis, Vidua nempe Ioannis Moreti, & Ioanne Meursio, anno 1624. Antverpiæ ex Officina Plantiniana edidit *Biblia Sacra vulgatæ editionis . . . cum Scholiis plurimum auctis, & emendatis Ioannis Marianæ, & Notationibus Emmanuelis Sa Societatis Iesu Sacerdotum ... addito Petri Lansselii eiusdem Societatis supplemento*: duobus in fol. Tomis comprehensa. Huius Typographi summa diligentia merito a Francisco Luca Brugensi laudatur in Præfatione ad Loca insigniora Romanæ Correctionis a se collecta, quæ una cum altero Libello Lectionum variantium ad huius editionis calcem reperiuntur.

Iisdem quibus nos permotus momentis Ioannes de la Haye Parisiensis, & in Gallia Minorum Procurator Generalis dedit Parisiis anno 1643. ex typis Michaelis Soly, Matthæi Guillemot, Dionysii Bechet, & Antonii Bertier, *Biblia Magna Commentariorum litteralium Ioannis Gagnæi, Guilielmi Estii, Emmanuelis Sa, Ioannis Menochii, & Iacobi Tirini... additis Prolegomenis &c.* in quinque Tomos in fol. tributa.

Rursus anno 1660. curis eiusdem Ioannis de la Haye prodiere *Biblia Maxima Versionum ex linguis orientalibus, pluribus scilicet mss. codicibus, innumeris fere sanctis, & veteribus Patribus, & Interpretibus orthodoxis collectarum, earumque concordantia cum vulgata, & eius expositione litterali, cum Annotationibus Nicolai de Lira, Ioannis Gagnæi, Guilielmi Estii, Ioannis Menochii, & Iacobi Tirini:* additis amplissimis Prolegomenis, inque novemdecim Tomos distincta: Lutetiæ Parisiorum sumptibus D. Bechet, & L. Billaine Sociorum, Antonii Bertier, & Simeonis Piget.

Mittimus Criticos sacros, seu doctissimorum virorum Annotata in utrumque Testamentum, collecta a Ioanne & Richardo Pearsoniis, Antonio Scattergood, & Francisco Gouldman, unaque cum variis theologo-philologicis tractatibus edita Londini primum anno 1660. inque novem Tomos in fol. partita, tum anno 1698. novem itidem Tomis recusa Amstelodami, & plurimum aucta: non enim mens est quidquam heterodoxorum in nostram collectionem recipere, quibus magna ex parte constat Opus prædictum.

Quid in unaquaque ex his editionibus desit, quid item in aliqua redundet, penes alios esto iudicium. Nobis unum illud sufficere

cere

cere interim arbitramur, ex his omnibus quæ meliora visa sunt delibasse, recollegisse dispersa, omissa aliunde accersisse, ceterisque incommodis quibus eruditorum sententia obnoxiæ videbantur, quantum potuimus remedium attulisse, ut cuique periculum facere volenti perspicuum erit. Liceat hic breviter totam Operis suscepti rationem ob oculos ponere.

Textum Sacrorum Bibliorum iuxta vulgatam probatamque editionem exhibere in animo est cum brevibus ad litteram Commentariis undecim præstantissimorum Interpretum, quorum nomina, ordine temporis quo floruere servato, infra recensenda, ex quibus alii omnes, quosdam tantum alii S. Scripturæ libros explicarunt; accersitis etiam Romanis Correctionibus, Lectionum Varietatibus, & in loca variantia Notationibus; selecto demum adiuncto Apparatu ex variis Auctoribus ad pleniorem, facilioremque S. Scripturæ intelligentiam, non omissis indicibus necessariis.

Omnium tamen quibus in hoc Opere contexendo usi sumus, primus extra ordinem occurrit FRANCISCUS LUCAS Flander natione, patria Brugensis, & Ecclesiæ Audomaropolitanæ Decanus; utpote auctor Collectionis *Correctionum Romanarum, & variantium Lectionum*, nec non in variantia loca *Notationum*, quæ omnia ceteris præposuimus. Fuit hic unus ex præpositis Regiorum Bibliorum editioni; quem virum Græce, Hebraice, Syriace, ac Chaldaice in primis peritum, inque theologicis scientiis eximium, variisque ad S. Scripturæ lucem editis libris celeberrimum vocat Valerius Andreas in Belgica Bibliotheca. Vita, laboribusque defunctus est anno Domini 1619. die 19. Februarii, præter Opera prædicta insignem quoque *Commentarium in quatuor Evangelia* ad æternam sui memoriam relinquens; quo, si reperire erit, hanc editionem ornabimus.

Ut in ordinem redeamus, ceteris prait IOANNES GAGNAEUS Parisiensis Accademiæ Theologus, eiusque Cancellarius, nec non a concionibus Francisci I. Galliarum Regis, atque primus eius Eleemosynarius, qui floruit inter an. 1524. quo Doctor renuntiatus est, & 1549. eius emortualem, teste Dupinio in Bibliotheca. Virum insignem laudibus meritis extollit Richardus Simonius in Historia Critica novi Testamenti, eiusque methodum singularem cum paucis deputat comparandam. Integrum *novum Testamentum* doctissimis Scholiis illustravit, vetus intactum reliquit, præter

ter Davidicos Pſalmos, quos lyricis variorum generum carminibus paraphraſtico more adornavit. *Scholia* tamen *in Evangelia*, inque *Actus Apoſtolorum* poſthuma tantum Antverpiæ prodiere anno 1559. apud Ioannem Latium, curis Ioannis Benedicti emendata, cui extat Epiſtola nuncupatoria F. Alleaume.

IOANNES MALDONATUS Hiſpanus in AEdibus Reginæ, vulgo *las Caſſas de la Reyna*, ſub ditione Magiſtri Militum S. Iacobi in Provincia Extremaduræ anno 1534. natus, in Accademia Salmaticenſi Dominico Soto, & Franciſco Toleto, poſtea S. R. Eccleſiæ Cardinali, præceptoribus uſus, theologicas ſcientias cum Græcarum litterarum peritia iunxit, quas ibi etiam profeſſus eſt. In Societatem Ieſu receptus, in Pariſienſi Accademia Philoſophiam, ac Theologiam toto decennio docuit tanta nominis celebritate, tantoque auditorum concurſu, ut in aperto ſæpe docere coactus ſit. Tanta vis eius in ſyllogizando fuiſſe traditur, ut cum eam ferre non poſſent hæretici (quibuſcum ſæpe manus conſeruit, quorumque non paucos Catholicæ Eccleſiæ lucratus eſt) ad declamationem provocarint; in qua tamen res ipſis felicius minime ceſſit. Inter paucos diligentiſſime, & feliciſſime ſenſum Evangelii litteralem expoſuiſſe iudicat ſupra relatus Simonius. Supremum diem clauſit anno ſalutis 1583. ætatis vix dum 50. dum Romæ degeret, quo accerſitus fuerat a Gregorio XIII. Pontifice Maximo, ut operam ſuam præſtaret editioni LXX Interpretum, quam parabat. *Commentaria in quatuor Evangelia*, *in quatuor Prophetas Ieremiam*, *Baruch*, *Ezechielem*, *& Danielem*, item *in Pſalmum cix.* ab ipſo tantum edita memorat Bibliotheca Societatis Ieſu; licet alia præſtantiſſima ingenii ſui monumenta reliquiſſe non inficietur, quæ tamen vel nondum edita ſint, vel exciderint; *ut de divinis eius in Pſalmos Commentariis teſtatur Sylveſter Maurolicus Lib. V. Oceani Religionum*: verba tranſcribimus. Huius tamen Auctoris Opera luculentius, diſtinctiusque numerant D. Iacobus le Long Presbyter Congregationis Oratorii in Bibliotheca Sacra, & D. Ioannes Mabillonius Aſceta Benedictinus Congregationis S. Mauri item in Bibliotheca quam Tractatui de Monaſticis Studiis inſeruit: ſunt autem, præter iam dicta, *Commentaria in Pſalmos*, *in Proverbia*, *in Libros Sapientiales*, *& in Canticum Canticorum*: quæ omnia prelum paſſa licet aperte non afferat prior, alter tamen diſerte affirmat ſimul cum Commentariis in quatuor Prophetas,

pu-

publici iuris esse iam facta, his verbis: * *Idem in Psalmos, Proverbia, & Libros Sapientiales, in Cant. in Isaiam* (pro quo alii habent *Baruch*) *Ieremiam, Ezechielem, & Danielem, in fol. ibidem* (Parisiis) 1643. *& alibi saepe in* 4. Commentarium addit Le Long *in Epistolam D. Pauli ad Romanos;* quem tamen Romae tantum visum esse a Cornelio a Lapide ex ipsius fide confirmat. Nec loci, nec instituti nostri est huiuscemodi litem dirimere; sed sicut nullum conquirendi huius Auctoris omnia finem facimus, ita non sine magno delectu typis trademus. *Commentarios in Evangelia* iam tenemus; cetera quae cusa exstant, se daturum spopondit Alumnus Societatis Iesu eruditissimus atque humanissimus, quem fidem suam liberaturum extra omne dubium est. Minime autem nos movet quod habetur in Mabillonii praedicto loco, videlicet *Ioannes Maldonatus in praecipuos utriusque Testamenti locos Paris.* 1643. facillime enim fieri potuit ut vel vertenti minus attento (cum Gallico idiomate scriptum primitus fuerit) vel, quod probabilius est, oscitanti typographo obrepserit *locos* pro *libros*; quod alii eius Operum Nomenclatores habent; & sic generalis tantum erit propositio eius quae sequitur ibidem Librorum recensionis. Ad *Commentarios in Evangelia* quod attinet, Theologos Societatis qui primam huius Operis editionem Mussiponti curarunt, criticae artis meliora, ac inter cetera variantes Graecorum mss. lectiones, quas Auctor notaverat, resecuisse refert laudatus Simonius ** ex P. Valvassorio eiusdem Societatis Alumno, qui hoc alii iterum referebat acceptum. Absit tamen ut nutantis adeo traditionis fide nixi tamquam indubium venditare audeamus quod dubium valde reddit tum omnium quos hac de re tractantes vidimus, silentium, tum eorum Theologorum in reliquis optima fides, quam in eorum praefatione Mussipontanae editioni praefixa, & a nobis suo loco danda deprehendere cuiquam licet. Inter editionem porro Mussiponti & reliquas posteriores, nonnullas varietates esse plures affirmant; eius tamen (si quae est) differentiae causa satis patet ex memorata praefatione: cum enim nonnulla se addidisse fateantur Operis curatores ad implendas lacunas ms. exempli quod Roma ad eos miserat Reverendiss. P. Claudius Aquaviva, Societatis Iesu tunc Generalis Praepositus, quod mutilum in multis erat, nec originale ms.

b con-

* *Pag.* 303. *secunda editionis Veneta an.* 1729.

** *Epist. inter selectas* XXVI. *pag.* 238. *Tom. I. edit. Amstelodami an.* 1730. *Gallice.*

consulere poterant Romæ asservatum; huiusmodi additiones quidni postea vel mutatæ sint, vel omissæ periculo facto cum originali prædicto? Nos posterioris curæ editiones sequi tutius esse arbitramur,

EMMANUELEM SA patria Interamnensem ex oppido Villa de Conde in Lusitania, Societati Iesu Conimbricæ adscriptum anno 1545. summæ pietatis, & excellentis ingenii virum, inter Scholiastas primum, & propter brevitatem utilissimum ponit communi pene voto suffragante, laudatus Simonius. Post multa eaque præclara doctrinæ ac pietatis Opera mortem oppetiit in domo probationis Aronensi Mediolanensis diœcesis anno Domini 1596. ætatis vero 75. Eminent inter cetera *Notationes in S. Scripturam universam*, una *in III. & IV. Esdræ*,

GUILIELMUS ESTIUS Gorcomii in Hollandia natus nobilibus admodum piisque parentibus, nostro præconio non eget, a viris eximiis ubique celebratus. Puer Ultraiecti politioribus litteris, linguisque eruditus, Lovanii autem philosophicis, theologicisque disciplinis feliciter institutus, S. Theologiæ demum Doctor renunciatus anno 1580. mox Duacum accersitus est, Regio ibidem Seminario præfectus, ad D. Petrum Præpositus, eoque nomine Duacensis Universitatis salutatus Cancellarius. Virum sane multis pietatis, doctrinæ, modestiæ christianæ, atque in pauperes beneficentiæ nominibus suscipiendum vocat Valerius Andreas in præcitata Bibliotheca. Pietatis ac doctrinæ meritis plenus Duaci non sine sanctitatis opinione moritur anno 1612. ætatis 72. Præter alia multa theologici argumenti Opera, scripsit *Annotationes in præcipua ac difficiliora loca S. Scripturæ*, quæ tamen post eius tantum mortem Duaci cusa sunt anno 1621. fol & auctius anno 1628. studio Gasparis Nemii S. Theologiæ Doctoris: *Commentarium* item absolutissimum, & doctissimum (ut vocat præallegatus Andreas) *in Epistolas D. Pauli*, cuius editioni immortuus est; prodiit autem ab eius morte curis Eximii Viri Bartholomæi Petri, cum eius auctario *in Epistolas Ioannis canonicas*, Duaci primum, tum Coloniæ anno 1631. in fol. Horum tamen additiones consulto prætermittimus, quæ Estii sunt tantummodo retinentes.

IOANNES MARIANA Hispanus, patria Talabricensis diœcesis Toletanæ, adolescens ann. 17. Societati Iesu, dum litteris Compluti operam daret, se dicavit an. salutis 1554. Omne discipli-

na-

narum genus diligentissime excoluit, & sacræ Theologiæ raram omnium liberalium artium, & historiæ tum sacræ tum profanæ, præterea Latinæ, Græcæ, atque Hebraicæ linguæ peritiam iunxit: verba fere sunt P. Philippi Alegambe in Bibliotheca, qui etiam in inveniendo acutum, in iudicando severum, in disponendo distinctum, perspicuum in explicando, acrem in disputando fuisse testatur; sed tot tantisque dotibus pene semper male firmam valetudinem invidisse; quod Auctor quoque de se testatur in præfatione ad vetus Testamentum. Obiit tamen dierum, meritorumque plenus anno 1624. ac præter alia multa varii argumenti Opera, præclara *in utrumque Testamentum Scholia* posteris sui ingenii monimenta reliquit. Reddidit etiam elegiaco carmine *Proverbia Salomonis*, & *Ecclesiasten*, vario autem *Canticum Canticorum*, quæ suis dabimus locis, cum quibusdam Auctoris Annotationibus.

PETRUS LANSSELIUS Gravelinganus Flander e Societate Iesu, *Græce in primis doctus*, *& linguarum orientalium*, *Hebraicæ præsertim, in paucis peritus* vocatur a prælaudato Valerio Andrea. Matriti in Hispaniis, dum ibi Hebraicam linguam magno nominis incremento profitetur, e vivis ante diem rapitur anno 1632. *Scholia* composuit eruditissima *in Baruch Prophetam*, *in sex posteriora capita Esther*, *& in tria Danielis*, quæ Ioannes Mariana omittens ab eo suppleri consensit.

THOMAM MALVENDAM Setabi in Hispania natum, maximi ingenii, nec minoris eruditionis virum, merito *inter sui ævi litterarum proceres*, *fidelissimosque S. Romanæ Ecclesiæ alumnos* numerat F. Nicolaus Figueres in eius vita. Dominicanæ Familiæ in Conventu S. Crucis Lombayano anno 1582. nomen dedit, cuius regularem vivendi modum, improbis licet studiis intentus, tenacissime semper coluit. Illud maximum puer adhuc ingenii specimen dedit, quod cum Latine a quodam Setabitani Conventus Religioso imbutus fuisset, Hebræam, Græcamque linguas nullo usus præceptore perfecte didicit. His aliisque omnibus doctrinæ ac eruditionis præsidiis instructus, post multos litterarios labores, ac præsertim Opus de Antichristo ceteris absolutissimum, novæ S. Bibliorum ex Hebræo Translationi totum se dedit, quam Commentariis etiam egregiis ornavit; sed cum ad Ezechielis cap. XVI. vers. 16. pervenisset, invida mors adeo præclari Operis filum recidit,

Auctoremque ipsum eripuit anno reparatæ salutis 1628. ætatis vero suæ 63. Decumbens tamen manu propria scripsit, & subscripsit Præfationem ad Lectorem Translationi suæ, & Commentariis præfigendam, quam inter reliquas nostrorum Auctorum posuimus. Editionis nostræ ratio non patitur ut Auctoris Versionem, quam Vulgatæ collateralem exhibet Lugdunensis editio, suo loco retineamus; nullum tamen hinc detrimentum, quandoquidem eius omnes phrases, & alicuius momenti varietates in Commentariis exhibentur, & luculentissime enucleantur.

De IOANNE STEPHANO MENOCHIO Papiensi Italo, Iacobi Menochii præsidis & iurisconsulti celeberrimi filio, Societatis Iesu clarissimo Alumno, cum laude loquitur Richardus Simonius, & quotquot eius meminerunt. S. Scripturam, theologicasque disciplinas in Mediolanensi Collegio publice docuit non sine magna nominis laude. Pluribus ingenii ac eruditionis monumentis editis, in quibus eminet brevis, sed egregia *sensus litteralis totius S. Scripturæ Explicatio*, anno 1655. octuogenario maior, ad superos, ut credere par est, emigravit. Nonnullam ingessere difficultatem plures additiones asterisco notatæ in editione huius Auctoris Operum Parisiensi anni 1719. curante P. Renato Iosepho Tournemine eiusdem Societatis; quæ tamen vel cuius sint, vel unde acceptæ ex tota præfatione quæ istiusmodi editioni præmittitur, eruere non potuimus; nisi forte ex prima editione Coloniæ exhibita anno 1630. quam utpote sinceram, & ad normam optime exactam, laudat Auctor citatæ præfationis, ceteras quasque posteriores sensu mutilas, lineis integris prætermissis erroribusque scatentes suggillans; ut cadavera mutila Menochii Operum vocet, non editiones. At exaggerationem potius sapere quam veritatem censuram hanc, ex eo non levis suspicio ingeritur quod nec in Bibliis Magnis iam relatis, quæ præ manibus habemus, nec in Antverpiensi editione anni 1678. apud Hieronymum Verdussen, quam his omnino conformem facta collatione cognovimus, tale quidquam reprehendendum est invenire; sed sententiæ plenæ, sensus extat ubique integer, si quædam typorum eaque levia sphalmata demas. Quin in hac altera monitum extat typographi, quo hanc editionem ob defectum exemplorum præcedentis editionis Coloniensis susceptam (illius, ut pronum est credere, anni 1630. cum nec præcitatus typographus, nec D. Iacobus le Long in

ſua Bibliotheca ullam intermediam recenſeant) & ab innumeris non ſolum mendis, quibus antea ſcatebat, purgatam, verum & ab ipſo Auctore locupletatam eſſe teſtatur. Quis vero adeo deſidem curatorem Bibliorum Magnorum credat, ut, Menochio adhuc ſuperſtite, tredecim tantum annos poſt Colonienſem decantatam editionem, tam enormes errores admiſerit? Quid quod nullus (quem ſciamus) præter laudatum Auctorem, integro pene ſæculo repetundarum reum egit propter detruncatum Opus eximii Scriptoris? Quid etiam opus erat Antverpienſi typographo additiones Auctoris iactare, cum ſententias demere vellet, & hiulcum ſenſum relinquere? Immo ſilendum fuerat, ne periculo facto fraus detegeretur, quæ probroſiſſima ex hac iactantia evaſiſſet. His itaque ſuffulti momentis [cum Colonienſem primam editionem, qua lis omnis forte componeretur, videre non liceat] rem ſatis in tuto poſitam arbitrati ſumus, ſi uteremur editione Pariſienſi Bibliis Magnis comprehenſa, quam integram ſenſu ubique invenimus, quamque credere par eſt ceteris quibuſque ſinceritate non invidere; ex eo inſuper adducti quod nec magni ſint momenti iſtæ additiones, nec in aliis huius collectionis Auctoribus deſint ſententiæ in illis propoſitæ: iudicium noſtrum libentiſſime emendaturi, ſi lux affulgeat qua Menochii genuinus fetus eſſe probentur.

Iacobi Tirini Antverpiæ anno 1580 nati perhonorifice meminit præcitatus Andreas in eadem Bibliotheca, Societatis Ieſu inſignem Theologum, Domui profeſſæ Antverpienſi toto novennio, & quadriennio miſſioni Hollandiæ præpoſitum fuiſſe memorans, *candidi virum ingenii*, *multæque atque accuratæ eruditionis* vocans. Theologis acceptiſſimum propter multas ſuis Commentariis inſertas theologicas quæſtiones cenſet Richardus Simonius. Antverpiæ e vivis ſublatus eſt die 14. Iulii anni *1636.* ætatis *56.* Præclara *in totam Scripturam* edidit *Commentaria*, additis utiliſſimis Prolegomenis.

Iacobus Gordonus Leſmoræus Scotus patria Aberdonenſis (cum altero Iacobo Gordono Scoto pariter & Ieſuita, ſed Huntlæo, perperam a quibuſdam confuſus) inter Societatis Ieſu Alumnos Pariſiis receptus eſt anno 1573. ætatis ſuæ 21. Toloſæ, ac Burdigalæ Collegiorum Rectorem, & ævo grandem Ludovico XIII. Regi Chriſtianiſſimo a confeſſionibus extitiſſe memorat P. Philip-

pus

pus Alegambe in Bibliotheca, virumque simul indicat omnibus theologicis disciplinis excultum. Obiit Parisiis anno salutis 1641. ætatis vero suæ 88. Illustre ingenii sui testimonium reliquit *Commentaria super universam S. Scripturam*, brevibus quidem, sed propter variam eruditionem, ac præsertim chronologicam, utilissimis. Duo erant in Parisiensi editione anni 1632. quæ sola huius Operis curata est, quæ eius pretium minuere possent: defectus nempe explicationis quarumdam vocum veteris Testamenti, & ordo in multis præposterus: quorum licet priori occurrerit Auctor ipse, additis multis explicationibus quas videre est in unum collectas in citata editione ad calcem veteris Testamenti; alterum tamen, ætate gravis, & aliis forte detentus curis, omnino neglexit. Huius autem Auctoris ingenio illecti, & quamplurium suasionibus excitati, ad debitum ordinem eius Commentaria revocare statuimus, & pro virili conati sumus, additionibus etiam prædictis suo quibusque loco accommodatis, expunctis iis quæ Auctor ipse revocare in additamentis intendit, ceteris aptiori quo potuit modo compositis, si non semper verbis, mente tamen eius ad scrupulum usque servata. Illud etiam advertimus, tabulas chronologicas, & παράλληλα quæ initio quorumdam S. Scripturæ librorum præmittuntur, in Prolegomena esse relegatas, ut ordo nobis propositus nullo modo turbetur; licet suo loco servemus breves chronologias Commentariis insertas, & peculiarium locorum explicationi inservientes: quod ingratum eruditis viris non iudicamus.

Agmen claudit Iacobus Benignus Bossuet, maximum Ecclesiæ Gallicanæ ornamentum, Divioni perillustribus ortus parentibus anno 1627. & ab infantia Ecclesiæ dicatus. Primis studiis ibidem apud Societatis Iesu Alumnos operam dedit; Parisiis postea philosophicis ac theologicis doctrinis imbutus, ac Doctor anno 1652. creatus, post primos in Divionensi Capitulo honores, in Curiam a Rege accersitur; plurimisque merito honoribus cumulatur: Condomi namque primum Episcopus; tum Delphini præceptor factus; deinde Meldensibus ornatus infulis, primus dehinc Delphinæ Eleemosynarius; postea Gallicæ Accademiæ Præpositus; ac tandem a secretioribus consiliis electus est. Parisiis mortem oppetiit doctrina ac pietate clarissimus anno 1704. etatis 77. Præter alia satis multa doctrinæ ac eruditionis Opera scripsit breves

ves, ſed egregias, dilucidaſque *Explicationes in Pſalmos*, *in Salomonis Proverbia*, *Eccleſiaſten*, *Canticum Canticorum*, *Sapientiam*, *Eccleſiaſticum*, & Gallico idiomate *in Apocalypſim*: quarum pretium notiſſimum hedera noſtra non indiget.

Habes itaque, amice Lector, in unum collectos præcipuos litteralis ſenſus Bibliorum Sacrorum Expoſitores, quorum plures antea vel nuſquam, vel non ſine magnis ſumptibus tibi comparare fas erat, eoſque ſi non omnibus, ſaltem plurimis liberatos incommodis, & erroribus quibus ſparſa prius exempla obnoxia erant. Placuiſſet quibuſdam (non latet) myſticos potiſſimum ſenſus in promptu habere; ſed (ut omittamus facillime illos erui ab eo qui ſenſum litteræ probe tenet, duce uno aut altero e SS. Patribus) licet ex inſtituto non tractentur, præſtantiores tamen ubi oportet non omittuntur. Quidam etiam nimiam multitudinem conquiſitam criminabuntur; at varia & optima quæque numquam redundant in hocce argumento, quod omnium ſæculorum ingenia, nec umquam gratis, exercuit. Tantum abeſt ut huius pœniteat, quin potius ſi præter recenſitos aliquis egregius, brevis tamen, Commentarius in quemdam Scripturæ Librum ſe offerat, inſerere non abnuamus.

Accipe nunc ordinem quo ſingula ſunt diſpoſita. Omnium Auctorum Epiſtolas nuncupatorias & Præfationes quæ exſtant, initio eorum Librorum præmiſimus a quibus cuiuſque incipit Commentarius: damus argumenta omnium Librorum IOANNIS BAPTISTAE DU-HAMEL viri de Republica litteraria optime meriti, quæ omnium vicem ſupplere poſſunt; argumenta autem capitum ea ſunt quæ in Antverpienſi Balthaſaris Moreti editione ſupra citata reperimus, relictis aliorum Auctorum utroque loco argumentis. Litteræ quas parentheſi incluſas in textu reperies alphabetica ſerie diſtributas, indicant ſimiles S. Scripturæ ſententias ad marginem inferiorem notatas; aſteriſci Correctionem Romanam ibi factam ſignant; cruculæ autem varietatis Lectionum indicia ſunt. Commentaria ordine temporis locabuntur quo quiſque ea ſcripſit: in his verba Scripturæ explicata, characteribus maioris formæ prima vice exprimentur; ſi denuo autem occurrant, characteribus, ut vocant, Italicis, ſicut etiam quæ ſive ex ipſius Scripturæ alio loco, ſive

ſive ex aliis Auctoribus in ſingulis Commentariis citantur : Tum demum Indices , & Prolegomena Opus abſolvent . Deus Optimus Maximus hos qualeſcumque conatus ſuis proſequatur benedictionibus , quo poſſint in ſuam gloriam , in tuam , Lector benevole, utilitatem cedere. Vale.



PRAE-

PRAEFATIO

AD LECTOREM,

quæ in BIBLIIS *vulgatæ editionis præmitti solet.*



N multis magnisque beneficiis, quæ per sacram Tridentinam Synodum Ecclesiæ suæ Deus contulit, id in primis numerandum videtur, quod inter tot Latinas editiones Divinarum Scripturarum, solam veterem ac vulgatam, quæ longo tot sæculorum usu in Ecclesia probata fuerat, gravissimo Decreto authenticam declaravit. Nam, ut illud omittamus, quod ex recentibus editionibus non paucæ ad hæreses huius temporis confirmandas licenter detortæ videbantur: ipsa certe tanta versionum varietas atque diversitas, magnam in Ecclesia Dei confusionem parere potuisset. Iam enim hac nostra ætate illud fere evenisse constat, quod sanctus Hieronymus (*a*) tempore suo accidisse testatus est, tot scilicet fuisse exemplaria, quot codices; cum unusquisque pro arbitrio suo adderet vel detraheret. Huius autem veteris ac vulgatæ Editionis tanta semper fuit auctoritas, tamque excellens præstantia, ut eam ceteris omnibus Latinis editionibus longe anteferendam esse, apud æquos iudices in dubium revocari non posset. Qui namque in ea Libri continentur (ut a maioribus nostris quasi per manus traditum nobis est) partim ex sancti Hieronymi translatione, vel emendatione, suscepti sunt; partim retenti ex antiquissima quadam editione Latina, quam sanctus Hieronymus communem & Vulgatam, sanctus Augustinus Italam, sanctus Gregorius Veterem translationem appellat. (*b*) Ac de Veteris quidem huius sive Italæ editionis sinceritate atque præstantia, præclarum sancti Augustini testimonium extat in secundo Libro de Doctrina Christiana, ubi Latinis omnibus editionibus, quæ tunc plurimæ circumferebantur, Italam præferendam censuit, quod esset, ut ipse loquitur, verborum tenacior cum perspicuitate sententiæ. De sancto vero Hieronymo multa extant veterum Patrum egregia testimonia: eum enim sanctus Augustinus (*c*) hominem doctissimum, ac trium linguarum peritissimum vocat; atque eius translationem ipsorum quoque Hebræorum testimonio veracem esse confirmat. Eumdem sanctus Gregorius (*d*) ita prædicat, ut eius translationem, quam novam appellat, ex Hebræo eloquio cuncta verius transfudisse dicat: atque idcirco dignissimam esse, cui fides in omnibus habeatur. Sanctus autem Isidorus (*e*) non uno in loco Hieronymianam versionem ceteris omnibus anteponit, eamque ab Ecclesiis Christianis communiter recipi ac probari affirmat, quod sit in verbis clarior, & veracior in sententiis. Sophronius quoque, vir eruditissimus, (*f*) sancti Hieronymi translationem non Latinis modo, sed etiam Græcis valde probari animadvertens, tanti eam fecit, ut Psalterium & Prophetas ex Hieronymi versione in Græcum eleganti sermone transtulerit. Porro qui secuti sunt, viri doctissimi, Remigius, Beda, Rabanus, Haymo, Anselmus, Petrus Damiani, Richardus, Hugo, Bernardus, Rupertus, Petrus Lombardus, Alexander, Albertus, Thomas, Bonaventura, ceterique omnes, qui his nongentis annis in Ecclesia floruerunt, sancti

Hieronymi versione ita sunt usi, ut ceteræ, quæ pene innumerabiles erant, quasi lapsæ de manibus Theologorum, penitus obsoleverint. Quare non immerito Catholica Ecclesia, sanctum Hieronymum Doctorem maximum, atque ad Scripturas sacras interpretandas divinitus excitatum, ita celebrat, ut iam difficile non sit illorum omnium damnare iudicium, qui vel tam eximii Doctoris lucubrationibus non acquiescunt, vel etiam meliora, aut certe paria, præstare se posse confidunt. Ceterum ne tam fidelis translatio, tamque in omnes partes Ecclesiæ utilis, vel iniuria temporum, vel impressorum incuria, vel temere emendantium audacia, ulla ex parte corrumperetur, eadem sacrosancta Synodus Tridentina illud Decreto suo sapienter adiecit, ut hæc ipsa vetus ac vulgata Editio emendatissime, quo ad fieri posset, imprimeretur; neque ulli liceret eam sine facultate & approbatione Superiorum excudere. Quo Decreto simul typographorum temeritati ac licentiæ modum imposuit; & Pastorum Ecclesiæ, in tanto bono quam diligentissime retinendo & conservando, vigilantiam atque industriam excitavit. Et quamvis insignium Academiarum Theologi in Editione vulgata pristino suo nitori restituenda magna cum laude laboraverint; quia tamen in tanta re nulla potest esse nimia diligentia; & codices manuscripti complures & vetustiores Summi Pontificis iussu conquisiti, atque in Urbem advecti erant; & demum, quoniam executio generalium Conciliorum, & ipsa Scripturarum integritas ac puritas, ad curam Apostolicæ Sedis potissimum pertinere cognoscitur: ideo Pius IV. Pontifex Maximus, pro sua in omnes Ecclesiæ partes incredibili vigilantia, lectissimis aliquot sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, aliisque tum Sacrarum litterarum, tum variarum linguarum peritissimis viris, eam provinciam demandavit, ut vulgatam Editionem Latinam, adhibitis antiquissimis codicibus manuscriptis, inspectis quoque Hebraicis Græcisque Bibliorum fontibus; consultis denique veterum Patrum commentariis, accuratissime castigarent. Quod itidem institutum Pius V. prosecutus est. Verum Conventum illum, ob varias gravissimasque Sedis Apostolicæ occupationes iamdudum intermissum, Sixtus V. divina providentia ad summum Sacerdotium evocatus, ardentissimo studio revocavit, & opus tandem confectum typis mandari iussit. Quod cum iam esset excusum, & ut in lucem emitteretur, idem Pontifex operam daret, animadvertens non pauca in sacra Biblia præli vitio irrepsisse, quæ iterata diligentia indigere viderentur, totum opus sub incudem revocandum censuit atque decrevit. Id vero cum morte præventus præstare non potuisset, Gregorius XIV. qui post Urbani VII. duodecim dierum Pontificatum Sixto successerat, eius animi intentionem executus, perficere aggressus est; Amplissimis aliquot Cardinalibus, aliisque doctissimis viris, ad hoc iterum deputatis. Sed eo quoque, & qui illi successit, Innocentio IX., brevissimo tempore de hac luce subtractis; tandem sub initium Pontificatus Clementis VIII., qui nunc Ecclesiæ universæ gubernacula tenet, opus, in quod Sixtus V. intenderat, Deo bene iuvante perfectum est. Accipe igitur Christiane Lector, eodem Clemente Summo Pontifice annuente, ex Vaticana Typographia veterem ac vulgatam Sacræ Scripturæ Editionem, quanta fieri potuit diligentia castigatam: quam quidem sicut omnibus numeris absolutam, pro humana imbecillitate affirmare difficile est, ita ceteris omnibus, quæ ad hanc usque diem prodierunt, emendatiorem purioremque esse, minime dubitandum. Et vero quamvis in hac Bibliorum recognitione, in codicibus manuscriptis, Hebræis Græcisque fontibus, & ipsis veterum Patrum commentariis conferendis, non mediocre studium adhibitum fuerit; in hac tamen pervulgata Lectione sicut

non-

nonnulla consulto mutata, ita etiam alia, quæ mutanda videbantur, consulto immutata relicta sunt: tum quod ita faciendum esse, ad offensionem populorum vitandam, sanctus Hieronymus non semel admonuit (g): tum quod facile fieri posse credendum est, ut maiores nostri, qui ex Hebræis & Græcis Latina fecerunt, copiam meliorum & emendatiorum librorum habuerint, quam ii, qui post illorum ætatem ad nos pervenerunt; qui fortasse, tam longo tempore identidem describendo, minus puri atque integri evaserunt: tum denique, quia sacræ Congregationi Amplissimorum Cardinalium, aliisque eruditissimis viris ad hoc opus a Sede Apostolica delectis, propositum non fuit, novam aliquam editionem cudere, vel antiquum Interpretem ulla ex parte corrigere vel emendare; sed ipsam veterem ac vulgatam Editionem Latinam, a mendis veterum librariorum, nec non pravatum emendationum erroribus repurgatam, suæ pristinæ integritati ac puritati, quo ad eius fieri potuit, restituere; eaque restituta, ut quam emendatissime imprimeretur iuxta Concilii OEcumenici Decretum, pro viribus operam dare. Porro in hac Editione nihil non canonicum, nihil adscititium, nihil extraneum apponere visum est; atque ea causa fuit, cur Liber tertius & quartus Esdræ inscripti, quos inter Canonicos libros sacra Tridentina Synodus non annumeravit, ipsa etiam Manassæ regis Oratio, quæ neque Hebraice, neque Græce quidem extat, neque in manuscriptis antiquioribus invenitur, neque pars est ullius Canonici libri, extra Canonicæ scripturæ seriem posita sint: & nullæ ad marginem concordantiæ (quæ posthac inibi apponi non prohibentur) nullæ notæ, nullæ variæ lectiones, nullæ denique præfationes, nulla argumenta ad librorum initia conspiciantur. Sed sicut Apostolica Sedes industriam eorum non damnat, qui concordantias locorum, varias lectiones, præfationes sancti Hieronymi, & alia id genus in aliis editionibus inseruerunt: ita quoque non prohibet, quin alio genere characteris in hac ipsa Vaticana editione eiusmodi adiumenta, pro studiosorum commoditate atque utilitate, in posterum adiiciantur; ita tamen, ut lectiones variæ ad marginem ipsius Textus minime annotentur.

(a) Præfat. in Iosue.
(b) S. Hieron. in cap. xlix. Isaiæ. S. Aug. Libro II. Doctrin. Christ. cap. xv. S. Gregor. Epist. Dedicat. ad Leandrum cap. v. in fine. S. Aug. ubi supra.
(c) Lib. XVIII. de Civit. Dei cap. xliii.
(d) Lib. XX. Moral. xxiv.
(e) Lib. VI. Etymol. cap. v
(f) Lib. I. de Divin. offic. cap. xii.
(g) Epist. ad Suniam & Fretellam. Præf. Evang. ad Damasum.

DE CANONICIS SCRIPTURIS DECRETUM

EX CONCILIO TRIDENTINO

SESSIONE QUARTA.



ACROSANCTA OEcumenica & generalis Tridentina Synodus, in Spiritu sancto legitime congregata, præsidentibus in ea eisdem tribus Apostolicæ Sedis Legatis, hoc sibi perpetuo ante oculos proponens, ut sublatis erroribus, puritas ipsa Evangelii in Ecclesia conservetur.

Et infra:

Sacrorum vero librorum Indicem huic Decreto adscribendum censuit, ne cui dubitatio suboriri possit, quinam sint, qui ab ipsa Synodo suscipiuntur. Sunt vero infrascripti: Testamenti veteris, Quinque Moysi, idest, Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium: Iosue, Iudicum, Ruth: Quatuor Regum: Duo Paralipomenon: Esdræ primus, & secundus, qui dicitur Neemias: Tobias, Iudith, Esther, Iob, Psalterium Davidicum centum quinquaginta Psalmorum, Parabolæ, Ecclesiastes, Canticum canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus, Isaias, Ieremias cum Baruch, Ezechiel, Daniel: Duodecim Prophetæ minores, idest, Osea, Ioel, Amos, Abdias, Ionas, Michæas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias: Duo Machabæorum, primus, & secundus. Testamenti novi, Quatuor Evangelia, secundum Matthæum, Marcum, Lucam, & Ioannem: Actus Apostolorum a Luca Evangelista conscripti: Quatuordecim Epistolæ Pauli Apostoli; Ad Romanos, duæ ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses, duæ ad Thessalonicenses, duæ ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebræos: Petri Apostoli duæ: Ioannis Apostoli tres: Iacobi Apostoli una: Iudæ Apostoli una: & Apocalypsis Ioannis Apostoli. Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt, & in veteri vulgata Latina editione habentur, pro sacris & canonicis non susceperit, & traditiones prædictas sciens & prudens contempserit, anathema sit.

FRAN-

FRANCISCI LUCAE BRUGENSIS

in editam a se Collectionem Correctionum Romanarum Epistola nuncupatoria.

Reverend. in Christo Patri IACOBO BLASAEO, *Episcopo Audomaropolitano, Domino suo cum primis colendo,* FRANCISCUS LUCAS.



T inde ab ineunte ætate, sacræ Scripturæ lectione plurimum sum delectatus, Reverendissime Præsul idemque Amplissime Domine; ita magnam mihi attulit voluntatem quod vidi superioribus annis in lucem prodeuntia Latina veteris vulgatæque versionis Biblia, auctoritate Summorum Pontificum, nominatim Sixti V., &, qui hodie felicissime sedet, Clementis VIII. a Notariorum mendis vitiisque diligentissime expurgata. Verum quantam hæc res voluptatem, tantam e diverso tristitiam animo meo attulit metus, ne, dum variis posthac locis hæc Biblia typis cudi recudique contingeret, foret ut brevi in sublata iam vitia recideretur. Quamvis enim ad hoc periculum evitandum, prudentissime caverit Summus Pontifex ne quivis Typographus ea posset excudere; ea tamen est plerorumque qui typographiis præsunt vel inscitia, ut non agnoscant, vel incuria, ut negligant quod verum est, & inolitis vitiis postponant. Tale quid videmus in Romanis Missalibus & Breviariis accidisse, iis præsertim quæ extra hoc Belgium impressa sunt; simile quibusdam locis fieri cœptum est in his ipsis Bibliis. Dum igitur dispicio, quodnam efficacissimum remedium huic malo queat adhiberi, ne amplius ea loca corrumpantur, quæ iam dexterrime correcta sunt, visum est mihi, suffragante Moreto exactissimæ diligentiæ Typographo (quemadmodum Plantini heredem decet) expediens fore ut, adhibito autographo Romano, quod ille ad me misit, colligerem præcipua atque insigniora quæ in hac Bibliorum editione a Romanis Patribus restituta sunt loca; & indicata ea quæ rejecta est lectione, ita clare distinguerem unam ab altera, ut deinceps nemo non clare intelligere posset quæ proba sit lectio, quæ reproba; quæ textu expulsa, quę in textum, Summi Pontificis, Ecclesiæ totius capitis, auctoritate recepta. Nam quamvis nec hoc quidem modo effici poterit ne Typographi amplius errent; id tamen fiet ut non errent si velint; si velint, inquam, Correctorium hoc a nobis collectum consulere: quod si nolint, nec vereantur negligentes relabi in vetera vitia; ut minimum poterunt ex hoc libello negligentiæ argui, & quæ admiserint menda dignosci, atque auferri. Sic enim concinnatum a nobis est hoc Correctorium, indicato ad singula loca nodo ipso difficultatis, adeoque puncto in quo varietas consistit, ut etiamsi contingeret typographicum vitium in ipsummet irrepere, facile esset ex circumstantiis deprehendere. Quocirca fiet hac ratione ut non pereat Romanorum Patrum labor, quin Biblia veteris ac vulgatæ editionis Latinæ ab ipsis emendata, in suo nitore permanere ac perseverare queant, & sarta tecta perpetuo conservari. Quamobrem, uti spero hanc operam meam ipsis gratam fore, ita gratiorem etiam fore confido, si Reverendissimæ Paternitatis tuæ, quam illi nobis summo cum præconio Episcopum non ita pridem magno nostro bono

præ-



præfecerunt, ſubiectis calculis approbetur. Quod ut impetrare me poſſe ſperem, facit eruditiſſima ſimul & ſacrarum litterarum ſtudioſiſſima Reverendiſſimæ Paternitatis tuæ humanitas: quam ut Dominus Deus mihi, & Eccleſiæ Audomaropolitanæ multis annis ſervet incolumem, continuis precibus obtinere contendo. Audomaropoli, anno ſecundo a ſexcenteſimo & milleſimo, III. Nonas Octobris.

SUBMISSIO.

Omnia, Catholicæ Eccleſiæ, eiuſque in terra conſpicui capitis Romani Pontificis, iudicio, ſubmiſſa ſunto.

FRANCISCUS LUCAS.

APPROBATIO.



HAEc loca Romanæ & Apoſtolicæ recognitionis & reſtitutionis vulgatæ Latinæ ſacrorum Bibliorum editionis, a Reverendo Domino FRANCISCO LUCA Brugenſi, Theologo & Eccleſiæ Cathedralis Audomarenſis Decano, ex ipſo autographo Romano (quod vidimus) obſervata, & collecta, utiliter imprimentur, tum ad retinendam deinceps legitimam lectionem, eamque a chalcotypes mendis revindicandam, tum etiam ut ii qui iam Biblia veteris editionis habent, eadem facillimo negotio ex hac obſervatione corrigere & reſtituere poſſint.

F. IACOBUS *Epiſcopus Audomarenſis.*

EIUS.

EIUSDEM

in Lectionum varietates in Latinis Bibliis ex vetustis mss. collectas Epistola itidem nuncupatoria.

Reverend. in Christo Patri IACOBO BLASAEO, *Episcopo Audomaropolitano, Domino suo cum primis colendo,* FRANCISCUS LUCAS.



UNT anni circiter quindecim quod Reverendissimæ Paternitati vestrę inscripserim, & probandum obtulerim Libellum, in quem congesseram loca insigniora, a Romanis Patribus, Summorum Pontificum SIXTI V. & CLEMENTIS VIII. auctoritate delegatis, correcta in Bibliis Latinis editionis vulgatæ. Qui Libellus ut avide fuit a plerisque expetitus, ita variis locis excusus hactenus, apud viros doctos, & S. Scripturæ studiosos, virtute atque auspicio vestro tenet locum suum. Iam offero alterum Libellum, in quem, doctorum Theologorum hortatu, congessi alia loca notatu digna, ex veteribus editionis vulgatæ manuscriptis libris collecta, quæ hactenus non correcta, merito fortassis pleraque corrigi possent, Summo Pontifice similiter committente. Quamvis enim priores illi Patres felicissime laborarint, & plura vulgatæ editionis loca dexterrime restituerint, ita ut omnino fatendum sit, editionem eorum ceteris omnibus, quæ ad hunc usque diem prodierunt, emendatiorem puriorem que esse; quod non temere habet Præfatio, & ex priore illo nostro Libello manifestum evadit: tamen, quod etiam Præfatio admittit, difficile sit affirmare, numeris omnibus esse absolutam. Ea est enim humana imbecillitas, ut non semel observet omnia, prætereat facile hæc illa, nec ita rem conficiat, quin posterorum diligentiæ ac curæ aliquid relinquat. Nihil in hac vita exstat omni ex parte perfectum. Etiam in Vaticana eaque prima horum Bibliorum editione, impressores non pauca errata admiserunt, quę passim in priore Libello notavimus. Scio quod Patres illi Correctores, nonnulla quę emendare potuissent, consulto qualia erant reliquerint, ad offensionem populorum vitandam, veteri D. Hieronymi exemplo, in libris Regum presertim, & Proverbiorum, e quibus multa fuerant auferenda, iuxta fidem conspirantium manuscriptorum editionis vulgatę; sed tamen & illa annotasse, & ne memoria eorum pereat, hoc Libello indicasse expedit. Ut omittam quod de illis, celebris quidam S. Theologię Professor aliquando ad me scripsit in hęc verba: *Et vero quod de vitanda eorum qui secus assueti sint offensione, allatum est, idque exemplo B. Hieronymi, non quidem plane negligendum est, in dies tamen minus minusque retinet virium: quoniam per Notationes variarum lectionum hactenus a Catholicis & eruditis viris editas, iam prælusum est castigationi, ita ut novitate iam antea magnam partem detrita, vix quidquam offensionis pariat quæ deinde subsequitur Bibliorum legitima auctoritate facta emendatio, sed reverentiam potius, & animi gratitudinem.* Nam &, ut idem alias me monuit, Hieronymus versabatur in corrigendis erratis Interpretum, quorum versiones in usum plurium Ecclesiarum receptę iam fuerant; hic laboratur, non in corrigendo Interprete, sed in versione Interpre-

pre-

pretis emendanda ex eiusdem versionis exemplaribus; hoc est, in Notariorum erratis auferendis: qua re minus facile quis potest offendi. Sive autem consulto sive fortuito sint omissa huiusmodi loca, quę in melius forte mutari potuerant; utile tamen est, quod dicebam, ea annotasse, & scripto tradidisse, ne memoria, notitiaque doctorum hominum, qui sacrę Scripturæ evolvendę diligentius incumbunt, elabantur. Sed accusent me forte multi temeritatis & arrogantiæ, quod post pręclaros illos viros, a Sede Apostolica delegatos, ausim mutare aliquid in Bibliis, & iudicium meum illorum iudicio pręferre. Respondeo, quod mea mens non sit mutare aliquid aut pręferre; sed, quod eas varias lectiones, quas in Latinis vulgatę editionis codicibus, & tractatoribus inveni, & verisimilitudinem habere videntur, in medium proferam, iudicio Suæ Sanctitati iisque quos illa iterum committere possit relicto, an sint pręferendæ, aliisque surrogandæ. Non facile quidem ineuntur, & resumuntur huiusmodi examina (scio) sed si instituantur aliquando, serviet Libellus iste noster ad sublevandos deputatorum labores; sin minus, ad lucem multorum S. Scripturę locorum. In quam sententiam respondit mihi Illustrissimus Cardinalis Bellarminus, litteris datis Romę die 1. Novembris 1606., postquam acceperat Libellum Notarum ad varias lectiones Græcas & Latinas in quatuor Evangeliis occurrentes, quem ipsi dedicaram: *Si videro textum ipsum certo in melius alicubi posse mutari, significabo id Summo Pontifici & Cardinalibus deputatis. Sed tu ipse plane vides, non facile huiusmodi mutationes in sacro textu esse faciendas; quamvis utilissimum sit ut viri docti tum de variis lectionibus, tum de iudicio peritorum hominum, tui similium, admoneantur.* Qui & aliis litteris Capuę datis die 6. Decembris 1603. postquam accepisset Libellum illum Correctionum Romanarum, scripsit ad me quod huc apprime facit: *De libello ad me misso gratias ago: sed scias velim, Biblia vulgata non esse a nobis accuratissime castigata: multa enim de industria iustis de causis pertransivimus, quæ correctione indigere videbantur. Variæ lectiones, quæ in Bibliis Lovaniensibus habentur, & in quas tu librum utilissimum scripsisti, mihi videbantur omnino addendæ: quippe quæ instar bibliothecæ mihi esse videntur; sed non placuit aliis, ut in prima editione apponerentur.* Hęc ille, quibus significat, & se unum fuisse e numero Correctorum (qua re multum utilitatis dignitatisque operi accessit) & posse aliquando fieri ut accuratior castigatio adhibeatur. Similia scripsit Ioannes Baptista Bandinus Prefectus Typographię Vaticanę litteris iussu Illustrissimi Cardinalis Baronii ad Moretum Romę datis, pridie Kal. Augusti anno 1604. *In Bibliorum editione*, inquit, *laudo diligentiam vestrorum Theologorum, qui accurate multa adnotarunt. Ea D. Card. Baronius mihi tradidit, ut inspicerem, & de iis responderem, ut feci semel & iterum. Fateor in Bibliis nonnulla adhuc superesse quæ in melius mutari possent; quædam etiam nescio quo pacto sic impressa reperiuntur, ut exempli gratia I. Reg. cap. 11. vers. 17. Retrahebant homines a sacrificio, cum libri omnes & impressi, & manuscripti habeant, Detrahebant homines sacrificio*, & cetera plura in hanc rem. Priori itaque Libello meo recensui loca pręcipua iam correcta; posteriori hoc loca pręcipua quę adhuc corrigi possent, meo aliorumque iudicio. Hunc non minus quam priorem Romanis Patribus, aliisque viris doctis gratum fore confido, si ut prior vestrę approbationis calculum mereatur, Reverendissime & Amplissime Domine: quem ut Deus Opt. Max. nobis & Ecclesię pergat servare diu incolumem, precibus impetrare obnixe contendo.

SUB-

SUBMISSIO.

Omnia, Catholicę Ecclesię, eiusque in terra conspicui capitis, Romani Pontificis, iudicio submissa sunto.

FRANCISCUS LUCAS.

APPROBATIO.

Ut priorem, ita & posteriorem hunc Libellum approbo tamquam utilem ad ea quę inscripta mihi dedicatoria Prępfatione explicantur. Actum Audomaropoli 12. Junii 1617.

F. IACOBUS *Episc. Audomarensis*.

EIUSDEM

in NOTATIONES a se adornatas Epistola itidem nuncupatoria.

Illustrissimo S. R. E. Cardinali

GULIELMO SIRLETO.



IAm demum prodeunt, Amplissime Pręsul, secunda Bibliorum editione quę a quinquennio primę editioni iungendę fuerant promissę Notationes. Merito notandum me existiment aliqui non statim ab initio servati promissi, quod Bibliorum illorum nostra tunc opera expolitorum margines absque Notationibus his ad quas etiam Lectorem remittunt, intelligi nequeant. Ceterum facile me culpa exsoluturus est qui causas intellexerit. Etenim cum primum rem animo concepissem, trium mensium arbitrabar opus esse, trimestri a me in ea quę tractanda acceperam loca scribi posse. At cum rem cœpi, & investigandis, penetrandis, explicandisque locorum varietatibus me dedi, tantam inveni, etiam ubi minime expectaveram, rei difficultatem, quantam nemo nisi qui ipse experientia didicerit, facile autumet, ita ut triennium operi diligentissime tributum, nedum trimestre haudquaquam suffecerit, si exacti aliquid, cuiusmodi sit oportet id quod hoc exulceratissimo quidem, sed argutissimo sæculo prodire audeat, ederetur. Verum an exactum id sit quod a nobis editur, aliis iudicandum relinquimus: nos certe laboribus nullis pepercimus, ita ut si non res, at conatus laude dignus esse posse videatur. Accesserunt porro ad operis difficultatem alia non raro litteraria negotia, quæ nunc a maioribus demandata, nunc ex officio incumbentia cum prætermitti non possent, operis huius editionem tardarunt. Denique bellorum ortæ tempestates, cum nos Lovanio eiecissent, atque in patria nihilo iam magis tranquilla exsules esse compulissent, diu manus a tabulis prohibuerunt, servientium

piorum consolationi, sacris concionibus, sacra excipienda exomologesi, aliisque sacris ministeriis, atque expectantium interim, si forte pacatis divina dignatione rebus Lovanium, ubi librorum copia suppetebat, liceret reverti. Verum cum longa nos expectatione falli, & suavi spe frustrari misere cerneremus, id quod reliquum erat aggressi a medio prioris epistolæ B. Petri deinceps, quo modo potuimus ad finem perduximus, atque ad editionem universa paravimus. Sed erunt, sat scio, qui hæc nostra ridebunt, atque ut frivola adspernabuntur; ii nempe qui aut Scripturam ipsam sacram, aut illius præcipue vulgatam Latine editionem ob styli humilitatem, atque incomptas ac nativas phrases parvipendunt, nec curæ ipsis sunt quæ occurrunt subinde codicum varietatulæ. At eorum ego nihil movebor sententiis qui & Scripturam ipsam sacram, & vulgatam illius Latinorum versionem antiquissimam illam, & SS. Tridentinæ Synodi declaratione præ ceteris universis authenticam eo prosequor honore ut longe faciam pluris unum hic etiam minimum suæ integritati locum restituisse, quam Ciceronis, Sallustii, Virgilii, Horatii, aut cujuscumque alterius huius ordinis quinquaginta. Et si qui laudi sibi ducunt horum editiones a mendis vindicasse; longe ego maiori dignum laude censeo qui hic id operæ collocarit. Non ita vero id operæ hic desidero, quasi Scriptura sacra erroribus obnoxia sit, quæ a prima veritate profecta veritatis regula est, sed quod in codices, sive apographa ipsa Græca maxime, & Latina per frequentem exemplarium in exemplaria transfusionem nunc librariorum, nunc lectorum oscitantia, incuria, inscitia, temeritate labeculæ, errata, depravationesque subinde irrepserint, quæ aliorum codicum, sive apographorum collatione mutari, corrigi, auferri debeant. Id cum in ipso Scripturæ fonte acciderit (perspicuum est in novo Testamento Græco: nam de veteri Hebræo nihil dicere volumus) longe magis in translatione accidisse potuit. Quare quod nobis obiectant alii, cum vetus editio Latina a Tridentino Concilio probata, atque authentica pronuntiata sit, nulla amplius opus esse castigatione, ridiculum prorsus est. Neque enim Concilium editionis huius exemplaria erratorum expertia esse iudicavit, nec etiam certum aliquod editionis exemplar sequendum omnibus proposuit; sed editionem ipsam ceteris quæcumque extant Latinis editionibus prætulit, & authenticam definivit. Hanc qui voluerit ex Hebræo, aut Græco mutare, aut suo pro iudicio corrigere, correctamque pro ipsa veteri editione emaculata proponere, is Synodi sententiæ proculdubio adversetur: non enim veterem servat, sed suam obtrudit editionem. Ceterum qui ex variis ipsius veteris editionis exemplaribus illi emendandæ, & primævæ lectioni germanæque Interpretis scripturæ restituendæ operam navet, tantum abest ut menti Synodi adversetur, ut ipsa ad hoc Synodo hortante ex mente Synodi faciat. Statuit enim, ut hæc ipsa vetus & vulgata editio quam emendatissime imprimatur; emendate autem imprimi haud posse videtur, nisi collatis variis illius exemplaribus menda deprehensa eliminentur, sincera lectio admittatur. Qua in re, ut Synodi desiderio satisfaceret Theologica Facultas & D. Hentenio olim, & post nobis hoc operis demandavit; quamquam a nobis textus ut ab Hentenio est editus verbis neutiquam mutatus sit. Non enim ex Hebræo, Græco, Chaldæo, aut Syro vulgatam emendare studuimus versionem; sed cum variare reperta essent vulgatæ versionis exemplaria, adhibita sunt Hebræa, & Græca, plerumque etiam Chaldæa, & Syra, ut dignosci posset quæ exemplaria lectionem servarent germanam. Nam qui solam adfert Latinorum exemplarium variationem, nihil nisi scrupulum iniicit lectoris animo; hæret enim animi dubius

quid

quid amplectatur, donec aut ex fontibus, aut ex antiquis aliarum linguarum editionibus, aut ex tractatorum commentariis, aut ex locorum circumstantiis, aut ex ipsa exemplarium spectata integritate, aut denique ex his simul omnibus quod inter exemplaria ipsa discernat, adferatur. Hoc conati sumus cum in marginibus Bibliorum, tum maxime his in Notationibus. Usque adeo vero a nobis absuit animus vel minimum recedendi ab ipsa veteris Interpretis scriptura, ut is scopus noster fuerit ipsam quærere Interpretis scripturam non tantum in rebus maioris ponderis, verum etiam in minutis, & quod amplius est, etiam ubi ipsa Interpretis scriptura minus forte commoda videri poterat; ita ut nihil perinde verear, quam ut nimię me anxietatis multi notent. At quare hæc? Non aliam ob causam, quam ut pura puta haberi possit, quam Synodo visum est præscribere, vetus editio: quæ si quid subinde minus commode fortasse vertat, non aliunde ipsa emendetur, sed ex doctorum virorum id scriptis discatur. Quare & cum in dubium de germana Interpretis scriptura quovis pacto veniremus, non ipsi sententiam diximus, sed iis quæ pro singulis facerent partibus in medium allatis, ferendam sententiam aliis reliquimus. Quin & alias cum re satis perspicua nostram ausi fuimus sententiam explicare in omnes æque partes, ita ut ferebat unaquęque, disseruimus, ut si quem plus forte alterius partis movere possint rationes, eam præ nostra liber amplectatur opinione. Cupimus enim melioribus subiecta sententiis, quæ a nobis iudicata sunt; nec tantum, verumetiam quæcumque aut dicta, aut scripta. Quamobrem olim decrevimus alicui Præsulum Ecclesiæ has nostras lucubrationes inscribere: non quod iis dignas censeremus, sed quod eorum proprie sit certum eiusmodi de rebus iudicium ferre. Porro ab ipso initio non alius occurrit, cui meliori viderentur ratione offerri posse, quam V. D. Amplitudo, Cardinalis Illustrissime; quem pietatis iunctæ eruditioni nota celebrem nobis, carum, observatumque reddiderat. Ut enim auctoritate polles, ita & eruditione præstas, & quod huc facit, linguarum cognitione excellis, quodque proxime urget, earum peritus & studiosus es rerum, cuiusmodi hic tractare conati sumus. Id loquuntur doctissimę vestræ in Græcum Psalterium observationes Regio Bibliorum operi iunctæ, & quas præ manibus R. V. habet, quarum non exiguam ipsi vidimus & legimus partem, exactissimæ in librum Ecclesiastici Notationes, quibus alia consimilia plura D. V. industriam meditari intelleximus. Quare quidquid hoc est quod de lectionum S. Scripturæ varietate scripsimus, parum utique si respiciantur quæ & nobis ipsis, & aliis adhuc relicta sunt, ampliss. D. T. exhibemus ac dedicamus, ut sub tui nominis auspiciis editum, & a te benigne in tutelam acceptum, si quid erroris habeat, tua auctoritate corrigatur; si quid boni, tui nominis accommodatione adversus æmulos defendatur; si quid lectu dignum, tuæ eruditionis celebritate commendetur. Universa enim quæ dicta a nobis sunt, Tuæ, & Sanctissimi Patris nostri Romani Pontificis, atque Ecclesiæ Catholicæ censurę perpetuo submissa volumus. In his porro elaborandis adfuit præcipue nobis Reverendus in Christo Pater S. Theologiæ Licentiatus P. Ioannes VVilhelmi Harlemius Collegii Societatis Iesu Lovanii colendissimus Rector, ac per Belgium Viceprovincialis dignissimus, vir summa eruditione qui divino quo præcellebat ingenio linguarum Latinæ, Græcæ, Hebraicæ, Chaldaicæ, Syriacæ, atque Arabicæ difficultates superaverat, & theologicorum mysteriorum intima penetraverat, ea ad hæc vitæ puritate, ea morum suavitate ornatus, ea animi ad iuvandos quoscumque promptitudine, ea denique in Deum perpetuo

d 2 pe-

pergenti pietate præditus, ut homini bono voluptatis summæ loco esset eius frui alloquio, sacrisque simul ac doctis sermonibus refici. Testari possum qui eo præceptore, institutore, patre quinetiam, quæ eius erat humanitas, familiari septennio & eo amplius usus sum; nec quidquam ita deploro ut, quod ignorabam, ultimum id esse vale, quod, Scotis hæreticis Lovanium ingressis, turbataque universa, ac suos dimittente Academia, tristis dicebam. Flagrantis cælesti amoris igne animæ corpusculum lœmicus Deo operante ignis solvit, ut cum a corporis miseriis, tum a mundi, qui ea dignus non erat, si nunc certe si umquam alias totus in maligno positus, malis libera ad cælestem dilecti thalamum admissa, tota ἀπεριστάτως in mellifluis eius amplexibus versaretur; ita ut non mors ipsius, sed nostra nobis deflenda sit derelictio. Non grave tibi arbitror esse, Serenissime Cardinalis, bonorum virorum audire laudes, quinimmo volupe, huius præsertim cuius fama non incognita (scio) D. V. fuit: qui huius quod A. V. exhibemus operis scribendi fere auctor nobis fuit, & consilio persæpe iuvit, ac librorum, quibuscumque opus habuimus, copiam, ex instructissima Societatis Iesu Lovaniensi Bibliotheca, subministravit, quin & legit hæc pleraque omnia, suum eis calculum additurus, si vita comes fuisset; ut & delecti a Facultate Theologica Doctores ii qui Bibliorum editioni subscripserunt, nisi iam a nobis mutuo seiuncti, vix an in vita superstes sit, alter de altero intelligere possemus. Adfuit porro etiam singulariter ad hæc conficienda sua nobis ope qui ea ipsa excudit Regis Architypographus Christophorus Plantinus: tulit enim sumptus non mediocres, quibus & me scribentem, minusque solida cum valetudine fere colluctantem fovit, & aliis qui aut aliunde manuscriptos codices advexerunt, aut ea quæ in adversaria ieceramus, accurate descripserunt, aut alio quocumque modo auxilio fuerunt, liberaliter satisfecit, emptis etiam a se nonnullis atque e propria officina missis libris. Quare si quid his, aut fructus, aut ornatus Ecclesiæ Catholicæ allatum esse potuit, vel meriti quid boni ipso conatu apud Deum comparatum, ad cuius sane gloriam animus respexit; suas sibi hi vindicant partes Harlemius, & Plantinus, ipsi inter se coniunctissimi, & mihi pro beneficiis in me collatis suo ambo merito colendi. Te itaque pietate atque eruditione, ornatissime Cardinalis, obnixe oro ut hæc quæ Illustrissimæ D. T. dicamus qualiacumque scripta æqui boni consulas, atque in tuam benigne tutelam accipias: ut intelligenti, id quod primum ediderim, tibi ceterisque Ecclesiæ Præsulibus gratum esse, ad plura tentanda animus addatur. Me ipsum porro benevolentiæ humanitatis tuæ etiam atque etiam commendo, & tuorum a te numero adscribi opto. Dominus Deus Ecclesiæ suæ diu te incolumem servet. Brugis Flandrorum die B. Laurentii martyrio celebri IV. Idus Augusti anni CIↃ.IↃ.LXXIX.

Amplissimæ D. V. observantissimus.
FRANCISCUS LUCAS.

EIUS-

E I U S D E M

ad Candidum Lectorem

P R AE F A T I O.


Um commissum mihi esset, eas quæ in Lovaniensium Bibliorum marginibus adnotatę erant lectionum varietates ad fontes, & veterum commentarios revocare, & si quidem concinerent, marginalibus id notis signare, ut quoquo modo germana ab adulterina discerni posset lectio; animadverti sæpenumero fieri haud posse, ut notis id in margine indicaretur: quod fontes vel ambigui, vel obscuri essent, aut ad dignoscendam germanam lectionem quædam facerent, quæ cum verbis exprimenda essent, tot exprimi non possent quot marginis angustia posset capere. Quamobrem consilium subiit ad calcem Bibliorum brevibus eiusmodi annotari posse. Quod cum ad R. P. Harlemium, qui hoc in negotio præerat, retulissem, probassetque ille; adscripsi in Bibliorum margine ad ea loca in quæ visum erat aliquid annotare, signum Q. N. quod esset, Quære notationes. Cum vero eo quod in Bibliorum margine laborandum erat confecto, Bibliisque ipsis ad Typographiam missis, me ad scribendas in ea loca notationes dedissem, animum temperare haud potui, quin exacte id conarer facere quod incumbebat; nec paucis, quemadmodum statueram absolvere potui, ut ad calcem Bibliorum adiici possent, nec cito uti speraveram, ut una cum Bibliis prodirent. Quare nunc seorsum secunda cum Bibliorum editione prodeunt necessariæ quidem ad intelligenda marginalia annotata Bibliorum illorum nostra opera adauctorum; quippe ad quas illa remittant, sed quæ a marginalibus illis annotatis ipsę non pendeant, quibuscumque Bibliorum editionibus atque exemplaribus adhibitis servientes. In his porro textum initio singularum notationum ita fere proposuimus, ut in Lovaniensibus est Bibliis: quem deinde cum aliis Latinis exemplaribus impressis, & scriptis contulimus. Habuimus impressa exemplaria semper octo aut novem; scripta XXXII. aut XXXIII. ut minimum, sæpe plura; ea quę statim descripturi sumus; propria, dico, præter ea quæ ante nos Parisienses, Hentenius, aliique annotaverant. Sępe enim in uno invenias quod non in multis aliis: & frequenter de genuina Interpretis scriptura plus ex Latinis codicibus quam aliunde intelligere licet, dum inter varia exemplaria, quem legendi modum vulgaria sequantur, in quem conspirent emendatiora, conspicitur. Dehinc consuluimus commentaria, enarrationes, scholia, translationes primæ, mediæ, postremę ætatis, auctorum Græcorum, & Latinorum, quoscumque habere potuimus: ut si quid usquam esset quod ad nostrum faceret institutum, quoad eius a nobis fieri posset, in medium adferremus. Post hęc adhibuimus in veteri quidem testamento Hebraicum, Græcum, & Chaldaicum, textus; in novo Gręcum, & Syriacum: & ne forte horum exemplaria sibi mutuo quandoque non constarent, lecta sunt Grеci textus antigrapha complura, ceterorum saltem duo. Postremo si quid vel ex locorum circumstantiis, vel ex locis similibus, vel aliunde de lectionis varietate intelligi posset, id omne perscrutari conati sumus; & si non ipsi iudicium ferre, certe aliis dare, unde aut

ferre

ferre possent, aut suo quamque momento lectionis varietatem æstimare. His autem sensum sæpenumero addidimus, aliquando singularum varietatum, maxime vero eius quæ vero simillima erat, ut ne forte ob minus perspicuum sensum, id quod fere accidit, reprobaretur. Horum porro occasione sæpe etiam antecedentia & subsequentia proxime tractavimus loca: & si quæ Græcorum, Chaldaicorum, aut Syriacorum apographorum occurreret variatio etiam ea edisserta est: quin & difficultates quæ vel ex his, vel ex Hebraico oriuntur, pro virili nostra enodatę sunt: nec prætermissum esse arbitror id quod multi desiderant, quomodo Hebraice Latinus, & Græci Interpretes legerint, dum eorum translationes ab Hebraica scriptura, ut nunc punctis vocalibus adfecta exstat, discrepare videntur. Ceterum non deterreant Lectorem linguarum forte imperitum quæ frequenter his admiscentur Hebraici, Chaldaici, Gręci, Syrici textuum verba: id enim fieri ita debuit, ut fides dictis haberetur, fereque ea interiecta sunt, ut salvo atque integro loci sensu transiliri ab eo qui non intelligat, possint. Porro * varietates quę in manuscriptis exemplaribus eius varietatis quæ discutienda erat occasione, quippe loco vicinę, repertæ sunt, cum tractandę non viderentur, ad marginem sunt notatæ iis signis quę in Bibliis frequentata & declarata sunt. Sunt vero notationes iuxta librorum sacræ Scripturæ, capitum, versuumque ordinem sese mutuo sequentes; ita ut nullo indice opus sit, nisi eorum locorum, quæ occasione aliunde explicanda aliquando se obtulerunt: quem & ad calcem libri invenies. Quod reliquum est, Lectorem obsecro, ut hæc mediocritatis nostræ scripta eo accipiat & legat animo, quo scripta & data sunt, candido, & veritatis, non contentionis studioso; qui insectari alios abhorreat, & sicuti erret ipse lubens monstratum errorem corrigat; si quid ignoret, discere gaudeat, nec tuam velit usquam opinionem meliori sententiæ præiudicium ferre.

* Hæ varietates (sicut & alia huiusmodi, si quæ sint) non ad marginem, ne paginæ latitudo ultra quam par est excrescat, sed immediate post finem Notationis apponentur, arabicis, ut vocant, numeris notatæ, proprio quilusque loco respondentibus; dummodo non ita breves sint ut in textum, distinctæ cruculis, salva sensus integritate, recipi possint.

TIUS-

E I U S D E M.

Catalogus eorum quibus usi sumus S. Scripturæ librorum.

COmplutensia, *Compl.* & ex Complutensibus expressa, Regia Biblia, Hebraica, Græca, Latina, Chaldaica, &, quod Regiis proprium est, Syriaca. *R.* Hebraica & Chaldaica Biblia magna Venetiis excusa, *Ven.*

Psalterium Augustini Nebiensis quinque linguis, Hebraica, Græca, Latina, Chaldaica, atque Arabica. *Neb.*

Psalteria Hebraica manuscripta duo, unum Collegii Lovaniensis Societatis Iesu, alterum D. Clementis Angli, *Angl.* & tertium Portugallicum, ex fide Reverendissimi D. Lindani citatum. *Port.*

Syricum Novi Testamenti manuscriptum, Coloniense ex Orientis partibus allatum.

Syrica Novi Testamenti editio sumptibus Ferdinandi Imperatoris, & Ioannis VVidmanstadii opera Viennæ Austriacæ edita.

Græca Biblia Aldi Manutii anno 1517. impressa. *Ald.*

Græca veteris Testamenti Biblia Argentorati edita, *Argent.* collata cum duobus Græcis Vaticanæ Bibliothecæ antigraphis, *Vat.* quorum variæ lectiones ad marginem adnotatæ sunt iussu Reverendissimi Cardinalis Granvellani.

Græca Veteris Testamenti Biblia Basileæ excusa anno 1550. cum Latina interpretatione. *Bas.*

Psalterium Græcum Latinis litteris Tornaci olim in cœnobio S. Martini scriptum. *Torn.*

Psalterium Græcum Parisiis impressum ex S. Victoris codice emendatum.

Alterum Parisiis a Chevallonio excusum; tertium Antverpiæ a Stelsio.

Novum Testamentum Græcum Basileæ excusum cum Vaticano Codice in Evangeliis collatum, quondam D. VVerneri Atrebatensis Collegii Lovanii Præsidis.

Novum Testamentum Græcum Basileæ impressum, anno 1563. cum lectionum varietate; & alia aliquot alibi excusa, quæ, quia Lovanio longe absumus, commemorare haud possumus; ut nec ceteros libros exacte, ita ut facile deceret, describere.

Novum Testamentum Græcum Parisiis editum ad XVI. Græca exemplaria a Parisiensibus collatum, signata Græcis numeris, α, β, γ, δ, ε, ϛ, ζ, η, θ, ι, ια, ιβ, ιγ, ιδ, ιε, ιϛ,: quorum primum Complutense est exemplar; secundum ex Italia transmissum fuit; octavum cum ceteris ex Bibliotheca Regis Francorum sumptum.

Vetusta Latina manuscripta, quibus ad castigandum Parisienses sunt usi; Cœnobii S. Dionysii oblongum & latum, *Di. o. l.* S. Germani oblongum, latum, parvum, aureum, & argenteum, *Ge. o. l. p. au. ar.* Donatianicum, *Do.* Paulinum, *Pau.* Svessoniense, *Sv.* Constantiense, *Con.* Corsendoncense, *Cor.* Aureum, *Au.* S. Victoris exemplaria, *V.* & Sorbonicum Correctorium. *S.*

Latina Biblia, quæ ad castigationem D. Ioannes Hentenius adhibuit, descripta ab eo in præfatione Bibliorum a se editorum.

Manuscripta Latina Biblia duobus magnis voluminibus comprehensa Cathedralis Ecclesiæ D. Donatiani Brugensis, antiquitate simul & integritate paucis aut nullis secunda, quæ a clarissimo viro D. Iacobo Pamelio Bibliothecæ D. Donatiani præfecto, Lovanium transmissa fuerunt. *Brug.*

Alterum Bibliorum duobus tomis contentum manuscriptum exemplar, similiter vetustate, & integritate venerandum, a R. D. Ermino Fransoys Cœnobii Lobiensis S. Petri Abbate, commodato missum, scriptum, ut ad calcem libri diligens scriptor notavit, a F. Goderanno, anno incarnationis Dominicæ 1084. indictione 7. concurrente 1. Epacta 11. a rege Henrico æque Henrici Cæsaris filio iam trienni obsidione urbem Romam graviter premente, concluso in ea Gregorio Papa, qui & Hildebrandus, anno 9. præsulatus Henrici Ecclesiæ Leodicensis, 8. autem Gerardi Cameracensis, 6. quoque Arnulfi Abbatis eiusdem Lobiensis cœnobii S. Petri. Habet hoc exemplar triplex

plex tribus columnis diſtinctum; ut & alii quidam veteres codices; Pſalterium Gallicum, Romanum, & Hebraicum, Gallicum, noſtra eſt vulgata editio ab Hieronymo caſtigata, & obeliſcis atque aſteriſcis notata. Romanum, ea eſt qua Romani ante Hieronymi caſtigationem videntur uſi. Hebraicum, Hieronymi eſt ex Hebræo verſio. *Lob.*

Tertium his ſimile manuſcriptum quatuor aut quinque tomis ex Leodienſi S. Iacobi Abbatia allatum; cui hoc unum deeſt, quod pleriſque locis poſteriori alicuius præpoſtera cura, antiqua ac germana eraſa, vulgaris lectio ſubſtituta ſit. *Leod.*

Viginti manuſcripta Bibliorum exemplaria contribuit, quem ſuum nuper Lovanii diem obiiſſe intelleximus, M. N. Auguſtinus Hunnæus piæ memoriæ; viginti contribuit ſignata Alphabeti litteris, ſuntque, ut iuxta præſtantiæ ordinem ea numeremus, *O*, *Q*, *T*, *E*, *N*, *P*, *L*, *H*, *G*, *A*, *M*, *V*, *I*, *K*, *B*, *C*, *D*, *F*, *R*, *S*. Ceterum T & N fragmenta ſunt dumtaxat; *T* Acta Apoſtolorum, Epiſtolas D. Pauli, & Catholicas veteri ſcriptura continens; N. Iob, Proverbia, & eos qui deinde ſequuntur libros uſque ad Ezechielem; litteris miræ magnitudinis; emendatum ante trecentos annos ex Caroli magni Bibliis undequaque collectis, iuſſu, ut præfatio habet, F. Iordani Magiſtri ordinis Prædicatorum, & F. Hugonis Prioris Provincialis in Francia, a Prædicatoribus S. Dominici Fratribus, quorum & emendationum rationes ſub libri finem leguntur, ad quas textus aurea marginis nota remittit. *O*, *Q*, *E*, lectiſſima ſunt antigrapha; ſed in Pſalmis, *O*, cum Hieronymi ex Hebræo translationem habeat, multum ab aliis eiuſdem translationis antigraphis diſcrepat. *H.* in libris Regum præſtat; *P.* in Pſalmis, &, in quibus excellit etiam *L*, Sapientis libris. *I* & *K* ſæpe adnotant lectionem veriorem. *V* quod ſignamus, & ipſum *Q* littera a M. N. Hunnæo inſignitum eſt. Habuimus ab Hunnæo & Breviarium pervetuſtum, quod quandoque citamus; denique præter alia, id quod maximi facimus, manuſcriptum Bibliorum correctorium ab incerto auctore; quem Epanorthoten, aut Correctorem fere vocamus; magna diligentia ac fide contextum, ſecuto, uti oportet, antiquos noſtræ editionis codices, eoſque cum Hebræis, Græcis, & veterum Patrum Commentariis ſedulo collatos; qui liber Geneſ. VIII. verſ. 7. latius a nobis deſcriptus eſt. Hos porro manuſcriptos codices, iam a morte D. Hunnæi, opinor Collegii Societatis Ieſu eſſe: reliquerat enim illos Collegio, cui olim commodato miſerat, niſi ante mortem repeteret.

Collegium Societatis Ieſu duo ſua ſubminiſtravit manuſcripta Bibliorum apographa minori forma, quorum unum Societatis rubrum *So. ru.*, alterum appellavimus aureum *So. au.* ſive Harlemenſe, *Har.* eo quod auro ornatum Harlemio a Plantino donatum fuerit. Plura ſubminiſtravit Collegium Societatis fragmenta Bibliorum, eaque ſpectatæ antiquitatis, quæ idcirco a confractione P. Harlemius redemerat; unum continens octateuchum, unum libros Regum, & eos qui ſubſequuntur uſque ad Ezræ, id quod Societatis longum *So. lon.* diximus; duo Societatis album, & aureum *So. al.* *So. au.* codices ſunt Evangeliorum: quartum Societatis latum *So. la.* Paulinas habet Epiſtolas, eaſque gloſſematis illuſtratas. Chriſtophorus Plantinus quinque miſerat manuſcripta Biblia, quæ ſuo ære a confractione ſervarat, vocata a nobis Plantini medius codex, anguſtus, latus, parvus, & longus: quæ, quo ordine a nobis numerantur; eo cenſenda ſunt. *Pl. m.* *Pl. ang.* *Pl. la.* *Pl. par.* *Pl. lon.*

Atrebatenſis Collegii Præſidens præclariſſimus M. N. M. Cornelius Reineri Goudanus duo commodaverat manuſcripta Biblia, quorum unum Atrebatenſe, *Atr.* alterum Atrebatenſe Sericatum, *Atr. ſ.* diximus: quibus exemplaribus, ut & eo quod proxime ſequitur, etiam Hentenius uſus fuit.

Ex maiori Theologorum Collegio habuimus exemplar quondam Beſſarionis Cardinalis, quod ille a Iuliano Cardinali S. Angeli, Florentini Concilii Præſide, ut epigraphe habet, dono acceperat, id quod in libris Regum maxime veram lectionem ſæpe notat in margine. *Beſſ.*

Collegium Buſlidianum, ſeu Trilingue etiam unum dederat ſcriptum, uti coronide addita adnotatum eſt, anno 1432. annis octo ante typographicæ artis inventionem. *Buſſ.* ſive *Tril.*

Ex

Ex Abbatia Malmundarienſi accepimus miræ vetuſtatis libellos; qui plerique magis eam qua veteres Patres, quam qua nos utimur, editionem referunt; *Mal.* unum Pſalmorum, unum Sapientiæ, & Eccleſiaſtici, unum Machabæorum, unum Epiſtolarum Catholicarum & Apocalypſeos, duos Epiſtolarum D. Pauli, quorum alterum maiorem, *Mal. ma.* alterum minorem, *Mal. mi.* a litterarum magnitudine, vocavimus. Minor noſtræ editionis ſtudioſus eſt; maior veterem ſectatur eam quæ ante Hieronymi caſtigationem.

D. Pamelius commodavit nobis, quod Tornaco allatum fuit, vetuſtiſſimum atque lectiſſimum cœnobii S. Martini Pſalterium, anno Domini 1105. ſcriptum: id quod quatuor columnis quatuor Pſalterii editiones exhibet, Gallicam, Romanam, Hebraicam, Græcam. Græca ipſa eſt Græca translatio Latinis litteris ſcripta. *Tor.*

Uſi ſumus & Pſalterio ex Cameraco allato, Goticis litteris ſcripto; in cuius lectione Reverendiſſimus D. Lindanus repueraſcendum ſibi fuiſſe ſcripſit; id quod Romani Pſalterii exemplar eſſe deprehendimus. *Got.*

A D. Lævino Torrentino habuimus Gloſſam ordinariam in Prophetas minores manuſcriptam. *Tor.*

A D. Nicolao Michaelis Reverendo monaſterii S. Andreæ iuxta Brugas Abbate unum tomum manuſcriptorum Bibliorum, quæ ea habet Abbatia, inſignium: quo uno manuſcripto, perficientes Brugis id quod a Lovanienſi fuga reſtabat, uſi ſumus. *And.* Legimus atque adduximus aliquando & alia quædam manuſcripta exemplaria quibus quia continue uſi non ſumus, ſuis ea locis nominaſſe ſufficiat.

Typis excuſa Latina Biblia, quibus perpetuo uſi ſumus, hæc ſunt. Excuſa Moguntiæ anno 1472. *Mog.* quam primam eſſe accepimus Bibliorum a Typographis editionem (quamquam aliam illa priorem quidam ſe vidiſſe dicant) Coloniæ anno 1479. *Col.* Nurenburgi anno 1478. *Nuren.* Venetiis anno 1497. *Ven.* Lugduni cum lectionum varietate anno 1522. *Lugd.* Coloniæ apud Quentelium anno 1529. *Quent.* Pariſiis caſtigata anno 1557. & Benedicti ſcholiis aucta anno 1573.

Enarratorum atque Auctorum, quibus uſi ſumus, longum eſſet catalogum texere: ex iis quibus aliquando nominantur locis poterunt intelligi. Ceterum poſt Epiſtolam ad Romanos, non omnes legimus quos adhuc ſtatueramus, præter ſpem Lovanio exſules.

EMMANUELIS SA
in Notationes ſuas in SCRIPTURAM SACRAM Oratio ad CHRISTUM.

SCis, Domine, ſolere Librorum Auctores dicare eos Principibus. Ego vero te nec maiorem nec meliorem Principem quemquam ſcio. Tibi igitur, Domine JESU, Librum hunc dico, cui me a puero in tui nominis religione ante annos ferme quinquaginta ſub Romano Pontifice Vicario tuo per gratiam tuam dedicavi. Suſcipe, obſecro Domine, munuſculum ſervi tui, & fac ut tuæ, cuius cauſa eſt elaboratum, Eccleſiæ proſit. Quod ſi quid in eo eſt te indignum, ignoſce imperitiæ meæ, ſi qua vero (ut ſpero eſſe multa) digna ſunt, laudent te qui ſciunt nihil poſſe boni fieri ſine te. Amen.

EIUSDEM
In eaſdem Notationes ſuas ad Lectorem Præfatio.

OPere ne pretium fecerim colligendis hiſce Notationibus, neſcio: id ſcio, voluiſſe me plurimorum utilitati conſulere, quod an ſim aſſecutus, cenſebunt doctiores. Spero equidem boni conſulturos, ſi qua minus quam vellent explicavi. Difficilem ſuſcepi provinciam, quo magis ignoſcendum, ſi quid errarim. Addent alii quæ deſunt. Mihi abunde fuerit dediſſe occaſionem ſapientibus. Digna quidem res in qua operam ſuam ponant, & de theſauris ſuis ad incepti huius perfectionem proferant nova & vetera. Vale.

NOTATIONUM EARUMDEM COMMODA.

I. BReviſſime Scripturam totam ſic explicant, ſecundum ſenſum litteralem, ut a nemine (quod ſciam) adhuc præſtitum: ingentia enim quiſque in Scriptura ſingulos libros volumina edit, nos aliam longe rationem (ut vides) ſecuti.

II. Afferunt varias Lectiones ex Heb. Chald. & LXX. quod etiam novum, & noſtram editionem magnopere illuſtrans.

III. Poſſunt excudi ſeparato libello, adeoque exiguo volumine, ut nos ſcripſimus. Quis enim eſt qui apud ſe Biblia ſacra non habeat, quæ ſtatim poſſit conſulere, vel potius cum ea leget, has Notationes adhibere?

IV. Poſſunt & cum Bibliis imprimi, inſtar earum quas fecit Vatablus, quæque ſunt plauſu magno a pleriſque receptæ, cum tamen textum noſtrum non explicent, ſed editionem neſcio quam ex Hebræo.

V. Additæ ſunt a nobis ad finem libri, phraſium omnium, quibus Editio vulgata utitur, explicationes, quæ magnam Scripturæ totius intelligentiæ lucem afferant.

VI. Addidimus & Indicem copioſum, ſimul & brevem more noſtro, ubi fere quiſque facile reperiat quæcumque volet.

VII.

VII. Attexuimus & alterum Indicem, alphabeti ordine, selectarum Scripturæ sententiarum, qui possit esse concordantiæ vice: fere enim continet quæcumque usui esse possunt in concionibus, scriptionibus, & meditationibus.

RESPONSIO AD OBIECTIONES.

I. AT sunt nimis concisæ, & ieiunæ. R. Sic forte indocti dicant, qui vellent fusiores; sed spero & doctos probaturos tantam brevitatem, nec futuram ingratam indoctis, ubi assueverint; quin etiam boni consulturos tantam temporis iacturam evolvendis prolixis Commentariis, fuisse a nobis hac brevitate ademptam.

II. Interdum obscuræ. R. Facit id brevitas necessario; sed compensatur hoc tam multis supra recensitis utilitatibus.

III. Non certa semper interpretatio phrasis Heb. Chal. & Græc. R. Et quis umquam ita est interpretatus ut nihil desideraretur? Equidem sum secutus Doctorum potius, quam meam sententiam; nec enim magnam linguarum peritiam mihi arrogo, tantum iis operæ dedi, quantum satis fuerit ad hanc provinciam quam suscepi, scilicet fideliter referendi quæ legeram apud peritiores, quamquam de meo nonnihil interdum addiderim.

IV. Quædam relicta intacta. R. Fateor; sed vel quia facilia, vel adeo difficilia ut maluerim fateri imperitiam, quam impudentiam præferre, aut temeritatem.

V. Hebraice, & Græce plura fuerant scribenda. R. Fecissem sic maius volumen, quod vitare instituerам. Adde quod defuit copia librarii, qui posset fideliter describere. Denique deprehendimus tam sæpe errari in iis a Typographis, præsertim absente Libri Auctore, ut vel hæc pauca Heb. & Græce scripta possint multa videri. Apposuimus autem Latinis litteris, eadem præsertim Hebræa, in gratiam imperitorum, interdum etiam & Græca.

Optarim quidem quæcumque hic desunt, addi a viris doctis, & corrigi etiam, si qua sunt emendatione digna, totumque id opus a nobis rudius datum, ab iis perfectum reddi. Fecerint certe mihi rem gratissimam; tantum abest ut ægre sim laturus: quid enim malim quam studiosis optime consultum? Utinam edantur aliquando hæc quam probatissima, nos autem (ut cum Paulo loquar) reprobi simus.

IOANNIS MARIANAE
ad ROBERTUM BELLARMINUM Cardinalem ex Societate IESU in Scholia sua ad vetus Testamentum Præfatio.



ON est apud me dubium, eximie & humanissime Cardinalis, quin si quis in hæc inciderit ex rigidis rerum æstimatoribus & criticis, miretur, accuset ipse quoque fortasse cum aliis, quod in tanta copia nostrorum utriusque Ordinis procerum, cum quibus commune cælum, maior necessitudo, unde certior spes gratiæ amplioris, tuum potissimum nomen delegerim, quod in fronte, ut fit, nostris in sacros libros lucubrationibus adscriberem. A quo humanitatis iure postulamus ut non prius nostrum consilium improbet, quam quæ subiicio attente cognoverit. Ac primum profiteor nihil hoc obsequio, quale illud est, a te, aut per te ab alio cupere. Intra conchulam nostram cochleæ ad instar, humoris, quod satis est, suppetit, ne externo subsidio, ambitu, donis opus habeam. *Quæstus magnus, pietas cum sufficientia*, hoc est, sua sorte esse contentum, id αὐτάρκεια est. Non tuum illustrare nomen animus erat: quod quidam, cymbalum mundi ex eo dictus, olim pollicebatur simili officio. Superbum id esset. Scriptis libris quam purpura illustrior, aliena cuiusquam face non eges. Quod erat æquius, tuo splendore nostras tenebras depellere, ne id quidem satago. Solis ad instar meridiano fulgore stellulas, si quæ in nobis essent, si id agerem, obscurarem potius. Ac ne, quod quis nihilominus miretur, patrocinium nostro labori flagito. Promptum id, & vulgare, neque ultra verba proventus. Memoria equidem superioris temporis tantisper oblectare animum volebam (veniam hanc seni dato) cum Romæ tu quidem post obitum avunculi tui Marcelli Pontificis Optimi Maximi, ætatis, sed & artium liberalium impigro pede prima spatia metiebaris Parra præceptore tuo, amico nostro, & æquali. Ego scholas Theologicas explicabam, immatura quamvis ætate, neque eruditione firma. Ita res nostræ erant. In Italia nullus nostri Ordinis, qui eam provinciam sustineret; nunc innumeri, ut audio, & credo libenter: sic tempora commutantur. Collegæ tamen in ea professione tunc erant Emmanuel, & Ledesmius; quales, & quanti viri ingenio, eruditione, & modestia! In Philosophia Toletus, qui eruditionis ergo theologicæ postea donatus est purpura. Pereira eleganti prorsus ingenio. Accessit Acosta nihilo aliis inferior. Artem Oratoriam Perpinianus tradebat, ex cuius ore melle dulcior fluebat oratio, eloquentiæ laude cum primis nostræ ætatis comparandus, neque antiquis absimilis. Mathesim Clavius, ex suis libris satis notus, & nobilis. Hebraicas litteras Baptista Romanus inter suæ gentis spinas rosa odorata, & suavis moribus magis quam facie. Græcas Stephanus domo Valentinus. Eorum & temporum, & virorum sæpe recordatio recurrit, eaque reficitur animus. Sed & eorum adolescentum, qui supra ducentos ex variis nationibus una nobiscum vivebant, subit animum cum voluptate cogitatio. In eo numero Galliardi tres, totidem Sardi; quibus se quartum postea adiunxit eorum pater nobilis in Sicilia medicus. Lucas Pinellus, Iacobus Crucius, Bernardinus Castorius, alii quorum nomina exciderunt, hæret animo virtus. Sed certe Ludovicum Odescalcum ipsis Gratiarum divinis manibus factum forma, moribus, ingenio,

Eximet e nostro pectore nulla dies.

Re-

Rector Collegii Sebastianus Romæus, prudens iuxta, & modestus. Neque te Iacobe Paeci, dubium ingenio an gratia maior, silentio involvo, meorum quondam in litteris prime sodalium, mihi præ ceteris care. Non Organtinum non ita pridem in Iaponia post immensos labores extinctum. Non Maldonatum, quamvis exiguo tempore in Romanorum Professorum numero; sed collega deinde noster Lutetiæ, nostræ nationis, & Ordinis decus. In tanto numero nulli reditus erant, nulla vectigalia. Miraculi instar, tot tunc iuvenes ali potuisse. Victus proinde frugalis erat, & tenuis. Docendi labor improbus, cælum nobis, præsertim externis, grave. Ita fractæ in limine vires nostræ sunt. Tredecim tamen annis in Italia, Sicilia, & Gallia confectis, in Hispaniam necessario redii, si nativo cælo melius haberem. Neque fefellit spes. Recreata tantisper valetudine, voti compos, inter varia onera a nostris, ab externis imposita, quidquid laboris poteram impendere, quidquid otii nactus eram, ad scribendum contuli, quæ inter vos collegeram, ut nostris participarem; existimans multo esse præclarius publice prodesse, posteritati consulere, quam se ignaviæ dare, ludicris aut privatis actionibus tempus & vitam consumere. Itaque HISTORIAM DE REBUS HISPANIAE Latina lingua triginta libris confeci, quo ornamento carebat gens nostra, non sine externo convicio. Eamdem deinde, sed auctam, multorum victus importunitate, vulgari lingua rudioribus dedi. *De Ponderibus & mensuris* libellum evulgavi; *De Rege, & Regis institutione* libros tres; postremo *de Iacobo Apostolo, de Editione Vulgata, de Spectaculis, de Moneta, de Morte Christi, de Annis Arabum, de Morte & immortalitate*; de singulis argumentis disputationes singulas uno volumine sum complexus. Malo fuit peculatus, qui erant eo tempore in nostra gente frequentes (liberius fortasse quam opus fuit, & tutum) stylo accusasse. Sed sedata tamen ea tempestate, & turbati maris fluctibus in malaciam compositis, extremam ætatem quasi postliminio ad veterem professionem retuli. Sacros libros illustrandi curam suscepi notis quibusdam, & minutis luminibus. Rem prorsus magnam, supra vires conatum: si libros singulos explicare ardua res est, omnes aggredi quantum? Non conquievi tamen priusquam saxum hoc, quod multo tempore versavi, ad montis cacumen perductum tandem constitisset, ingenti utique labore, magnis sudoribus. Cupiebam quidem Libros omnes sacros tentare, utrumque Testamentum amplecti; sed in medio cursu vires debilitatæ prohibuerunt. In senibus ingenium hebescit, labascit memoria, vires corporis situ quodam minuuntur, & cadunt. Sic in veteri Testamento restiti, nec ultra tunc quidem conabar. Nostri hactenus consilii caussas, sed & vitæ partem explicui, otii, & secessus Hispanici rationem reddidi. Addam tamen, me in hac vigilia brevitatem consectatum, ne opus immensum scilicet cresceret, si varias aliorum explicationes referrem, & de omnibus disceptarem. Et alioqui in locis singulis, quæ mens Auctoris fuerit, quid verba sacra significent, paucis explicare, quid vetat? Laudem conficiendi in divinos Libros latissima Commentaria aliis relinquimus; quorum nostra ætate, & in nostro Ordine magnus est numerus. Neque me cum illis compono memor nostræ tenuitatis. Nos ex agello nostro tenues florum manipulos damus: ditiores offerent integra viridaria. Editionem vulgatam sacrorum Librorum, quam Ecclesia Catholica probat, & sequitur, ut par est, a capite ad ad calcem tuemur, sed cum iudicio; minuta non semper, neque magnopere aliquando curantes, potiora conjectamur. Atque ita, ut nullus sit locus cum Iudæis, aut hæreticis controversus, aut etiam fraude corruptus, in quo non ostendatur

datur nostram interpretationem illorum fabulis multo esse sinceriorem; idque ex fontibus, in quibus aliquem usum habebamus. Novam in sacros Libros diligentiam non sequimur, aliquando ab iis ipsis, qui eos castigarunt, concessa prorsus facultate. Gotthicis nostrorum libris antiquissimis adiuti sumus: in quibus magis sincera sacrorum Librorum versio ab Hieronymo facta conservatur, argumento praeter alia, eius etiam in Psalmos interpretationem iis libris contineri, pro qua nostri Codices septuaginta Interpretum versionem in illos mutarunt. Ex Hebreorum libris flores non paucos selegimus levi manu, metu noxii sub viridi herba serpentis. Benignum est tamen confiteri per quos profeceris. Summa, ex Hebraicis, & Graecis, Commentarii vice, Latina explicare tentavi; suscepti laboris is fuit scopus, ea ratio. Cum proventu sudatum sit in hoc stadio & palaestra, an inani conatu, nobis diiudicare fas non est. Sua cuique placent, sat scio. Deformes liberi parentibus pulchri & venusti videntur. Naevos non videt amor, quippe luminibus captus. Caritas operit peccata, ut Christi Apostolus ait. Vobis censuram permittimus. Ea vero praecipua causa in vestro nomine hoc opus emittendi. Melior cuiusque rei finis est quam principium; hoc est, posteriores curae prudentiores. Sine provocationis suspicione tamen, quod displicuerit notato; si modo graviores curae permiserint, nostraque cognoscendi voluntas fuerit & amor. Quo severior censura, eo gratia amplior. Vale

E I U S D E M

ad ANDREAM SCHOTTUM e Societate IESU in scholia sua ad novum Testamentum Praefatio.



Olve senescentem mature sanus equum, ne
Peccet ad extremum ridendus, & ilia ducat.

Liceat nobis elegantis Poetae verbis nostram intemperantiam dicam, an pruritum accusare, qui nec valetudine fractus, nec extrema aetate admonitus, nec curis aliis districtus possum cessare. Non senescentem solvere, sed senium verum erat. Ita est ingenium. Constitueram quidem annis superioribus, cum primum in vetus Testamentum Scholia perfeci, manum de tabula tollere, studia molesta abiicere, mihi vacare, & de discessu serio per otium cogitare; ad quod longaeva aetas provocabat, & multa amicorum funera, quae in oculos quotidie incurrunt: ad alicuius Caelestium templum arma suspendere, libros, scrinia iam parabam cum voto, & carmine, quasi rude donatus gladiator, non meis meritis, quippe ignavus, sed gentis benignitate & venia: cum repente antiquo includor ludo, resumere arma cogor, & ex priori novus labor exurgit. Notas in vetus Testamentum publicare parabam, magni, & diuturni laboris opus. Monuerunt amici viri eruditi & prudentes, nostras in divinos Libros lucubrationes mutilas prodire Novo sublato; ad quod Lector festinare solet minori veterum cura. Quid facerem; quod consilium captarem potissimum? Repugnarem? Praefractus viderer. Consentirem? Vires onus novum recusabant. Librario tamen id per litteras flagitanti, morem gerere ex parte decrevi, adiicere veteri novum labo-

laborem, rudem quamvis & impolitum. Quem ut sumerem, alia præterea invitabant. Multa in hanc rem, & selecta, in adversaria superiori tempore collata: quæ mecum perire, ni ita facerem, necessum erat. Gotthicus apud nos codex in membranis magnæ fidei & antiquitatis, fortasse ante octingentos amplius annos descriptus, rerum, credo, potientibus Gotthis ante eversam Hispaniam a Mauris. Certe ante sexcentos triginta annos Ecclesiæ Hispalensi donatum, ad eius calcem scriptum est. Novum præterea Testamentum Syriacum perlegeram, & in eo præclara quędam notaram. Græcum postremo Testamentum nescio qua sorte nactus eram, quod Petrus Fagiardus Marchio Velesius ad fidem sedecim Græcorum exemplarium castigavit, quæ magna diligentia undique congessit, neque impensæ parcens, nec labori, vir Græce doctus, & copiosus inprimis paterno Principatu, & uxoris amplissima dote, pari nobilitate. Præclarus in tanto Principe conatus & labor. Nihil sine labe tamen. Illud certe desideratur, ut variis Lectionibus, quas ad marginem minio adiecit, designaret ex quibus Codicibus singulas sumpsisset. Magnum id momentum fuisset, sine eo opus inchoatum; alioqui insigne profecto. Nam vix est locus in quo non consonent margines cum nostra editione Latina. Verum ex tanta concordia rursus oriebatur suspicio, eum in aliquem Græcum Codicem inscienter incidisse ex eorum numero qui post Concilium Florentinum ad fidem Latinorum multi sunt castigati, & cum illis penitus consentiunt. Ex eo pleraque hausisse cogitabam. De qua re, inter Genesii Sepulvedæ epistolas, quinta & septima concertatio est illi cum Erasmo. Eam ob causam ea diligentia, eoque Codice parce & caute usi sumus, nec tamen prorsus reiecimus. Notationes quædam Lovanienses iuverunt, quas aliquando integras in nostra Scholia transtulisse fateor, ne silentio surripuisse quis accuset. Sed cum eo, si quid erratum est, fides Auctorem appellet. Hactenus nostri consilii & laboris rationem reddidi. In tuo nomine, ut hanc vasti Operis partem foras darem, tuum exemplum provocavit. Simul hoc officio, quale illud est, te exoratum cupiebam, ut Opus hoc sane ob ætatem tumultuarium severiori censura castigares priusquam lumen videat. Ad superiora beneficia, quibus me magnopere obstrictum sentio, hoc esset novum & illustre corollarium. Simul vestra opera, & nobilis Librarii industria, cupiebam, ut totum Opus quam emendatissimum in manus hominum veniret: Græca, & Hebraica accurate exprimerentur. Ea summa votorum erat, id præstolabar, cum isthuc nostras schedas misi, ut apud vos publicarentur; nunc mutato prælo eamdem opem & gratiam flagito, sed posthumam. Vale.

THO-

THOMAE MALVENDAE
ſuprema de ſuis Commentariis
Proteſtatio.

I. HAEc Lectorem ſcire cupio, me in nova iſta S. Scripturæ ex Hebraico Translatione ſecutum exactiſſime verba ipſa, & ordinem verborum, qui Hebraice poſitus eſt; quod feciſſe ſemper vidi viros in ea transferendi arte præſtantes: & exiſtimo vim, ſenſum, mentem, rationem, animum ipſum ſacrarum Scripturarum aliter ſatis exprimi non poſſe. Vide quæ notavi ad Prologum Eccleſiaſtici; & conſidera ibi inprimis verba S. Hieronymi quæ adduxi.

II. Tempora ipſa verborum, quæ Hebraice ponuntur, in Translatione ſine mutatione conſervavi: præterita præteritis reddidi, futura futuris, Vau hippuch, ſeu converſivum perpetuo obſervavi, quod ſenſui ſacrarum litterarum cumprimis convenire arbitratus ſum, neglectis recentiorum Hebræorum vanis & præpoſteris obſervationibus.

III. Nomina Dei ininterpretata ubique retinui, ut ſciret Lector quodque quo loco poneretur.

IV. In Commentariis curavi omnibus viribus ut ſenſum explicatiſſime hiſtoricum exprimerem.

V. Adhibui, ſuperiorum permiſſu mihi lectas, quorumdam Novatorum expoſitiones, quod uſu & linguarum notitia aliquid ad inſtitutum viderentur afferre, & quo eorum argutias etiam ſæpius coarguerem; non quod fidei ipſorum, religioni, alienationi a S. Eccleſia Catholica Romana, praviſque ipſorum placitis ullo pacto adhæſerim, a quibus quam longiſſime ſemper abſuit animus meus.

VI. Et in Translatione, & in Commentariis uſus ſum ſæpeſæpius vocabulis ad normam Latinitatis confictis, ad evidentiorem & maiorem rei de qua agebatur elucidationem.

VII. Conſtitueram totam Sacram Scripturam uſque ad ultimam Apocalypſim ea interpretandi ratione qua cœperam, alacriter percurrere; ſed Deus Optim. Max, in XVI. cap. Ezechielis, valetudinem vireſque impetu diſiecit, anno meo climacterico; cui Domino laus, honor, gloria in ſæcula. Profeſſus me ſemper ex animo in communicatione, religione, fide orthodoxæ Eccleſiæ Romanæ & vixiſſe, & mori libentiſſime. Et ſi mihi quidquam imprudenter (non quidem ex animo) exciderit in meis ſcriptis alienum a doctrina S. Eccleſiæ Romanæ, totum retracto, & pro ſcripto haberi nolo, meum caput, & omnia ſummi dictatoris Romani Pontificis Chriſti in terris vicarii pedibus ſubmittens.

F. THOMAS MALVENDA.

EIUS-

EIUSDEM

* Monita ad Lectorem.

I. Auctores quos citamus vidimus.
II. Citamus ad maiorem firmitatem.
III. Varietas operis delectat.
IV. Adducimus varios ad enucleandam eamdem vocem Hebraicam; cum inest difficultas.
V. Citamus quosdam Patres ad varias e Græcis versiones, quæ potius forsan, sunt eorum interpretum.
VI. In expositione locorum Scripturæ multa invenies in nobis quæ non apud explanatores.
VII. Me numquam novam a me excogitatam interpretationem comminisci; sed Patribus, & explanatoribus inhærere.

* *A morte Auctoris in musæo inventa* : verba descripsimus ex Prolegomenis præmissis editioni Lugdunensi an. 1650. num. VII.

DEO OPTIMO MAXIMO

Domino universorum

IOANNIS STEPHANI MENOCHII Societat. IESU pia, & submissa Operis dedicatio.

Cui enim potius quam tibi, o Summa mens, & bonorum omnium fons, hæc consecrentur? Aut quid æquius videri possit quam ut omnia bona, quæ ab oceano illo tuo affluenter in hominum genus derivantur, ad eumdem ipsum refluant? Hic divinarum Litterarum apparatus, in quo illustrando qualiscumque opella mea sudavit, totus est tuus, & te vere scientiarum Deum, & præsidem æternarum veritatum agnoscit, & prædicat. Tua sunt effata, oracula, præcepta, consilia, & scholæ bonitatis apertæ ad mundum instruendum. In tua luce viderunt videntes, tuo instinctu cecinere pii vates, tuo afflatu Sancti monumenta sua condiderunt; e tuo sinu prodeuntes Apostoli, principes super omnem terram constituti, & doctores universitatis, sacra monita reliquerunt; Evangelistæ tui amanuenses religionis primordia, Servatoris eroica facinora, vitam, mortem, & triumphos, æconomiam salutis, politiam christianam, te stylum, & cogitationem dirigente, sempiternæ memoriæ prodidere. Hæc omnia cum te agnoscant ducem, auctorem, & Dominum, tibi omni iure debentur, & meritissimo consecrantur. Iam vero si me video, qui minimus sum tibi servientium, cui mea vota suspirant, & vitæ professio, quid est in hoc opere non tuum? Si quid a me excogitatum est ad arcanos tuos sensus, & verba vitæ ex-

ponenda, in tenebris & obscuritate, in qua tamquam honorato velo pretiosa illa mysteria occultari voluisti; ad sacrum honorem apud homines conciliandum, tu e pharo bonitatis tuæ facem prętulisti: ut mecum omnes agnoscerent, nisi te velut manu patefaciente, ad divinos fontes aditum non patere, ne superba hominis intelligentia, quę in rebus subtilibus inveniendis, atque interpretandis gestit, & exultat, tribuat sibi quod tibi uni debetur. Hos ergo mentis fetus, & laboris fructus si dedicavero tibi, o mundi opifex, moderator, & custos, nihil non tuum adferam, nihil quod non mille & mille modis tibi debeatur. Alii ad tholos sacratissimorum tuorum templorum suspendent aurea anathemata atque gemmea: quippe de tuo locupletes, & sub te copiosi habent multa clara & rara quę offerant; ego inops meritorum, & a magnis imparatus, hoc specimen industrię defero, & piorum studiorum. Tu, o Rex glorię, illumina vultum tuum super hoc opus, & consueta bonitate perfice ut cedat ad gloriam tuam, & eorum bonum qui ad scientiam divinarum Litterarum animum suum appellent, donec revelata facie, & in domo tua persusi claritate luminis tui, plenius te, & tua videamus. Amen.



I D E M

ad Lectorem.



Emo mihi arbitror iure succenseat, amice Lector, si post tam multos sacrarum litterarum Interptetes, quorum maximum sane proventum nostra hæc ætas tulit, ego etiam earumdem interpretationem aggredi non sim veritus. Hæc enim sacrorum librorum prærogativa est ut quemadmodum ab ipsius Ecclesiæ ortu splendidissima quæque ingenia in eis illustrandis elaborarunt, ita & nostro ævo, & iis quæ subsequentur sæculis haud dubie defuturi non sint qui in illis explicandis laborem, & industriam conferant. Tanta est enim, ut cum Augustino loquar, christianarum profunditas litterarum ut in eis quotidie proficere possimus, si eas solas ab ineunte pueritia ad decrepitam senectutem maximo otio, summo studio, meliore ingenio conaremur addiscere. Tam multa enim semper, tamque multiplicibus mysteriorum umbraculis opaca intelligenda proficientibus restant, tantaque non solum in verbis quibus ista dicta sunt, verum etiam in rebus quæ intelligendæ sunt, latet altitudo sapientiæ, ut annosissimis, acutissimis, flagrantissimisque cupiditate discendi hoc contingat quod eadem Scriptura quodam loco habet: *Cum consummaverit homo tunc incipiet*. Neque vero maximis tantum ingeniis in sacrarum explicatione litterarum locus est; sed, quemadmodum in magnorum molitione ædificiorum, præter summos architectos, minorum etiam gentium artifices subserviunt, cæmentarii, calcarii, latomi; ita, post Sanctos Patres Ecclesiæ magistros ac doctores, Augustinum, Hieronymum, & alios huiusmodi, multi semper extiterunt, qui ingenio, & facultate, præsertim si cum summis illis componantur, fortasse mediocri, non tamen mediocriter profuerunt, & qua erant cupiditate incensi de sacrarum litterarum studiosis

bene

bene merendi, rationem aliquam excogitarunt qua facro huic ſtudio cum ſua æque aliorumque utilitate operam navare poſſent: quorum conatus, ut ab optima mente profectos, ſecundus etiam (quemadmodum ex eorum lucubrationibus, quæ paſſim omnium manibus teruntur, apparet) & quam ipſi optaverant eventus exceſſit. In horum ergo numero, qui, quantum per alias occupationes licuit, hiſce litteris addictus fuiſſem, ut venire poſſem, ea mens incidit, ut breves in univerſam Sacram Scripturam vulgatæ editionis explicationes darem, quibus litteralem quem appellant ſacri contextus ſenſum, ambagibus, digreſſionibuſque reſecatis, facile, & non multi temporis impendio quilibet aſſequi poſſet. Quod opus quamquam ab aliis tentatus eſt, primum ab Emmanuele Sa, deinde a Ioanne Mariana noſtræ Societatis hominibus, & a Guilelmo etiam Eſtio (ut de recentioribus tantum verba faciam) adhuc tamen a divinarum litterarum ſtudioſis aliquid magis abſolutum deſiderari ſentiebam. Nam Mariana integros aliquot libros intactos reliquit, nec tam in eo ut bene ſacri codices intelligerentur elaboravit, quam quæ ipſe notaverat ad lectionum varietatem ſpectantia, aut Hebraici textus cum Latina editione ac ſeptuaginta virorum interpretatione concordiam, ad pubblicam utilitatem evulgavit. Eſtius (quod conſilium ipſius fuiſſe profitentur qui poſthumas eius notas in Scripturam ediderunt) carptim multa delibavit, omnia perſequi vel noluit, vel, aliis excluſus occupationibus, non potuit. Emmanuel vero Sa, licet nullam paginæ divinæ partem interpretatus non ſit, brevis tamen adeo eſt, ut multorum votis, qui paulo uberiorem deſiderant explicationem, locum fecerit. Hanc ego, Lector, aggredior voluntate ſane maiori quam facultate. Spes tamen eſt non ingratum fore ſacrarum litterarum candidatis conatum hunc noſtrum: nam brevitatem cum perſpicuitate, quantum licuit, conciliare conati ſumus, & ex optimis quibuſque Scriptoribus ea ſelegimus quæ ſacri textus ſententiam planam facerent; & niſi quid de noſtro quod ad loci faceret interpretationem haberemus, fuſe ab aliis diſputata in pauca, quantum fieri potuit, contraximus; illudque univerſe ſpectavimus ut in notationibus hiſce, quamvis brevibus, nulla tamen eſſet iners, & cuius nullum eſſet operæ pretium. Hæc eſt, amice Lector, operis huius noſtri ratio, hoc conſilium. Faxit Deus ut quod ad ipſius gloriam, & legentium profectum inſtitutum eſt, ad finem etiam, Numine bene favente, perducatur. Vale.

IACOBI TIRINI

Præfatio ad Lectorem.



T Sacra Scriptura nihil utilius est homini Christiano, nihil iucundius, nihil Theologo scitu magis necessarium; ita nihil quoque difficilius, nihil obscurius. Difficilem inter alia faciunt ipsa mysteriorum celsitudo & sublimitas, ut quæ fidem humanam, & captum naturalem plerumque excedunt, & fere sola Dei revelatione nobis innotescunt. Obscuram reddunt tum eadem illa mysteria miris tenebris involuta, tum phrases & modi loquendi, ut antiquitate, sic & singularitate sua nostris multum dissimiles; idiotismi Hebraici, & Græcanici pene ubique obvii; parabolæ, adagia, tropi admodum insolentes; auxeses, ironiæ, metatheses, contradictiones in speciem frequentes; nomina propria personarum, urbium, regionum exsoleta; arbores, fructus, herbæ, aromata, gemmæ, lapides vix ullis auditi; denique instrumenta, & lemmata geometrica, architectonica, astronomica, aliaque aliarum artium paucis explorata. Certe S. Augustinus *a* (& qualis ille quantusque Doctor?) *Publice*, inquit, *profiteor, tantam esse Christianarum profunditatem litterarum, ut in eis quotidie proficerem, si eas solas ab ineunte pueritia usque ad decrepitam senectutem, maximo otio, summo studio, meliore ingenio conarer addiscere*. Unde alibi exclamat *b*: *Mira profunditas eloquiorum tuorum! quorum ecce ante nos superficies blandiens parvulis; sed mira profunditas, Deus meus, mira profunditas! Horror est intendere in eam, horror honoris, & tremor amoris*. Similia habent Origenes, Ambrosius, Chrysostomus, Hieronymus, Gregorius, *c* & alii SS. Patres. Et velint nolint, fateri coguntur ipsi quoque hæretici nostri, quoties ad rem venitur & pugnam; licet extra pulverem, inter aniculas & pocula subinde deblaterent, Scripturam *per se apertissimam & clarissimam* esse, ideoque etiam cerdonibus, & sartoribus, & sororibus in Christo non lectitandam modo, sed & enucleandam ac diiudicandam. Sic passim clamitant, nempe ne suas contristent delicias. Sed cum manus operi admovenda, mox aliter cantillant. Pro omnibus unum audiamus omnium antesignanum & Principem Lutherum *d*. Hic explicandos susceperat Psalmos Davidicos. Sed primo statim initio tam difficiles, tam obscuros expertus est, ut publice fateretur se suscepto operi parem non esse; atque inter alia, *Nolim*, inquit, *ab illo id de me præsumi, quod nullus adhuc præstare potuit etiam sanctissimorum, & doctissimorum*; id est, *Psalterium in omnibus suo legitimo sensu intelligere, & docere. Sat est aliquot Psalmos, & eosdem ex parte intellexisse. Multa sibi reservavit Spiritus Sanctus, quo nos semper discipulos habeat: multa solum ostendit, ut alliciat: multa tradit, ut afficiat*. Et infra: *Scio esse impudentissimæ temeritatis eum qui audeat profiteri, unum Scripturæ librum a se in omnibus partibus intellectum*. Magistro subscribunt Brentius, Kemnitius, Centuriatores *e*, & alii complures. Si hæc de

a August. Epist. 111.

b Lib. XII. Confess. cap. xiv.

c Origenes Lib. VII. contra Cels. Ambr. epist. xliv. ad Constant. Chrysost. hom. xl. in Ioan. Hieron. præfat. in Epist. ad Ephes. Gregorius hom. vi. in Ezech.

d Luther. præf. in Psalm.

e Brent. in sua Conf. Vvittemb. cap. de S. Script. Kemnit. in Exam. iv. sess. Trident. Magdeburg. Cent. I. Lib. II. cap. iv.

de singulis libris ex animi sententia, & merito pronuntiant; quid sensisse putandum de omnibus simul voluminibus?

Porro pellendæ huic obscuritati, & difficultatibus expediendis insudavit omnis omnium Pastorum Ecclesiæ, omnibus seculis, tum in antiquo, tum in novo Testamento labor & industria: tot versiones Bibliorum, tot interpretationes, tot paraphrases, tot scholia, tot commentarii, tot homiliæ, tot volumina, tum Sanctorum Patrum tum Doctorum Ecclesiæ, uni illi rei, hoc est tricis Scripturarum enodandis, inserviunt. Quin & Scholasticorum, quos vocant studia conatusque omnes, an non huc potissimum tendunt, ut quæ in sacris litteris obscura implexaque reperiunt, claris commentationibus illustrent & enodent, solidisque rationibus stabiliant. Et est profecto pretium operæ: nam (ut aliquid etiam de utilitate necessitateque dicam) a S. Scriptura, ut fundamento, ut matrice, ut magistra pendent omnia. Sine hac nec Philosophia constans, nec Theologia solida, nec aliæ scientiæ perfectę: sine hac nec cathedræ stant, nec pulpita: sine hac, vaga, & vana omnis disputatio, insulsa omnis concio, insipida de divinis colloquia: sine Scripturæ adminiculo nec tuto instruas proximum, nec sine periculo concurras cum hæreticis, cum Iudæis, cum Mahometanis, cum Atheis. Quin & in amicis confabulationibus maxime cum personis generosis & cordatis, quam probrosum Theologo non ad unguem callere S. Scripturam? Vidi ego non sine magno meo rubore cespitantes hæsitantesque etiam insignes Theologos, cum a viris gravibus super mensa, vel in rheda vel in navi rogitarentur varia ex Scripturis etiam sat obviis, nec quidquam responderent ad rem, v. g. ex Psalmis quis esset *ille draco*, *quem formavit* Deus *ad illudendum ei*: Psalm. CIII. vers. 27. cuius *caput* contribulavit & *confregit* in aquis, deditque eum escam populis AEthiopum! Psalm. LXXIII. vers. 13. 14. Quid sibi velit, *Rex virtutum dilecti dilecti*, & *species domus dividere spolia*? *Si dormiatis inter medios cleros*, *pennæ columbæ deargentatæ*, & *posteriora dorsi eius in pallore auri dum discernit cælestis reges super eam*: Psalm. LXVII. vers. 13. 14. 15. Ex Ieremia, quæ ista tam terribilis *columba*, a cuius *facie gladii* fugiendum sit; Ierem. L. vers. 16. Quod *cornu filius olei* Isaiæ, *in quo vinea fuit* sponsi: Isai. V. vers. 1. Quæ *cornua*, qui *fabri*, quis *murus igneus*, quis *lapis stanneus* Zachariæ; & *duo filii olei*; *duæ spicæ olivarum iuxta duo rostra aurea*, *in quibus suffusoria ex auro*? Zach. I. 11. & IV. vers. 10. 14. & 15. Quis Iobi *Leviathan*, quis *Behemoth*? Iob III. vers. 8. & cap. XL. vers. 10. Et possunt alia eiusmodi proferri millena ex Canticis, de *ferculo Salomonis* ex *lignis Libani*, *cuius columnæ argenteæ*, *reclinatorium aureum*, *ascensus purpureus*, *media caritate constrata*. *Corona* sponsæ *de capite Amana*, *de vertice Sanir*, *de cubilibus leonum*, *de montibus pardorum*. De *quadrigis Aminadab*: *equitatu in curribus Pharaonis*. De *acervo tritici*, de *cratere tornatili*, de *hinnulo capreæ*, de *turre eburnea*, de *piscinis Hesebon*, de *turre Libani respiciente Damascum*, de *purpura vincta canalibus*; & alia, quibus sponsæ *venter*, *umbilicus*, *ubera*, *collum*, *oculi*, *nasus* & *coma capitis* comparantur: Cant. III. vers. 9. 10. cap. IV. vers. 8. cap. VI. vers. 11. & cap. I. vers. 8. cap. VII. usque ad vers. 6. Item ex aliis Scripturæ libris, quid *gomor*, *hin*, *satum*, *cabus*, *corus*, *ephi*. Quanti ponderis *siclus*, *mina*, *talentum*, *drachma*, *pondium*, *dipondium*, & alia, quorum toties meminit liber Exodi & Levitici. Quis *tragelaphus*, *pigargus*, *oryx*, *camelo pardalus*, *chærogrillus*, *grips*, *haliæetus*, *ixion*, *larus*, *porphirion*, *onocrotalus*, *charadrius* in Deuteronomio, cap. XIV. Quid *musach sabbati*, in Libris Regum: IV. Reg. XVI. vers. 18. Qui Iudæi *principes in Moach*, quorum unus

(an

(an instar Iosue) *stare fecit* solem : alter *vir mendacii* ; tertius *securus* ; quartus *incendens*, in Libris Paralipomenon? I. Par. IV. vers. 22. Quæ *Regina*, ibidem, tam fecunda, tam potens, ut *virum pepererit*, & quidem venustum ac *decorum*? I. Par. VII. vers. 18. Quæ Danieli *filia feminarum*? Dan. XI. vers. 17. quæ Sapienti, *Verba Congregantis filii vomentis*? Prov. XXX. vers. 1. Quis *acervus Mercurii*? Prov. XXVI. vers. 8. Quæ *lingua morti contraria*? Eccli. XXIII. vers. 15. Quæ lingua *prophetet corpus mortuum*? Eccli. XLVIII. vers. 14. Quando *florebit amygdalus impinguabitur locusta, dissipabitur capparis: rumpetur funiculus argenteus, recurret vitta aurea, conteretur hydria super fontem, & rota super cisternam*? Eccle. ult. Quis impiorum *dulcis erit glareis Cocyti*? Iob XXI vers. 33. Et similia infinita ; quæ nisi prompte solideque dissolveris, næ sannis exploderis & sibilis. Levia tamen hæc. Grave, Theologum, animarum pastorem, verbi Dei præconem, ceteroqui fervidum ac zelosum, cum hæreticis compositum, ad manum non habere quo blasphema illorum ex corruptis, vel mutilatis Scripturis deliria detegat, quibus cultum Dei, invocationem Sanctorum, venerationem imaginum, necessitatem bonorum operum, iustificationem fidelium, usum tot Sacramentorum, liberum hominis arbitrium, Romani Pontificis primatum, Sacrorum Conciliorum, Patrum, Doctorum Ecclesiæ auctoritatem, sacerdotum cælibatum, Religiosorum vota, regulas & instituta, denique mysteria omnia Christianæ fidei convellere nituntur. Et quis non ingemiscat, in solemni pugna blateronem hæreticum audacissime quidvis effutire, Catholico Doctori linguam hærere? Quis non indignetur, eumdem cum Iudæis, cum Mahometanis in arenam delapsum, in limine cespitare, pallescere, balbutire, & quasi prodere causam Dei ; cum adversus illos, seu ex *sceptro Iudæ*, seu ex *septuaginta hebdomadibus Danielis*, seu ex *quatuor monarchiis*, seu ex tot aliis antiqui Testamenti mysteriis & figuris demonstrandum est, *Messiam* cælitus promissum *advenisse* iam pridem, & verum *Dei Filium esse*, & *Patri* ac *Spiritui sancto consubstantialem* esse, aliaque fidei nostræ fundamenta ex aliis Scripturæ locis eruenda, firmanda, stabilienda sunt?

Ast, inquies, hæc omnia iam olim eruderarunt, stabilierunt, demonstrarunt Origenes, Tertullianus, Hieronymus, Ambrosius, Basilius, uterque Gregorius Nazianzenus, & Nyssenus, Chrysostomus, Irenæus, Cyrillus, Augustinus, Theodoretus, Gregorius Magnus & tot alii sancti Patres, tot Doctores omnium sæculorum: & nostris quoque temporibus pene infiniti, tum ex nostra Societate, tum ex aliis Religiosis Ordinibus, tum ex Clero sæculari, doctrina & sanctitate perillustres viri, quorum Commentarii ad manum sunt. Sunt, fateor, ad manum, sed non cuivis: & ut essent, quoto cuique tantum otii est, quantum illis evolvendis necessarium est? Quotus quisque, tanto tempore, tanta patientia (de opibus iam sileo) abundat, ut perlegere sustineat, v. g. Bened. Pererii in solam Genesim tomos in folio quatuor, & Alfonsi Tostati totidem in solum Pentateuchum, eiusdemque in unius Matthæi Evangelium alios tomos quatuor? Quis alterius Alfonsi Salmeronis, in quatuor Evangelia & Acta tomos duodecim, Ioannis Villalpandi in Ezechielem tres, Ioannis Lorini in librum Psalmorum duos, Franciscus de Mendoza in octo prima capita libri primi Regum tomos item in folio duos. Quis denique Ioannis de Pineda, Martini Delrionis, Ludovici de Puente, & tot aliorum crassissima volumina evolvat, quo sensum genuinum hauriat unius, & non prolixi Cantici Salomonis?

At non omnes ita luxuriantur, non omnes tam prolixe scribunt. Franciscus

Ri-

Ribera, Ferdinandus de Salazar, Cornelius a Lapide, Nicolaus Serarius, Gaspar Sanctius, Iacobus Bonfrerius, & plures alii tum nostri, tum aliorum Ordinum, brevioribus commentariis maiorem Scripturæ partem elucidarunt. Ita profecto est: atque utinam iis qui adhuc supersunt, tamdiu vires suppetant, quo ad opus perfectum dederint, totamque Scripturam similibus commentariis illustrarint. Verumtamen etiam hi ipsi commentarii, ut doctissimi, ut omni ex parte perfectissimi sint, plerisque occupationibus (ut fere iam omnes sunt, in omni vitæ statu) nimis adhuc prolixi sunt. Et optant pene communibus votis alium longe breviorem Commentarium, qui quoad fieri potest, accurate & perspicue, sed succincte, non omnes (nam multi sat faciles, sat obvii sunt) sed difficiliores locos S. Scripturæ tali modo & methodo enodet, ut a lectore, sine nausea, brevi temporis spatio, nec prolixiore quam ipse Scripturæ textus evolvi possit.

Hoc votum omnium, hoc commune desiderium prima mihi causa fuit præsentis Commentarii, quem hic vides, de novo concinnandi, quem nihilo prolixiore spatio, quam ipsamet Biblia percurrere, Lector, possis, tantamque semestri uno, si binas ternasve quotidie horas impenderis, scientiam Scripturarum haurias, quanta vel ad hæreticos, & similes Ecclesiæ hostes refellendos, vel ad sciolos, etiam curiosissimos satiandos, vel ad plebem e pulpito, vel ad discipulos e cathedra instruendos, opus habueris. Et quanti est, tantum temporis iacturam prolixioribus commentariis evolvendis, fuisse hac brevitate redemptam? Sed accessit & altera causa, spesque alterius utilitatis nihilo præcedente levioris. Nempe, si ad manum esset eiusmodi brevis & concinnus commentarius, fore ut ad mensas Prælatorum, ac Religiosorum ubi ex antiquo usu, eoque laudatissimo Biblia quotidie præleguntur, idem Commentarius post singula capita Bibliorum, vel, ubi hæc prolixiora sunt, post dimidiata subnectatur. Hac enim via (ut alia commoda taceam) nullo suo labore instruentur etiam qui in sacris litteris alioqui rudes prorsus sunt: cum enim audient a lectore mensæ, S. Scripturam sibi non modo prælegi, sed & explicari, sine molestia, sine temporis iactura, magna voluptate haurient una cum cibo sensum, & mysteria eiusdem Scripturæ; cum nudum alioqui textum nullo vel exiguo fructu sæpius & prælegi, & relegi experientia doceat. Consuletur etiam otio aliorum qui peritiores sunt, sed aliis occupationibus distenti, studio S. Scripturæ vacare non possunt: nam his saltem memoria renovabitur, novi utilesque conceptus suggerentur, & varia dubia subnascentia dissolventur. Omnibus denique occasio & materia dabitur, mox a mensa loco inutilium colloquiorum, de S. Scriptura, rebusque controversis agendi, disquirendi, & amice disceptandi.

Sed hæc sufficere forsan alicui videbuntur Notæ breviculæ, quas in universa Biblia subministrat Glossa Interlinearis, vel Ordinaria, vel Nicolaus a Lyra, vel Vatablus, vel Emmanuel Sa, vel Ioannes Mariana, vel Franciscus Haræus, vel Ioannes Menochius, viri ab omni scientia instructissimi.

Verum & hi quoque (fidenter dico) ut scopum quem sibi proposuerant, seu brevitatis affectandæ, seu fontium Hebræorum Græcorumque obiter elucidandorum, seu sententiæ sanctorum Patrum orbi manifestandæ, probe consecuti sunt; sic quem nos hic ante oculos proponimus, satisfaciendi etiam curiosissimis ingeniis, instruendi omnibus necessariis armis pugiles fidei, idque non minus solide, quam succincte, & si placet, etiam inter epulas, non pari modo attingunt. Tentet, & periculum faciat cuicumque lubet. Ex prima pagella, ex prima linea di-

licet

scet nostro huic instituto non æque convenire. Non placet, præsertim accumbentibus, nuda Grammatica, ieiuna Syntaxis. Displicet auribus tertio quoque verbo ingeminatum, Id est, Scilicet, Quasi dicas, Sic legit Theodotion, Sic Aquila, sic R. Kimchi, sic Onkelos, sic Græci, sic Chaldæus Paraphrastes, sic Augustinus, sic Chrysostomus, sic Basilius. Neque grata tot commata, tot sectiones. Et licet ab attento lectore forsan capiantur, sitim tamen non restinguunt, sed acuunt; ab auditoribus vero, ut nimis incisa subinde & hiulca, nec si septies prælegantur, capi aut intelligi possunt. Magis sapit illud commentandi genus quod partim historicum, partim didacticum sit, neque post pene singula verba disruptum; quodque uno quasi filo plures, mutuoque iunctas sententias simul explanet. Hoc modo consulitur non minus audientium voluptati quam commodo.

His igitur ut faciam satis, atque imprimis ut obedientiæ nutibus obsequar, præsentem Commentarium concinnandum suscepi, non ex proprio sensu vel ingenio (absit in re tam sacra, tam sublimi) sed ex placitis SS. Patrum, & Doctorum Ecclesiæ, ex optimis & probatissimis quibusque tum veterum, tum recentiorum scriptis. Et licet non semper, neque ubique exprimam nomina singulorum (nam cui id bono?) quando tamen probatio non ex sola ratione, aut contextu, aut ex fontibus, aut ex locis similibus, sed etiam ex auctoritate petenda erit saltem in re graviore, tum nomina Patrum, Doctorum, Interpretum e quibus hausi, exprimam: sed verba ipsa Auctorum, nisi (quod dici solet) *paucis obvia, multis necessaria* deprehenderim, non exprimam. Auctorum libros & capita ad marginem adnotabo: sic tedium non pariam, & tamen fontes unde hauserim aperiam. Cum vero nudum Auctoris nomen adscribam nullo notato libro, scias ipsum dixisse illud in Commentariis suis ad eumdem locum: nam si alibi dixerit, id in margine exponam. Stylo & phrasi (ne quid etiam inde molestiæ,) utar vulgari. Verbis superfluis & inaniloquentia abstinebo. Quod uno dixi loco, etsi recurrat, non repetam; quo vero facilius reperiri possit quod uno loco dictum, pluribus, ubi recurrit subservire debebit. Indicem nominum & rerum ad calcem operis adiiciam, e quo statim, primo inspectu quid, quo loco expositum fuerit, deprehendi possit. Adiiciam, & alium Indicem Auctorum toto Commentario citatorum, qui, quales, quando vixerint, quantæ auctoritatis sint. Denique in gratiam Concionatorum, tota Biblia materiasque omnes, & utiliores conceptus in Commentario expositos ad Evangelia totius anni revocabo, & ex iis alium Indicem concinnabo, cuius vel solius ducta poterunt ex hoc Commentario pluribus etiam continuis annis (ni desit ingenium) commode suas conciones colligere, & pro dignitate dicere non modo ad plebem, sed & ad doctos & principes viros. Sed hæc per digressionem. Redeo ad Commentarium, in cuius decursu litteralem sensum, basim & fundamentum reliquorum, ac primario intentum a Spiritu sancto, ubique urgebo & pro viribus stabiliam: sic tamen ut & allegorica, & anagogica, subinde & moralia (saltem nobiliora) & historica, quin & controversa cum hæreticis, Mahometanis, Iudæis, denique & Scholastica dubia perstringam ac dissolvam; breviter quidem, sed clare, sed solide, nihilque omittam vel necessariorum vel instituto nostro utilium. Varias lectiones ex Hebræo, ex Chaldæo, ex Septuaginta & aliorum Interpretum Græco textu, & ex Rabbinis quoque, cum operæ pretium fuerit, attexam; ex Historiis seu Ecclesiasticis, seu politicis, quæcumque ad rem facient, adnectam.

Quæ

Quæstiones de Chronologia, de Genealogiis, de Ponderibus, de Mensuris, uti ad intelligentiam S. Scripturæ necessario enodandæ sunt, & lectoribus utilissimæ simul ac gratissimæ, ita auditoribus, maxime super mensa & inter epulas, ingratæ ac ieiunæ esse solent. Hinc non inseram Commentario, sed præmittam. Præmittam quoque explicationem Idiotismorum, seu proprietatum Hebraicarum, Græcarumque, quæ pluribus locis occurrunt, & textum sæpe obscurant. Sensus mysticos, qui vel faciles, & ultro obvii sunt, vel nimis abstrusi, aut longe petiti, quod scopo nostro minus conveniant, vix attingam; attingam semper nobiliores, & si quando constabit (ut non raro) a Spiritu sancto intentos fuisse.

Pro chronologia serviet ex parte *Tabula Terræ Sanctæ* quam Chronico præfixi, pro aliis regionibus videri possunt Tabulæ Geographicæ Adricomii, Ortelii, Mercatoris.

Denique sic brevitati studebo, ut claritati nusquam desim, & nauseam semper vitem, & numquam omittam quod aliqua ex parte in rem nostram facturum deprehendam.

Porro in hoc Commentario concinnando, quam difficile subeam provinciam, non ignoro. Neque tamen despero fore, cum bono Deo, ut faciam hoc in genere plerisque satis. Et quibus satis non fuerit, aut qui aliquid erratum deprehenderit, facile (scio) excusabunt, ignoscentque in opere tam prolixo, tam vario, tam molesto. Atque utinam qui scientia, viribus, eloquentia, stilo plus valent, suppleant quod defuerit, corrigant quod deviarit, quod nimis rude expoliant. Mihi non levi solatio fuerit, tale opus inchoasse. Fave quicumque es Lector, & amico labore utere, & fruere, & Deum, a quo omnia, pro me ora.

Quo auctore singuli libri conscripti sint, quo item tempore, qua occasione & quid summatim complectantur, in præfatione singulorum exponetur. Auctoritas etiam quorumdam, qui ab Heterodoxis in dubium vocantur, ibidem sub latis dubitandi causis, comprobabitur ac stabilietur. Denique quo tempore, quo ordine singula quæ his libris enarrantur gesta sint, Chronicon primis XXXVII. capitibus edocebit.

Censuræ Doctorum, & cum primis S. Romanæ Ecclesiæ omnia subiecta volo.

I D E M

Sacræ Scripturæ Studioso.



Ommodis tuis ut consulam, brevis ero, nec tamen obscurus, saltem assuetis simili studio. Sed tironibus quid faciam; quid insuetis eiusmodi palæstræ? quibus tamen, utpote magis indigis, consultum præ aliis velim. Equidem pro virili conabor ut & his non inutilis sit hic labor, dummodo ipsi sua ex parte, cum sciendi aviditate, & humili ad Deum prece, debitam afferant in legendo diligentiam, in studendo sedulitatem, in modo ac methodo discretionem. Nec cursim, nec saltatim, nec carptim, ut canis e Nilo; nec perturbate, nec tumultuarie, ut vulpes Samsonis; sed sedato animo, sed tranquillo, sed serio, sed constanti rem aggrediantur: certam sibi horam quotidie

tidie unam alteramve præfigant, quibus liberi ab aliis ſtudiis, & curis, uni ſacræ Scripturæ vacent. Ante omnia ſuadeo, Chronicon evolvi, quod idcirco * primo loco poſui; dein reliqua prolegomena eo ordine quo ſcripta vides. Chronicon enim breve compendium eſt totius S. Scripturæ, & in eo digeſtam per tempora reperies totius mundi hiſtoriam, ab illo primum condito uſque ad excifum a Tito templum, & urbem Ieroſolymitanam, & extinctam Synagogam Iudaicam: nam ad illa uſque tempora ſeſe extendit S. Scriptura. Experientia vero diſces quantam lucem pariat concinna temporum digeſtio.

Quæ de monetis, de menſuris, de dimenſionibus notavi in diſcurſu S. Scripturæ, paſſim uſui erunt, & hoc adminiculo facile penetrabis quæ alioquin impervia forent. Idiotiſmi Hebraici, & Græci fundamenta fere continent totius Commentarii: aperiunt quæ propria ſunt illis linguis: explicant phraſes, & tropos, quibus Hagiographi ſua involvunt: modum etiam in genere docent e tenebris eruendi genuinum Scripturæ ſenſum. Unde non raro deprehendes in decurſu Commentarii te ad hæc conſulenda remitti, tamquam ad capita, fontes, & faces, e quibus optatam lucem haurias: neque alias poſſibile eſſet tam brevi Commentario tam multas difficultates & tricas non iam dico enodare, ſed vel aperire, vel indicare.

Porro cum hæc utcumque callueris, ad textum accede, evolve ſacram paginam, lege animo non minus pio & attento quam ſciendi avido. Ubi facilis eſt littera, nec latent ſenſus myſtici, percurre, nec inhæreas; ubi myſteria latent, vel littera obſcura eſt, vel connexio difficilis, quære, ſi potes, tuo marte, cogita, recogita, volve, revolve, ſaltem tenta, & conare. Si quid occurrat quod adlubeſcit, vel ſi poſt ſerium conatum nihil decurrat, adi Commentarium, conſule quid hic cenſeat. Et ſi quidem tibi ſatisfecerit, adquieſce, & manda memoriæ; ſin minus, conare meliora eruere. Non ſuus deerit conatui fructus, & facile erit inventis addere. Hoc conatu, hac animi contentione mirum quam plurimi profecerint. Proderit & cum alio eorumdem ſtudiorum ſocio conferre confabulando, diſputando, certando, apparentes antilogias, quæ ſæpius in Scripturis occurrunt, in medium producendo, urgendo, conciliando, atque hunc in finem contexui quartum indicem, Sed omnium maxime iuverit quæ legeris, alios docuiſſe, aliis expoſuiſſe.

Unum moneo, ne proprio ingenio, quamvis excellenti, nimium indulgeas; Corrupit illud plurimos tum veterum, tum recentiorum. Neque enim ſemper is genuinus S. Scripturæ ſenſus eſt, qui primum obvius, vel ſtudio ſolertis ingenii deprehenſus, vel ex ſono verborum arte expreſſus eſt, Ad ſcopum Hagiographi ante omnia collimandum; dein antecedentia, & ſequentia probe excutienda, & cum iis verborum, ſententiarumque connexio; denique in dubiis ponderanda quoque auctoritas SS. Patrum, & Doctorum pro te, vel contra te ſentientium, quos eum in finem, ſaltem in rebus alicuius momenti, ſemper adnotabo. Quod ſi hæſitare contigerit, quis citandorum Patrum vel Doctorum præponi, quis cui præferri iure debeat, adi ** indicem primum quem Commentario ſubnectam: ibi ſingulorum & ætatem qua vixerunt, & doctrinam qua floruerunt, & ſanctitatem

qua

* Hunc ordinem in noſtra editione ſervare non potuimus; ſed Chronicon, & alia huiuſmodi ſacrarum Literarum intelligentiæ opportuna adminicula in unum collecta dabimus poſt finem Commentariorum. Vide Præfat. gener.

** Inter indices noſtros & is erit qui contineat Auctores non in Tirini tantum Commentariis citatos, ſed etiam in reliquis hac editione contentis: nec aliquis ex citatis in hac præfatione indicibus omittetur.

quia plerique excelluerunt, & ceteras qualitates quæ auctoritati pondus faciant, expreſſius reperies.

Atque hæc de modo & methodo: iam ad materiæ delectum quod attinet, quamvis cordatum virum, & cum primis Theologum deceat omnia noſſe quæ ſacris Litteris continentur; ideoque maxime probem ut ab initio ad calcem omnia ordine evolvantur; quia tamen non omnium iſte animus, ſuadeo ut quibus quiſque vel eget, vel oblectatur, ea primum arripiat. Ordinibus ſacris initiatus es, horæ canonicæ tibi quotidie legendæ; Pſalmos ante omnia percurre. Paſtor es animarum; ad concionandum ſæpius Evangelia revolve, & Acta, & Epiſtolas apoſtolicas; tum Prophetas maiores & minores. Hiſtoriis oblectaris, & chronicis, & bellis omne genus; habes Geneſim, Exodum, Numeros, Libros Ioſue, Iudicum, Regum, Paralipomenon, Iudith, Tobiæ, Eſdræ, Danielis, Eſther, & Machabæorum. Philoſophus es, philoſophicis gaudes; Phyſicam reperies in Geneſi, in Iobo, in Eccleſiaſte, in Eccleſiaſtico; Metaphyſicam in iiſdem illis; ſed maxime in Iobo, & in Pſalmis; Geometriam, Arithmeticam, & alias Mathematicæ partes ſparſim hinc inde reperies; myſtica & ſymbolica in Sapientialibus paſſim, ſed maxime in Cantico Canticorum, in Prophetis, in Apocalypſi.

Ultimum adiicio, ad ſolidiores fructus ex ſtudio ſacrarum Litterarum colligendos expedire quæcumque legis, ad praxim referas, & ad inſtructionem tui cum primis, dein & aliorum: ſecundum lecta mores compone: ex iis ad vitia arguenda, ad virtutes commendandas pia monita hauri: ex iis meditationum, & concionum, & piorum colloquiorum puncta collige: ſubſidia ad profectum ſpiritualem, ad perfectionem adminicula quære, adnota, in manibus habe, tibi, tuis applica. Si res tibi cum hæreticis, in promptu ſint quibus ſeu te tuearis, ſeu illos ferias. In hunc finem adornavi tertium Indicem, qui præcipua prodit Scripturæ loca, quibus Eccleſię dogmata cum hęreticis controverſa ſtabiliuntur. Serviet ad eadem omnia iam dicta quintus quoque Index, quo S. Scriptura revocatur ad Evangelia & myſteria quæ toto anno in Eccleſiis pertractantur. Servire denique poterit etiam ſecundus Index nominum, & rerum quæ toto Commentario explicantur. Nam hic ſcopus, hic finis eſt totius S. Scripturæ, ſicut & totius Commentarii. *Omnis enim Scriptura divinitus inſpirata, utilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iuſtitia; ut perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum inſtructus*: II. Tim. III. 16. Hanc perfectionem tibi, ſtudioſe Lector, ex animo voveo, & me tuis precibus humillime commendo.

An ſit aliquod verbum Dei ſcriptum, & quale illud ſit, & quibus libris comprehenſum, docebo in Indice Controverſiarum Controv. II. num. 1. 2. 3. & 4. Hic nobis ſufficiat.

IACOBI GORDONI LESMOREI

Epistola nuncupatoria.

ARMANDO IOANNI *Eminentissimo S. R. E. Cardinali Duci de Richelieu, & Pari Franciæ.*



Uamvis in hoc de divinis rebus opere, Cardinalis & Princeps Ecclesiæ Eminentissime, præter argumentum, quod plane divinum est, nihil fere sit, ut mihi quidem persuadeo, quod aut meam hic magnopere commendet industriam, aut satis causæ habeat cur in tuum ultro veniat conspectum; tria tamen sunt, eaque non ultima, quæ me dum delibero, cunctantem excitant, & sane impellunt, si id admittis, ut opus hoc sub tuis auspiciis lucem aspicere desiderem.

Atque ut ab eo quod hic agitur, exordiar: magnis digna ingeniis est hæc divinorum Codicum, quam verso, materia. Ampla est, & in sua amplitudine illustris, quam ego rerum maximarum sylvam ingentem, qua potui brevitate perspicua, dilucidare sum conatus, oppido sane difficilem. Quo in oceano tam vasto, & materia vires superante, quid sim assecutus, non facile mihi est pronuntiare; præsertim qui studio brevitatis, Iliadem nucis cortice complecti sum aggressus. Quid tamen hic effecerim, quidve in hoc conatu minus feliciter successerit, tua stabit, Cardinalis Eminentissime, sententia; tua, si placet, censio, qui multos mortales, ut magnis animi dotibus, ita singulari doctrina antevertis; quin etiam, ut in te hæreat oratio, ita præcellis, ut haud sciam, an magis a quoquam pro dignitate tractari tam nobile argumentum potuerit, quam a te, si ob graviora negotia licuisset. Hic tu sane divina ista oracula, quæ tot illustrium virorum exercuerunt ingenia, enarrando feliciter percurrisses; hic quæcumque Deus perplurium annorum chiliadas Ecclesiæ suæ priscæ revelare dignatus est; hic quid vis ipsa verborum ferat, quid decretorium in verbis lateat, sincere ac facile pronuntiasses; denique nodos diversorum codicum magno vindice dignos dissolvisses. Nec abstinuisses a molestissima temporum ratione, numquam satis a sacræ historiæ chronographis explicata; non ab ampla Novatorum reprehensione (quod libri tui luce dignissimi testantur) quibus pro ludo est non modo sacra fœdare volumina, sed nobilissimam etiam eorum partem præscindere. Hæc sunt quæ tibi a me non quidem tractata dicari, sed pro dignitate tractanda offerri debuerunt: certe a te expectari, ut quæ ex se sunt illustrissima, adhuc sub umbra purpuræ tuæ fierent illustriora. Quando vero non ita res cessit, cui potius quam tibi litteratorum labor dicandus est? Tibi, inquam, qui ut præfatus sum, in hoc agone litterario, si certares, ceteris palmam facile, præriperes: tibi porro, qui magnis sane opibus, ut nobilem scholam Sorbonicam, ita passim promoves rem litterariam: ac demum tibi, qui antiquis Mæcenatibus superior, ita Musarum alumnos accendis, & iuvas, ut quod spirent, & placeant, hoc totum tuum sit.

Dixi, ut potui, cur istud litterarium opus in lucem veniens, tuo nomini

ni inscribi oporteat. De præsidio sub clementiæ tuæ patrocinio (quod alterum est) hactenus nihil. Sed quo devolvor, quasi dubius inter tot alias animi tui dotes, de tua benevolentia, quæ adeo excrevit, per effusam etiam liberalitatem aucta, ut purpuram tuam inter alia amplitudinis tuæ decora, exornet vehementer; efficiatque ut quotquot te norunt boni, qui toto orbe clarissimus es, summam tibi precentur, & optent felicitatem. Dicerem, si libenter id audires, quid in animis hominum effecerit tua clementia, tamque insigne multis natum ex hac tanta benignitate præsidium. Sane erga miseros æque ac felices; erga plures nobilioresque Academias; erga viros denique religiosi ordinis, a quorum numero, & optimo tuo in omnes animo, ne nostri quidem ordinis homines excludis, qui in hac sua litterarum simul, & religiosæ vitæ professione, maxima erga se promerita agnoscunt tua: nec accepti beneficii memoriam delebit vetustas. Ego vero post tam illustrem beneficentiæ erga omnes significationem, quam debeam sperare a tua Amplitudine tutelam, tam clarum apparet, ut de ea tacere magis deceat, quam loqui.

Sed dum finio, patere, Cardinalis Eminentissime, ut paululum a cælo, & solo Gallico ad alienum solum, exterasque nationes excurrat oratio, quando ad eas etiam penetravit tuorum factorum fama, & existimatio. Virorum sapientum, qui de tuis rebus loquuntur, invaluit opinio, non oportere solius Galliæ finibus concludi fructum tuorum laborum: natum te esse ad maiora, & qui possis tum alia bona, tum maxime christianæ Ecclesiæ feliciorem statum apud alios ultra Gallias promovere. Hoc a te tuaque purpura, quæ ad fidei defensionem nata dataque est, expectant mortales. De his loquor exteris nationibus, quæ quondam sub catholicis Regibus christiana sacra sæculis multis, sancte pieque coluerunt; nunc autem ab annis propemodum septuaginta, quicquid est homini miseriarum, sub veteratoris Calvini legibus patiuntur. Britannicarum insularum hoc malum est, hæc fœda, & deploranda calamitas. Hic non hærebo in commiseratione excitanda: satis magna calamitas est ubi malum est ingens & infinitum. Omitto ergo periisse ibi iamdiu antiquitatis nobilissima monumenta; & extincta propemodum fide christiana, priscæ pietatis evanuisse mores; aras Dei summi eversas; non, ut olim, extare visenda templa; non laudatas a Hieronymo, ad Christi incunabula gentis nostræ peregrinationes. Tantum profero quod omnem superat calamitatem, tot catholicorum Regum interruptam esse seriem, quæ per annos ducentos supra millesimum, sceptra sub christianis sacris tenuerunt. Et quem hæc non moveant? Nec plura: puderet enim dicere de nobilitata ultra naturæ legem crudelitate, & supra omnem tragœdiæ formam immanitate Britannica; ubi nulli sexui parcitur, non prægnantibus, non pendentibus ab ubere materno infantulis. Tale nunc est florens quondam, & Galliæ a multis annis confœderatum Scotiæ regnum, adeo ex Gebennensium male sana fide ad perfidiam pronum, adeo ex calice Babylonico ebrium, ut quo tempore a fide divina defecit, eodem etiam in fœdere cum Gallia antiquissimo cœperit vacillare. Hæc fundi nostri calamitas est, Cardinalis Eminentissime, Europæ sane opprobrium, & Reipublicæ christianæ haud tolerandum detrimentum. Non defuerunt, & quidem magni nominis aliqui (ut est magnorum virorum hic conatus) qui zelo vere christiano accensi, Britannos orbe toto divisos, orbi christiano & catholico restituere sunt conati; sed irato adhuc cælo

lo, & nondum completis Amorrhæorum iniquitatibus, ftetit hactenus conatus ille. At non femper numen irafcitur. Mutata funt tempora: hærefes omnes fuum habent a Deo præfcriptum finem. Et quid fi tibi, tuifque confiliis fapientiffimis, Deus voluit fupereffe hanc induftriam, & opus nobile, tamquam rerum a te geftarum in triumpho epinicium? Fuerit hic conatus aliis arduus; fed tibi omnino facilis, ubi non opibus opus eft, non bello Britannico. Prudentiæ hoc prælium eft, & a munere quod feliciter geris, non alienum. Certe, ne ab hac facilitate tam divini operis difcedat oratio, eam plurimum pollicetur novus e cęlo favor, quando inclinatis iam per Gallias Novatorum rebus, fractoque impetu (quod olim prifcis hærefibus ex Dei providentia eveniffe videmus) corruit in dies novus hic error, confutatufque evanefcit. Nec vero exiguus ad felicem exitum referatus eft aditus, eo regnante magno Britannico Principe, qui ad clementiam natus, non modo ab infami illa chriftiani fanguinis effufione fuos libenter continebit; fed exemplo tot maximorum in Britannia Regum, ad unum illud facile propendebit, quod omni iuris æquitate concedi debet: liberam intelligo Dei colendi facultatem, quam natura conceffit, quam ne Turci quidem negant Chriftianis, & in qua demum libertatis poffeffione Rex hic poftremus fuos reperit, per Reges octuaginta probe catholicos continuata, & a qua velle mortales deturbare iniquiffimum effe omnes agnofcunt. Prolixe fortaffis, & ultra inftituti modum excurrit oratio; fed quæ nihil profert ultra vires prudentiæ tuæ, tuorumque confiliorum, a quibus poft Regem Chriftianiffimum pendet, vel maxime, hæc alea Britannici certaminis, & incruenta in caufa fidei victoria. Cur hoc fapientiffimi quique fibi perfuadeant, facit merito in rebus gerendis illa tua incredibilis folertia, ex qua nihil non magnum proficifcitur, nihil non eximium. Teftis fane eft iniecta Rupellanis arcibus clades, non folum fuafore te, fed etiam (fub Rege optimo) belli adminiftratore. Quid factum alibi fit, dicant urbes munitæ triginta feptem a rebellione ad fidem huic fummo Monarchæ debitam, trium menfium fpatio revocatæ. Quid dicam de domito nuper Oceano, de fuperatis Alpibus, & terrore Italiæ? Fateor, laus præcipua hic, Rex Ludovice, tua eft; fed eft regiorum confiliorum principi etiam fua. Dubitent qui velint, Maxime Præful, an tu meliorem Regem inveneris, quam ille quem confuleret hortatorem. Ego hoc ad confiliorum tuorum laudem, & ad maiora fperanda, imprimis fpectare exiftimo, quod fub Rege LUDOVICO XIII. qui fęculi noftri decus & ornamentum eft, potueris in hac chriftianiffima Galliarum monarchia, ita omnia tuis confiliis fovere, ita fuadendo temperare, ut quod tot votis expetitum fuit, hęreticorum in Galliis extingueretur rebellio. Et erit iam qui dubitet an ex tuis confiliis, & fapientia pendeat vel plurimum inclinata res Britannica? Ifta te manet, Cardinalis Eminentiffime, nobiliffimi operis gloria; iftud immortale decus, & quo nihil tibi in hac mortali vita contingere poteft ad immortalitatem illuftrius, nihil ad ornamentum familiæ tuæ felicius, quam ut operi a multis tentato, tibi adeo facili, & fupra omnem gloriæ tuæ altitudinem præclaro, coronidem imponas. Deus Optimus Maximus hanc tibi mentem iniiciat, foveatque iniectam; & te Ecclefiæ fuæ, regnifque multis tam fructuofum, diu fervet incolumem.

Eminentifsimæ ac Reverendifs. A. T.

Deditiffimus

IACOBUS GORDONUS SOC. IESU.

EIUS-

EIUSDEM

De ratione instituti, & operis argumento

PRAELOQUIUM.



Rit fortassis qui amplioribus in sacros hos Codices addictus Commentariis, non ampla ponet in laude novam hanc commentandi rationem, quæ studio brevitatis multa paucis, & litteralem, quem vocant, sensum, ex instituto complectitur. Liberum sane sit ita sentire, nec litem illi moveo; si tamen fateatur, sua quoque inesse commoda perspicuæ brevitati; & evenire non raro ut quæ moles operis magna quibusdam placuit, aliis non item arrideat. Ita plane accidere video in hoc Theologorum commentandi labore; ubi, ut de rebus ipsis, sic & de rerum methodo variat plurimum mens humana. Sane multorum hodie vox est in huius generis lucubrationibus hactenus editis (quas ego quidem laudo) maiorem, quam hactenus apparuit, brevitatem desiderari; præsertim illam quæ in verbis perspicuitatem habeat, & plene paucisque exhibeat Scripturæ sensum. Et vero videmus etiam plures quibus prolixiores Commentarios legendi, nec otium est, nec forte voluntas; quamvis plena Scripturarum notitia sit illis pro munere quod obeunt, pernecessaria. Quid dicam de Theologiæ candidatis, qui decurso Philosophiæ stadio, obstrusas illas scholasticæ Theologiæ quæstiones primum aggressuri, optabunt ad manum, & compendio habere germanum & dogmaticum Scripturæ sensum; ut his totius Theologicæ disputationis principiis cognitis, pergant modico labore ad subtiliores illas disputationes probe instructi. Præterea alia quæ ad hanc instituti rationem probandam adduci possent. Ego certe (ne prolixior hic sim) abstinui in hoc opere, quantum potui, ab illa Commentariorum prolixitate, quibus legendis vix bene longa sufficit ætas. Hic ergo scopus primum est, ita inter duo extrema, nimiam, inquam, tum prolixitatem, tum brevitatem, medium iter tenere, ut præcipue in hac methodo appareat familiari stylo, quis sit litteræ germanus ac dogmaticus sensus: quippe qui & præcipuus est, & quo uno, tum Theologorum scholæ, sua ut firment de fide placita; tum præcones Verbi Dei, ne errent, nituntur: nec tamen ita ut non liceat interdum subindicare obiter sensum mysticum.

Alterum quod ago, spectabit ad hæreticorum κακοζηλίαν reprehendendam; quoties sese offeret occasio; ut quæcumque a Novatoribus vel corrupta sunt, vel quæ ipsi ab antiquioribus hæreticis, & Rabbinis corrupta usurparunt, ad verum & catholicum sensum revocentur. Hoc enim mihi semper persuasi, penitus ad sensum germanum pertinere, non solum ut quis ille sit, sed etiam quis non sit, declaretur. Porro eorum hic locorum notitiam accipe, quæ ex molesta temporum subductione, cuivis possunt lectori difficultatem parere: quod sane negotium inter omnia quæ hic tractanda suscepi, maxime arduum est, ut norunt qui sacræ Scripturæ res chronologicas sunt persecuti. Denique, quod postremum est, hic coram, & ad manum habes sacrum codicem, & iis illustratum (ut mox dicam) appendicibus, quæ efficient ne lectorem morentur vel propria urbium, & personarum nomina, vel topographica.

Quæ cum ita sint, non omittam, quod pro coronide sit, Theologiæ candidatis, ac præsertim tyronibus suadere; immo & persuadere cupio, ut sacræ Theo

logiæ subtiliores quæstiones aggressuri, prius hunc brevem, vel similem, si invenerint, Commentarium percurrant, habeantque sic abstrusioris illius doctrinæ prima principia admodum familiaria sibi; quæ non aliunde quam ex his sacris petuntur litteris: ne alioqui (quod aliqui perincommode patiuntur, & vetat Aristoteles) cogantur simul scientiam discere, & modum, mediaque sciendi. Hæc paucis de instituti ratione: in qua si forte erit qui sub hac brevitate criminabitur morales quæstiones ex professo non explicari; næ qui dem ille satis incaute alterius instituti imagine decipitur. Ego hic si sensum litteræ germanum in hoc sacro codice, atque illa quatuor quæ recensui capita, paucis, & non obscure explanavi, finem quem mihi proposui, sum assecutus.




EIUSDEM

Monitum ad Lectorem.



Putabam initio operis, facturum me satis in hac instituti ratione illis quibus satis ingenii est; si tum verba Scripturæ, tum maxime res ipsas ita explanarem, ut posset vel mediocriter eruditus, verum litteræ sensum, aliaque adiuncta plane assequi inoffenso pede; & ad quem vellet usum utiliter transferre. Sed quia non est facile in opere etiam perfecto ut aliquid a quibusdam non putetur desiderari; & sunt quos minutæ delectant interrogationes, quas ego prudens interdum neglexeram; succurendum illis fuit, repetito, & fortassis grato labore. Itaque nactus otium, quod fecit mihi tardior Typographus, parergon hoc, & optatam, ut audio, πληροφορίαν adieci: ubi plenior rerum explicatio, ubi propria urbium, & personarum, ac demum Paralipomena omnia attinguntur: unde spero factum esse nihil ut amplius in veteri testamento desideretur. Nam quæ sunt novi testamenti explanationes, tales, ni fallor, sunt ut nulla egeant in hoc instituto ampliore coronide. Nec plura: utere, si placet, accessione hac nova, * quam ad veteris testamenti finem reperies. Et vale.

* Explicationes hoc in Auctario contentæ suis quæque locis accommodatæ, Commentariis insertæ sunt, iis etiam ubi oportuit expunctis quorum loco has Auctor posuisset, ni typis jam fuissent vulgatæ. Vide Præf. gener.



LIBER GENESIS, HEBRAICE BERESITH.

HIc liber ab Hebręis dici solet Beresith a prima eius dictione Hebræa, ut Genesis a Gręcis & Latinis, quod cæli & terræ creationem narret, nec non Adami & posterorum genealogiam. Unde cap. II. *v.* 4. *ubi in Vulgata legitur:* Hæ sunt Generationes cæli & terræ: *Septuaginta vertunt*: Hic est liber Generationis cæli & terræ: *& cap.* v. Hic est liber Generationis Adami.

Huius libri argumentum paucis verbis complexus est Hieronymus in Epistola ad Paulinum: In qua Genesi de creatura mundi, de exordio generis humani, de divisione terræ, de confusione linguarum & gentium, usque ad exitum scribitur Hebræorum. *Quo tempore hic liber a Mose scriptus fuerit, non satis liquet. In ea sunt opinione Eusebius, Theodoretus, & alii, conscriptum fuisse post exitum populi Israelitici ex AEgypto, & post Legem promulgatam. Videtur enim Moses ad eam attendere, cap.* IV. *cum de sanctificatione Sabbati; uti & cap.* V. *&* VIII. *ubi de mundis & immundis animalibus verba facit; tametsi ante Legem hæc præcepta erant in usu; sed Moses id voluit annotare Legis constitutæ habita ratione.*



CAPUT PRIMUM.

De mundi creatione, rerum creatarum diſtinctione & ornatu, deque hominis formatione, cui ſubiecit Deus omnia quæ creaverat.

1 IN principio (*a*) creavit Deus cælum & terram. 2. Terra
autem erat inanis & vacua, & tenebræ erant ſuper faciem
abyſſi: * & Spiritus Dei ferebatur ſuper aquas. 3. Dixitque
Deus: (*b*) Fiat lux. Et facta eſt lux. 4. Et vidit Deus
lucem quod eſset bona: & diviſit lucem a tenebris. 5. Appellavitque lucem Diem, & tenebras Noctem: factumque eſt
veſpere & mane, dies unus. 6. Dixit quoque Deus: Fiat
firmamentum in medio aquarum, & dividat aquas ab aquis. 7. Et fecit Deus
firmamentum, diviſitque aquas quæ erant ſub firmamento, ab his (*c*) quæ
erant ſuper firmamentum. Et factum eſt ita. 8. Vocavitque Deus firmamentum Cælum: & factum eſt veſpere & mane, dies ſecundus. 9. Dixit vero
Deus: Congregentur aquæ quæ ſub cælo ſunt, in locum unum; & appareat
arida. Et factum eſt ita. 10. Et vocavit Deus aridam Terram, congregationeſque aquarum appellavit Maria. Et vidit Deus quod eſſet bonum. 11. Et
ait: Germinet terra herbam virentem, & facientem ſemen, & lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus ſuum, cuius ſemen in ſemetipſo ſit ſuper
terram. Et factum eſt ita. 12. Et protulit terra herbam virentem, & facientem ſemen iuxta genus ſuum, lignumque faciens fructum, & habens unumquodque ſementem ſecundum ſpeciem ſuam. Et vidit Deus quod eſſet bonum.
13. Et factum eſt veſpere & mane, dies tertius. 14. Dixit autem Deus: Fiant
luminaria in firmamento cæli, & dividant diem ac noctem, & ſint (*d*) in ſigna, & tempora, & dies, & annos: 15. Ut luceant in firmamento cæli, &
illuminent terram. Et factum eſt ita. 16. Fecitque Deus duo luminaria magna: luminare maius, ut præeſſet diei; & luminare minus, ut præeſſet nocti;
& ſtellas. 17. Et poſuit eas in firmamento cæli, ut lucerent ſuper terram,
18. & præeſſent diei ac nocti, & dividerent lucem ac tenebras. Et vidit
Deus quod eſſet bonum. 19. Et factum eſt veſpere & mane, dies quartus.
20. Dixit etiam Deus: Producant aquæ reptile animæ viventis, & volatile ſuper terram ſub firmamento cęli. 21. Creavitque Deus cete grandia, & omnem
animam viventem atque motabilem, quam produxerant aquæ in ſpecies ſuas,
& omne volatile ſecundum genus ſuum. Et vidit Deus quod eſſet bonum.
22. Benedixitque eis, dicens: Creſcite, & multiplicamini, & replete aquas
maris: aveſque multiplicentur ſuper terram. 23. Et factum eſt veſpere & mane, dies quintus. 24. Dixit quoque Deus: Producat terra animam viventem
in genere ſuo, iumenta, & reptilia, & beſtias terræ ſecundum ſpecies ſuas.
Factumque eſt ita. 25. Et fecit Deus beſtias terræ iuxta ſpecies ſuas, & iumenta, & omne reptile terrę in genere ſuo. Et vidit Deus quod eſſet bonum,
26. & ait: Faciamus hominem (*e*) ad imaginem & ſimilitudinem noſtram: &
præſit piſcibus maris, & volatilibus cæli, * & beſtiis, * univerſæque terræ,
omni-

omnique reptili quod movetur in terra. 27. * Et creavit Deus hominem ad imaginem ſuam: ad imaginem Dei creavit illum, (*f*) maſculum & feminam creavit eos. 28. Benedixitque illis Deus, & ait: Creſcite, & multiplicamini, & replete terram, & ſubiicite eam, & dominamini piſcibus maris, & volatilibus cæli, & univerſis animantibus quę moventur ſuper terram. 29. Dixitque Deus: Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem ſemen ſuper terram, & univerſa ligna quæ habent in ſemetipſis ſementem generis ſui, (*g*) ut ſint vobis in eſcam: 30. & cunctis animantibus terrę, omnique volucri cæli, & univerſis quę moventur in terra, & in quibus eſt anima vivens, ut habeant ad veſcendum. Et factum eſt ita. 31. Viditque Deus cuncta quę fecerat: & erant valde bona. (*h*) Et factum eſt veſpere & mane, dies ſextus.

(*a*) Act. xiv. 15. 17. 24. Pſal. xxxii. 6. cxxxv. 5. Eccli. xviii. 1. (*b*) Heb. xi. 3. (*c*) Pſal. cxxxv. 5. Ierem. x. 12. li. 15. Pſal. cxlviii. 4. xxxii. 7. lxxxviii. 12. cxxxv. 6. Iob xxxviii. 4. (*d*) Pſal. cxxxv. 7. (*e*) Coloſ. iii. 10. Infra v. 1. ix. 6. I. Cor. xi. 7. (*f*) Sap. ii. 23. Matth. xix. 4. Eccli. xvi. 1. Inf. viii. 17. ix. 1. (*g*) Inf. ix. 3. (*h*) Eccli. xxxix. 21. Mar. vii. 37.

B R U G E N S I S

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 2. *Et Spiritus Dei ferebatur ſuper aquas*. Non ſine ratione, Romani Correctores, *Domini*, id eſt τοῦ κυρίου, quod eſt in multis libris, mutarunt cum *Dei*, ideſt τοῦ θεοῦ, quod eſt in aliis.

V. 26. *Et beſtiis*. Recte hic omiſerunt vocem *terræ*, quam quidam libri addunt in hunc modum: *Et beſtiis terræ*.

Ibid. *Univerſæque terræ*. Non eſt ſcribendum *creaturæ*, pro eo quod eſt in Sixtinis Bibliis *terræ*.

V. 27. *Et creavit Deus hominem ad imaginem ſuam*. Merito hic omiſſum eſt *& ſimilitudinem*, quod multi libri ſuperflue interponunt, acceptum ex verſu ſuperiori aliiſque ſimilibus.

COMMENTARIA

SA.

Verſ. 1. N PRINCIPIO, ideſt Ante omnia. Latini dicerent, Primum omnium. DEUS. Hebr. & hic, & alibi ſæpe *Elohim* אלהים, ideſt *Dii*, quod quidam ad perſonarum divinarum numerum referunt. CAELUM ET TERRAM. Per hæc duo etiam quæ in medio ſunt, elementa reliqua intelliguntur. Creationis vero ordo hic fuit. Primo die creati cæli, & elementa; ſed nec perfecta omnia, nec diſtincta, aut ornata, ut poſtea; itemque lux addita ſoli, ſeu ſol potius cælis additus. Secundo perfectum firmamentum, ideſt cæli, in quibus ſtellæ & planetæ. Tertio ſeparatæ aquæ a terra, productique terræ fructus. Quarto facti planetæ & ſtellæ, perfectuſque ſol. Quinto facti piſces, & aves. Sexto beſtiæ, & homo. Hæc mihi in tanta opinionum varietate planior viſa & expeditior.

V. 2. INANIS ET VACUA. LXX. *Inviſibilis & incompoſita*. Chal. *Deſerta & vacua*, ſcilicet nec habitata, nec culta; id quod noſtra etiam lectio ſignificat. SUPER FACIEM ABYSSI, ideſt ſuper aquas. SPIRITUS DEI, ſcilicet Spiritus ſanctus. Hieronymus in QQ. Hebr. Poteſt vero intelligi *ſpiritus*, ideſt aer, vel Angelus, ſecundum Auguſt. de Gen. ad lit. c. iv. FEREBATUR, ſcilicet ut voluntas artificis ſuperfertur rei ſubiectæ ad operandum, ſecundum Auguſt. de Gen. ad lit. c. iv. Quidam verbum Hebræum מרחפת *merachepheth* vertunt *volitabat*, ſeu *incubabat*, ſcilicet ut ſolet avis ſuper ova. SUPER AQUAS, ideſt materiam illam informem ſecundum Auguſtinum, e qua ſcilicet perfectius cuncta erant condenda.

V. 3. DIXIT, ideſt *iuſſit*, Heb. FIAT. Hebr.

Hebr. *fit*. LUX, vel corporea, vel incorporea, scilicet Angeli. Aug. Nota secundum Dion. lucem hanc fuisse solis primo die creati, & quarto perfecti. ET FACTA EST. Hebr. *Et fuit*.

V. 4. BONA. verbum Hebr. significat etiam *iucundam*, *& utilem*. Aug. interpretatur *vidisse quod esset bona*, idest placuisse ei.

V. 5. APPELLAVIT, idest appellari fecit: sic dicitur domum ædificasse qui fecit ædificari. August. VESPERE ET MANE, idest transacto die artificiali, & nocte; quasi dicat, a mane usque ad alterum mane. DIES, scilicet naturalis 24. horarum. UNUS, idest *primus*, Heb.

V. 7. SUPER FIRMAMENTUM. Quæ istæ sint aquæ, incertum. Quidam putant esse cælum crystallinum. Alii nubium aquas, quod mihi non probatur.

V. 11. LIGNUM, idest *arborem*, Hebr.

V. 14. SIGNA, scilicet serenitatis, tempestatis, &c. TEMPORA, scilicet veris, æstatis, &c.

V. 20. AQUAE. Nomine aquæ etiam aer crassior intelligitur. Aug. XIV. de Gen. ad lit. ANIMAE VIVENTIS, pro vivens. SUPER. Hebr. *Volet super*.

V. 21. ANIMAM, pro animal: sic infra. MOTABILEM, idest natantem.

V. 22. BENEDIXIT, idest dedit fecunditatem. Hebr. CRESCITE, idest fructificate.

V. 24. BESTIAS TERRAE, idest feras.

V. 26. AD IMAGINEM ET SIMILITUDINEM, idest *valde similem*, Hebr. Quidam tamen imaginem intelligunt secundum substantiam, similitudinem secundum gratiam, & virtutes.

V. 28. REPLETE TERRAM. Id præceptum, iam repleta terra, non obligat. Tertullianus lib. de Monogamia, Cyprianus lib. de Habitu virginum, Hieronymus Lib. I. contra Iovinianum, Augustinus de sancta virginitate c. IX.

V. 29. ECCE, idest *sane*, *utique*, Hebr.

Qui me putabit pauca notando dicere, cogitet, rogo, institut i mei rationem, qui non Commentaria prolixa, sed Notationes, easque breves promiserim.

ESTII.

V. 1. IN PRINCIPIO CREAVIT DEUS CAELUM ET TERRAM. Aug. Lib. XI. de Civitate Dei cap. VI. *Litteræ sacræ*, inquit, *ita dicunt in principio Deum fecisse cælum & terram, ut nihil ante fecisse intelligatur, quia hoc potius in principio fecisse diceretur, si quid fecisset ante cetera cuncta quæ fecit*. Atque adeo & istud Ioan. I. *In principio erat Verbum*, hunc sensum habet: Verbum erat, & ante Verbum nihil aliud fuit. Tantum observa discrimen, quod de Verbo dicitur *erat*, & de cælo & terra *creavit*. Etenim Verbum est æternum, utpote ante quod nihil aliud fuit: nam Deus est, & erat Verbum. At vero ante cælum aliquid quidem fuit, ipse Deus creator, nihil tamen aliud fuit ante illud creatum. Neque potest esse sensus litteralis, *In principio*, idest in Filio, quia sic etiam stellæ, & herbæ, & bestiæ, ceteraque omnia possent dici creata in principio; sed scilicet Scriptura voluit ordinem rerum creatarum exprimere. Alii exponunt, *In principio temporis*; quod diffitendum non est, si intelligamus mundum creatum in ipso temporis initio, idest In, & simul cum primo instanti, a quo tempus universum fluere cœpit. *Cælum & terram*. Nomine cæli & terræ intellige simul omnia quæ in eis sunt. Sic enim hoc exponitur Exodi XX. vers. II. Itaque & Angeli simul cum visibili isto mundo creati intelliguntur. Unde & Psal. CXLVIII. ipsi omnium primi numerantur inter ea quæ laudant Dominum de, vel in cælis; sed Moses scilicet Angelorum non meminit, ut notat S. August. Lib. XII. Confess. cap. XVII. & alii, quia scribebat rudibus Iudæis, illius secretioris doctrinæ Angelorum parum capacibus. Et quidem multi Patres Græci tradunt, Angelos aliquamdiu creatos ante mundum corporeum; sed tandem Concilium magnum Lateranense sub Innocentio III. cap. I. definivit, omnipotenti Dei virtute mundum & Angelos simul ab initio temporis de nihilo esse condita. At vero quomodo potuerit cadere diabolus, qui in tanta perfectione erat creatus, explicabitur simul cum lapsu primi hominis, infra cap. III. v. 5. *Creavit*. Græce est ἐποίησεν, idest fecit. Nec facienda vis est in verbo *creavit*, quasi significet aliquid ex nihilo facere, nam in Hebr. idem vocabulum etiam est infra ubi dicitur, *Creavitque cete grandia*; quæ sine dubio facta sunt ex præexistente materia. Nihilominus cælum & terram ex nihilo facta

facta esse, convincitur manifeste ex illo verbo, *In principio*, quia scilicet nihil ante illa factum est; itaque nec præexistens materia.

V. 2. TERRA AUTEM ERAT INANIS ET VACUA. In Hebræo est, *Solitudo & inanitas*. Per quod significatur, terram incultam, & plantis, & animalibus vacuam fuisse. Secundum septuaginta Interpretes, *invisibilis erat & incomposita*; nempe invisibilis propter tenebras, & aquam, qua undique tegebatur; incomposita vero, quia inculta, ut modo dictum est. Non vero quasi cælum & terra generalem tantum aliquam, & communem formam haberent, quod fingunt Gentiles, & nominatim Ovidius de suo chao: nam distincte hic, ut videmus, cælum vocatur cælum, & terra vocatur terra; utique a distinctis suis formis substantialibus. ET TENEBRAE ERANT SUPER FACIEM ABYSSI. Abyssus intelligitur vel immensa profunditas aquarum, vel potius immensa ac profundissima illa moles ex terra simul & aqua constans; cuius superficiem (quia lux nulla adhuc creata erat) tegebant densissimæ tenebræ, videlicet aerem universum occupantes. Et recte Aug. Lib. I. de Gen. cont. Manichæos cap. IV. notat, tenebras nominari, non ut creaturam aliquam (non enim dictum est, *Fiant tenebræ*) sed ut privationem eius perfectionis, qua corpus creatum carebat, quæque paulo post producenda erat. Eatenus tamen dici potest, Deum creasse tenebras, quia fecit diaphanum corpus, idest capax luminis, sed tamen sine lumine. Et hac ratione dicitur in Cantico trium puerorum: *Benedicite lux & tenebræ Domino*: & Ps. LXXIII. *Tuus est dies, & tua est nox*: & Isaiæ XLV. in persona Dei: *Ego formans lucem, & creans tenebras*. ET SPIRITUS DOMINI FEREBATUR SUPER AQUAS. Hebræi intelligunt de flatu corporeo, idest de vento a Deo excitato. Sed rectius Ecclesiastici Scriptores accipiunt de Spiritu sancto, tertia in Trinitate persona, cum allusione tamen ad flatum corporeum, ut hic sit sensus: Spiritus divinus fovebat substantiam illam aqueam. Hebraice sonat *incubabat*, utpote ad futuram rerum distinctionem. Item superferebatur, sicut voluntas artificis super materiam quam formare parat. Sic August. Lib. I. de Gen. cont. Manichæos cap. V. & VII. Quin & superferebatur secundum eumdem S. August. Lib. I. de Gen. ad litt. cap. VII. non loco, sed omnia superante, ac præcellente potentia.

V. 3. FIAT LUX, ET FACTA EST LUX. Probabilissimum videtur, per illam lucem intelligi vel corpus aliquod lucidum, vel potius ipsam qualitatem lucis magna cæli parte diffusam: quæ quidem lucida cæli pars deinde fuerit instar materiæ, ex qua postea in partes distributa, ac veluti in igneos globos condensata, sol, luna, ceteræque stellæ factæ fuerunt. Huic sententiæ congruentia leguntur apud Dionys. de Divin. Nominibus part. I.

V. 5. FACTUMQUE EST VESPERE ET MANE, DIES UNUS. Quæres: Quomodo fuit dies & nox primo triduo, cum sol factus sit primum quarto die? Respond. S. August. Lib. XI. de Civ. cap. VII. remotum id esse a sensibus nostris, nec ita ut est, intelligi a nobis posse. Basilius vero hom. II. Hexameron existimat lucis diffusione factum fuisse diem, eiusque contractione noctem. Quod & Damasc. sentit Lib. II. de Orth. Fide cap. VII. Verum quia istiusmodi contractio lucis præter naturam esse videtur, ideoque primæ institutioni naturæ minus congruens; hinc alii probabilius censent, lucem illam primordialem orbiculari suo motu, quo simul cum cælo ferebatur, diem effecisse præsentia sui; noctem vero absentia: scilicet eo modo quo postea sol ex illa luce procreatus diem noctemque distinxit. Vide S. Thomam I. p. quæst. 67. art. 4. ad 3. *Vespere & mane*. Omnino hinc colligi videtur, vesperam seu noctem præcessisse ipsum mane. Sane sabbata, aliaque festa in veteri lege celebranda fuisse a vespera in vesperam, manifestum est tum alibi, tum Levit. XXIII. Accedit quod manifeste testatur Scriptura, Exodi XX. & XXXI. Sex diebus Deum fecisse cælum & terram, & omnia quæ in eis sunt; & quidem primo omnium cælum & terram: itaque & ante ipsam lucem, ut ex supradictis patet. Non ergo lux fuit initium primi diei, sed tenebræ; quæ *& erant* (ut Scriptura loquitur) *super faciem abyssi*, antequam scilicet lux crearetur.

V. 6. FIAT FIRMAMENTUM IN MEDIO AQUARUM. Intelligunt nonnulli, veras aquas esse supra cælum sidereum; alii cælum quod vocant crystallinum volunt designari. Sic Beda initio Lib. II. de Element. Philosoph. Vives in Comment. Lib. XI. Au-

XI. August. de Civit. cap. XXXIV. & alii. Suntque huc spectantia etiam quædam in apocrypho IV. Esdræ IV. Sed cum assignari commode posse non videatur talium aquarum eo loco usus, aut ratio, non improbabiliter redditur hic verborum sensus: *Fiat firmamentum in medio aquarum, & dividat aquas ab aquis*; idest, abyssus illa terræ & aquæ, maxime tamen aquæ, utpote liquidæ, firmo limite constringatur. Est autem hic limes, firmamentumque aer ille medius inter humidam & aquosam superioris regionis molem, & aquas marium & fluminum. Nec mirum, firmamentum hoc dici, nam Hebraice firmamentum ab expansione dictum est; aer autem maxime expandi aptus est. Deinde aer dicitur etiam cælum conformiter aliis Scripturis. Nam Psal. CIII. postquam dixisset Psalmista: *Extendens cælum sicut pellem, qui tegis aquis superiora eius*: continuo subiungit: *Qui ponis nubes ascensum tuum*: nempe ad significandum per aquas cælo superiores intelligi nubes supra hunc aerem suspensas. Nec obstat quod quarto die legantur sol, luna, & stellæ posita in firmamento cæli, nequaquam in aere, sed altioribus plane locis: nam cælum multiplex est in Scripturis. Nempe sic Sancti dicuntur esse in cælo, scilicet empyreo; sol & stellæ in cælo sidereo; & nihilominus quoque plurimis locis aves vocantur volucres cæli. Ita mox hoc ipso cap. V. 30. III. Reg. XXI. Ieremiæ VII. Osee II. Matth. VIII. & XIII. & alibi. Et hunc sensum sequitur Pererius, & ante eum Faber Stapulensis super II. Petri III. Nec tamen prior sententia omnino reiicienda videtur, utpote quam nec D. Thomas reiiciat I. parte quæst. 67.

V. 8. ET FACTUM EST VESPERE ET MANE, DIES SECUNDUS. Communiter hic ponitur finis operis secundi diei: nempe ut tertio deinde die primum separatio aquæ & terræ facta sit, deinde etiam terra germinarit herbas & plantas. Sed incommodum habet ea distinctio, eo quod sic bis dicatur de tertio die illud: *Et vidit Deus quod esset bonum*, & de secundo die ne semel quidem; quod tamen operibus singulorum dierum alioqui adscribitur. Itaque alii non improbabiliter existimant, uno continuo motu locali factum fuisse ut & separarentur aquæ crassiores a subtilioribus, quæ sursum ferrentur; & eædem crassiores ad loca decliviora defluerent, id est ad cavernas terræ, & valles tunc factas; sicque terræ superficiem retegerent, & aquarum congregationes maria nuncuparentur: ac proinde non debere huiusmodi separationem dividi in duos dies. Attamen si quis, secundum communem sententiam, assignare velit priorem separationem secundo diei, & posteriorem tertio diei, licet; dummodo commodam rationem reddat, cur bis ad opus tertii diei posita sit illa adprecatio: *Et vidit Deus quod esset bonum*; & ad opus secundi diei ne semel quidem.

V. 11. ET AIT: GERMINET TERRA HERBAM VIRENTEM. His verbis terræ indita est vis proferendi omnia ea quæ terræ nascentia dicuntur, idque cum effectu huiusmodi productionis, de qua subditur: *Et protulit terra herbam virentem, & facientem semen iuxta genus suum*. Ubi notandum est, signanter semel atque iterum hic de semine repeti, quod tamen postea non dicitur de animalibus, quamvis etiam ipsa habeant sua semina: nempe quia herbæ, arbores, aliæque plantæ non egent diverso sexu ad producendum sibi simile, sicut egent animalia; sed ad eam rem sufficit eis semen suum terræ, tamquam matris gremio, concreditum.

V. 14. FIANT LUMINARIA, ET SINT IN SIGNA, ET TEMPORA. De permissis hoc loco signis sic S. August. Lib. II. de Genes. ad litt. cap. XIV. *Non illa*, inquit, *dicit Scriptura signa quæ observare vanitatis est, sed utique utilia, & huius vitæ usibus necessaria, quæ vel nautæ observant in gubernando, vel omnes homines ad prævidendas aeris qualitates per æstatem, hiemem, & autumnalem, vernalemque temperiem*. Et similia habent Basil. hom. VI. Hexameron, Ambros. item Hexameron Lib. IV. c. VII. & Chrysost. hoc loco.

At vero divinationes genethliacorum nullo modo hic permitti, tum Scriptura sacra, tum Patres fere universi passim docent. Sic Ieremiæ X. *Iuxta viam gentium nolite discere, & a signis cæli nolite metuere: quia leges populorum vanæ sunt*. Et Isaias genethliacos irridens cap. XLI. *Annuntiate*, inquit, *quæ ventura sunt in futurum, & sciemus quia dii estis vos*. Loca Patrum contra hanc vanitatem insigniora sunt August. Lib. II. de Gen. ad litt. cap. XVII. ubi

bi dicit, genethliacorum signa nostræ fidei sanitate respuenda. Lib. II. de Doct. Christ. cap. xxi. & aliquot sequentibus, Confess. Lib. VII. cap. vi. in Epistola ad Ianuarium, & hæres. lxx. quæ est Priscillianistarum, Ambros. Lib. IV. Hexameron cap. vi. Chrysost. item hic, Gregorii hom. x. super Evang. Quo pertinet etiam quod Epiph. refert de mens. & pond. Aquilam Ponticum, veteris testamenti ex Hebræo interpretem, ob eam maxime caussam Ecclesia pulsum fuisse, quod nativitatum observationibus (*nota*) ac ceteris divinationibus Astrologicis studiose vacaret.

V. 16. Fecitque Deus duo luminaria magna. Notandum, solem & lunam a Mose vocari luminaria magna, non quod quantitate sint ambo ceteris stellis maiora: nam etsi de sole id verum sit, tamen de luna Astrologi id negant. At neque propterea maiora vocantur, quod nobis ea intuentibus maiora appareant: hoc enim pacto verum non esset, quod hic luna vocatur luminare minus; sed scilicet propter maiorem luminis super terram effusi abundantiam: hac enim in re, sicut sol lunam, ita luna superat alias stellas.

V. 17. Et posuit eas in firmamento caeli. Non prius fecit, & postea posuit, quasi alibi factas; sed faciendo eas, fecit, seu creavit in ipso cæli firmamento.

V. 20. Producant aquae reptile animae viventis, et volatile super terram. Disputatur, an aves ergo etiam de aqua factæ sint. Et videtur quod non. Nam sic legitur cap. seq. v. 19. *Formatis igitur Dominus Deus de humo cunctis animantibus terræ, & universis volatilibus cæli, adduxit ea ad Adam.* Itaque de humo, seu terra facta sunt volatilia, seu aves; non ex aquis. In contrarium tamen facere videntur ista verba hoc capite primo, ubi Moses scribit Deum dixisse: *Producant aquæ reptile animæ viventis, & volatile super terram.* Sed sciendum est, in Hebræo, etiam in Bibliis Regiis, plenius hoc pacto legi: *Reptificent, seu repere faciant, aquæ reptile animæ viventis; & volatile volitet super terram secundum faciem firmamenti cælorum.* Cui lectioni & nostra potest conformari, si illud *volatile* sit nominativi casus; quasi dicatur: *Et sit volatile super terram.* Nempe ut divisim hæc accipiantur: *Producant aquæ reptile animæ viventis* (nempe pisces, qui repere dicuntur, quia pedes non habent, & tamen progrediuntur) & præterea *sit volatile super terram*, idest prodeant & volatilia, seu aves; formatæ tamen (ut cap. sequenti plenius explicatur) de humo seu terra. Vide, si placet, hæc pluribus in II. d. 15.

V. 22. Crescite, et multiplicamini. Observa: id quod hic dicitur seorsum bestiis, & paulo post seorsim hominibus, idem cap. viii. coniunctim dicitur utrisque, & hominibus & bestiis. Itaque tantum benedictio est, qua iis confertur fecunditas, & naturalis propensio ad opus generationis; nullo autem modo præceptum (quicquid hæretici nonnulli ausi sint dicere) nam bestiis nullo modo dantur præcepta. Sic & cap. vi. *Ex omni ligno paradisi comede*, non est præcipientis, sed potestatem concedentis; quomodo etiam Moses dicit Deut. xiv. *Omnes aves mundas comedite*, idest potestis comedere. Dicitur quidem illud *crescite* sonare præceptum in Lib. I. de Mirab. sacræ Scripturæ, adscripto D. Augustino; sed, ut omnes docti norunt, non est eius liber.

V. 26. Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram. Nota, has voces plurales *faciamus*, & *nostram* in Deo indicare pluralitatem personarum, sicut & illæ singulares *imaginem* & *similitudinem* naturæ unitatem. Sane hunc locum ad Trinitatis mysterium retulerunt Patres, Hilarius Lib. III. & IV. de Trinitate, August. Lib. XII. de Trin. cap. vi. & Lib. XIV. cap. ult. Fulgentius de Fide ad Petrum cap. i. & alii. Quo & illud pertinet Gen. iii. v. 22. *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est*; & in primis illud cap. xi. v. 7. *Venite, descendamus*: nempe quia numquam ad unum dicitur, Venite, sed ad plures. Si ergo unus loquitur ad plures, tres ut minimum sint necesse est. Et nihil est quod Iudæi quidam somniarunt, Deum loqui ad Angelos: nam illud nullo modo huic præsenti loco aptari potest: nam sic etiam Angeli essent hominis ipsius creatores. *Ad imaginem & similitudinem nostram.* Puta, homo ad imaginem Dei creatus est, quatenus (ait S. August. Lib. XXIV. contra Faustum cap. ii.) habet mentem rationalem, qua cognoscat Deum,

Deum, & omnibus irrationabilibus eadem rationis excellentia præponatur. Augustinum sequitur Prosper Lib. II. de Vita contempl. cap. XVIII. Alii imaginem referunt ad liberum arbitrium, ut Basil. hom. IX. Hexameron, Ambros. Lib. VI. Hexameron cap. VIII. Hieron. in Epist. de Filio prodigo. Alii vero eam constituunt in dominio quod homo super alias creaturas accepit; ut Chrysost. hom. VIII. & IX. in Genesim, & hom. VII. ad Pop. Antioch. Verum hæ declarationes facile conciliantur. Nam & libertas arbitrii ab intellectu, velut radice dependet, & dominium effectus quidam est eiusdem intellectus, ac voluntatis, & velut propria passio ex iis fluens.

V. 28. CRESCITE, ET MULTIPLICAMINI. Vide explicatum supra hoc eodem cap. v. 22. ET DOMINAMINI PISCIBUS MARIS. Hoc quidem dominium per peccatum fuit imminutum, nempe ut bestiæ quædam sint homini rebelles; tamen vi, aut industria, omnes pene adhuc cogi possunt. Unde post peccatum infra cap. IX. sic homini adhuc dicitur: *Omnes pisces maris manui vestræ traditi sunt*. Nota vero, non similiter homini dari dominium in cælum & stellas (non enim utitur illis pro sua voluntate) idcirco scilicet ut semper meminisset, aliquem supra se maiorem esse, ut illum revereretur.

MARIANAE.

Vers. I. IN PRINCIPIO CREAVIT. Hebr. *In principio creandi*, præteritum pro gerundio; qua forma loquendi Osee I. v. 2. legimus: *Principium loquendi Domino*. Hebr. *Principio locutus est Deus*. Sic ergo locum interpretor: In principio temporis cum crearet Deus cælum & terram, nempe quæcumque cæli & terræ ambitu continentur. Ita his primis verbis summa totius creationis continetur, atque eorum quæ mox sigillatim explicantur. *Creavit*. Creandi & formandi voces affines sunt: hoc tamen discrepant, quod formatio supponit quasi materiam aliquid quod per ipsam actionem formandi non fit; creatio nihil tale supponit. Quod aliis verbis explicant qui dicunt, formationem circa res corporeas versari, creationem extendi ad omnia quæ ex non esse ad esse procedunt. Aliud est, an creatio fit ex nihilo productio: quæstio ad Theologicas scholas ablegenda. Id contendam, ex vi vocis, & sermonis proprietate id non significari; quando Græcis & Latinis, qui creandi voces instituerunt utrique in sua lingua, talis ex nihilo productio ignota prorsus erat. Hebræi item, quibus maior lux erat, verbo suo ברא *Bara* utuntur sæpe ad significandum productionem quæ ex aliquo fit; ut cum hoc cap. v. 27. dicitur: *Et creavit Deus hominem ad imaginem suam*. DEUS. Hebraice *Elohim* numero multitudinis, ac si dicas, *Creavit Dii*: in quo quidam agnoscunt mysterium Trinitatis; negant alii, eamque locutionem referunt ad linguæ proprietatem, numero multitudinis sæpe utentis pro singulari. In quo morari nolo. Sed certe quidam eo sunt progressi, ut Latine recte dici Patrem, Filium, & Spiritum sanctum esse Deos disputent; non tamen tres Deos, ne numerus ad essentiam referatur per imprudentiam. Sic Catharinus in hunc locum; idque ex sententia, ut ipsi videtur, Sancti Thomæ. Alii in impiorum numero habent qui ita sentiant. Illud constat, ab אלהים deduci אל, sicut ab יהוה nomen יה, per decurtationem utriusque nominis; על etiam per Kamez, a עליון, de quo Osee VII. v. 16. Tum illud, tria nomina Dei, potissimum *Elohim*, *Scadai*, *Adonai*, numero multitudinis enuntiari; quod mysterio prorsus non vacat.

V. 2. TERRA AUTEM, pro *terra quidem*. Post summam propositam incipit narratio. Ac primum quo in statu elementa fuerint, unde cetera sunt facta; nempe confusa indigestaque erant. ERAT INANIS ET VACUA. *Thohu* & *Bohu*, desolatio, vanitas, & vacuitas (nomina formæ pro subiecto) hoc est nullo extrinsecus ornamento. Et vocatur terra per occupationem: nam id nomen accepit cum aquis nudata est. I. Reg. XII. v. 21. Idola vocantur *Thohu*, idest vanitas. Aqua erat turbida terræ admixtione: id significat TENEBRAE ERANT SUPER FACIEM ABYSSI, id est super abyssum. Sic Sept. & vox *facies* sæpe redundat, & omitti potest. Erat ergo aqua tenebrosa, idest terræ admixtione turbida; alioqui alia etiam elementa in tenebris erant. Hoc Paulus II. ad Cor. IV. v. 6. innuit illis verbis: *Deus, qui dixit de tenebris lucem splendescere*; idest ex aqua turbida & chao eduxit dicendo lucem. An

huc

huc etiam Græci spectarunt, cum Thetim, idest mare, aquam, dixerunt Peleo nupsisse, idest cœno? πηλὸς enim lutum est. Fulgent. Lib. III. Mythol. Aer inquietus erat: SPIRITUS DOMINI, id est ventus a Deo excitatus: sive adiectione Domini magnitudinem aeris eius intelligit: Psal. 67. *Mons Dei mons pinguis*. Itaque vastus spiritus & aer FEREBATUR, agitabatur: id proprie significat Hebraicum מרחפת: sic Hebræus: מרחפת ענין נרנוד ותנוע, hoc est, *Merahepheth significat motionem & agitationem*. Hoc ex loco antiqui Poetæ suum chaos desumpsere, sicut pleraque alia. Constat chaos ex tribus elementis, terra, aqua, aere, tantum; quod in Ovidii Metamorphosi consilerasse me memini. Ignis enim propter vim suam & efficaciam cum aliis elementis confundi non potuit, sed quamprimum in suum locum prosilivit. Ardenti ingenio homines sunt insociabiles, ut feræ quæ solitariæ versantur. Vides ab imperfecto, Dei actionem, & mundi fabricam procedere.

V. 3. DIXITQUE DEUS: FIAT LUX. *Dicere* iubere est. *Fiat*, Hebr. *Sit*, *existat*. Per *lucem* cum Gregorio Nysseno intellige ignis elementum, quod ex mole rudi prorumpens superiora continuo petiit, & suo fulgore subiectam materiam illustravit. Quidam prima die solem factum intelligunt, idque lucem esse; quarto die repetitam eius creationem cum creatione aliarum stellarum. Vide sapientiam Conditoris: instar artificis opus facturus primum omnium lumen accendit: sic in vita confirmanda primum fides, & cognitio rerum exacta præcedat, subsequantur cetera.

V. 4. VIDIT DEUS LUCEM QUOD ESSET BONA; hoc est, sanxit ut perpetuo maneret; pictoris adinstar, qui quod probat & laudat in pictura, non amplius delet. *Bona*: vox Hebraica iucundum & utile significat.

V. 5. APPELLAVIT, id est appellari fecit. Principes quod iubent faciunt. FACTUMQUE EST VESPERE: nempe duodecim horæ *vesper* dicitur quibus in meris tenebris elementa iacuerunt. Subsecutum est temporis tantumdem, quo ignis globus typhonis instar circum molem rotatus diem effecit. Porro ex ea vicissitudine ante solem factum tres primi dies constiterunt nostris similes, nisi quod nocte meræ tenebræ erant nullis eatenus stellis. Hinc Hebræi certe sumpserunt dies a vespera præcedenti inchoantes. Præterea adverte, dies a Deo factos a nocte inchoare, id est a tristitia; contra quam reprobi, qui in lætitia vitam consumunt, sequuntur tenebræ. DIES UNUS: dies primus. Hebræi eadem voce unum & primum significant. Per *vesperam* noctem, per *mane* diem intelligit.

V. 6. FIAT FIRMAMENTUM. רקיע *Rakiah* ab *extensione* dicitur. Sept. verterunt στερέωμα, *firmamentum*, quod mansit in editione Hieronymi. Ego autem crediderim per hanc vocem significari aerem, qui immensus extensus est; alioqui in ordinatione rerum nulla eius elementi mentio extaret. Et sane cum v. 20. dicat aves volare super firmamentum cælorum (sic enim Hebraice legis) quomodo id potest constare, nisi ea voce aerem intelligas? Itaque per *lucem* designet ignem, per *firmamentum*, seu *extensionem*, aerem: mox de aqua & terra, cum ait: *Separentur aquæ*. Quod vero ait: FIAT FIRMAMENTUM IN MEDIO AQUARUM, ET DIVIDAT AQUAS AB AQUIS, simplicissime de aere intelligitur. quo suspenduntur vapores eiusdem cum aqua naturæ, uti cum terra pulvis. Quid enim est vapor, nisi aqua comminuta, quod in nebula melius apparet? Dividit præterea sustentans nubes imbre gravidas: sic non oportet cogitare aquas alias cælestes præter eas quæ in quotidiano usu sunt. Vaporem & aquam eiusdem esse naturæ August. ait de Genesi contra Manich. Lib. I. c. xv.

V. 8. FIRMAMENTUM CAELUM. Cælum pro aere, ut Psalm. VIII. *Volucres cæli*. Die secundo non ait: *Vidit Deus quod esset bonum*. Rationes variæ adducuntur.

V. 9. CONGREGENTUR AQUAE. Ex hac congregatione, & naturali aquæ magnitudine quidam colligunt, aquam maris esse terris altiorem; coerceri autem intra præscriptos terminos divino præcepto, ne superfundatur terræ: porro pugnam inter aquæ naturam & divinum præceptum, *Usque huc venies, & hic confringes tumentes fluctus tuos*, Iob XXXVIII. esse veram causam æstus maris. Sane quo loco in Psalm. XXXII. v. 7. legimus, *Congregans velut in utre aquas maris*; Hebr. legimus, *Congregans velut in cumulum*.

V. 11. HERBAM VIRENTEM. Hebrai-

braice: *Germinet terra germen feni*: sic Sept. posuere *βοτάνην χόρτου*. Per *fenum* autem quidam intelligunt frumentum: neque enim fenum semen producit, quod hic dicitur. Ex hac interpretatione explicant illa verba Matth. VI. v. 30. *Si enim fenum quod hodie est, & cras in clibanum mittitur*: alioqui feni nostri quis usus in clibano esse potest? cap. XIII. v. 26. *Cum crevisset herba*, Græce & Syriace *fenum*, id est triticum, de quo agit. Tum illud Psalm. CIII. v. 14. *Qui producit fenum iumentis, & herbam servituti hominum*: nam pro *herba* est dictio Hebraica, quæ hic ponitur, nempe עשב *Heseb*: nam herba communis, aut fenum in quos certe usus hominum cedat? ET LIGNUM POMIFERUM, id est arborem pro arbores.

V. 14. FIANT LUMINARIA. Placet ratio Greg. Nysseni, & Damasceni existimantium primo die lucis nomine factum ignem. nunc in stellas tributum. Sic enim evadimus angustias explicandi, quæ fuerit lux primis tribus diebus, cuique incumberet corpori.

V. 15. IN FIRMAMENTO CAELI. Per *firmamentum* intelligimus aerem: per *lucem* & *luminaria* ignem. Ut sicut aqua, & terra sunt inter se connexa & mixta, sic aer, & ignis. IN SIGNA, ET TEMPORA. Sic dixere Sept. Hebraice pro *temporibus* מועדים *Mohadim* est; quæ vox menses, seu festa significat. Et convenit cum verbis Eccli. XLIII. *A luna signum diei festi*: & cum dixerit stellas esse in annos & dies, non debuit prætermittere menses, qui a motu certe lunæ sumuntur, & festa per menses tributa. *Signa* vero indicant significari ab stellis aliqua futura; serenitatem, imbres, alia: in qua investigatione eius quod significant, modestia opus est, ne fallamur.

V. 16. FECITQUE DEUS DUO LUMINARIA. Hebr. *duo illa luminaria*, propter ה emphaticum, quod præponitur.

V. 17 POSUIT EAS IN FIRMAMENTO. Forte affixas: tametsi ex verbo *posuit* id non convincitur, nam & hominem posuit in paradiso: neque ex astrologicis rationibus id certo constat, ut docet August. de Genes. ad litteram Lib. II. c. x.

V. 18. ET DIVIDERENT LUCEM AC TENEBRAS. Hebraice & Græce, *Inter lucem, & inter tenebras*. Verum dictio *ἀνὰ μέσον*, qua usi sunt Sept. occasionem dedisse videtur Theoph. Cæs. in epist. de Paschate, & Bedæ de Ratione temporum, legendi hunc locum hoc modo: *Et dividerent lucem ac tenebras in æquas partes*: nempe Græcam dictionem *ἀναμέσον* in duas diviserunt; ac si diceret, *Dividerent per medium*, quod perinde est atque *in æquas partes*. Ex ea vero lectione colligunt primum illi, mundum in æquinoctio factum, quo tempore noctibus dies pares sunt. Colligunt alii, in omni orbis parte tenebris & luci par omnino tempus datum, quando quidquid diei in hieme detrahitur, tantumdem accedit per æstatem noctibus, converso ordine. Miram profecto sapientiam Conditoris ita solem constituisse, ut omnibus gentibus paria lucis & tenebrarum spatia distribuat. Ex eo vero colligimus, nullam terræ partem a Conditore despectam: omnibus præter lucem suas tribuit dotes, nulli omnes; quod mutuæ inter homines caritatis præcipuum fomentum est. Vides insulas longinquas solis ardoribus exustas? In eas aurum, argentum, gemmas, aromata relegavit, quæ ceteri mortales avidissime cuperent.

V. 20. PRODUCANT AQUAE REPTILE ANIMAE VIVENTIS. Nunc primum vitæ & animæ mentio extat, ut intelligas, Stoicorum sententiam propius quam Peripateticorum accedere ad veritatem, plantas & herbas non vivere. Sic Galenus de Potent. natur. Lib. I. initio, hoc argumento, quod herbarum facultates non vocentur vitales, sed naturales. Et alioqui cum animus sit a Græca voce *ἄνεμος*, idest ventus; quæ non spirant, quomodo habebunt animam? At pisces non spirant. In eo fallitur Arist. verius Plin. spirare affirmat. *Aquæ*. August. XIV. super Genes. ad litteram per aquas aerem crassiorem intelligit. *Animæ viventis*. Hebr. *reptile vivens*. Porro reptile est quod pedibus caret, aut breves admodum habet, certe ad gressum inutiles. ET VOLATILE SUPER TERRAM. Hebraice, *volatile volans*, quod postea repetit *volatile alæ*, quod Sept. reddiderunt *πετεινὸν πτερωτὸν*, *volatile pennatum*. Fortassis ea additione quæ supervacanea videatur, voluit ab hoc numero excludere ea quæ non pennis, sed membranis volant, quorum non pauca sunt genera. Porro piscium & avium origo communis est. Hinc quidam ieiunia solvi non credebant esu avium.

So-

Socrat. Lib. V. Hist. cap. xx. Tum fortassis id secutus Benedictus suis quadrupedum carnibus interdixit, avium concessit. Fructuos. in Regul. monachorum. SUB FIRMAMENTO CAELI, Sept. *Secundum firmamentum*; at Hebraice: *Super faciem firmamenti*: ad confirmationem רקיע *Rakiah* nil esse aliud quam aerem, super quem nempe aves volant. Qua loquendi forma David Psalm. CXLVIII. v. 4. dixit: *Et aquæ quæ super cælos sunt*.

V. 21. ANIMAM VIVENTEM, id est animal vivens. MOTABILEM, hoc est animal natans.

V. 22. BENEDIXITQUE EIS, dedit fecunditatem: sed benedictio hæc ad nudam multiplicationem referri non debet: nam herbæ & arbores amplius quam animantes multiplicantur; neque eis tamen benedixit: sed potius ad nuptias referatur, & ad libidinem qua se appetunt sexus, & coniunctione gaudent. Hæ fuere quasi benedictiones nuptiales. Quod vero addit, CRESCITE ET MULTIPLICAMINI, imperativus pro futuro accipiatur, *crescetis & multiplicabimini*; quasi dicat: Ego do vobis virtutem ita faciendi. Quod si præceptum videatur repetitum in homine v. 28. repleta terra, non amplius vim habet. Tertull. de Monog. Cypr. Lib. de Habitu virg. Hieronym. Lib. I. contra Iovin. August. de Sancta Virg. cap. IX.

V. 24. PRODUCAT TERRA REPTILIA ET BESTIAS TERRAE. Reptilium meminit, ut divina providentia intelligas non maiora, sed minora etiam contineri: magnum tenuibus in angustia solamen. Bestiis terræ creatis non adiicit benedictionem, fortassis propter serpentem cui deinde maledixit. Aut potius sicut die quinto pisces, & aves una benedictione comprehendit, sic die sexta terrestria animalia omnia. Sed benedictio tota homini soli convenit, brutis quadamtenus ratione.

V. 26. FACIAMUS HOMINEM AD IMAGINEM ET SIMILITUDINEM. Simplicissime imago Dei in homine est anima incorporea & immortalis, nempe de genere Dei & Angelorum: tum dominium in res alias; ut quemadmodum Deus in cælo præest, sic homo in terra. Huc Paulus respexit, cum I. ad Corinth. XI. dixit: *Vir non debet velare caput suum, quoniam imago & gloria Dei est; mulier autem gloria viri est*; nempe, vir est dominus, ideo non velet caput; mulier ut subdita velet. Quod si sequamur, fateri oportet mulierem perfecte secundum hanc rationem non esse imaginem Dei, secundum hanc, inquam, rationem. Facessat calumnia. Sic illis verbis, ET PRAESIT PISCIBUS MARIS, continetur eius imaginis explicatio, in quo sita sit. Porro *imago* & *similitudo* idem significant; ideo proximo versu solum repetiit prius verbum, *Et creavit Deus hominem ad imaginem suam*. Quidam Deum in forma humana putant in creatione versatum, & ad eam formam & imaginem hominem creasse. Aut *imago* sit secundum substantiam, *similitudo* secundum dona superaddita. Ad hæc verba & locum Lucianus Dial. pro Imag. respexisse videtur, cum dixit eximium philosophorum *hominem* dixisse *esse Dei imaginem*. OMNIQUE REPTILI. *Reptile* hic vocat omne animal quod movetur in terra.

V. 29. ECCE DEDI VOBIS OMNEM HERBAM. Esum carnium ante Diluvium non concessit, quod c. IX. demum post Diluvium datur. *Ecce*, pro utique, omnino.

V. 30. IN QUIBUS EST ANIMA VIVENS, UT HABEANT AD VESCENDUM. In Hebræo & Sept. *In quibus est anima vivens, & omnem viriditatem feni in cibum*. Fortasse id Hieronym. omisit, quoniam paulo ante positum erat.

V. 31. ET FACTUM EST VESPERE ET MANE, DIES SEXTUS. Ceteri dies positi sunt in Hebræo sine ה emphatico; solus dies sextus eum articulum habet propter eius diei excellentiam, in quo opus creationis perfectum, homo factus & lapsus, Christus conceptus & passus.

MALVENDAE.

Vers. I. IN PRINCIPIO. I. temporis. II. omnium, seu universitatis rerum, vel ante omnia, seu *primum*. III. *In primis*. IV. *In principatu*. Sic vocem ראשית *reschith* exponit Vulgatus Deuteronomii XXXIII. 21. hoc est principaliter, & potentissime. V. *In principio*, hoc est Filio. Sic aliqui capiunt illud Deuteron. XXXIII. 21. *Vidit principium sibi*. Ioan. VIII. v. 15. *Principium, qui & loquor vobis*. VI. Quidam volunt abundare ב *beth*, in בראשית *bereschith*, redduntque: *Principium, initium, caput*; quasi dicat: Ordior describere mun-

di conditum, & res populi Dei: initium mihi operis erit cæli terræque creatio. Sic poetæ *Incipiam*. VII. Plerique putant esse syntaxim, quasi esset בראשית ברוא *bereschith bavo*, *In principio creandi*: vel *in principio* quo, seu quando *Deus creavit cælum & terram, tunc terra erat inanis & vacua*: vel *in principio* quando Deus. &c. *tunc dixit*: *Fiat lux*, &c. ut illa, *Terra autem erat inanis & vacua*, &c. intelligantur interiecta per parenthesim. Similem constructionem habes Osee I. 2. *Principium*, loquutus est, *loquendi Domino in Osee*. Isaiæ XXIX. 2. *Ariel civitas* habitavit *habitandi*, vel *in qua habitavit David*. VIII. Propius ad vocem Hebraicam, *In capite*, seu *in capitulo*, id est in summa; quasi dicat: Anacephalæosis, seu summa rerum creatarum est creatio cæli & terræ: nam iis reliqua omnia creata continentur, & includuntur. Simili Hebraismo Paulus Heb. VIII. I. *Capitulum autem super ea quæ dicuntur*; id est, summa vel summarium eorum quæ diximus. Psalm. XXXIX. 9. *In capite libri*, id est in summa scripturæ, *scriptum est de me*. CREAVIT. ברא *bara*, in Kal, proprie tantum Deo, non homini convenit, neque ei in Scriptura umquam tribuitur. Notant passim ex vicinis & cognatis verbis proprie significare: *clare, conspicue, expurgate, pure, solide, robuste, firmiter, magnifice, excellenter, exquisite aliquid facere, & in esse conservare, alere, fovere, augere*: bifariamque cum Deo tribuitur, sumi. Primo pro eo quod est, ex nihilo aliquid facere quod prius non erat: secundo ex materia quidem præiacente, seu præexistente, sed novo modo, consilioque singulari, ac omnipotentia aliquid condere & exhibere ut existat; quod nulla creatura efficere possit. Qui duplex creandi modus ex variis Scripturæ locis nimis est pervagatus. Hic vero in priori significato poni, natura ipsa actionis evincit: nam si ante omnia Deus cælum & terram condidit, nihil horum creationem antecessit, nec ulla præexistens materia mundo præiacuit. Optima huius loci interpres Machabaica illa heroina II. Machabæor. VII. 28. *Peto, nate, ut aspicias ad cælum & terram, & ad omnia quæ in eis sunt; & intelligas quia ex nihilo fecit illa Deus*. Græce, *Quia ex non existentibus fecit illa Deus*. Theologi usum verbi *creandi* ad priorem significationem in suis disputationibus astrinxere. DEUS. אלהים *Elohim*, aiunt significare *Iudicem*, *Gubernatorem*, *Rectorem*, *Moderatorem*, *Providentem*, *Prospectorem*. Malim, *Fortissimum*, *Potentissimum*, *Maiestate plenissimum* ab *El*, & *Eloah*, inserto *He* ad intensionem significatus. Formam pluralem, cum de Deo dicitur, sacram Triadem indicare permulti volunt: unde sæpissime construi cum verbo, vel pronomine, aut adiuncto singulari, ut hic, quo simul Trinitas personarum, & Unitas essentiæ denotetur. Alii potius id consuetudini linguæ adscribunt, & pluralem numerum magnitudinem, copiam, & abundantiam divinæ omnipotentiæ innuere: ut Elephas Iob XL. 10. בהמות *behemoth*, plurali voce nuncupatur, quod instar multarum bestiarum censeatur. Reperies אלהים *Elohim*, cum de aliis quam de ipso Deo vero dicitur, constructum etiam cum verbo, vel adiuncto plurali, Gen. XX. 13. XXXV. 7. II. Samuelis VII. 23. Ieremiæ XXIII. 36. A quibusdam observatum, אלהים *Elohim*, cum de aliis, quam de vero Deo dicitur, vix umquam de uno solo efferri: cur ergo Deo tributum pluralitatem personarum non indicabit? Ne simus mysteriis iniquiores. Alii extra Deum interdum de uno solo dictum inveniri contendunt. Vide Buxtorfii Lexicon. CAELUM. שמים *schamaiim*, formam dualis præfert. Iuvat varias eius enodationes reponere. I. Quidam aiunt, significare altitudinem circularem alicuius rei, circulum, sphæram, horizontem. II. Alii a שם *schem*, deducunt, quasi corpora nominatissima, famosissima. III. Nonnulli a שמם *schamam*, *obstupescere*, quod præ sui artificio, magnitudine, pulchritudine homines in admirationem & stuporem rapiant. IV. Pauci a שם *scham*, quod *locum remotum* significat, quod cæli a terra sint remotissimi; & dualis forma distantiam denotet a terra utrimque æqualem: vel duos mundi polos circa quos cælum circumvolvitur. V. A שום *sum*, aliqui, quod situ mirabili, studio, cura, ordine, ornatu, compositione positi sint. Sed est temol. VI. Pleriq; ab אש *esch. ignis, &* מים *maiim, aquæ*, quod ex aqua & igne sint conflati. VII. Plures a שם *scham*, id est *ibi*, & מים *maiim*, *aquæ*; quasi dicas, *ibi aqua*, ut a substantia sua aquea appellationem habeant: formam vero dualis numeri indicare duplices aquas, illas videlicet quæ sunt supra firmamentum,

& h. s

& has quæ sunt sub firmamento. VIII. Alii a שם *scham*, *ibi*; quasi, quocumque te vertas, illic cælum aspicias. IX. Nec desunt qui a שאה *schaa*, *obstupuit*, & מים *maiim*, *aquæ*: quod regionem illam significet, in qua aquæ illæ superiores stupendo quodam modo & prorsus divino stupescunt, & quasi obrigent, atque immotæ perstant, ac torpent: nisi ubi Deo visum est, vel vento dispergere, vel omnino resolvere. X. Invenies, qui a שמם *schamam*, *afflare* propter motum, influxum, afflatum in hæc inferiora. Varias hoc nomen significationes in Scripturis sortitur, quas suis elucidabimus locis.

Hic cælum empyreum beatorum sedem nonnulli interpretantur. Alii totam illam aqueam molem qua, ut vitellum ovi albugine, ita terra circumfusa erat. Plerique cunctos orbes cælestes. Consule Interpretes.

ET TERRAM. ארץ *aretz*, inde consentientibus vocibus, levi mutatione, facta Latina terra, & arida facile crediderim. Etymon nominis varie enucleant. I. a רוץ *rutz*, *currere*, quod super eam curratur, & cælorum, aliorumque elementorum cursus sit circa eam, sphæraque circa eam cieatur. II. a רצרץ *ratzatz*, *opprimere*, *collidere*, *concutere*, quod pedibus hominum teratur, & quod sit oppressa, & infimum omnium elementorum locum obtineat, atque ad eam inclinent & tendant gravia quæque tamquam ad centrum: unde pro infima cuiuscumque rei parte sumi volunt. Psalm. CXXXVIII. 15. Ezechiel. I. 15. III. ab אצר *atzar*, *condere thesauros*, quod ea suffodiatur ad recondendum, vel eruendum thesauros. Curiose & exquisite quidam exponunt: *Primum creavit Deus sphæram & centrum*: nempe extrema mundi, ut cetera quæ iis includuntur, intelligantur, a circumferentia ad centrum. Vide M. Varronem Lib. IV. de lingua Latina cap. III. & IV.

V. 2. INANIS. תהו *tohu*, vigesies tantum in Scripturis occurrit, & varie a Nostro redditur. Hic & Isaiæ XL. 17. 23. & XLI. 29. *inanis*; Deuteron. XXXII. 10. *locus horroris*; I. Samuelis XII. 20. bis *vana*; Iob VI. 18. & XXVI. 7. Ieremiæ IV. 23. *vacuum*; Iob XII. 24. Isaiæ XXIX. 21. & XLV. 19. *frustra*; Psalm. CVI. 40. *invium*; Isaiæ XXIV. 10. *vanitas*; Isaiæ XXXIV. 11. & LIX. 4. *nihilum*; Isaiæ XLIV. 9. *nihil*; Isaiæ XLV. 18. *vanum*; Isaiæ XLIX. 4. *sine causa*: quæ omnes interpretationes recte huic loco conveniant. Vulgo indigestionem, inordinationem, indispositionem, confusionem, indistinctionem, indesignationem, vastitatem, desolationem, desertum, ubi nihil ordinatum, aut digestum est, significare volunt; locumque exponunt: *Terra autem erat inordinatio*, seu *indigestio*, id est erat indigesta & inordinata, ac erat materia, seu moles non redacta in ordinem, neque distincta aut disposita: quia erat tunc locorum nulla distinctio, nulli montes, nullæ valles, nulli colles, nulla prata, nulli horti, nullus ager, nullæ silvæ; sed moles indigesta, rudis, vasta, quam veteres parum deflexa voce chaos dixere: uti pulchre Ovidius describit initio Metamorphoseon. Si vox est a תאה *taah* vel תוה *tavah*, possit reddi: *Et terra fuit circumscriptio*, seu *inclusio*: quod inclusa & cooperta aquis undique esset ac cincta. ET VACUA. בוהו *bohu*, ter tantum legitur, & semper cum תהו *tohu* coniungitur. Noster Isaiæ XXXIV. 11. *desolationem* dixit. Ieremiæ IV. 23. *nihili*. Hic *vacua*. Vanitatem proprie significare, & inanitatem aiunt; quasi dicat: Tunc terra erat inconstructa, inædificata, inculta, ædificiis, domibus, habitatoribus, & cultoribus vacua. Conferunt cum vocibus בנה *banah*, & בתה *batha*. Quidam notant ותהו *tohu*, esse materiam primam ובהו *bohu*, eius desiderium ad omnem formam eam movens. Hispanicis vocibus consentientibus forsan erit quod dicimus *tova*, *y buyda*. *Tova* est Latine, spongiosa, lenta; *Buyda*, vacua. ET TENEBRAE ERANT SUPER FACIEM ABYSSI. חשך *choschec*, singulariter *tenebra*, si sermo Latinus pateretur: proprie *obscuritas*, *tenebrositas*, *caligo*. Per ערפל *gharaphel*, exposuit Iob XXXVIII. 9. *Et caligine illud quasi pannis infantiæ obvolverem*, ad hunc procul dubio locum alludens. Nec a vero abludit Græcorum celebratum chaos: nam sine luce omnia rudia, indigesta sunt, & in chaos abeunt. Heb. pluraliter, *Super facies abyssi*, ut utramque faciem, nempe utriusque hemisphærii illius aqueæ molis occupasse tenebras intelligas. תהום *thehom*, rite deducunt ab הום *him*, vel המה *hamah*, vel חמם *hamam*, ut sit multitudo, profunditas, moles aquarum turbatarum, cum fremitu sonantium, ruentium, & tumultuantium. Græci & eos imitati Latini *abyssum* dixerunt, id est immensam aquarum vim, & con-

congeriem quæ vel fundo careat, vel habeat impenetrabile fundum. Aliqui *voraginem* reddunt. ET SPIRITUS DEI. Vulgatiores explanationes sunt I. de Spiritu sancto tertia sacræ Triadis persona. II. de vi, energia, efficacitate, impetu, impulsu, operatione divina. III. de vento magno excitato a Deo. Notum est Hebræos rebus quarum magnitudinem commendare student, nomen illis Dei adiungere, ut Psalm. XXXV. *montes Dei*. Psalm. LXXIX. 12. *cedri Dei*, Genes. XXX. 8. *luctationes Dei*. Sic *spiritus Dei*, ventus magnus & vehemens. FEREBATUR. Notant nonnulli ex transposito רחף *rachaph*, quod hic ponitur, factum Græcum φέρω φέρομαι, φορέω, & compositum ἐπιφέρομαι, & Latinum Fero, Feror. Observant Hebræi, & nostrorum plerique, verbum רחף *rachaph*, cuius participium femineum Pihel hoc loco habetur מרחפת *merachepheth*, proprie esse, *commovere se, agitare se expansione, & latitudine*, seu *dilatatione alarum*: propriumque esse avium alas motitantium, agitantium, seu vibrantium dum vel ovis, aut pullis incubant ad eos calore fovendum & animandum, ut solent gallinæ, & columbæ; vel pullos ad volatum provocant, ut ciconiæ, & aquilæ; vel sese in aere suspendunt ac librant ad prædam inhiantes. Unde hunc locum varie reddunt: *Motabat, agitabatur expansione, & dilatatione veluti alarum: incubabat, fovebat, animabat, volitabat, velitabat, perflabat*. Ter tantum reperitur in Scriptura. Noster Deuter. XXXII. 11. *volare* dixit. Ierem. XXIII. 9. *contremere*. Ego contremiscendi & agendi significatum genuinum existimo ex loco Ieremiæ, duobusque aliis locis recte comprete. re: agitant enim sese, & veluti contremiscunt aves quando involitant pullis; exponoque: *Et spiritus Elohim contremiscere faciens super facies aquarum*; quasi vi sua impelleret, agitaret, ac tremulas & crispantes redderet aquas. Quidam: *Ventus vehemens agitationem faciebat super aquas*.

Ego potius de vi, & impulsu divino acceperim qui substantiam, vel molem illam aqueam rudem & indigestam, seu chaos impellebat, agitabat, commovebat, subigebat, ut inde cælos, elementa, mixta secerneret, extraheret, crearet, ordinaret altissimo consilio & omnipotentia. Maro vel divinans, vel huc alludens, VI. AEneidos cecinit:

Spiritus intus alit, totamque infusa per artus
Mens agitat molem, & magno se corpore miscet.

AQUAS. מים *maim*, totam illam materiam liquidam quæ primo die creata fuit, quam תהום *tehom* appellat, intelligi volunt: formam dualem superiores & inferiores aquas quas dividit firmamentum, indicare. Nove & curiose aliqui hic מים *maim, liquores*, interpretantur, notantque formam dualem geminum liquorem significare. Est enim alter liquor sua sponte pinguis. dulcis, lentior, & in omnem partem ductilis, minusve concrescens, ut lac, oleum, &c. alter vero humidus ac salsus est, facile sequax, & doctus vacua penetrare & implere, ut aqua; atqui ex huius duplicis liquoris varia & multiplici mixtione, coaptatione, concursu, tamquam ex opportuna & comparata materia varias ac multiplices rerum formas ac naturas spiritu *Elohim*, initio mundi confectas fuisse, ac perpetuo confici docent; locumque ita exponunt: *Et spiritus Elohim efficaciter motitans, confovens, ac agitans super facies gemini liquoris*: quod nimirum spiritus *Elohim*, formarum omnium aptator, discretor, constitutor, ac moderator existat. Sed hæc subtilia & aliena existimo. מים *maim* ego vocem naturalem puto: nam infantes cum primum fari incipiunt, *ma* dicunt, aquam postulantes. Notant a מים *maim*, factum Græcum ἰμάω, ἱμάω, id est *haurio aquas*: & Latinum, Meo, as, are: unde meatus aquarum.

V. 3. DIXITQUE DEUS. Notant quidam, Mosem in descriptione creationis rerum usum potius verbo אמר *amar*, *dixit*, quam verbo דבר *dabar*, *loquutus est* quod אומר *omer*, *dictum, sermo, pronuntiatum*, *logos* sit potius nomen Filii Dei, quo eum Ioannes appellat, quam אמר *amar*, quod *eloquium*, & *rem*, seu *ordinem* rerum magis significet, quam sermonem: & per Filium Deus dixerit decretum & totum ordinem creationis, & reparationis hominum, & profert Evangelium ex sinu æterni Patris, quo colligit sibi Ecclesiam, & monstrat Patrem, confirmat Evangelium, movet corda, consolatur & vivificat corda hominum, dans in illa Spiritum sanctum: denique quod is fuerit dictum illud & sermo per quem condita sunt universa,

sa, Ioan. I. 3. volunt enim, Ioannem, cum Filium Dei Logon appellat, vocem אומר *omer* potius expressisse, quam דבר *dabar*. Quamquam hæc levis sit aliis coniectura. אמר *amar*, cum Deo tribuitur, fortius quiddam & efficacius sæpe significat, simulatque includit decretum, ordinationem, exsuscitationem, ut sit interdum, *velle*, *iubere*, *decernere*, *constituere*. Psalm. XXXII. 9. Psalm. CXLVIII. 5. Iudith XVI. 17. Iosue II. II. FIAT LUX. יהי *iehi*, futurum, *erit lux*, constantiam & perennitatem essendi in Scriptura designat: idcirco videtur Moses usus futuris essendi in descriptione creationis, ut constantiam & stabilitatem eorum quæ Deus condiderat indicaret. Futurum enim tria tempora includit, & perpetuitatem innuit. Vide Exodi III. 14. Psalm. CXVIII. 91. *Ordinatione tua perseverat dies*. Ecclesiastes III. 14. *Omnia opera quæ fecit Deus perseverant in perpetuum*. Hebr. *Omne quod fecit Deus*, *ipsum* יהיה *iihieh*, *erit in sæculum*. Quænam & qualis fuerit ista lux, cum sol dicatur infra quarta die productus, disquirunt Interpretes, nec expediunt. Hunc locum respexit Paulus II. Corinth. IV. 6. *Deus qui dixit de tenebris lucem splendescere*: splendida ergo, illustris, & conspicua lux illa fuit.

V. 4. BONA. טוב *tob*, non tam essentialiter, & substantialiter *bonum*, quam *amabile*, *iucundum*, *amœnum*, *gratum*, *volupe*, *delectabile*, *dulce*, *suave*, *utile* significat: item *pulchrum*, *decorum*, *speciosum*, *formosum*. Petrus I. cap. II. 3. χρηστὸν exposuit, id est, *dulcem*, *benignum*, *suavem*, *lenem*, *humanum*, *minimeque austerum*. Sic Latini lucem dulcem, benignam, pulchram appellant. DIVISIT. Usus est verbo בדל *badal* in Hiphil ad significandam magnam distinctionem inter lucem ac tenebras: יבדל *iebaddel*, *divisit*, *separavit*, *seiunxit*, *discrevit*, *segregavit*, *distinxit*, magno discrimine, & intervallo, naturæ, loci, & temporis.

V. 5. APPELLAVITQUE LUCEM DIEM. קרא *kara* construitur hic cum lamed nota dativi: *Et vocavit Elohim luci dies*, *& tenebrositati vocavit nox*. Et sic idem valet quod dare, imponere, indere nomen. *Indidit nomen luci dies*, *& obscuritati indidit nomen nox*; hoc est, statuit, sancivit, ut dum lux obtineret, esset dies, & dum tenebræ obtinerent, esset nox; & his nominibus a gentibus vocarentur. Hic dies, & nox pro artificialibus sumuntur, ut dies XII. totidemque nox horas contineat. FACTUMQUE EST VESPERE ET MANE, DIES UNUS, naturalis XXIV. horarum, diem noctemque complectens. Præposuit vesperam luci, quod tenebræ lucem ipsam antecesserunt, & quod in Scriptura dies naturalis & festa a vespere incipiant more apud Hebræos, & alias gentes recepto. Quidam notant, mundum primum XII. horis iacuisse in tenebris, & aliis XII. primum fulsisse lucem, & has XXIV. horas constituisse primum diem naturalem mundi.

V. 6. FIAT FIRMAMENTUM. רקיע *rakiagh*, Verbum רקע *rakagh* undecies occurrit in Scripturis, & varie a Nostro convertitur. Exodi XXX. 3. *incidere*; Numerot. XVI. 39. *producere in laminas*; II. Samuel. XXII. 43. *confringere*; Iob XXXVII. 18. *fabricare*; Psal. CXXXV. 6. Isaiæ XLII. 5. *formare*; Isaiæ XL. 19. *figurare*; Isaiæ XLIV. 24. *stabilire*; Ezechiel. VI. II. *allidere*; Ezech. XXV. 6. *percutere*; Ieremiæ X. 9. *involvere*. Aiunt significare, *continuare*, *extendere*, *distendere*, *expandere*, *dispandere*, *diducere*, *producere*, *extendendo confirmare*, *consolidare rem aliquam quæ prius fluida & rara erat*, *confirmare*, *continuare*, *& in latum*, *vel laminas extendere*: sicut æs fluidum, aurum, argentum, aut alia metalla, dum liquefiunt fundendo; aut res aliæ fluidæ & raræ condensando in latum distenduntur, & diducuntur.

Nomen *Rakiagh* quod hic ponitur communiter redditur *extensio*, *expansio*, *diductio*, seu *expansum*, *expansile*, *ductibile*, corpus scilicet diductum, rarum, & expansum. Notantque indicare extensionem & expansionem compactam & stabilem, ac firmam, idest rem expansam & diductam, quæ firma, compacta, & stabilis fit. Itaque dici volunt ab extensione & similitudine materiæ: unde Latini Græcos sequuti, *firmamentum* dixerunt; & recte quidem: nam quid aere & aqua mollius & fluidius? Et tamen Deus ita firmavit & compegit illam extensionem, ut quovis ære & adamante sit durabilior & solidior, nec continui motus pernicitate consumatur. Noster perpetuo vertit *firmamentum*. *fissionem*, *interfissuram*. Quidam interpretantur ruptionem, disruptionem, discontinuationem. a transposito קרע *karagh*, quasi Deus diffiderit, disruperit, discontinuaverit aqueam illam mo-

molem, ac fecuerit in duas partes interiecto magno corpore firmamenti. Alii *diffusionem*, vel *diffusum* quoddam corpus, *interpansionem*. Nec desunt qui congruente voce intelligi velint *aulæum*, *perístroma*, *seu pannum variegatum*, *& varie contextum*, quod vulgo *panno de Ras* vocant: quo videtur allusisse Psalm. CIII. 3. *Extendens cælum sicut pellem*, cortinam, aulæum: *qui tegis*, contignas, *aquis superiora eius*. Isaiæ XL. 22. *Qui extendit velut telam pellem*, conopeum, aulæum, cortinam, *cælos*, *& expandit eos velut tabernaculum*, tentorium, *ad inhabitandum*.

Quid autem *Rakiæ*, seu expansionis, aut firmamenti nomine Moses intellexerit, prolixe disputant Explanatores, nec certi quidpiam constituunt. Quidam elementum seu corpus aeris volunt. Alii cælum ipsum stellatum, omnesque alios cælestes orbes ipsi stellato vicinos, seu inferiores, seu superiores ad usque empyreum exclusive. Nonnulli quidquid est supra nos expansum & extensum; idest quidquid est supra terram, & aquas marinas & fluviales; nempe aerem, ignem, & cælestes globos. Nos potius universum corpus cæleste, idest orbes ipsos cælestes accipimus, absque tamen empyreo. Qui recte nomine רקיע *rakiagh* censentur, quod ex fluida aquæ materia, & ex *tehom*, extensi, diducti, firmiter & solide compacti & consolidati sunt. Iob XXXVII. 18. *Extendes* תרקיע *tarkiagh expandes cum eo cælos firmissimos*, *compactissimos*, *solidissimos*, *sicut visio*, *seu aspectus æris*, *aut chalybis fusi*, *vel fusilis*. Vide sapientiam divini auctoris. שחקים *schecakim*, cæli a levitate dicuntur, quasi levissimi: & חזקים *chazakim*, compactissimi, & firmissimi: & usus est verbo רקע *rakagh*, ut indicaret, Deum initio rerum ex fluxa & fluida mole illa & substantia aquarum extendisse, diduxisse & compegisse cælos tanta soliditate, stabilitate, & firmitudine, ut iis nulla æris aut chalybis firmissima materia comparari possit. Sed hunc locum alibi plenius expendemus: nam egregie vim verbi *rakagh*, & sensum Mosis de *rakiagh* seu firmamento elucidat. Tanti refert Scripturas suis ex fontibus tractare.

V. 7. DIVISITQUE AQUAS QUAE ERANT SUB FIRMAMENTO, AB HIS QUAE ERANT SUPER FIRMAMENTUM. Aquas hic quidam geminos liquores interpretantur, de quibus diximus vers. 2. notantque geminos illos liquores in duplices quoque partes discretos duo etiam loca occupare ac tenere iussos. Namque in singulis crassiora ac tenuiora elementa fuerant a principio creata: id quod in unoquoque eorum quæ videntur, liquore deprehenditur, ut in melle, oleo, & vino, e quibus tenuior pars locum superiorem, crassior vero inferiorem in vase quo continentur, occupat. Hunc igitur in modum eos qui primo confusi erant liquores pinguem videlicet & salsum, divini verbi vis excolatos reddens, ita diduxit ut potiorem, tenuiorem, atque puriorem partem suprema; crassiorem vero atque minus puram, concretionique magis idoneam, infima locari regione; utraque vero ut eiusdem naturæ, quamquam diversæ molis, tamen eiusdem etiam nominis communionem, nempe *maiim*, tueri iubetet, interiecto medio quodam corpore ex utrorumque evaporatione prima constante, quo suprema ac tenuia, ac infimis crassis diducta, interfectaque distarent: cui corpori medio *rakiag*, idest fissionem, expansionem, sive firmamentum nomen Deus fecerit, quod etiam appellarit *schamaiim*, idest ibi aquæ, seu gemini liquores, quod nimirum illorum geminorum liquorum, de quibus diximus, consortium, quod sibi arrogat, atque item divortium ex etymologia indicet. Est enim utrisque liquoribus intermedium corpus, inferioribus tenuius, & magis permeabile; superioribus vero crassius, ac minus purum. Atque supremi illi, qui istis superioribus incumbunt liquores, distincte שמי שמים *scheme schamaiim*, idest *cæli cælorum*, in Scriptura nuncupantur. Sed sunt hæc subtilia & curiosa.

Esse supra firmamentum, seu supra cælos, hoc est cælestes orbes, inter ipsos & empyreum veras, naturales, elementares, cum his inferioribus homogeneas aquas, tam perspicue hic & alibi Scriptura pronuntiat, tam multi Patres & præstantissimi recentiorum affirmant, ut aliter sentire vix possimus. Cui autem fini, Deus novit, nec nobis ambitiose perscrutandum.

QUAE ERANT SUB FIRMAMENTO. מתחת *mittachat*. Notant quando תחת *tachat* legitur cum præpositione *Mem* a fronte, & nomen subsequens præpositum habet *Lamed*, ut hic, tunc esse comparativi gra-

gradus, & respectum importare. Unde exponunt: *Et distinxit inter aquas quæ de subter expansioni*, ideſt in ea parte quæ ſub firmamento eſt; vel ſic, quæ ſunt inferius firmamento, ideſt inferiores firmamento, ut Deuter. IV. 18. Hanc phraſim Lucam ſequutum volunt, XVII. 24. *Sicut fulgur coruſcans de ſub cælo, in eam quæ ſub cælo fulget*, ideſt; e regione quæ eſt ſub cælo in eam quę ſub cęlo eſt fulget. QUAE ERANT SUPER FIRMAMENTUM. Sic pariter מעל *megbal*, quando ſequitur proxime nomen dativi caſus, ſeu habens a fronte *Lamed*, reſpectum ſeu comparationem importare, ut hic, quæ de ſuper expanſioni, ideſt quæ ſuperius, vel quæ erant ſuperiores expanſioni. Opponuntur enim *mittachat & megbal*.

V. 9. CONGREGENTUR AQUAE. קוה *kavah*, quibuſdam eſt *magno animi deſiderio & propenſione in aliquid intendere, reſpicere, expectare, amplecti, ſibique applicare; ſeu affectari, affectare, apprehendere, intendere, ſeu potius intentum eſſe, circumquaque reſpicere, ac veluti intentum pendere*; proprieque tantum dici de motu & inclinatione animi: voluntque Paulum ἀποκαραδοκίᾳ, ideſt *capite intento contemplor*, reddidiſſe, ut ſit geſtus diligenter intuentium, & avide atque anxie expectantium. Aliis eſt *expectare incumbendo, præſtolatus eſt, congregatus eſt manendo & expectando*. Nonnullis eſt *lineas ducere intenta oculorum acie*, quod eſt proprie Perſpectivæ & Geometriæ: nam ex eo eſt קו *kau, linea, regula, norma*: & quia qui aliquid expectant magno animi deſiderio, ſimiles ſunt menſoribus geometricis, quod animum intentum habeant in rem, tempora, locaque menſurantes, &c. transferri ad eam animi applicationem ſignificandam; in qua ſignificatione frequentiſſime uſurpatur. Noſter *expectare* paſſim vertit; Iob tamen XVII. 13. *ſuſtinere*. Vide infra cap. XLIX. verſ. 18. Unde varie vertunt 1. *Affectabunt, confluent*. 2. *Extendentur*, 3. *Incumbent, propendebunt*. 4. *Colligabuntur, colligentur*. 5. *Intendent, contendent*. 6. *Manebunt, ſuſtinebunt*. 7. *Ratione quadam veluti geometrica circumſcribentur aquæ in loco uno*. 8. *Lineatim tendent*. Nos ad verbum: *expectabuntur aquæ ad locum unum*. Aliene alii: *Excavabuntur aquæ*: nam a *kavah*, Latinum, *cavo*, *excavo*, & *cavum*, factum, quod in cava ſeu cavitates terræ, tunc aquæ ſint infuſæ. Notant, aquas inferiores tunc & condenſatas a Deo; & in magnas terræ cavitates & cuniculos immiſſas nudaſſe terram; inde maria reſultaſſe, & terram in montes & colles aſſurrexiſſe, & ſubſediſſe, quæ prius tota undique cooperta aquis erat. ET APPAREAT ARIDA. Subſtantive aliqui reddunt: *Et videatur, conſpiciatur, appareat ariditas, ſiccitas*, יבשה *iabbeſchah*, ex ſignificato יבשת *iabbeſchet*, quod idem eſt, *ſiccam* interpretor, e Pſalm. XCIV. 5. *Et ſiccam manus eius formaverunt*. *Continentem* nonnulli hic malunt: *Et appareat, extet continens*.

V. 10. CONGREGATIONESQUE AQUARUM. מקוה *mikveh* ſignificare exponunt *collectionem, congregationem, confluentiam, conflugem, colluviem, comprehenſionem, conceptaculum*. Noſter Iſaiæ XXII. 11. & Exodi VII. 19. *lacum* dixit. Nos eleganti Hebraiſmo, *expectationem aquarum*, quod ibi geometrica quadam ratione expectent, detineantur, & ſuſtineant lineas, & terminos quos illis præfixit Deus, veluti divina arte illis locis circumſcriptæ & delineatæ, Iob XXXVIII. 10. 11. MARIA. ימים *iammim*, congruit cum voce מים *maiim aquæ*; nam a multitudine & copia aquarum nomen habet: & cum הים *him* הכם *hamam &* המה *hamah*, quæ *turbationem, fremitum, ſonitum* ſignificant, marique conveniunt: nec abludit a voce תהום *tehom*, de qua diximus verſ. 2. Longius conferunt cum אם *em*, quod ex mari veluti ex matre propagentur variæ ſoboles fluminum, vel quod ſit fecundum. Notum eſt, generaliter ſignificare quamlibet magnam aquarum collectionem & multitudinem, quæ intra naturalia, vel factitia littora ſtantes continentur, Latini nunc *mare*, nunc *lacum*, nunc *ſtagnum*, nunc *paludem*, nunc *piſcinam*, & metaphorice *magnum lebetem*, aut *vas multam aquam continens* ſolent appellare: unde mare erat inter vaſa templi Salomonici. Pluraliter *maria* dixit, quod varia ſint, oceanus, mediterranea, & multiplices ſint ſinus quibus ſe terris infundit.

V. 11. GERMINET. תדשא *tadſche*, *programinabit, progerminabit, pullulabit, herbificabit*. Alii longius conferentes cum אשד *eſched*, *ſcaturiet*, quod in locis paluſtribus & ſcaturiginoſis citius elicitur gramen, aiunt generale eſſe verbum, non tantum ad gramina, herbas, ſeu germina in terra naſcentia, ſed & ad arborum folia,

lia, & pullulos. Alii dici tantum volunt de graminum, & herbarum e terra productione, quando primum nascuntur & promicant. Forma Hiphil hic impetum, luxuriem, & abundantiam germinandi indicat. HERBAM VIRENTEM. Sunt hic duo nomina substantiva, דשא *desche* & עשב *ghesseb*. *Desche* esse docent nomen generale ad gramina, herbas, & arborum folia, quasi sit progerminatio, seu progermen. Alii non tam late patere existimant, sed esse dumtaxat herbam tenellam, seu germen tenerrimum, quod recens oritur antequam adolescat in caulem, quasi dicas herbulam; & significare volunt herbam voluntariam, insativam, sponte nascentem. Universe pro omni terræ virore sumunt. *Ghesseb* vero aiunt generaliter esse herbam quamlibet suo nomine appellatam e terra nascentem. Aliis est herba paulo grandior, quæ produxit germen, & adolevit: unde *herbam*, *gramen*, *virgultum*, *fruticem* interpretantur. Nonnullis est herba sativa proprie, & cultura, vel ex semine suo rursus proveniens. Cum trigesies & semel in Scriptura ponatur, Noster semper *herbam* vertit; nisi Deuter. XI. 15. II. Regum XIX. 26. Psalm. LXXI. 16. Psalm. XCI. 8. Psalm. CI. 5. 12. Psalm. CIII. 14. Psalm. CIV. 35. Psalm. CV. 20. Proverb. XXVII. 27. Isaiæ XXXVII. 27. quibus undecim locis *fenum* reddidit, Deuter. XXXII. 2. Isaiæ XLII. 15. *gramen*. Genes. I. II. & IX. 3. Deuter. XXIX. 23. *virens*. His duabus vocibus coniunctis videtur Moses indicasse, tunc terram mirabili Dei operatione produxisse herbas & virentia nedum tenera & erumpentia, sed perfecta adeo & adulta, continentia iam in se ipsis semen, cum virore tamen & succo. LIGNUM. עץ *ghetz*, *lignum*, vel viride, quod nos arborem vocamus, vel succisum & aridum, aiunt, generale esse nomen ad omnia ligna, arbores, arbusta, frutices quorum caulis altius excrevit, & ramos ex caulice produxit. Quidam conferunt cum עצה *ghatzeh*, *spina dorsi*, quod arbor ramos suos extensos habeat ad formam spinæ dorsi. Sed potius spina dorsi dicta est *ghatzeh*, eo quod ut arbor ramos, ita illa costas extendit, referatque figuram arboris cum ramis suis. Iosue II. 6. *Abscondit eos in linis ligni ordinatis*; idest, sub fascibus, seu struibus linorum quę erant cum caulibus & stipulis: caules linorum appellat lignum, estque hypallage, linis ligni pro lignis lini. Forsan intelligit lina xylina, de quibus Plinius Lib. XIX. cap. 1. GENUS SUUM. מין *min* conditio, qua res aliqua ab aliis generibus distinguitur, quam dialectici speciem vocant. Hic *conditionem*, *speciem*, *genus* licebit reddere: nam genus & species apud Hebræos nonnumquam confunduntur.

V. 12. ET PROTULIT. תוצא *totze*, *exire fecit*, *eduxit*, *produxit*, *extulit*. Coniugatio Hiphil vim, impetum, & luxuriem producendi designat. Tunc enim vi divina fovente & animante cuncta perfectissime & absolutissime terra fundebat. FACIENTEM SEMEN. Hebr. *seminificantem semen*. ET HABENS UNUMQUODQUE SEMENTEM &c. Hæc congeries, & iteratio seminis indicat tunc herbas, arboresque cum seminibus suis & fructibus iam maturis & perfectis productas fuisse.

V. 14. FIANT LUMINARIA. Hebr. *Erit luminaria*. Verbo singulari adiunxit plurale suppositum, ut forsan indicaret, omnia cæli luminaria ab uno maximo luminari sole tamquam a fonte haurire vim luminis. Vel distributive: *fit luminaria*, idest unumquodque ex luminaribus: sic enim loqui solent Hebræi, ut Iosue II. 4. *Accepit mulier duos viros, & abscondit eum*, idest utrumque. Gen. XLIX. 22. *Filiæ incedebat super muro*, idest unaquæque, una post aliam. Prov. IX. 1. *Sapientiæ ædificavit*. Eccli. X. 1. *Muscæ mortis fetere faciet, & exhalare faciet unguentum pigmentarii*. IN SIGNA. אות *oth*, signum generaliter, aliquando prodigium, portentum, ab אתה *atha*, *venit*, quod faciat venire & esse quod indicat & designat: vel quod ventura designet, ac portendat. אותיות *othiioth*, *ventura*, *futura*, Isaiæ XLI. 23. XLV. 11. *In signa*. I. zodiaci, & alia quæ ex situ, & coaptatione stellarum & siderum astrologi observarunt, uti Aratus, Higinus, & alii. II. caloris, frigoris, humiditatis, siccitatis, serenitatis, pluviarum, ventorum, proventus fructuum, vel caritatis annonæ, tempestatum, & eiusmodi. Allusit huc Christus Matthæi XVI. 2. *Facto vespere dicitis: Serenum erit, rubicundum est enim cælum. Et mane: Hodie tempestas, rutilat enim triste cælum. Faciem ergo cæli diiudicare nostis; signa autem temporum non potestis?* Vide Virgilium I. Georgicorum:

---- *solem certissima signa sequentur:*

& quæ

& quæ divine subiungit. III. prodigia, portenta, prognostica, ut bellorum, mortium principum, magnarum mutationum rerum, eversionum imperiorum: hæc enim Dei nutu & providentia solent interdum cometis, figuris, signis in cælo portendi. Adi Virgilium ibidem illis versibus admirandis.

Sol tibi signa dabit: solem quis dicere falsum Audeat?

Innumera horum exempla in annalibus. IV. Aliene quidam: *in miracula*: ut statio solis in Iosue, retrogressio in horologio Achaz, igneæ acies in cælo in Machabæis, stella Magorum in Evangelio, solis obscuratio in Apocalypsi, &c. AC TEMPORA. Menses aliqui interpretantur; alioquin eorum non meminisset Moses. מועדים *moghadim* proprie *stata*, *constituta*, *certa*, *definita*, *condicta tempora*. Quidam reddunt, *in indictiones*. Alii, *in tempestates*, *in collectiones*, nempe dierum, mensium, annorum, festorum. Pauci, *in festa*, *solemnitates*, *ferias*, *stata*: id enim *moghadim* significat, Levit. XXIII. 2. & alibi sæpius. Eccli. XLIII. 7. *A luna signum diei festi*, nempe Neomeniæ. Nec desunt qui, *in constitutiones*: plures, *in stata tempora*, seu *in stationes*. Existimo designari stationes temporum veris, æstatis, autumni, hiemis; item messis, vindemiæ, olivitionis; rursus effloritionis, maturitatis, collectionis fructuum, &c. Hispanicus Interpres, *las sazones*. Psalm. CIII. 19. *Fecit lunam in tempora*. Ad forensia quidam extendunt, ut nundinas, iudicia, iustitias, &c. unde Latinis, *status dies*, qui iudicii causa constituitur. Ad verbum in dativo convertenda hæc erant: *Signis*, *& stationibus*, *& diebus*, *& annis*.

V. 16. UT PRAEESSET DIEI. לממשלת *lememscheleth*, varie exponunt, *ad*, vel *in eminentiam*, *auctoritatem*, *dominium*, *potestatem*, *præfecturam*, *imperium*, *præsidentiam diei*. Quidam, *in umbram*, seu *super eminentiam diei*. Psalm. CXXXV. *Solem ad potestatem in die*; *lunam & stellas ad potestates in nocte*: ubi est eadem vox quæ hic. Ad verbum: *Dominio diei*, *dominio noctis*, in dativo: id est, ut sol esset auctor, præses, præfectus, imperator, dominus lucis diei; & luna noctis. Ieremiæ XXXI. 35. *Dominus*, *qui dat solem in lumine diei*; *ordinem lunæ & stellarum in lumine noctis*. ET STELLAS. כוכבים *cocabim*, a כבה *cabah*, dictas per antiphrasim volunt, quod perennem & inextinguibilem lucem habeant.

V. 17. ET POSUIT EAS. Hebr. *eos*, vel *ea*; nimirum solem, lunam, stellas. UT LUCERENT. להאיר *lehair*, formula Hiphil vim, copiam, & abundantiam simul, & perennitatem lucis ostendit, *ad illuminare*, *illustrare fulgentissima & perenni luce super terram*.

V. 20. PRODUCANT AQUAE. שרץ *scharatz* duodecim tantum locis forte in Scriptura reperitur, & varie a Nostro exponitur. Genes. I. 20. 21. *producere*, Levitici XI. 29. *moveri*, Gen. VII. 21. & cap. VIII. 17. Levitici XI. 41. 46. *reptare*, Genes. IX. 7. *ingredi*, Exodi I. 7. *germinare*, Exodi VIII. 3. *ebullire*, Psalm. CIV. 30. *edere*, id est producere, Ezechiel. XLVII. 9. *serpere*. Conferunt cum verbo רוץ *rutz*, *currere*, ac varie reddunt hic: *Reptificabunt*, *reptilificabunt*, *repere facient*, *gignere*, *crescere facient in multitudine*, *multiplicare facient*, *prolificabunt*, *motabunt*, *erumpent*, *cructabunt*, *æstuabunt*, *ebullient*, *scaturient*, *serpere facient*: atque notant, quando active & transitive ponitur, ac post se accusativum regit, dici de productione in magna copia, seu de multitudine seminis nascentis, ac sese præ multitudine coarctantis, & quasi cursim prementis; & significare vel aquas, vel terram gignere & producere in magna copia motabilia, seu volatilia: ac dici de piscibus, de avibus, de hominibus, & aliis animantibus. Quando vero absolute & neutraliter legitur, esse *motari*, *currere*, *repere*, *reptare*. REPTILE. Vox autem שרץ *scheretz*, nomen est collectivum, seu universitatis, comprehendens generaliter omnia animantia, sive aquatilia, sive terrestria, sive amphibia, sive natatilia, sive volatilia. quæ motitant se, seu cursitant, vel submisse repunt, non elevando pedes, aut quatiendo, seu pulsando & calcando terram pedibus, ut sunt ranæ, mures, mustelæ, testudines, lacerti, crocodili, locustæ, formicæ, muscæ, crabrones, vermes, apes, pisces, & eiusmodi: ut significet omne animal quod super terram non eminet, vel quod pedes non habet, vel saltem breves admodum & parvos, ut potius repere, aut serpere videatur, quam gradi. *Ex scheretz* Latinum *forex* quidam conflatum putant. Hic nonnulli universe exponunt: *Scaturient aquæ scaturitionem*, vel *ebullient aquæ ebullitionem*. Noster *reptile* dicere so-

let. Reptilia vero appellantur quæcumque pedibus carent, aut quæ breves admodum pedes habent, ita ut pedes illis non sint apti ad gradiendum in terra, sed tantum ad rependum. Sunt autem reptilia terrestria, & aquatilia. Animae viventis. Ex verbo, *animæ vitæ*. נפש *nephesch*, hic quidam reddunt: *flatum halitum, anhelitum. Vitæ*, spiritum vitæ, id est reptile, in quo sit spiritus vitalis. Quidam pro corpore, altera parte compositi, in quo est anima, seu halitus vitæ, hic poni volunt; quod Paulus dixit, *Corpus animale*; ut Psalm. civ. 18. *Ferrum venit in animam eius*, ideest in corpus eius. Psalm. cv. 15. *Misit maciem in animam eorum*, idest in corpus eorum; quasi dicat: Producent aquæ reptile corporis animalis vivi. Potius intellexerim omnes facultates animæ sensitivæ, ut toto hoc initio Genesis. Et volatile. עוף *ghoph*, proprie *volucre*, *volatile*, quod se sublevat in aere remigio, & vibratione alarum; quasi dicas, *vibratile*. Heb. *Et volatile volabit super terram*. Quidam aves ex aquis factas censent; alii ex aere. Primis suffragatur Noster qui verbum *volabit* hic omisit. Unde volunt Hebraice subaudiendum אשר *ascher*, *& volatile, quod volabit super terram*. Alii notant. I. Hic aquarum appellatione includi quoque aerem. II. Natantium, & volatilium unam originem, seu materiam ex qua a Mose poni propter cognationem quam inter se habent: nam & aer aquæ consimilis est: ac velut pisces aquam secant motu pinnarum ulterius procedentes, caudæ vero mutatione, cum circumversiones, tum rectos motus sibi ipsis velut temone gubernantes; sic etiam in volucribus videre est, alis simili modo pernatantibus. III. Quod multis avibus & volare, & natare promiscue concessum sit, sicut mergis, fulicis, anatibus, & similibus, quæ ad aquas vivunt: unde hunc locum ita reddunt: *Motabunt copiose aquæ motabile animæ viventis, & volucrem quæ volitet super terram*. Plerique volunt aves ex terra productas, observant que, accentum hic distinctum atnach appositum voci חיה *chaiah*, idest *vitæ*, ostendere, esse alterum membrum, seu hemistychium, aliamque sententiam de avibus, quas ex terra formatas cap. ii. 19. per exegesin dicet. Notant præterea verbum עוף *ghoph* positum hic in futuro Pihel, significatum intendere, ut sit *volitare*, *pervolitare*.

V. 21. Cete grandia. Singulare & plurale תנינים *thannini m*, occurrit in Scriptura vigesies octies, & semper Noster *draconem*, vel *dracones* vertit, nisi his locis. Hic, Iob vii. 12. Isaiæ xxvii. 1. *cetum*, vel *cete*, Exodi vii. 11. *colubrum*, Psalm. xliii. 20. *afflictionem*, Isaiæ xiii. 22. *sirenes* Threnorum iv. 3. *lamias*. Vulgo *dracones* interpretantur; & constat ex Scriptura passim, esse dracones terrestres, & aquatiles seu marinos. Aliqui exponunt animantes stupenda vastitate, & anguinea specie, monstra quæ inveniuntur in utroque genere; ut dracones in volucribus, & aquaticis balænæ, pristes, &c. nam quæcumque anguinea forma sunt, Hebræi appellant hac voce; ut Græci a corporis inflexione eadem appellant, καμπάς. Hic de marinis proculdubio est sermo, nempe de animalibus aquatilibus immensæ magnitudinis. Quidam hic belluas, balænas vastissimæ molis exponunt. Plus quatuor recentiores vidi, qui hic istud affigunt scholion: *Est autem hic notandum quod Plinius Lib. IX. cap. iii. meminit thynnorum, quos ego nomen vetus retinuisse arbitror, & scribit eos magnitudine antecellere balænas, & alios omnes pisces*. Sic illi. Perspicuus & pudendus error. Agit Plinius de multitudine, natura, captura thynnorum, aut thunnorum, quos nos *atunes*, vel *tonninas* vocamus; sed numquam ei in mentem venit eos magnitudine balænas, & alios omnes pisces antecellere. Vide illum Lib. IX. cap. iii. & xv. Ipse non dubitaverim, vocem thynnorum, & Hispanicam *atunes*, vel *tonninas*, ex Hebraica *tannim*, vel *tanninim*, luxatas. Tametsi hic *tanninim*. non proprie thynnos significet, nisi per synecdochen, sed universe omnes maximos pisces, ut balænas, cetos, pristes, physiteres. &c Ego a נין *nin*, thau præposito facile deduxerim, quod marinæ belluæ magis excrescant, prolificent, & propagent, quam terrenæ. Imperitissime quidam hic *phocas*, seu *vitulos marinos*, ut & Threnor. iv. 3. exponunt. Motabilem רומשת *romeset*, participium femineum hic idem est cum significato שרץ *scharatz*, de quo diximus vers. præcedenti, ut רומשת capiatur hic pro שורצת *schoretzeth*, id quod indicat verbum שרצו *scharetzu*, proxime sequens; nisi forte intelligat quis ea etiam

aqua-

aquatilia quæ pedibus sublatis calcant & gradiuntur, ut pisces aliqui, fibri, latriæ, hippotami, &c.

V. 22. Benedixitque eis; idest, locupletavit, fortunavit, auxit, multiplicavit ea; naturalem potentiam ad fecunditatem eis indidit; vim, abundantiam, copiam gignendi, propagandi, conservandi contulit eis; ea in suo statu & conditione beavit, ut nihil ad eorum perfectionem, & reliquas naturæ facultates desideraretur. Hanc esse vim verbi ברך *berech*, cum de Deo dicitur, ac præsertim hoc loco res ipsa, ac verba proxime sequentia indicanr per exegesin. Sic vers. 28.

V. 24. Iumenta. Singulare, sed collectivum בהמה *behemah*, quando iungitur cum nomine חיה *chaiah*, ut hic, aiunt significare mansueta, domestica ac cicura animalia, quæ ratione carent, & hominum arbitrio reguntur, illisque in multiplices usus inserviunt, uti ad esum, ad arandum, vehendum; quæ sarcinas gerunt, currus, aut aratra trahunt, ut equus, asinus, bos, camelus, aries, &c. nec tamen sunt aut volatilia cæli, aut reptilia terræ, *iumentum* communiter exponunt. Quidam hic maioris staturæ, ac roboris animalia interpretantur. Alii species animantium quæ herbas comedunt, sive silvestria sint, sive domestica, significari putant; quasi dicas, *herbivora*. Bestias. חיה *chaiah* iunctum cum בהמה *behemah*, ut hic, tradunt esse *feras*, quæ tamen sint quadrupedes, & alte super terram pedibus gradiantur, nempe animalia silvestria, in quibus est magna vivacitas. Alii animalia carnivora, & minoris staturæ quam *behemah*; modo non sint volatilia cæli, aut reptilia terræ, ut leones, lupi, tigrides, &c. Vau paragogicum hic in חיתו *chaieto*, indicat vel multitudinem, vel perfectionem, vel magnam feritatem animantium carnivororum.

V. 26. Hominem. אדם *adam*. hic proprie nomen est speciei humanæ, atque specivoce utrumque sexum complectitur, ac universe & generaliter hominem significat collective, unde ei mox verbum plurale adiungit hoc eodem versu: *Et præsint*, vel *dominentur*. Ad imaginem. צלם *tzelem*, imaginem alterius rei primariæ, quasi umbram, seu adumbrationem corporis, vel rei alterius primariæ proprie significare aiunt. Equidem imaginem poni pro umbra, Psal. xxxviii. 7. *In imagine pertransit homo*, id est tam facile ut umbra, norunt omnes: ut sit simile illis Psalm. ci. 12. *Dies mei sicut umbra declinaverunt*. Psal. cviii. 23. *Sicut umbra cum declinat, ablatus*. Possit quis hic, *in imagine nostra*, seu *umbra nostra*, interpretari sub protectione, favore, & defensione nostra, ut illud Maronis XI. AEneidos:

magnum Reginæ nomen obumbrat:

idest tuetur, defendit. Et similitudinem. דמות *demuth* proprie *similitudinem*, *conformitatem*, *assimilitudinem* exponunt. Alii *imaginationem*, *cogitationem*, *imaginem formatam in mente ad similitudinem rei cogitatæ*, quasi domationem, quod דמם *damam*, *domare* interpretentur; ut sit rem effingere, domare, subigere, in omnibus conformem, similem, acquiescentem cogitationi domantis, reddantque: *Faciemus hominem in imagine nostra, secundum imaginationem nostram*; idest quemadmodum cogitavimus. & imaginari sumus, qui nos referat tamquam imago nostra, sicuti eum mente formavimus; qui re ipsa exprimat eam imaginem quam mente concepimus: sicuti solent artifices manu formare imaginem, quam prius mente finxerunt. Possis vertere: *Faciemus hominem in imagine nostra, sicut, tamquam, imaginationem nostram*; quasi velit, hominem propriam, singularem, eximiam præ ceteris aliis creaturis fuisse divinæ mentis cogitationem, imaginationem, artificium, divinum & mirabile opus. Alii textus cum *Beth* utrobique legunt: *Faciemus hominem in imagine, & in similitudine nostra*. Pessime quidam: *Secundum simulacrum nostrum*. Nonnulli volunt geminationem duorum vocabulorum prope synonimorum imaginis & similitudinis augere significatum usu linguæ, & maximam similitudinem indicare; ac si diceret: Faciamus hominem nobis quam simillimum, ut quantum fieri potest accedat ad naturam nostram. Sic vers. sequenti reperit eamdem vocem. Imaginem & similitudinem Dei varie hic explanatores elucidant. Nos simplicissime in naturalibus & supernaturalibus constituimus, in intellectu, mente, voluntate, libertate arbitrii, in sanctitate, iustitia, gratia, beatitudine, aliisque donis. I. Corinth. xi. 7. *Vir quidem imago & gloria Dei est*. Iniecta mihi suspicio, ne quod hic Deus *similitudinem* vocat, Paulus *gloriam* sit interpretatus: concinat-



cinatque illud I. Ioan. III. 2. *Quum apparuerit similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est*. Coloss. III. 10. *Qui renovatur in agnitionem secundum imaginem eius qui creavit illum*. II. Corinth. III. 18. *Nos vero omnes revelata facie gloriam Domini speculantes in eamdem imaginem transformamur a claritate in claritatem tamquam a Domini spiritu*. Ephes. IV. 23. *Induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est, in iustitia, & sanctitate veritatis*. Recte fere omnes observant, verbum & pronomina pluralia *Faciemus*, *nostra*, mysterium sacræ Triadis innuere: nullum enim alium in consortium creationis admisit Deus. Et praesit. ירדו *iirdu*, plurale proprie: *& dominabuntur*. Notant verbum רדה *radah* significare *potestatem habere, iure uti, ius & dominium exercere in personam, aut rem subiectam & inferiorem, subiicere sibi aliquid, subiugare, dominatum, imperium sumere in personam seu rem alienam, extendere, expandere auctoritatem in subiectos, imperio deducere*. Latini dicunt *capessere imperium*: unde per verbum dominandi, regnandi reddi solet. Quidam: *Subiugabunt, subiicient*. Non displicet quod alii observant, si ירדו *iirdu* est a רדה *radah* esse, *dominabuntur*: si a ירד *iarad* vicina & cognata radice, esse *descendent, dimittentur, deponentur* e dominio & potestate ad inferiorem conditionem, servitutem, & subiectionem; quasi dicat: Si homines præcepto Dei paruerint, sanctitatemque & iustitiam conservaverint, imperabunt cunctis creaturis sublunaribus: sin vero, imperio decident, & bestiis erunt pares. Psalm. XLVIII. 15. *Homo cum in honore esset, non intellexit; comparatus est iumentis insipientibus. & similis factus est illis*.

V. 27. Masculum. Recte notant זכר *zachar*, dictum marem, masculum, quod sit recordatio, memoria, monumentum generis; quod in catalogo genealogiarum & in numerationibus eius fiat mentio ac recordatio, non feminarum; quod nomen & memoriam familiæ conservet; quod sit prior creatione, natura, aliisque prærogativis & donis ipsi feminæ; quod sit imago & gloria Dei, ut Paulus inquit I. Corinth. XI. 7. atque pro genere seu sexu masculino & virili, ut digniore & qui in memoriam in historiis ingrediatur, hic accipi. Feminam. נקבה *nekebah* dici volunt quasi perforatam, pertusam, excisam; vel potius, consentiente voce Latina, cavatam, seu excavatam, aut caveam, sive cavernam; nimirum propter uterum, ventrem, matricem sexum excisum, excavatum; ac si Latine femina diceretur a feminibus, membro scilicet genitali sexus feminei: ad quam nominis etymologiam respexisse aiunt Isaiam LI. 1. *Et ad cavernam laci de qua præcisi estis*; ubi Saram, seu eius uterum caveam, seu cavernam appellat.

V. 30. Animantibus. חיה *chaiah*, hic ubi seorsim ponitur, nec adiungitur בהמה *behemah*, generaliter sumi volunt pro omni animali irrationali, sive magno, sive parvo, sive domestico & cicuro, sive fero & silvestri, sive herbivoro, sive carnivoro, quod tamen pedibus alte gradiatur super terram, nec sit volatile cæli, aut reptile terræ, ut includat in se etiam *behemah*. Universe *vivum*, *animal*, *alogon*, *& quadrupes* interpretantur. Eodem modo capitur *behemah* cum non habet adiunctum *chaiah*, ut vers. 26. & comprehendit in se *chaiah*, Vide vers. 22. Ut habeant ad vescendum. Ponitur hic ירק עשב *ierek ghesebb*: & vox quidem *ierek* sexies tantum in Scriptura legitur. Noster Genes. IX. 3. & Psalm. XXXVI. 2. *olera*. Exodi X. 15. *virens*. Isaiæ XV. 6. *viror*. Numeror. XXIV. 4. *herbas*. Hoc loco interpretari omisit. Aiunt, esse sputum, seu expuitionem terræ viridis quam terra, seu arbor expuit, & excreat: *virorem*, *humorem*, *sputum* herbæ hic exponunt.

V. 31. Valde bona. Hebr. *bonum validum*. Notant, מאד *meod* nomini adiectivo appositum, etsi adverbialiter transferatur, tamen ex positivo facere superlativum, *bonum valde*, id est optimum. Dies sextus. Sexto præfigitur articulus emphaticus *He*, qui tamen in aliis diebus non præponitur, ut indicaret hunc diem fuisse in quo omnia perfecta, consummata, & absoluta fuere creato tandem homine.

MENOCHII.

Vers. 1. In principio, idest in primordio seu initio non æternitatis, nec ævi, sed temporis. Creavit, ex nihilo. Caelum, empyreum, quod S. Paulus vocat tertium cælum. Et terram, globum terræ, cum aquarum mole terræ infusa, & superfusa, seseque porrigente usque ad cælum empyreum.

V. 2.

V. 2. TERRA AUTEM ERAT INANIS ET VACUA: vacua hominibus, animantibus, plantis, &c. TENEBRAE: non lucis privatio, nam lux postea creata, sed luminis defectus, obscuritas, caligo. ABYSSI. ἄβυσσοι Græcis est, quod fundo caret, vel ad cuius fundum penetrari non potest. Abyssum autem vocat totam illam molem terræ, & aquæ. SPIRITUS DEI, Spiritus Sanctus. FEREBATUR SUPER AQUAS: fovebat, incubabat aquis, vitali infuso calore prolificam vim aquis largiebatur. Vox Hebræa מרחפת *merachephet* est volucrum dum super ova, & pullos quasi pendulæ volitant, deinde iis incubant, calorem aspirant, fovent, & animant.

V. 3. FIAT LUX. Lux hæc videtur fuisse corpus lucidum quod in tenebris illis fulgeret. Fortasse nubes lucida, ut Exod. XIV. 19. Deut. I. 33. Sunt qui putent fuisse solem informem adhuc & imperfectum: ita multi.

V. 4. LUCEM QUOD ESSET BONA. Vox Hebræa תוב *tob* significat bonum, pulchrum, iucundum, utile, commodum. DIVISIT LUCEM A TENEBRIS: divisit loco: nam dum apud nos est lux, apud antipodas est nox, & tenebræ. Secundo tempore, quia sibi succedunt. Tertio causa, nam causa lucis est corpus lucidum, tenebrarum vero corpus opacum.

V. 5. APPELLAVITQUE. Non sic Deus locutus, sed sancivit ut hæc rebus convenientia nomina Adam imponeret, & iis posteri uterentur. LUCEM DIEM: nam lux illa ita ferebatur ut nunc sol, distinguens dies ac noctes. VESPERE ET MANE. Circa meridiem hæc lux creata: exin de suo motu vesperam fecit, noctem & mane sequens. DIES UNUS, dies primus, phrasi Scripturæ: sic *una sabbati* apud D. Ioannem xx. primam hebdomadæ diem significat.

V. 6. FIRMAMENTUM. רקיע *rakiah*, quæ vox proprie, & ut plurimum significat *expansionem*, seu *extensionem*, eam maxime quæ extensione ipsa corpus fluidum firmat, solidatque. LXX. στερέωμα. Complectitur autem firmamentum cælum stellatum, omnesque orbes cælestes illi vicinos tam inferiores, quam superiores usque ad empyreum; immo complectitur etiam aerem vicinum a cælo in terram expansum, & suo loco quasi firmatum. IN MEDIO, non mathematico, sed rudi minerva sumpto. DIVIDAT AQUAS AB AQUIS: aquas veras, & naturales quæ sunt proxime sub cælo empyreo, ab istis aquis inferioribus. Ita Patres.

V. 8. VOCAVITQUE DEUS FIRMAMENTUM, CAELUM. Cæli nomen merito tributum firmamento, quia huius firmamenti maior & melior pars sunt cæli.

V. 9. ARIDA, terra: dicitur autem arida, quia quæ prius limosa, & aquis cooperta, nunc fuit ad congruam siccitatem perducta.

V. 10. VOCAVIT DEUS. Vide supra num. 5. TERRAM. Hebraice ארץ *erets* a radice רצץ *rajats*, id est calcare, ut apud Latinos terra a terendo. CONGREGATIONES AQUARUM. Multarum aquarum receptacula vocantur maria, ab Hebræis etiam stagna, & lacus. APPELLAVIT MARIA. Vide supra num. 5.

V. 11. GERMINET TERRA: materiam suppeditet germinationi: nam terra dumtaxat passive hac vice, Deus solus active, & efficienter germina produxit. HERBAM VIRENTEM. Ex Hebræo significatur omne genus herbarum & plantarum. Dicit *virentem*, non coloris tantum significandi causa, sed vigoris etiam & succi. LIGNUM POMIFERUM, idest *arborem fructiferam*, ut habent Hebræa. Pomum ergo ponitur pro quovis arborum fructu. *Lignum* dicunt Hebræi pro arbore. CUIUS SEMEN IN SEMETIPSO SIT: quod sibi simile gignendi vim habeat per semen quod habet in semetipso, puta in suo fructu, vel folio, vel radice, vel ramis.

V. 12. PROTULITQUE TERRA. Illo ipso quo Deus iussit momento terra omnes plantarum species, easque adultas, & cum fructu mature produxit. Basil. Ambros. & alii.

V. 14. DIVIDANT DIEM AC NOCTEM. Sermo est de artificiali die; & hac rudi minerva proponuntur, quasi luna noctem adducat, sicut sol diem; cum sol utriusque causa sit, diei præsentia sua, noctis absentia sua a nostro hemisphærio. IN SIGNA: non vana iudiciariorum, sed naturalia prognostica pluviæ, serenitatis, gelu, ventorum &c. Secundo in signa serendi, plantandi, metendi, navigandi &c. Tertio In signa temporum, dierum scilicet, men-

mensium, annorum, qui solis cursu describuntur.

V. 16. DUO LUMINARIA MAGNA. Luna minor est omnibus astris excepto mercurio; vocatur tamen luminare magnum, quia nobis propter vicinitatem maior sideribus videtur; & quia maiore vi, & efficacitate pollet quam stellæ. PRAEESSET, lucis principatu: nihil sole interdiu, nec noctu luna, astrisque splendidius.

V. 20. PRODUCANT AQUAE REPTILE, ET VOLATILE: nam tam pisces, qui reptilis nomine significantur, quam aves ex aquis creatæ. Vocantur autem pisces reptilia, quia carent pedibus, & ventre incubant aquis, quasi repentes.

V. 21. CETE GRANDIA. Vox Hebræa תנינים *thanninim* significat dracones, & omnia ingentia animalia tam terrestria, quam aquatica, cuiusmodi sunt balenæ, quæ sunt quasi dracones aquatici. VIVENTEM, ATQUE MOTABILEM. Coniunctio *atque* vim habet explicandi id quod præcessit. Significat Moyses se vocasse animam viventem quodvis animal quod natura, seu ab intrinseco præditum est vi se movendi. IN SPECIES SUAS, iuxta species suas. SECUNDUM GENUS, hoc est secundum species suas.

V. 22. BENEDIXITQUE EIS. Dei benedicere est benefacere: benefecit autem Deus piscibus, & avibus, cum eis dedit appetitum, & potentiam generandi sibi simile. CRESCITE, numero scilicet, non mole corporis. MULTIPLICAMINI, ET REPLETE AQUAS MARIS. Sane piscium summa est copia. SUPER TERRAM: quia volucres in terra nidificant, prolificant, & somnum capiunt. IUMENTA, ET REPTILIA, ET BESTIAS TERRAE. Iumenta sunt animalia domestica, & mansueta; reptilia dicuntur quæcumque non sunt gressilia, sed repentia, vel saltitantia; bestiæ terræ omnia reliqua animantia, præsertim quæ fera sunt θηρία.

V. 26. FACIAMUS. Mysterium Trinitatis indicatur, quia non alloquitur Angelos, quorum ministerio in creatione Deus nec eguit, nec usus est. HOMINEM. אדם *Adam*, quod non est proprium uni homini, sed commune nomen toti speciei. IMAGINEM, ET SIMILITUDINEM. Totus homo est imago Dei, sed non ratione corporis, verum ratione intellectus, & voluntatis; ideo hæc imago vere spiritualis est, eaque duplex: una naturalis, altera supernaturalis. Naturalis seu essentialis vocatur, qua homo est animal intellectu, & libero arbitrio pollens, qua dignitate gradum naturæ supremum, in quo sunt mentes cælicæ, attingit. Supernaturalis imago, seu accidentalis in gratia, & iustificatione consistit, quæ demum in gloria plane solidabitur, perficieturque. Nihil autem diversum significat imago a similitudine, quia sacra Scriptura de hac re loquens promiscue hisce vocabulis utitur, aliquando utrumque vocabulum coniungens, ut hic, & Genes. v. 3. aliquando alterum solum ponens, ut Genes. v. 1. & Genes. IX. 6. & ad Coloss. III. 10. In corpore vero hominis proprie non est imago Dei; sed tamen in eo relucet quodammodo, quatenus corpus est imago mentis. PRAESIT. In Hebræo est, vox pluralis numeri, *præsint*, tam scilicet Adam, quam Eva.

V. 27. MASCULUM, ET FEMINAM CREAVIT EOS: non simul, sed successive. Non ergo Adam hermaphroditus, quod quidam hæreticus ausus est dicere. CRESCITE, ET MULTIPLICAMINI. Vide supra num. 22. His verbis benedictio continetur, non præceptum singulis hominibus datum de prole procreanda. SUBIICITE EAM: habitationi vestræ, domitis, aut pulsis feris, idoneam facite.

V. 28. ECCE DEDI &c. id est do, attribuo. Homines usque ad diluvium herbis, fructibusque contenti, carnibus, ac vino abstinuerunt, non peculiari aliquo mandato prohibente, sed nonnulla religione inde nata, quod Deus usum carnium, & vini nondum diserte concessisset, ut postea carnis concessit, Genes. IX. 2.

V. 29. LIGNA, arbores pomiferas.

V. 30. IN QUIBUS EST ANIMA VIVENS: quæcumque aliquo sensu sunt prædita, etiam solo tactu, ut quædam vilissima saxis adhærentia.

V. 31. VALDE BONA, idest optima: carent enim Hebræi superlativo, & pro eo utuntur nonnumquam additamento huius vocis, *valde*.

TI-

TIRINI.

Verſ. 1. IN PRINCIPIO, univerſitatis rerum , ſeu temporis, ut exponit S. Baſilius *a* , Ambroſ. & *b* Concilium Lateranenſe , nempe primo temporis momento : ante omnia alia creata , inquit S. Auguſtinus. CREAVIT, id eſt ex nihilo produxit . DEUS, eſſentia unus , ſed perſonis trinus (& hoc innuit Hebræum plurale nomen *Elohim*) Pater , Filius , & Spiritus ſanctus . Ita Magiſter Sententiarum, Lyranus, Galatinus, & Doctores alii contra Caietanum, & Abulenſem. *Creavit*, inquam , CAELUM, id eſt extimum totius univerſi ambitum, ſeu orbem , quem cælum empyreum vocamus . Ita iidem Doctores cum Diodoro Tharſenſi *c*, Theodoreto , Alcuino , Rabano & Beda . *Creavit* autem non vacuum , ſed cæleſtibus incolis plenum, nempe ſpiritualibus ſubſtantiis, quas Philoſophi *intelligentias*, Scriptura *Angelos* vocat . Ita definit iam Concilium dictum Lateranenſe, Angelos non ante, neque poſt mundum, ſed ſimul cum mundo creatos eſſe . Creatos utique ut numero , ita & perfectione atque ornatu maximo , ſeu naturalia ſpectes , ſeu ſupernaturalia dona . Carebant tamen initio lumine gloriæ, nec videbant eſſentiam divinam: volebat enim Deus ut gloriam illam, quaſi bravium, a divino agonotheta propoſitum, exercitio virtutum fidei, ſpei, caritatis promererentur, ſibique compararent qui & quotquot vellent. Et quidem voluerunt ac promeriti ſunt plerique ; atque hoc ipſo primo mundi die æterna gloria donati. Non pauci tamen ſiniſtris affectibus ſuis & φιλαυτίαις pluſculum indulgentes (quam ob cauſam, & qua ratione vide apud Molinam *d* , & alios Scholaſticos) duce Lucifero rebelles facti Deo , & in rebellione pertinaces eodem illo primo die e cælis detruſi ſunt in infernum , quem ſub idem tempus ipſis in centro terræ cum ſuo igne & ſulphure Deus apparavit. Unde quod hic ſubditur ver. 3. *Fiat lux*, & ver. 4. *Diviſit Deus lucem a tenebris* , quam lucem Doctores ad litteram explicant fuiſſe non in ſole (qui quarto demum mundi die creatus eſt) ſed in alio corpore ſubcæleſti , ceteris univerſi partibus lucidiore, quod primo mundi triduo 24. horis, eodem modo quo nunc ſol , utrumque hemiſphærium circumgyrabat & illuminabat , & ſic diem viciſſim, ac noctem conſtituebat; & e quo poſt triduum in partes diſſecto, compacto, & compreſſo , ac velut in igneos globos conflato fabricata ſunt ſol , luna , & aſtra reliqua: Hugo Victorinus *e* allegorice de Angelis exponit : *Quod* , inquit , *agebatur in mundo ſenſibili*, *imago erat eorum quæ in intelligibili agebantur* : *nam ſicuti primo die Deus diviſit lucem a tenebris* , *ita tunc ſimul Angelos a dæmonibus*, *gratiam a peccato* , *gloriam a pœna* , *cælum ab inferis diſpeſcuit*.

V. 2. SPIRITUS DEI FEREBATUR SUPER AQUAS. *Spiritus Dei* , id eſt ventus , inquiunt Hebræi antiquiores , & Tertullianus, *f* & Theodoretus. Sed melius S. Baſilius , Hieronymus , Chryſoſtomus , Auguſtinus , & pene omnes Patres Græci, & Latini , & recentiores Rabbini, quos citat Aſcanius *g* Martinengus , & Martinus *h* Delrio ; Tremellius etiam, & Iunius, aliique hæretici id exponunt de Spiritu ſancto, qui *ferebatur ſuper aquas* . Hebraice inſtar volucris dum ova excludit , *incubabat aquis* , non motu locali , ſed voluntate ſua, & potentia divina, qua illas fecundabat, calorem quaſi vitalem aſpirans, vim ſeminalem ac prolificam indens, & aptas procreationi reddens, ut inde mox, obſtetricante eodem Spiritu , & *piſces* , & *germina*, & *aves*, quin & *cæli* producerentur : nam ut ſequitur:

V. 7. FECIT DEUS FIRMAMENTUM, ſeu orbes omnes cæleſtes, IN MEDIO AQUARUM, utique & *ex medio aquarum* , ſeu ex vaſta illa *abyſſo* & mole aquarum quibus totum ſpatium a terra uſque ad cælum empyreum complectebatur . Nam partem aquarum, inſtar cryſtalli , conglaciando, & ut æs fuſum conſolidando, *cælos* efformabat , reliquis *aquis* naturæ ſuæ relictis, ſubrilioribus quidem *ſupra cælos* , craſſioribus *ſub cælis*: quas mox partim in *aera*, & ſi quis ſupra *aera* ſit *ignis*, convertit ; partim in *maria*, & *flumina* , & ſubterraneas *abyſſos* diſtribuit.

An ergo naturales, & noſtris ſimiles *aquæ* ſunt *ſupra cælos* proprie dictos ? Ita affirmat pluribus locis *i* S. Scriptura ; ſed hic *k* omnium clariſſime, ubi non tantum ſupra cælum , quo nomine forſan aer intelligi poſſet , ſed & *ſupra firmamentum* , in

D quo

quo *sol*, *luna*, & *stellæ* sunt, *aquas* statuit. Neque alias sane aquas quam quæ & quales primo die orbis conditi, totum intervallum inter cælum empyreum & terram occuparant, & quas secundo die firmamentum ex iisdem productum, a se mutuo separarat. Sola vero separatio alicuius totius homogenei non potest efficere, ut pars altera naturam mutet, aut in aliud genus transeat. Ita S. Augustinus, & fere omnes Sancti Patres, & plurimi Doctores *l*, quorum aliqui volunt *aquas* illas *supra cælos* relinqui, & divina virtute incorruptas servari, partim ad ornatum universi, partim ad præripiendum nobis adhuc exulibus prospectum cæli empyrei ceteroquin splendidissimi, & sole nostro lucidioris. Plura de his aquis vide Psal. CXLVIII. 4. De abysso vero subterranea, Eccle. 1. 7.

V. 26. FACIAMUS HOMINEM AD IMAGINEM ET SIMILITUDINEM NOSTRAM. Hebraica hendyadi, id est ad imaginem nobis simillimam. Alloquitur Deus Pater Filium suum, & Spiritum sanctum eiusdem secum naturæ, potentiæ, operationis. Quare ex hoc loco (ubi inducuntur in uno Deo plures personæ agentes, sed per unicam agendi potentiam, & actionem) colligunt Patres mysterium trium personarum SS. Trinitatis; & tam illius, quam divinitatis imaginem, æquivocam quidem, sed veram, in homine agnoscunt, non secundum corpus, nisi improprie & remote, quatenus in corpore præstantia animæ elucescit, v. g. in vultu, in erecta statura; sed secundum animam, in qua duplex est imago Dei. Una naturalis & essentialis homini, quæ nullo casu, nullo peccato deperditur: hæc consistit in ipsa animæ substantia & potentiis, præsertim in mente, in libertate arbitrii, in dominio, &c. Nempe sicut Deus est ens incorporeum, spirituale, indivisum, immortale, est eminenter omnia, totus præsens in toto, totus in qualibet parte universi, intellectu producens Verbum, voluntate amorem divinum, est auctor, dominus, finis omnium, est liberæ electionis & arbitrii, est invisibilis & incomprehensibilis, tamen omnia regens, vegetans, sustentans; ita suo modo, & in suo ordine est, & in corpore agit anima hominis. Altera imago est supernaturalis, & accidentalis homini, & consistit in gratia iustificante, qua, teste S. Petro, II. Epist. 1. 4. anima *consors* fit *divinæ naturæ*. Hæc imago, quoties mortaliter homo peccat, prorsus deperditur ac deletur; sed eodem pœnitente, tota redditur atque instauratur. *m*

V. 28. CRESCITE, ET MULTIPLICAMINI. Non est præceptum, ut somniant hæretici; sed his verbis *benedixit illis Deus*, inquit hic Moses. Et v. 22. eadem verba dixerat Deus *piscibus*, & *avibus*, quæ non sunt capaces præcepti. Hac vero benedictione virtutem illis indidit prolificandi, & simile sibi procreandi.

Quo die, quo mense, quoto ante Christum anno creatus sit mundus, dixi in Chronico, cap. VII. IX. & XLVII.

(*a*) S. Basil. & Ambros. homilia 1. Hexameron.
(*b*) Cap. firmiter. Aug. lib. 1. de Genesi ad litt. cap. 1. Magister in 2. distinct. 1. & alii.
(*c*) DD. ibid. Diod. Tharſ. in Catena.
(*d*) Molina in 1. p. de Opere sex dierum, & Schol. ibid.
(*e*) Hugo de Sacram. p. 1. cap. 10.
(*f*) Tertull. contra Hermog. cap. 32.
(*g*) Martinengus tom. 1. Catenę in Genesin.
(*h*) Delrio, & alii hic.
(*i*) Daniel. III. v. 59. & Psal. 148. v. 4.
(*k*) Genes. 1. v. 7. 16. 17.
(*l*) Quos contra Calvinum aliosque Sectarios citant, & sequuntur Corn. a Lapide, Delrio, Iac. Bonfrerius in suis Coment. in Genes. & Iac. Salianus initio suorum Annalium.
(*m*) Fuse hæc tractat Bellarm. tom. 4. de gratia primi hominis, & DD. Scholastici.

GORDONI.

Vers. 1. HUnc locum de mundi initio explicat satis Psal. XXXII. 6. *Verbo Domini cæli firmati sunt*, & *Spiritu oris eius omnis virtus eorum*. Sane contra Philosophos, Chaldæos, & AEgyptios, qui vel æternitatem mundi dant, & sine principio, quod multis videtur impossibile; vel nimis multa annorum millia excogitarunt, quæ ipsi nec dinumerare possunt, nec ullo scriptore, vel aliter ostendere. Sunt vero (ut theologica etiam ratione utar) divinæ Scripturæ evidenter credibiles; ac proinde obligant nos ad credendum quod de mundi initio credit Ecclesia. Certe ex Psal. XCIX. *ipse fecit nos*, & *non ipsi nos*. Sed iam de singulis.

בראשית ברא *beresit bara*, ἐν ἀρχῇ ἐποίησεν, hoc est, IN PRINCIPIO, seu initio, non quidem æternitatis, caret enim æternitas principio, nec etiam ævi; sed in principio rerum; immo ante initium temporis, seu duratio-

rationis mundanæ, nempe in illo momento quo Deus cælum & terram ex nihilo produxit; quando nec motus cælorum erat, nec proinde tempus, quod vocant extrinsecum; nec etiam eius instans extrinsecum, unde dicitur tempus incipere. Designabit ergo *τὸ in principio* ad summum principium durationis intrinsecæ in rebus tunc creatis; ac proinde idem fere est ac si dicas, ante cetera omnia. Atque ex his iam apparet, mundum non esse ab æterno, cum detur durationis initium. At cur non in alio momento? Sane Deus se, ut ostendit bonum, & potentem, ita etiam liberum: creavit enim quando voluit. Mox primus dies numeratur: (an potuerit mundus esse ab æterno aliud est.) Sic vero per dies aliquot in prima mundi constitutione, seu sex dierum spatio Deus cælum, terram, ceteraque cæli ambitu contenta efformavit; non autem omnia in momento, ut infra dicam cap. II. I. & ut bene explicant Basilius, Ambrosius, & Augustinus; immo & Lateranense Concilium ex cap. *firmiter*, de Summa Trinit. Sane quidem citati Patres alio etiam sensu per principium intelligunt Filium, Ioan. I. *Omnia per ipsum*. Verum cum opera extra Deum sint indivisa, ita rerum productio tribuitur Verbo, ut Pater, & Spiritus sanctus a rerum creatione non excludantur. Indivisa, inquam, sunt opera, quia ut una voluntas, ita est una operatio. Aliud quippe est attribui Filio ratione sapientiæ, aliud vero excludi personas alias.

Est porro iam laudata explicatio, idem esse *τὸ in principio*, ac si dicas, ante omnia: ex quo verborum sensu efficitur, Angelos ante mundum, & primas res alias conditas non esse creatos. Et vero Angelos simul cum corporea creatura conditos esse, definire satis clare videtur Concilium Lateran. sub Innocentio III. citato cap. *firmiter*, fere initio. In cælo, inquam, empyreo, cuius sunt incolæ: & hoc quidem de loco. At quo tempore? Sane simul cum hoc cælo, quod est magnum initium mundi corporei, dicto cap. *firmiter*. Et quia ex nihilo, certe cum rebus ex nihilo factis, ut ait S. Thomas. Denique, ut omnia colligam, neque est ab æterno mundus, quod finxit Plato; nec materia est coæterna Deo, ut putarunt qui certum ponebant, ex nihilo nihil fieri; nec Angeli diu ante mundum sunt, ut alii voluerunt. Quid vero ex his sit in instanti creatum, quid aliter productum, dicet initium capitis secundi.

Creavit Deus certe aliqua, saltem cælum empyreum, & terram, ex nihilo: nam, ut taceam de Patrum, & Ecclesiæ sensu, vox ברא *bara*, proprie Deo competens, talem designat hic productionem, quamvis alioqui ברא plura, & inter se diversa significet; idque vel ex hoc quia nulla ante hoc cæli initium præcessit materia. Immo quicquid sit de his vocibus, ברא, creavit, & *ἐποίησε*, in rigore propriæ significationis, an significent creationem ex nihilo; certe ut coniunctæ cum prioribus verbis his, *In principio*, hoc est ante omnia, belle exprimunt productionem ex nihilo, & non ex ulla præcedente materia; quo etiam sensu nunc a Theologis usurpari solet, absolute loquendo, vox *creatio*. Quod hic dicitur, אלהים *elohim* creavit, proprietas linguæ huius est utentis numero multitudinis pro singulari, אלוה *eloach*.

CAELUM ET TERRAM. Omitto quod aliqui per hæc verba intelligant solos Angelos, & materiam primam. Non est probabile. Alii per cælum intelligunt omnes orbes cælestes; per terram vero quatuor elementa; & hoc totum esse opus primæ diei, adiectis per insequentes dies astris, motu, & Angelis motoribus. Probabilius est aerem & ignem exiisse, ut dicam, die tertio. Placet vero eorum sententia qui nomine cæli intelligunt solum empyreum, sedem nempe beatorum; & nomine terræ totam terræ molem; & præterea abyssum, quæ est illa aquarum moles occupans spatium ab empyreo ad terram, & ex qua abysso, sive aquarum congerie partim condensata, partim extenuata Deus effecit insequentium dierum opera aliquot, præsertim firmamentum, orbes cælorum, astra, aerem, & ignem (nam c. II. 19. iumenta ex humo sunt) quod illis favet satis qui eamdem dicunt esse materiam cælorum, & sublunarium. Vide cap. II. I. de primo hoc momento, ad quod iam revocavi creationem Angelorum. De hac prima cælorum creatione vide Molinam, Tract. de Opere sex dierum.

V. 2. TERRA AUTEM ERAT, &c. Describit historicus noster Moses chaos, & statum nascentis mundi primum. *Terra*,

ra, inquit, *desolatio erat*, *& vacuitas*: תהו *thohu*, & *bohu*, hoc est desolata & vacua; nomen formæ pro subiecto, seu concreto: nam תהו *thohu* est inanitas. Vide rad. תהה. Abstractum ponitur ad indicandum summam inanitatem. Aqua porro tenebrosa erat, turbidaque admixtione terræ, ET TENEBRAE SUPER FACIEM ABYSSI, nec eam illuminabat empyreum: forte quia in parte concava non erat lucidum. Demum Spiritus Domini super aquas agitabatur, motabat, incubabat. מרחפת *merachephet*, participium femin. in Pihel, radix רחף. Patres Spiritum sanctum intelligunt: & placet iste sensus; nempe instar avium incubabat aquis, quadam leni veluti aura vim conferens ad procreationem. En interim chaos imperfectum illud ad quod alludunt poetæ. Denique in textu, SPIRITUS DEI, est in Sixtina editione. Sane in Hebræo non est Adonai, sed *Elohim*, quod solet reddi Deus.

V. 3. DIXIT DEUS: FIAT LUX. Solem hic aliqui intelligunt. Alii cum Gregorio Nysseno ignem, seu quartum elementum, ne dicant repetitam, & bis fuisse solis creationem, qui a quarto die accepit exordium. Huius sententiæ auctores volunt hunc ignis globum instar typhonis rotatum effecisse diem; & hac lucis vicissitudine ante solem conditum, aliquot huius sacri septenarii dies distinxisse. Sed placet aliis, hanc lucem fuisse ipsum lucis accidens *ἀνυπόστατον*, & mobile Dei virtute ex uno hemisphærio in aliud ad modum motus solaris; ac distinxisse suo motu ab oriente dies & noctes, tempusque effecisse ante solem conditum. Ex aqua eductum putatur hoc accidens, & postea soli traditum. Est quidem probabilis hæc sententia, & primæ huic rerum molitioni apte conveniens, atque in qua libenter cum Basilio, Ambrosio, Nazianzeno, Anastasio Sinaita, & aliis conquiesco.

At quomodo hoc accidens *ἀνυπόστατον*? Certe quia non erat corpus, sed accidens tantum; tamen ex aquis, & in aquis, ut subiecto, productum cum successione. Patres de hac re citat Salianus, die 1. nu. 4. Atque hucusque de productione per propriam, & severiorem creandi formam: nam post hanc constitutam lucem, quæ nec ipsa creata est, communis Doctorum sententia est, nihil deinceps ex nihilo productum esse a Deo; earum, inquam, rerum quæ sub nostrum veniunt aspectum. Et hactenus de opere primæ diei. Iam quoad verba, *Dixit*, hoc est iussit fieri.

V. 4. ET VIDIT QUOD ESSET BONA. Scientia approbans est, vel visionis scientia, quam hinc colligunt Theologi, ubi post imperium, & rem creatam subiungitur visio. DIVISIT LUCEM A TENEBRIS, hoc est separavit, non quidem loco, sed tempore, dum diem nocti succedere fecit.

V. 5. APPELLAVIT, appellari fecit. Diem hic accipe artificialem; tamen in fine versus intellige naturalem, cum ait ex nocte cum die factum esse diem unum.

V. 6. DIXIT QUOQUE DEUS: FIAT FIRMAMENTUM. Hebr. רקיע, *rakiahh*. Septuaginta habent *στερέωμα*. Per firmamentum aliqui aerem intelligunt, quia positus est in medio aquarum, & vaporum, ibi concrescentium firmiter in pluviam. Moses tribuere hoc videtur firmamento. Et quia ver. 20. aves dicuntur volare super firmamentum, fateor, violenta interpretatio est: nam Moses plane ac simpliciter pronuntiat, veras aquas supra cælos positas esse, dum scribit in media abysso, quæ erat ab empyreo cælo usque ad terram, seu in medio aquarum, extendi corpus solidum, quod firmamentum & cælum hic nominatur, dividens aquas superiores ab inferioribus. En locum firmamenti a loco aeris omnino diversum. An non etiam inferius scribit in hoc firmamento posita esse astra? Certe etiam nec aer firmus est, ut firmamentum dici possit, nec ullæ sunt aquæ supra aerem, hoc est inter aerem & ignem. Restat ergo ex aquarum materia sic exivisse firmamentum, cælum, inquam, stellatum, divisis aquis. Unde non parum apparet utriusque communis materia a transitu ab aqua liquida ad productionem inde cæli solidi, sicut fere cum ex liquida metallorum materia exeunt duræ laminæ. Nec porro ex condensatis in hoc cælum aquis sequebatur vacuum; aere, ac demum procreato igne occupantibus spatium residuum. Hanc de aquarum & firmamenti constitutione sententiam erudite nuper asseruit Salianus in Annalibus, die mundi secundo. Nec his obstat versus 20. ubi dicitur esse volatile super terra, & sub firmamento: non est, inquam, super firmamentum; & Græce est *κατὰ τὸ στερέωμα*, quod

quod etiam explicat magis editio Hebraica, על פני רקיע, *bbal pene rakiabb*, ubi τὸ על latissimæ significationis est, & commodissime est adversus, coram, contra faciem, scilicet firmamenti. Non est vero probabile, quod aquæ supra firmamentum sit ipsum cælum crystallinum: hoc enim cælum, si recipitur, est diversæ, & nobilioris speciei quam sint aquæ sublunares. Quis autem dicet, aquas supra firmamentum esse a nostris diversæ speciei; cum Scriptura dicat tantum factam esse separationem, non vero productionem novæ speciei? Sed nec hinc sequitur, aquas has violenter detineri supra cælum, aut etiam quotidie debere corrumpi. Nam ubi non est occasio nitendi, ut aliquid sit infra leviora, & supra graviora, ibi illud non habet violentam detentionem. Porro non est ibi corrumpens: nam astra non influunt in loca superiora, & præsertim per tantam distantiam; motus vero non calefacit per se, sed tantum ubi est attritio corporum solidorum, vel excitatio latentium spirituum vitalium. Adde Dei conservationem.

Ceterum de his aquis elementaribus super cælum, & qua ratione ibi subsistant, lege Suar. Lib. II. de Opere sex dierum cap. IV. num. 6 Non moror instituti memor. Atque hæc de opere secundi diei, & firmamenti constitutione, quod Deus in momento sane fecit, non vero instar artificis, partem parti addendo: reliquo autem die secundo illud conservavit.

V. 9 Congregentur aquae. Opus tertiæ diei, quando nempe apparuit mare, & terra arida. Ex hoc opere non remansit aqua altior quam sit terra, ut aliqui opinantur; quasi mare ita sit separatum a terra ut diversum globum efficiat, habens centrum diversum; sed unicum globum efficiunt, ut docet eclipsis, ubi terra & mare dant umbram tantum unius globi, sicut etiam gutta aquæ, & pars terræ descendunt æque ad idem centrum terræ. Ceterum facta est hæc congregatio aquarum, dum terra antea rotunda, & tota aquis operta, fuit a Deo hinc erecta in montes & colles, illinc depressa in valles; & sic aqua se recepit ad loca magis depressa. Omitto intra viscera terræ voragines. De fluminibus vide Ecclesiastis cap I. 7. quomodo, inquam, fluant & refluant.

In hac congregatione aquarum ne fieret vacuum, censentur Deo operante excrevisse aer, & ignis; quamvis de his elementis obscure satis agat Moses. Ex aquis, sicut nonnulla alia, fuisse facta hæc duo elementa, subindicavi in opere secundi diei.

V. 10. Et vidit quod esset bonum. Est scientia approbationis.

V. 11. Germinet terra. An producendo progressu temporis, ut nunc fit; an vero subito, efficaciter Deo operante? Est hoc secundum probabilius, ut dicebam de firmamento, asserendo Deum subito germina & plantas produxisse, usque ad iustam magnitudinem, terra passive concurrente, & materiam subministrante. Idemque de animalibus, & homine subito productis opinari convenit. Immo & de ipso nunc producto terrestri paradiso, herbis, & arboribus; de quo dicendum cap. II. vers. 9. & 10. denique adde metalla, & mineralia. Conveniens fuit ut res primæ prodirent a Deo. His multi addunt mundum conditum fuisse verno tempore. Incerta res est. *Terra* Latine forte a terendo dicta est. Heb ארץ *erets*. Lignum pro arbore, more Hebraico. Pomiferum. Septuaginta, κάρπιμον. Pomum Latinis late ad varios fructus extenditur. Cuius semen in semetipso sit. Sensus est, quod habeat virtutem propagandi se, producendo similia per semen quod habet in se.

V. 14. Fiant luminaria in firmamento. Hoc opus est diei quartæ. Hoc loco nomine firmamenti, intellige omnium cælorum expansionem: habent enim orbes isti omnes suam expansionem. רקע expandit, רקיע *rakiab* expansum, firmamentum est. Non sane primo die cum luce, sed hoc quarto die conditum esse solem est verior, & Patrum sententia. Et quidem solis (ut aliorum astrorum) non igneam esse materiam, sed aqueam est probabilius. Nulla hic quinta essentia. Corruptioni locus est. Dividant. Sensus est, luceant divisim; sol interdiu, luna, & stellæ nocte. Sunt vero signa ubertatis, ortus, interitus, & mutationum naturaliter contingentium in terra. Tempora vero hæc sunt ver, æstas, autumnus, & hiems.

V. 16. Heb. est ה emphaticum; ac si diceres, illa duo luminaria.

V. 18. Heb *Inter lucem & tenebras*. Sept. habent ἀνάμεσον, eodem sensu.

V. 20. Producant aquae reptile,

LE, ET VOLATILE. Opus est quintæ diei. Tam aves quam pisces ex aquis facta esse, est receptior sententia; & impense favet textus שרץ ישרץ repere reptile. τὰ ἑρπετά. Complectitur etiam aquatilia, & pisces, & amphibia. At unde tanta aquæ fecunditas? Certe ex Spiritu Domini incumbente aquis, ex ver. 2. *Reptile*, Heb. שרץ *werets*. Sane pisces natant quasi rependo, sicut in terra serpentes, quamvis apodes, rependo se insinuant.

V. 21. CETE GRANDIA. תנינים, *tanninim*, תנין, *tannin*, balena, aut quodvis animal stupendæ magnitudinis, de qua bellua dicam Iob XL. & XLI. Anima vivens idem est ac animal vivens; motabilis anima est animal natans.

V. 22. Benedixisse hic, est Deum dedisse his ut essent, & virtutem haberent iuxta speciem suam. CRESCITE. Imperativum pro futuro: non enim est præceptum, sed est concessio virtutis, ut ita fiat.

V. 24. PRODUCAT TERRA ANIMAM VIVENTEM. Hactenus de die quinto, & incolis aquæ. Igni Deus nulla dedit animalia. Nunc in opere sextæ diei, ubi terræ, & aeri dat Deus, & assignat producta quinto die volatilia. Dat etiam animalia alia, & tandem his prædominantem hominem. Ergo præter hominem sunt etiam huius sextæ diei opus proprium iumenta בהמה *bebema* (Septuaginta habent τετράποδα) reptilia, & bestiæ terræ, seu feræ: nam Septuaginta habent θηρία τῆς γῆς. Volatilia sunt quinti diei. Porro hic intelligo animalia perfectæ speciei, seu homogenea, hoc est quæ ex congressu maris & feminæ ex una tantum specie sumunt initium. Exclude ergo animalia ex congressu contra naturam, & propriam speciem, ut est mulus, &c. quæ adulterina vocantur. Quæ vero sunt ex putri materia, dici possunt nunc producta, vel certe in suis causis & potestate, non actu; ut etiam hybrides, apes, & similia sunt a Deo facta.

Iam circa voces, בהמה *bebema*, animal fere domesticum significat, sicut חיה *chaia*, accipi solet pro feris. Vulgatus vertit bestias terræ.

V. 26. FACIAMUS HOMINEM AD IMAGINEM ET SIMILITUDINEM. Argumentum hinc aliqui petunt pro Trinitate. Non male hic intelligi potest homo imago quidem Dei secundum substantiam; at similitudo secundum dona supernaturalia. Imago, inquam, Dei in homine est anima, quæ scilicet nec corpus est, nec mortalis, & in qua sunt intellectus, voluntas, & memoria. An etiam ex hoc capite stet propria ratio imaginis, dixi agendo de Trinit. q. 19. in fine. Similitudo vero in sanctitate. De formato corpore humano ex pulvere (Deus enim plastes hominis est) vide cap. II. 7. & cap. III. 19. ET PRAESIT. In Heb. & LXX. *Ut præsint*, in plurali: quod designat dominium hoc pertinere ad utrumque sexum. Hoc dominium requirit deliberationem: probat ergo liberum arbitrium.

V. 28. In utroque versu est illud, CRESCITE, ET MULTIPLICAMINI. פרו ורבו *peru*, *urbu*, πληθύνεσθε. Ubi in Hebræo est quidem imperativum, phrasi Hebraica pro futuris istis positum: Crescetis, & multiplicabimini; ut videas male Novatores abuti hoc textu contra virginitatem. Ac demum finge esse ibi imperativum sensum, & præceptum; sane repleta terra, cessavit finis, & ratio præcepti, ac præsertim cum postea in utroque testamento laudentur tum cælibatus, tum virginitas. Quin etiam si fuit, aut durat adhuc tale præceptum, Novatores Christum, & alios viros sanctissimos efficerent præcepti huius transgressores.

Atque hæc loco præfationis de operibus sex dierum, ubi dies sextus habet ה emphaticum ad indicandam illius diei excellentiam, quo creationis opus perfectum est. Quod vero aliqui dicunt in hunc eumdem diem incidisse incarnati Verbi, & patientis Christi horam, dixi sane in opere Chronolog. in præloquiis partis secundæ, quam parum hoc absit a divinatione obscurissima. In hunc tamen locum recte incidit quæstio de formatione Evæ. Eugubinus in Cosmopeia, putat eodem loco, tempore, & eadem productione productam cum Adamo. Inepta plane opinio est: docet enim Scriptura, eodem quidem die productos, sed tempore, loco, & materia diversis. Nam Adam creatus est extra paradisum, utpote qui post efformationem dicitur inductus in paradisum: & efformato quærebatur adiutorium. Porro Eva, ex communi sententia, efformata est in paradiso. Item formata, dicitur adducta ad Adam,

Adam, qui antea ſolus erat. Nam dixit Deus (c. 11. 18.) *Non eſt bonum hominem eſſe ſolum*. Figmentum ergo eſt, eodem momento creatam cum Adamo, & in primo producti Adami momento exiviſſe Evam, lateri Adami adhærentem.

V. 29. Infra quidem cap. IX. 3. facta eſt poſt diluvium hominibus poteſtas comedendi carnes; ſed an eas comederint ante diluvium, dubitant aliqui ex hoc loco. Multi etiam Patres cenſent abſtinuiſſe illo tempore a carnibus, Tertullianus, Hieronymus, Chryſoſtomus, & alii.

V. 30. Heb. & Sept. *Viriditatem feni in cibum*: hoc omiſit Hieronymus; forte quia ſupra expreſſum eſt. Heb. *olus*. Sept. *pabulum viride*.

V. 31. VIDITQUE DEUS CUNCTA. Hinc colligunt Theologi cognitionem creaturarum in Deo.

CAPUT II.

Deus, completo ſex diebus opificio, ſeptimum benedixit: hominem in paradiſum variis, arboribus fructiferis, ac fluminibus inſignitum poſuit, cui Evam ex ipſius coſta in adiutorium formavit.



1 Gitur (*a*) perfecti ſunt cæli, & terra, & omnis ornatus eorum. 2. Complevitque Deus die ſeptimo opus ſuum quod
fecerat: & (*b*) requievit die ſeptimo ab univerſo opere
quod patrarat. 3. Et benedixit diei ſeptimo, & ſanctificavit
illum: quia in ipſo ceſſaverat ab omni opere ſuo quod
creavit Deus ut faceret. 4. Iſtæ ſunt generationes cæli, & terræ, * quando creata ſunt, in die quo fecit Dominus Deus
cælum & terram: 5. & omne virgultum agri antequam oriretur in terra,
omnemque herbam regionis priuſquam germinaret: non enim pluerat Dominus Deus ſuper terram, & homo non erat qui operaretur terram. 6. Sed fons
aſcendebat e terra, irrigans univerſam ſuperficiem terræ. 7. Formavit igitur
Dominus Deus hominem de limo terræ, & inſpiravit in faciem eius ſpiraculum vitæ, & (*c*) factus eſt homo in animam viventem. 8. Plantaverat autem Dominus Deus paradiſum voluptatis a principio, in quo poſuit hominem quem formaverat. 9. Produxitque Dominus Deus de humo omne lignum
pulchrum viſu, & ad veſcendum ſuave; lignum etiam vitæ in medio paradiſi, lignumque ſcientiæ boni & mali. 10. Et fluvius egrediebatur de loco
voluptatis ad irrigandum paradiſum, qui inde dividitur in quatuor capita.
11. Nomen (*d*) uni Phiſon: ipſe eſt qui circumit omnem terram Hevilath, ubi
naſcitur aurum; 12. & aurum terræ illius optimum eſt: ibi invenitur bdellium, & lapis onychinus. 13. Et nomen fluvii ſecundi Gehon: ipſe eſt qui
circumit omnem terram Aethiopiæ. 14. Nomen vero fluminis tertii, Tygris:
ipſe vadit contra Aſſyrios. Fluvius autem quartus, ipſe eſt Euphrates.
15. Tulit ergo Dominus Deus hominem, & poſuit eum in paradiſo voluptatis,
ut operaretur, & cuſtodiret illum. 16. * Præcepitque ei dicens: Ex omni ligno
paradiſi comede; 17. de ligno autem ſcientiæ boni & mali ne comedas: in
quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris. 18. Dixit quoque Dominus Deus: Non eſt bonum eſſe hominem ſolum: faciamus ei adiutorium
ſimile ſibi. 19. Formatis igitur, Dominus Deus, de humo cunctis animantibus

bus terræ, & universis volatilibus cæli, adduxit ea ad Adam, ut videret quid vocaret ea: omne enim quod vocavit Adam animæ viventis, ipsum est nomen eius. 20. Appellavitque Adam nominibus suis cuncta animantia, & universa volatilia cæli, & omnes bestias terræ: Adæ vero non inveniebatur adiutor similis eius. 21. Immisit ergo Dominus Deus soporem in Adam: cumque obdormisset, tulit unam de costis eius, & replevit carnem pro ea. 22. Et ædificavit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem; & adduxit eam ad Adam. 23. Dixitque Adam: (*e*) Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea: hæc vocabitur Virago, quoniam de viro sumpta est. 24. Quamobrem relinquet homo patrem suum, & matrem, & adhærebit uxori suæ: & (*f*) erunt duo in carne una. 25. Erat autem uterque nudus, Adam scilicet, & uxor eius; & non erubescebant.

(*a*) Exod. xx. 11. xxxi. 17. (*b*) Deut. v. 14. Heb. iv. 4. (*c*) I. Cor. xv. 45. (*d*) Eccli. xxiv. 45. (*e*) I. Corinth. xi. 9. Matth. xix. 5. Mar. x. 7. Ephes. v. 31. (*f*) I. Cor. vi. 16.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 4. *Quando creata sunt*. Feminino generi *creata*, quod extat in aliis exemplaribus, præferendum est neutrum *creata*.

V. 16. *Præcepitque ei dicens*. Non est mutandum præteritum *præcepit*, cum præsenti *præcipit*.

COMMENTARIA

S A.

Vers. 1. ORNATUS, scilicet stellæ.

Vers. 2. SEPTIMO, scilicet exclusive. Lxx. *sexto*, scilicet inclusive. REQUIEVIT; idest, cessavit a novarum rerum conditione. Aug.

V. 3. ET SANCTIFICAVIT; idest, ad sui cultum dedicavit. Hic apparet; iam inde a principio sabbatum celebratum, quod etiam indicatur Hebr. IV. Quidam tamen id per occupationem dictum volunt: solum enim data lege sanctum fuisse. Vide Exod. XVI. QUOD CREAVIT DEUS UT FACERET, pro quod creando fecit. Lxx. *quæ fecit*.

V. 4. GENERATIONES, idest ortus. DIE, idest tempore.

V. 5. HOMO NON ERAT; idest, *nullus erat*, Hebr.

V. 6. SED FONS, pro *Fons autem*: quidam vaporem intelligunt. August. V. de Genes. c. x. ait, forte fontem pro fontibus positum.

V. 7. DE LIMO TERRAE; scilicet pulvis erat humectus. Aug. III. de Civ. notat quod Hebr. legitur, *pulverem de terra*; idest, ex pulvere terræ. Lxx. *Pulverem accipiens e terra*. SPIRACULUM VITAE, idest animam dantem vitam. Cyrillus interpretatur spiritum immortalem & vivificum. IN ANIMAM VIVENTEM; quasi dicat, cœpit vivere.

V. 8. PLANTAVERAT, scilicet die tertio. PARADISUM, id est hortum. Italice *Giardino*. VOLUPTATIS A PRINCIPIO. Hebr. *In Eden ad orientem*. Vide Isa. XXXVII. Ezech. XXVII.

V. 11. PHISON, scilicet Ganges. Hier. in Genes. HEVILATH, sic dicta ab Hevila filio Iectan filii Heber.

V. 12. BDELLIUM lapis est. Vide Num. 11.

V. 13. GEHON, scilicet Nilus.

V. 14. CONTRA ASSYRIOS, idest ad orientalem Assyriæ plagam.

V. 15. OPERARETUR, scilicet agricultura deliciosa, non laboriosa. ET CUSTODIRET, scilicet ne quid faceret quo mereretur expelli; vel ut Deus hominem operaretur, & custodiret, scilicet iuvando, perficiendo, &c. August Lib. VIII. de Gen. notat quod hanc secundam interpretationem Hebraica non admittunt, in qui-

quibus vox ILLUM ad paradisum plane refertur.

V. 17. COMEDERIS, &c. Lxx. *Comedetis ex eo, morte moriemini*. MORIERIS, pro mortalis eris, seu morti obnoxius. Nota, quod illo peccato mortuus est Adam quantum ad animam, & meruit mortem corporis, itemque æternam corporis, & animæ. Vide Aug. XIII. de Civ. cap. XII.

V. 18. DIXIT QUOQUE, pro dixerat quoque, scilicet die sexto. BONUM, idest conveniens.

V. 19. DE HUMO. Id coniungendum cum animantibus solum, non cum volatilibus. QUID, idest quomodo, seu quibus nominibus.

V. 20. ADAE NON INVENIEBATUR, pro Adam, seu homo non inveniebat.

V. 21. SOPOREM, idest profundum somnum. Lxx. *ecstasim*, idest mentis excessum, ut interpretatur Hier. in Gen.

V. 23. VIRAGO. Heb. *issa* אשה, quasi *vira*, ab *isc* איש, idest *viro*.

V. 24. IN CARNE UNA, idest velut caro una, seu unum corpus.

ESTII.

Vers. 2. COMPLEVITQUE DEUS DIE SEPTIMO OPUS SUUM. Apud Septuaginta legitur, *die sexto*. Nihilominus Hebræi, & Noster etiam recte dicunt, illum die septimo opus suum complesse, puta tunc illum finivisse, & incepisse cessare, nec quidquam novi adiecisse. Et similis locutio est Esther IX. ubi cum auctor dixisset: *Et quartadecima die cædere desierunt*; mox clarius idem explicans subiungit: *Et quartadecima die in cæde versati sunt, quintadecima autem die percutere desierunt*.

V. 3. ET BENEDIXIT DIEI SEPTIMO, ET SANCTIFICAVIT ILLUM. Quæritur quando facta sit hæc septimi diei sanctificatio. Nonnulli respondent eam factam ipso hoc die, adeoque Deum iam tum legem statuisse de servando sabbato, utpote ut eo die etiam in statu innocentiæ homines vacarent specialiter externis sacrificiis. Sed contra alii obiiciunt inter alia: Si ad primævam institutionem pertineret lex sabbati, non fuisset a Christo abroganda, tum & Moses ad maiorem sabbati reverentiam in Exodo fecisset mentionem. Itaque videtur cum illis sentiendum, qui dicunt id quod hoc loco Moises commemorat, dictum esse per anticipationem, & referendum ad tempus, quo Moises ista scripsit, scilicet post datum Decalogum; ut sit sensus idem qui est similium verborum Exodi XX. *Sex diebus fecit Dominus cælum & terram, & requievit in die septimo; idcirco benedixit, & sanctificavit illum*; scilicet tunc cum illa Moses Exodi XX. capite loqueretur.

Ita Tertullianus, & Cyprianus contra Iudæos, Iustinus contra Tryphonem, & post eos quoque Beda in Hexameron. Si quis tamen contendat illud potius significari, quod iam inde ab initio septimum diem Deus sanctificaverit, poterit id dici hoc sensu, quia tunc præcessit ratio propter quam postea dies septimus præ ceteris divino cultui applicaretur. Vide nostra in II. dist. XV.

V. 5. ET OMNE VIRGULTUM AGRI ANTEQUAM ORIRETUR. Sed quomodo creatum virgultum, & non oriebatur? Resp. August. Lib. V. de Gen. ad litt. cap. IV. & V. quia creatum illo primo die potentialiter, sed non actualiter. At non arbitror hoc Moisem apud rudes Iudæos voluisse. Simplex sensus est, Deum fecisse virgulta & herbas, cum antea non essent.

V. 7. ET INSPIRAVIT IN FACIEM EIUS SPIRACULUM VITAE. Non quod faucibus sufflaverit, vel animam hominis de sua substantia creaverit, sicut docuerunt Manichæi; sed quia spiraculum vitæ, id est animam, ipsi indidit: quo significatur, animam esse spiritum, & quidem non ex præexistente materia creatam, ut corpus humanum, sed ex nihilo, simulque creando corpori infusam. Specialiter tamen dicitur Deus inspirasse eam in faciem hominis, scilicet quod in nulla parte corporis æque reluceant operationes animæ, atque in capite & facie.

V. 8. PLANTAVERAT AUTEM DOMINUS DEUS PARADISUM. Paradisum locum certum corporalem intelligunt omnes Patres, præter Origenem, uti alibi, sic & hic allegorizantem. Atque id circumstantiæ fluminum v. 11. descriptorum, aliaque plura prorsus requirunt. Sed varie disputatum fuit, ubi sit, vel fuerit

ille paradisus. Veteres, alii in altissimo monte usque ad supremum aeris illum constituunt, alii in regione ignota iuxta Zonam torridam, alii alibi. Sed verisimillima opinio videtur a posterioribus aliquot tradita, quam & sequuntur Hesselius in II. Sent. dist. XVIII. & Pererius hic, paradisum fuisse in finibus Mesopotamiæ, ubi Tigris, & Euphrates in unum alveum confluunt, & iterum, facto aquarum divortio (est non longe a Babylone) abeunt in alveos peculiares, a quibus deinde alia duo flumina Phison, & Gehon derivantur. Alterum enim Armeniam permeans Phison vocatur, cuius & meminit Ecclesiasticus cap. XXIV. Quod nomen etsi apud profanos scriptores ita expressum non reperiatur, exstare tamen apud illos videtur nonnihil imitatum. Nam Q. Curtius Lib. V. testatur Euphratem, & Tigrim quodam loco ab accolis vocari Phasin; & Plinius Lib. VI. cap. XXI. tradit Tigrim findi in duos alveos, atque ubi remeavere, Pasitigrim appellari.

Porro quæ sit terra Hevilath, quam circuire dicitur Phison, colligi potest ex Genes. XXV. & I. Reg. XV. Certe Strabo geographus eam regionem collocat in confinibus Arabiæ, & Mesopotamiæ. Ceterum alter fluvius Arabiam desertam petit, & Gehon vocatur, cuius item meminit Ecclesiasticus dicto cap. XXIV. Dicitur autem is circumire omnem terram AEthiopiæ, non illius Africanæ, quam longissimis spatiis perluit Nilus, sed Asiaticæ, quæ vicina est Arabiæ, & Mesopotamiæ. Esse enim AEthiopiam quamdam Palestinæ vicinam, facile est ex sacris litteris ostendere. Madianitæ enim vocantur AEthiopes Num. XII. Unde & illud in Cantico Habacuc: *Vidi tentoria AEthiopiæ, turbabuntur pelles terræ Madian.* Quibus adde loca II. Paralip. XIV. & XXI. & Psal. LXXI. & LXXXVI.

At obiicitur contra dictam sententiam de paradiso. Nam hinc sequeretur, inquiunt, paradisum illum iam non existere: loca enim illa & olim, atque etiamnum commerciis frequentantur, & nullum apparet ibi paradisi, aut Cherubim ante illud positi vestigium. Porro paradisum illum debere adhuc exstare, videtur docere Ecclesiasticus cap. XLIV. ubi dicit, *Enoch translatum in paradisum*. Atque idem de Elia similiter testantur multi Patres, Iustinus ad Orthodoxos quæst. LXXV. LXXVI. & LXXXV. Irenæus Lib. V. adversus hæretes, & Tertull. in Apolog. contra gentes. Respondeo, quod ad Scripturam Eccli. XLIV. attinet, in Græco codice non nominatur paradisus; immo nec additur locus aliquis in quem fuerit translatus. Unde & S. Thomas de hac re agens non simpliciter affirmat Enoch, & Eliam degere in illo paradiso, sed fere addit, Ut dicitur, vel, ut creditur. Ad Iustini, Irenæi, & Tertulliani sententias respondeo, eos quædam alia iisdem locis adiungere, quæ Ecclesia non recipit, ut quod in illum terrestrem paradisum ductus sit latro; quodque in eo demorentur omnes iustorum animæ usque ad diem iudicii; proinde non temere nos facere, si etiam in hoc quod volunt paradisum adhuc existere, ab iis recedamus. Afferunt quidem, vel potius referunt & alii Patres hanc sententiam, sicut & Scholastici plerique, sed nullo modo tamquam de fide.

V. 9. LIGNUM ETIAM VITAE &c. Quare lignum vitæ dictum sit, patet cap. seq. ubi dicit Deus de Adam: *Nunc autem ne forte mittat manum suam, & sumat etiam de ligno vitæ, & comedat, & vivat in æternum.* Nempe quod immortalitas hominis de ligno vitæ extitisset, & non de conditione naturæ. Ita August. Lib. de Genes. ad litt. cap. XXV. & alibi. Irenæus Lib. III. contra hæreses cap. XXXVII. Hilarius in Psal. LXVIII. & alii. Non quod semel sumptum immortalitatem præstaret (nam dicit illo Adamum fuisse usum ante peccatum August. Lib. II. de peccat. merit. cap. XXI.) sed quod daturum fuisset stabilitatem contra vetustatem, ut idem Aug. loquitur Lib. VIII. de Genes. ad litt. cap. V. Non igitur unica eius sumptione stabilem seu perpetuam vivacitatem homo consecuturus erat, sed ad vigorem plenæ ætatis conservandam, subinde ac sæpius ei opus fuisset esu ligni vitæ, & sic immortalitatem, seu vitam stabilem esus ligni illius præstitisset, si homo non peccasset: inde scilicet dictum lignum vitæ. Vide nostra in II. Sententiarum distinct. XXIX.

V. 17. DE LIGNO AUTEM SCIENTIAE BONI ET MALI NE COMEDAS. Quæritur quare hæc arbor, quæcumque tandem illa fuerit, de quo cap. seq. dicta sit arbor scientiæ boni & mali. Respon-

den-

dendum, ad eum modum quo cap. sequenti serpens dixit: *Eritis sicut dii, scientes bonum & malum*: nempe quod ex suggestione serpentis, per comestionem ex hac arbore primi homines voluerint esse sicut dii, scientes bonum & malum; id est, quod Dei quamdam similitudinem homini inconcessam per superbiam appetierint, ita nimirum ut sicut Deus omnium habet scientiam, nec indiget rectore, nec cuiusquam subditus est potestati; sic & ipsi omnia scirent, nec ab ullo regerentur, nec cuiquam alteri subditi essent; sed independenter suo iure atque arbitrio viverent. Ita fere August. Serm. xxv. de tempore cap. III. Tract. XVII. in Ioannem, & in Psal. LXVIII. Vide Commentarium nostrum in II. Sent. dist. XXII. §. 3. IN QUACUMQUE DIE COMEDERIS, MORTE MORIERIS. Agitur de morte corporis, ut patet cap. seq. ubi dicitur: *Donec revertaris in terram*. Fiebant quidem primi parentes per peccatum quoque rei mortis spiritualis & æternæ, sicut dicit Apostolus Rom. VI. *Stipendium peccati mors*, scilicet mors æterna, sicut mox subiungitur de vita æterna; sed hic exprimendum erat ad maiorem terrorem etiam de morte corporali. Deinde aliquid levius de morte æterna spirituali imaginari potuissent Adam & Eva. Legitur quidem Gregorius Libro V. epist. XIV. hanc sententiam exposuisse de morte animæ, idcirco quod non eo ipso die quo peccarant primi parentes, mortui sint corporaliter. Sed ea expositio ab aliis non probatur, & favere nonnihil videtur Pelagianis, qui non mortem corporis, sed animæ dicebant ex peccato processisse. Sensus igitur est: *In quacumque die comederis, morte morieris*, scilicet ex tunc necessitati moriendi eris addictus.

V. 21. CUMQUE OBDORMISSET, TULIT UNAM DE COSTIS EIUS. Chrysost. hic, *Tametsi*, inquit, *modum quo hæc facta sunt, nesciamus; credere tamen debemus, quod voluntati Dei omnia paruerint*. Et similia habet August. Lib. IX. de Genesi ad litt. cap. XIII. & Hieron. in Epist. ad Philemonem. *Mysterium hoc magnum est*: ad Ephes. v. *ego autem dico*, ait Apostolus, *in Christo & Ecclesia*. De quo & August. dicto loco: nempe Adam correptus sopore significat Christum in cruce obdormientem; Eva vero Ecclesiam ex latere Christi manantem; sicut & postea de costa dicitur, eam non factam, sed ædificatam in mulierem. Atque adeo hunc soporem Adam Septuaginta vocant ectasim; & recte, puta, ex quo expergefactus Adam propheticum illud eructavit: *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea*. Est & aliud hic mysterium, scilicet societatis individuæ & amicabilis coniugum inter se; sed & hæc referenda est ad mysterium supradictum, ut patet ex dicto loco ad Ephes. v.

Si curiose insistas, quomodo ex costa una fabricata sit integra mulier: respondeo id factum non improbabiliter dici, eo modo quo aucti sunt quinque panes evangelici ad saturanda quinque millia hominum: quos panes scilicet dicit Augustin. Tract. 24. in Ioannem, fuisse *quasi semina, non quidem terræ mandata, sed ab eo qui terram fecit, multiplicata*. Porro quod Deus dicitur tulisse costam de Adam, & replesse carnem pro ea, non sic accipiendum est, quasi monstruosus tunc relictus sit Adam, aut costa illius prius superflua fuerit; sed quod locum ablatæ costæ, non solum carne, ut textus videtur sonare, sed alia costa carne vestita supplevit. Qui sensus ex eo confirmatur quod postea dicit Adam: *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea*. Sicut enim hinc constat, costam, ex qua fabricata est Eva, non fuisse nudam costam, sed carne vestitam; ita quoque omnino verisimile est, carnem eius loco suppletam, non fuisse nudam carnem, sed carnem costa suffultam. Indicat hanc solutionem dudum Hugo Victorinus in Quæst. super Genes.

V. 24. ET ERUNT DUO IN CARNE UNA. Apud Hebræos non est illud *duo*, tamen ex contextu sermonis satis intelligitur: nam sequitur: ET ADHAEREBIT UXORI SUAE. Ecce *uxori*, & non uxoribus, sicut & prius dicitur: *Masculum & feminam creavit eos*; scilicet *non feminas*; quamvis tamen aliqui postea habuerint plures uxores, ut Abraham, Iacob, & alii, sed singulari Dei dispensatione. Sane Christus hanc primævam unius cum una societatem (Græci monogamiam vocant) indicat, & confirmat his verbis Matth. XIX. & Marci x. *Et erunt duo in carne una*. Paulus item I. Cor. VI. & ad Ephes. v. Intelligitur autem de carnali commixtione a

variis Pontificibus, ut patet apud Gratianum XXVII. q. II. cap. *Lex*, & cap. *Sicut*, item cap. *Verum*, de converf. coniugatorum, & alibi.

MARIANAE.

Verf. 1. ORNATUS EORUM. Sic Sept. Chal. *exercitus*; צבא *Zaba*, utrumque fignificat; & Deut. XVII. 3. idem Hieron. *militiam* pro ea voce pofuit: nempe ftellæ, & alia quæ in terra, ornatus funt; & ut milites ob multitudinem, & ordinem. Igitur *Omnis ornatus eorum*, five *exercitus*, ideft omnia quæ in cælo, & in terra funt, perfecta funt.

V. 2. COMPLEVITQUE DEUS DIE SEPTIMO. Sept. *die fexta* dixerunt. Quo ex loco Hier. in Traditionibus in Iudæorum fuperftitiofam obfervationem fabbati invehitur: quia fi complevit die feptimo opus, in eo operatus videtur. *Die feptimo*, ante diem feptimum, five, ut alii, die feptimo exclufive: *complevit* pro compleverat.

V. 3. BENEDIXIT DIEI SEPTIMO, ET SANCTIFICAVIT; pro ideft fanctificavit, cultui divino dicavit. CREAVIT DEUS UT FACERET. Sept. *Quæ incepit Deus facere*. Hebr. *Creavit Deus ad faciendum*: nempe cuncta creavit, non ut effent otiofa, fed potius ut operationes pro fe quæque deinceps exercerent.

V. 4. ISTAE SUNT GENERATIONES: res genitæ in cælo & in terra. IN DIE, in tempore; frequenter dies pro tempore fumitur.

V. 6. SED FONS ASCENDEBAT E TERRA. Hebraice אד *ed*, *vapor*. Et quidem inter Hebræos quidam putant, negationem quæ præceffit; *Et homo non erat qui operaretur*: hoc loco fupplendam hac fententia: arbores, & herbas terra non protulerat, quia neque Deus pluerat, neque erat homo qui terram verfaret, neque vapor qui in nubes & imbres concrefceret. Quidam per *fontem* aquam intelligit, quæ afcendebat e terra illa, fcilicet altior, illique fuperfufa, eamque irrigans, & ne germinaret impediens.

V. 7. DE LIMO TERRAE. Hebr. *pulverem de humo*; pro de pulvere terræ formavit hominem. INSPIRAVIT IN FACIEM EIUS. Hic difputant quare in faciem infpiravit potius quam in totum corpus. Refpondent, quia in facie potiffimum exercet anima fuas operationes per fenfus. Simplicius dici poffet, *in faciem eius*, idem effe quod *in ipfum*; ficut fuperius, *fuper faciem abyffi*, perinde diximus effe quod *fuper abyffum*: vox enim *facies* fæpe in Hebræo redundat. SPIRACULUM VITAE. Philafter c. XCIX. vult effe Spiritum fanctum, quem a nobis peccato pulfum Chriftus in vitam redux infpirando reftituit; & aliorum Patrum fententiam reprobat quafi hæreticam, qui per *fpiraculum*, *animam* intelligunt. Sed vere vox נשמה *Nefamah*, *animam* fignificat, eo difcrepans a נפש *Nephes*, quomodo Græcis differunt νοῦς, & ψυχή, Latinis *mens* & *anima*, feu *animus* & *anima*. Quod vero addit *vitæ*, in Hebræo *vitarum* eft, ad indicium, homini non fimplicem, fed geminam vitam datam; fecus in productione aliorum animantium, ubi vita in fingulari ponitur: *Producant aquæ reptile animæ viventis*. *Producat terra animam viventem*. FACTUS EST HOMO IN ANIMAM VIVENTEM: cœpit vivere, cum viventibus numerari.

V. 8. PLANTAVERAT AUTEM DOMINUS (fcilicet die tertia) PARADISUM VOLUPTATIS. Sept. *in Eden*. Sane vox עדן *Heden* Hebraica voluptatem, & regionem fic dictam fignificat; verum hoc loco nulla eft nota genitivi, ut dicatur *Paradifus voluptatis*, fed potius ablativi, בעדן *Beheden*, ut fignificetur in regione eius nominis paradifum conftitutum: quæ regio id nomen tulit, quod effet amœna in primis. Adde quod cap. IV. dicitur de Cain: *Habitavit ad orientalem plagam Eden*. Quod additur A PRINCIPIO, Hebraice מקדם *Mikedem*; quæ dictio *orientem* fignificat, & a *principio*, feu *prius*. Hebræi fere & Sept. fecuti priorem vocis fignificationem, dixere: *Plantaverat autem Dominus paradifum in Eden ad orientem*. At vero Hieron. pofteriorem fecutus dixit, *A principio*, nempe primis diebus ante formationem hominis. Quod fequitur Chaldæus, & fecuti fere funt Aquila, Theodotion, Symmachus. Utraque expofitio fatis confentanea eft verbis Hebraicis, & contextui. Sane hoc caput repetitionem continet eorum quæ tertio, & fexto die funt facta. *Plantaverat autem Dominus* DEUS. Hactenus *Elohim* voce ufus, hic adiungit nomen tetragram-

grammaton Dei. Quid hoc? Nempe *Elobim* ad potentiam pertinet, unde *iudices* etiam significat: nomen alterum ad benignitatem spectat, qua res complet, & facit existere. Ergo non completa creatione, priori voce utitur; posteriori, completa. Sive naturæ conditioni prior vox adaptatur, posterior iis quæ supra naturæ merita homini paradisi nomine tribuuntur. Ad Tit. III. *Apparuit benignitas & humanitas Salvatoris nostri Dei*. Tum Exod. VI. 3. *Apparui Abraham, Isaac, & Iacob in Deo omnipotente, & nomen meum Adonai non indicavi eis*; hoc est, pollicitus multa, signis ostendi me illa posse præstare, non contuli tamen quæ promisi. Beresith Rabba, *Mundo*, ait, *completo*, *nomine pleno utitur*, *non ante*.

V. 9. LIGNUM VITAE IN MEDIO PARADISI. *Vitæ*, quia edenti dabat vitam. *In medio*, ad maiorem custodiam, ut cetera circum posita muri instar essent: carissima quæque in medium agmen coniicimus. LIGNUMQUE SCIENTIAE BONI ET MALI. Per occupationem sic vocatur, aut ab eventu, vel quia per eam Deus probavit, qualis homo esset, bonus, an malus; vel quia homo didicit per eam bona quæ amisit, & mala in quæ incidit: quod magis convenit cum illis verbis: *Ecce Adam quasi unus ex nobis*.

V. 10. ET FLUVIUS EGREDIEBATUR DE LOCO VOLUPTATIS. Pro *loco voluptatis*, Hebraice, & Græce *Eden*. Multa de hoc fluvio Expositores; & divinare quis sit ille fluvius, difficile est. Ego crediam fuisse Iordanem ex nominis coniectura: quippe Hebr. dicitur *Iarden*, quasi fluvius Eden: nam Ieor fluvius Hebr. est; in quo Moyses duo admiranda plane videbat. Alterum quod in æstate inundabat, Iosue III. 16. *Iordanis autem ripas alvei sui tempore messis impleverat*, quod illi commune est non solum cum Nilo, sed etiam cum Tigri, & Euphrate, & Gange ex Plinio; sed etiam cum plerisque Indiæ fluminibus, ex Arriano Lib. V. de rebus Alexandri. Alterum erat, quod in mare mortuum absorbetur, ut ne vestigium amplius extet. Voluit ergo per meatus sub terra a Iordane paradisi fluvios alios eiusdem naturæ derivari, ac præsertim quatuor fama maiori. Et sane Pausanias in Corinthiacis non deesse ait qui Euphratem sub terra conditum erumpere, & Nilum efficere putent.

V. 11. NOMEN UNI PHISON. Qui isti quatuor fluvii sint, constituere promptum non est. Nomen *Phison* intactum Expositores relinquunt. Hieron. in Traditionibus Gangem credit, secutus Iosephum; quæ sententia passim suscipitur. Verum quomodo CIRCUIT OMNEM TERRAM HEVILATH, quæ Provincia prope Mesopotamiam videtur fuisse, quando Ismaelitæ cap. XXV. 18. inferius, extendebantur ab Evilath usque ad Sur, quæ respicit AEgyptios? Sed & inter filios Chus fuit *Evilath*, c. X. & *Evilath* est etiam ibidem filius Ophir ex progenie Heber, qui suum nomen fortassis aliis remotioribus Gentibus reliquerunt. Peritiores quoque *Ophir* in sinu Bengalæ prope Gangem ponunt.

V. 12. IBI INVENITUR BDELLIUM. Vocem בדולח *Bedolah* Hieron. reliquit intactam. Plerique *gemmam* putant; Sept. *carbunculum*; Hebræi *unionem*: favet illis locus Num. XI. 7. ubi *manna* dicitur coloris fuisse bdellii. Ego inter arbores *bdellium* invenio, inter gemmas non invenio. Plin. Lib. XII. c. IX. ad Sinum Persicum nasci *bdellium* ait coloris nigri, olivæ similem, foliis roboris. Quod si placet, manna erit simile colore non arbori, sed gummi, quod ex se profert ea arbor. Quod vero addit, ET LAPIS ONYCHINUS, Sept. *praxinus* dixere; sed Hebræi cum Hieron. consentiunt, ut sit *onychinus*, nostris *cornelina*.

V. 13. ET NOMEN FLUVII SECUNDI GEHON. Plerique Nilum putarunt propter subiuncta verba: IPSE EST QUI CIRCUMIT OMNEM TERRAM AETHIOPIAE. Sit sane: tametsi ex sacris litteris, & profanis non in Africa tantum est AEthiopia, sed etiam altera in Asia: unde uxor Moysis natione Madianitis AEthiopissa dicitur.

V. 14. De tertio, & quarto fluviis quæstio non est: nam de tertio addit ipse, VADIT CONTRA ASSYRIOS. Nomen quarti cum Hebraico פרת *Perath* consentit; & forte הואפרת *Huperath*, quod est in Hebraico, *Euphratem* duplicata gemina voce fecit.

V. 15. TULIT ERGO DOMINUS DEUS

DEUS HOMINEM. Nempe extra paradisum est factus. Quo loco? In campo Damasceno plerique putant, ubi post lapsum vitam exegit, ex c.XIV. Iosue sumpta occasione, ubi in Hebron *Adam maximus* sepultus dicitur, quæ & *Cariatharbe*, id est *civitas quatuor*, est dicta, quod ibi etiam tres Patriarchæ sepulti sint. Est autem *Hebron* in campo Damasceno. Ex his omnibus colligas, paradisum in terra promissionis, & vicinis locis extitisse. Quidam in Mesopotamia putant propter fluvios duos quibus ea regio ambitur, Tigrem, & Euphratem, in quos certe dividitur fluvius qui e paradiso egrediebatur. UT OPERARETUR, ET CUSTODIRET ILLUM: nempe homo paradisum. Articulus est femininus, nec potest ad hominem referri, ut sit sententia, fecisse Deum Paradisum, ut hominem in eo custodiret. Sic Aug. Lib. VIII. de Genes. ad lit. Ergo huic explicationi articulus seu pronomen affixum Hebr. repugnat. Sed posuit ibi Adam, ut custodiret homo paradisum. Vides ne in paradiso quidem Deum velle locum esse otio & ignaviæ.

V. 17. MORTE MORIERIS. Sept. *Comederitis*, & *morte moriemini* dixerunt, ut indicarent, præceptum illud viro & feminæ fuisse denuntiatum, & commune utrique. Geminatio autem non geminam mortem continet, ut quidam putant, sed nimirum Hebraicæ linguæ familiare est uti geminationibus: *Exspectans expectavi Dominum: Plorans ploravit*. Sed totum ad corporis mortem refertur, in quam continuo inciderunt: sive quia mortales facti, ut vertit Symmachus, pro *morte morieris*, *mortalis eris*; auctore Hieron. In Traditionibus: sive quia vita subsequens prioris comparatione mors est potius quam vita. Sic Paulus corpus mortuum esse propter peccatum dicit, & corpus nostrum *corpus mortis* vocat. DE LIGNO AUTEM SCIENTIAE BONI ET MALI NE COMEDAS. Heb. & Græce additur, *ex eo*, quod quasi redundans resecuit Hieron. Potest autem deservire ad maiorem præcepti exaggerationem, uti notavit quidam Expositor Hebræus.

V. 18. DIXIT. Dixerat certe die sexto. FACIAMUS EI ADIUTORIUM SIMILE SIBI. Vox Hebraica כנגדו *Chenegdo*, tria significare potest, nempe *secundum ipsum*, quod Hieron. & Sept. secuti sunt, cum pro ea voce reddiderunt, *simile sibi*. In quo & documentum est, inter pares recte procedere coniugium. Recte ille:

Si qua voles apte nubere, nube pari.

Deinde significat, *penes ipsum*. Hoc secutus est Chaldeus cum dixit, *sustentaculum quasi iuxta ipsum*, סמיך כקבליה, quasi uxor præsto in omnibus viro esse debeat, quasi baculus cui incumbat. Significare etiam potest, *contra ipsum*, quod affert acute R. Selomo, dicens: *Si bona fuerit, adiutorium erit; si secus, contra ipsum*. Vel dic, voce ambigua usum Deum, ut coniugii conditionem in utroque statu, innocentiæ, & peccati indicaret. Fuit enim ante peccatum in adiutorium institutum, quod post lapsum sæpe vertitur in supplicium.

V. 19. DE HUMO. Iungatur hoc cum animantibus terræ, non cum volatilibus: neque enim aves e terra sunt factæ. ADDUXIT EA AD ADAM: nempe ut melius videret sibi sociam deesse. Vult Deus, ut antequam beneficium conferat, indigentiam eius agnoscamus, petamusque quod deerit. QUID VOCARET, id est *quomodo*. OMNE QUOD VOCAVIT ADAM ANIMAE VIVENTIS, IPSUM EST NOMEN EIUS. Iosephus hoc refert ad Moysis tempus, ut intelligatur, ea nomina quibus genera vocabantur, ab Adamo fuisse instituta; quod ad linguæ Hebraicæ commendationem, & antiquitatem spectat. Alii simplicius, nomina fuisse naturæ cuiusque animantis apta: nam etsi ad placitum significent, ex notatione, aut prolatione affinitatem cum rebus habent, in lingua Hebraica magis.

V. 20. NON INVENIEBATUR. Hebr. *non invenit*, non Deus, sed ipse Adam propter pronomen reciprocum *Chenegdo*. ADIUTOR SIMILIS EIUS. Hebr. *adiutorium quod esset coram se*: id ad verbum Hebraica significant.

V. 21. IMMISIT DOMINUS DEUS SOPOREM IN ADAM. Vox Hebraica תרדמה *Thardemah* somnum gravem significat. Sept. ἔκστασιν reddentes, occasionem Patribus præbuerunt existimandi, non somnum verum, sed alienationem mentis fuisse. Hebræi, & plerique alii somnum verum credunt eo immissum, ne dolorem sen-

sentiret in costæ ablatione. Ego utrumque puto, certe somnum cum illuminatione, quando excitatus Adam continuo agnoscit de suo corpore formatam. Tum Matth. XIX. 4. Adæ verba quasi Dei referuntur, nempe divino inflatu prolata. Sed & illud cogita: *Nisi somnus mentem occuparet, virum sapientem numquam se implicaturum coniugio*. TULIT UNAM DE COSTIS EIUS, ET REPLEVIT CARNEM PRO EA. Placet quod quidam ait, ut nec costam sine carne sumpserit, quando dicit: *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea*; nec rursus restituerit carnem sine osse.

V. 23. HAEC VOCABITUR VIRAGO. Hinc sumitur argumentum ad probandum, linguam Hebraicam fuisse eam qua usus est Adam, quando in ea feminæ nomen deducitur a nomine viri, id est ab איש אשה ab *is issah*, quod in alia lingua non invenitur: nam *virago*, quod posuit Hieron. non id significat quod *mulier*; & ἀνδρὶς ab ἀνὴρ a Symmacho fictum nomen est, non usitatum Græcis.

V. 24. ET ERUNT DUO IN CARNE UNA. Hebraice, & Græce, *in carnem unam*. Sic legunt Tertull. III. contra Marcionem, Cypr. Lib. II. epist. VIII. Hieron. ad Matth. cap. XIX. Significat autem idem *in carnem unam*, quod *caro una*; sicut Ioan. Epist. I. cap. v. dicitur Græce: *Pater, Verbum, & Spiritus sanctus*; *& hi tres in unum sunt*. Sunt autem una caro, vel in prole, de qua facile explicatur, *Erunt in carnem unam*; vel sunt una caro, non in substantia, sed usu.

MALVENDAE.

V. 1. PERFECTI SUNT. Heb. *consummati, completi, absoluti, finiti fuerunt*. ORNATUS. צבא *tzaba* universe est *militia, exercitus, statio militaris, quæ certo tempore, & ordine constituitur*, quando coniungitur cum nomine שמים *schamaiim*, *cælorum*, cum dicitur exercitus seu militia cælorum, interdum indicat exercitus seu ordines Angelorum, qui Deo tamquam imperatori militant veluti in statione ad iussa capessenda, quibus ceu militibus & administris utitur ad res gerendas. I. Regum XXII. 19. *Vidi Dominum sedentem super solium suum, & omnem exercitum militiam assistentem ei a dextris, & a sinistris*. Idem II. Paralipom. XVIII. & Lucæ II. 13. *Et subito facta est cum Angelo multitudo militiæ cælestis laudantium Deum*. Aliquando vero significat solem, lunam, stellas, sidera, astra, planetas, & omnem exercitum cælestium luminarium, quæ suis ordinibus, & temporibus disposita veluti exercitus progrediuntur in motu cælorum; & quasi in statione militari per vices excubant in afflatus, influxus, regimen, & conservationem mundi. Deuteron. XVII. 3. *Ut vadant, & serviant diis alienis, & adorent eos, solem, & lunam, & omnem militiam cæli*. II. Reg. XVII. 18. *Et adoraverunt omnem militiam cæli*. Cap. XXIII. 5. *Qui adolebant incensum Baal, & soli, & lunæ, & duodecim signis, & omni militiæ cæli*. Hoc loco amplissima significatione exprimit res omnes cælestes, terrestres, & sublunares absoluta quadam perfectione a Deo conditas, & in suos gradus, ordines, virtutes, facultates, qualitates tributas, apte & concinne dispositas, mira varietate, ornatu, pulchritudine diversorum generum, & specierum constitutas, instar ornatissimi exercitus, & præstantissimæ militiæ, præclare quadam opificis & imperatoris summi arte instructas atque compositas, ad quævis Dei ministeria paratas, tamquam milites suo imperatori militantes, & inservientes, munia sua sibi a conditore destinata naviter & strenue exercentes, quibus Deus tamquam copiis suis hostes & peccatores debellare solet. Ioel. II. 10. *A facie eius contremuit terra, moti sunt cæli: sol, & luna obtenebrati sunt, & stellæ retraxerunt lumen suum. Et Dominus dedit vocem suam ante faciem exercitus sui: quia multa sunt nimis castra eius, quia fortia & facientia verbum eius*. Iob XXXVIII. 22. *Numquid ingressus es thesauros nivis, aut thesauros grandinis aspexisti? quæ præparavi in diem pugnæ & belli*. Sapientiæ v. 21. *Et pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos*. Et sunt eiusmodi complura in Scripturis exempla. Vide Iudicum v. 20.

V. 2. OPUS SUUM. מלאכה *melacah*, exponunt *ministerium, ministeriale suum, functionem suam*, id est opus suum, industria & arte paratum. Nonnulli hic *opificium* reddunt. Vide cap. XXXIII. 14. ET REQUIEVIT. Proprie *& cessavit, desiit otia-*

otiatus est. *Et*, forsitan pro id est; quasi dicat, complevit, absolvit Deus die septimo exclusive opus suum, id est cessavit die septimo ab universo opere, &c. Die sexto absolvit operando, septimo cessando. Requiescere pro cessare, desinere etiam Nostro Isaiæ I. 16. cap. II. 22. XIV. 4. Apocalyp. IV. 8. vide Exodi XXXI. 17.

V. 3. ET BENEDIXIT DIEI SEPTIMO; idest, celebrem, honorabilem, laudabilem, faustum, felicem, fortunatum, augustum reddidit; statimque se exponit: ET SANCTIFICAVIT ILLUM. ויקדש *kiddesch*, proprie *sancivit*, *sanctificavit*, *consecravit*, *dedicavit*, *accommodavit usibus divinis*, *ad sacrum usum destinavit*; *a communi & profano usu segregavit in usum sacrum*, *cultui Dei mancipavit*, *servitio Dei præparavit*, *ad ministerium & sacras cæremonias instituit*, *solemnem ac sanctum esse voluit*. Quidam reddunt *separavit*, *segregavit*, *seposuit sibi*, id est sibi tribui voluit; in quo cessarent homines a servilibus operibus, & Dei cultui tantum vacarent. Nec dubito primos homines populi Dei hunc diem coluisse iam inde ab Adamo, quem postea Moses Exodi xx. 10. lege & præcepto confirmavit. UT FACERET. Forsan *ut aptaret*, *disponeret*, *ornaret*: nam עשה *ghasah* id significat, II. Samuelis XIX. 24. *Non fecit pedes suos*, *& non fecit labium suum*; id est, non aptavit, ornavit. Hebraice, *ad facere*. Quidam exponunt, ut creaturæ facerent, operarentur, generarent, nec essent otiosæ.

V. 4. GENERATIONES. תולדות *toledoth*, hoc nomine comprehendi volunt *generationes*, *procreationes*, *genealogias*, *actiones*, *eventa*, *res gestas*, *casus*, *accidentia*, quod ea sint quasi procreationes temporum: Proverb. XXVII. 1. Nimirum quod in tempore accidit, videtur ab eo gigni. Sic Hispanice dicimus: *Esto da el tiempo*. Item historias ætatis, seu sæculi. Sic multi capiunt illud Matthæi I. 1. *Liber generationum Iesu Christi*; id est rerum Christi gestarum. Vide infra Genes. VI. 9. & cap. XXXVII. 2. Hinc factum nomen insigni Hispaniæ urbi *Toledo*, multi suspicantur, quod in ea multæ familiæ essent Iudæorum. Quidam: *Hi sunt natales*, *ortus*, *origines mundi*; ac si dicat, cælum, & terra creata sunt eo quo diximus modo. Alii active capiunt: *Hæc sunt quæ genuerunt*, *aut produxerunt cælum & terra*, quando primum creata sunt. Nec aliene exposueris: *Hæ sunt historiæ creationis cæli & terræ*. DOMINUS DEUS. Hic primum occurrit nomen illud quadrilitterum יהוה IHVH, quod ineffabile, venerandum, sacrosanctissimum semper Hebræi habuerunt, de quo tam multa, tam varia scripta a diversis extant, ut immensum esset ea persequi: pauca tantum de pronuntiatione, & significatione notabo. Vetustissimi Hebræi numquam hoc nomen suis vocalibus expressere, sed per vocales tantum nominis אדוני *Adonai*. Hoc sequuti sunt LXX. Interpretes, Chaldæi omnes Paraphrastæ, Apostoli, S. Hieronymus, seu vulgatus Interpres; qui omnes semper *Dominum* exponunt, quæ est ipsissima nominis *Adonai* significatio, & non יהוה IHVH. Hinc illud ΠΙΠΙ Græcum in Origenis Exaplis, & in vetustis Græciæ Patribus, nimirum Hebræas litteras sacri huius nominis Græce proferentibus. In Hebraicis Bibliis semper scribitur cum his punctis יְהֹוָה quæ sunt puncta nominis *Adonai*, per quod illud sacrum legi & intelligi voluerunt: atque idcirco puncta nominis *Adonai* ipsi IHVH, affixisse videntur, ut cum illud occurreret, non aliud aut legeretur, aut exprimeretur quam *Adonai*: nisi quando nomen IHVH cum nomine *Adonai* simul in Scriptura coniungitur: nam tunc ne bis legeretur, aut repeteretur *Adonai*, conservatis *Adonai* suis punctis, ipsi IHVH, puncta nominis *Elohim* addiderunt in hunc modum, יֱהֹוִה volentes proculdubio, ut tunc non *Adonai*, sed *Elohim* legeretur. Quocirca illæ nominis tetragrammati pronuntiationes *Iehovah*, & *Iehovi* factæ, & tractæ ex nominibus *Adonai* & *Elohim*, iudicio tantum recentiorum excogitatæ, & adinventæ, quas nulli antiquorum noverunt, aut cogitarunt, ab eruditissimis quibusque merito reiiciuntur, nimirum tamquam alienæ, impropriæ, & ab aliis Dei nominibus mutuo, seu potius furto sublatæ.

Si veram sacri nominis pronuntiationem augurari licet, nullam aptiorem reor quam eam, quæ est futuri verbi, היה *haiah* id est, יהיה *iihieh*, vel protracto י *Iod* in ו *Vau* ob mysteriorum huius nominis magnitudinem, aut potius, ut sit futurum verbi

verbi הוה *havah*, quod idem est cum היה *haiah*, nempe יהוה *iehoveh*, aut *iehueh*, *Erit*, secundum illud Exodi III. 14. אהיה *eieh*, אשר *ascher*, אהיה *ehieh*, *Ero qui ero*: *Ero misit me ad vos*: *Hoc nomen mihi est in æternum*. Vide ibi. Quod si *Iehoveh* non sit futurum verbi *havah*, quod ea forma non reperiatur in Scriptura; sed conformata a nobis tantum ex analogia: capiemus ut nomen proprium ad normam futuri efformatum: ut Iaacob, Isaac, Ioseph, Ismael, quæ sunt & nomina propria, & futura suorum verborum. Innotuit utcumque externis quoque ea enuntiatio: nam Diodorus Siculus Lib. I. num. LIX. inquit: *Apud Iudæos Moses Deum, qui Iabo dicitur, legum auctorem suarum sinxisse perhibetur*. De Iaho Deo extat oraculum Apollinis Clarii apud Macrobium Lib. I. Saturnal. cap XVIII. Eruditiores iam hanc sacri nominis enuntiationem *Iehveh* magis probant: nos reverentia nominis vocalibus omissis, consonantes tantum depingemus in hunc modum, IHVH.

Nam quod quidam arbitrantur dictum ineffabile, non quod non possit, aut debeat edici; sed quia sacrosanctum est, ideo vel hominum ore, vel scriptura assumi in rebus profanis non debeat: sive quod apud Iudæos, perinde ut apud nos Christianos nomen Iesu Christi, alicui homini imponi, nefas existimandum sit: sive quod ob reverentiam Dei abstinuerint, ne illa crebra nominis huius appellatione profanasceret: his quidem antiquitas Hebraica refragatur, quæ nominis huius enuntiationem, non nisi summo sacerdoti semel in anno in solemni illa populi benedictione in die expiationis, Numeror. VI. 24. 25. permittebat: atque alioqui eam Hebræi neque in sacris, neque in profanis rebus usurparent: quamque penitus vel ignorarint, vel obliti sint. Atque hæc de pronuntiatione.

De significato, & origine consentiunt omnes: nam certo & citra ullam controversiam deducunt ab היה *haiah*, sive הוה *havah*, & significat, aiunt, ἐμφατικώτερον *essentiam* illam, unam, divinam, quæ ab æterno fuit, est, & erit sine ulla mutatione in æternum & in sæcula sæculorum: a quo omnes creaturæ in creatione prima suam essentiam acceperunt, habent, ac iuxta liberrimam voluntatem suam vel in esse conservantur, vel abolentur, vel una in aliam mutatur: quod ut quem & qualem ipse se promisit, & patefecit verbo suo, ita etiam eum ac talem re ipsa & facto declarare & exhibere velit, sicuti Mosi dixit Exodi III. 14 *Ero qui ero*. *Sic dices filiis Israel: Ero misit me ad vos*. Quidam, *Ens*, *existens*; alii, *Essentiator*; nonnulli, *Essentius*, vel *Fons essendi*, interpretantur. Vim nominis expressisse volunt Ioannem Apocalyp. I. 4. *Ab eo qui est*, *qui erat*, & *qui erit*: ut futurum vel nomen *Iehveh* tria tempora præteritum, præsens, & futurum, seu ipsam æternitatem essendi complectatur.

Esse maxime proprium ac genuinum Dei nomen, dicitur Exod. III. 15. VI. 3. XV. 3. Isaiæ XLII. 8. ut his locis videbimus. De mysteriis eius disseruere quamplurimi; & nos de eo peculiarem libellum condidimus.

V. 5. VIRGULTUM. שיח *siach* aiunt esse *fruticem*, *virgultum*, *fruticetum*, *stirpem e terra*, & *supra terram recens enatam*, seu *enatatam* a verbo שיח *siach*, vel שחה *sachah*, quod *enatare*, seu *natare*, & *in materia spatiosa*, vel *ampla versari*, *ut in meditatione*, vel *confabulatione* significare volunt: & ut ab אמר *amar*, *dixit* est אמיר *amir*, *verber*, *ramus*; sic a שחה *sachah*, *natare*, esse שיח *siach*, *fruticem*, quasi enatationem. Alii potius existimant, verbum *siach* esse *loqui submissa voce*, *mussitare verba*, inde *siach*, *fruticem*, seu *virgultum*, seu *parvam arborem* dici, eo quod vento flante mussitet. Noster Genes. XXI. 15. & Iob XXX. 4. *arborem* vertit, intellige parvam, ut sunt frutices, arbusta.

Versus hic Hebraice difficilis est. Ad verbum ita reddemus: *Et omnem fruticem agri*, *antequam erit in terra*, & *omnem herbam agri antequam germinabit*: *quia non pluere fecit* IHVH *Elohim super terram*; & *homo non ad servire* (colere) *terram*. Subaudiunt e præcedenti versu, *In die*, seu *tempore*, *quo creavit*, & *fecit Deus cælum*, & *terram*, & *omnem fruticem*, vel *arborem agri*, &c. Subaudi, creavit, inquam, sua omnipotentia illa: antequam ea omnia terra insita sua vi, & semine, & imbrium beneficio, aut humana industria & cultura illa produceret; quasi dicat: Non est quod quispiam procreationem virgultorum, arborum, herbarum initio rerum vel vi naturæ, vel pluviæ, vel culturæ humanæ

 adscri-

adſcribat: nam tunc nec terra ſua vi produxit ex ſeminis efficientia, ut nunc, nec tunc Deus pluerat, nec homo erat, qui coleret terram; ſed ſola Dei omnipotenti operatione, & efficacitate ea omnia creata ſunt admirabili conſilio & ratione, ſoluſque Deus tunc fuit efficiens cauſa omnium fruticum, arborum, fructuum, herbarum.

Aliqui reddunt: *In die* (primo mundi) *quo fecit Deus cælum & terram, omne virgultum agri nondum erat in terra, & omnis herba regionis nondum germinabat: quia non pluerat*, &c. טרם *terem*, quod hic Noſter, & alii dicunt, *antequam*, pro *nondum* capi poteſt, ut Exodi IX. 30. ſed hic ſenſus ilis, & nihili eſt: quid enim magnum erat hic dicere, arbuſta, & herbas non creatas prima mundi die, quæ ſatis diſtinctè ſcripſerat tertia die productas?

Sublimior mihi ſenſus affulſit. Non ſine cauſa hic Moſes nominibus שיח *ſiach*, *fruticis*, & עשב *gheſeb*, *herbæ* adiunxit vocem שדה *ſadeh*, *agri*, & non *terræ*. ut in præcedenti capite: nam terra univerſe ſignificat etiam incultam & deſertam, & cui nulla humana cultura admota eſt; at *ſadeh*, eſt proprie *pars terræ*, *quæ neque mons*, *neque ſilva*, *neque campeſtre*, *neque deſertum*; *ſed culta eſt arvis*, *paſcuis*, *pratis*, *plantis*, *arboribus*, *herbis*, & *hortis*: a verbo שדד *ſided*, quod eſt occare, vel verriculo terram contundere. Atque hic *fruticem*, ſeu *arbuſtum agri*, & *herbam agri* facile intellexerim frutices, & arbores, & herbas, quæ cultura & ornatu accedente, in agros, & hortos amœnos, delicatos, pulchros evadunt. Unde locum ad verbum ſic rectè exprimemus (nam eſt novus verſus) & ſoph paſuc diſtinguit a ſuperiori: *Et omnis frutex agri nondum erit* (erat) *in terra*, & *omnis herba agri nondum germinabit* (germinaverat) *quia non pluere fecerat* IHVH *Elohim ſuper terram*, & *homo non ad ſervire terram*; ac ſi dicat: Tametſi Deus die tertio conditi mundi terram arboribus, fruticibus, & herbis impleverat; at tunc nulla erat amœnitas, diſpoſitio, ornatus, pulchritudo, deliciæ agrorum, hortorum, viridariorum, paradiſorum; quia nondum imber opportunus erat, nec homo, qui hæc ſua cura, & induſtria coleret, diſponeret, ornaret. Hic ſenſus mire quadrat proxime ſequentibus verſibus, ubi formatio hominis colentis, & hortorum, vel paradiſorum plantatio deſcribitur.

V. 6. SED FONS, אד *ed*. Hæc vox bis tantum in Scriptura reperitur, nimirum ſine Iod. Hic Noſter LXX. ſequutus, *fontem*, & Iob XXXVI. 27. *gurgites* reddidit. Alii, *inundationem*. Referunt quidam ad primum diem; quaſi dicat: In primo die creationis rerum, quando creavit cælum & terram, tunc nec erant arbores, nec herbæ. nec pluvia, nec homo; ſed gurges, ſeu inundatio, nempe abyſſus illa, ſeu primigenia moles aquarum, de qua cap. I. 2. operiebat, & inundabat terram. Senſus alieniſſimus. Plures hic vaporem, fumum humidum, exhalationem humidam, & calidam, nebulam tenuem, nubem interpretantur, quæ frigore noctis in rorem concreta terram irrigabat.

Recentiores quidam aliquot antiquiores Hebræos ſequuti hic negationem e ſuperiori verſu ſubaudiunt: *Et homo non erat ad colere humum*. & (id eſt) *neque vapor*, ſeu *nubes aſcendebat de terra*; quaſi dicat: Sed Deus omnia admirabili decreto ſuo parata, & concinne, apteque temperata creaverat, ut externo auxilio non egerent. Sed hi bifariam peccant. Primo, tametſi præcedentis hemiſtychii in eodem verſu negatio in altero hemiſtychio ſubaudiri ſoleat more Hebraico, quem expoſuimus Lib. VII. de Antichriſto, cap. XXVI. at ex uno paſuc ſeu verſu in alium, vix reperias. Secundo in grammaticam, nam אין *en*, numquam conſtruitur cum verbis, ſed cum nominibus, aut participiis; eſſetque ſolœciſmus pudendus: *Et vapor* אין יעלה *en iaghaleh*, *non aſcendet*: dicendum enim fuerat: לא יעלה *lo iaghaleh*, *non aſcendet*. Alii coniunctionem &, diſiunctive capiunt: *Aut vapor aſcendebat*, qui nunc ſolet ex lege naturæ aſcendere.

V. 7. FORMAVIT. יצר *iatzar*, *formavit*, *figuravit*, *finxit*, *effigiavit*, *formavit*; quaſi manibus premendo, & condepſendo, eſfinxit comprimendo, & ſubigendo materiam, perinde ut figulus, ſeu plaſtes argillaceam materiam ſubagitando, & comprimendo manibus ſuis imprimit, & effigiat, ſeu effingit aliquam formam: hæc enim ſubſunt verbo *iatzar*: & duplex *Iod* additum hic futuro ייצר *iitzer*, maximam, & præclaram efformationem ſignificat; quaſi dicat, artificioſiſſime conformavit. DE LIMO. עפר *gha-*

ghaphar proprie *pars terræ superior fundamento, quæ rarior & tenuior est*, qualis est in superficie terra. Latini pulverem vocant; & sic Noster reddere solet. Sed quia hunc pulverem oportuit aqua misceri & subigi, ut aptus esset efformationi, seu plasmationi, apte Noster dixit, *limum*, ut Iob x. 9. *lutum*. Hinc Adam *protoplastos* dicitur Sapientiæ VII. 1. Ex pulvere igitur terræ macerato & temperato aqua, veluti ex massa quadam terræ madefacta efformavit Deus quoddam corpus humanum, organizatum, & dispositum perfectissime. TERRAE. אדמה *adamah*, proprie *humus*, *tellus*, *terra*. Aiunt a colore rubeo, seu rufo nomen habere, quasi terra nova, intacta, argillosa, quæ rubra esse solet: humus enim, ex qua homo formatus est, subrufa fuit, sicut in partibus orientalibus, & aliis multis in locis propter solis adustionem subrufa est. Hinc hominem dictum אדם *adam*, notabimus cap. v. vers. 2. Ex verbo hic reddemus: ***Et efformavit*** IHVH ***Elohim hominem pulverem de humo***. Genes. III. 19. *Quia pulvis es, & in pulverem reverteris*. Quidam exponunt: *Hominem de pulvere terræ*. ET INSPIRAVIT. נפח *naphach* proprie *inflavit*, *insufflavit*, *anhelavit*, *halavit*, *inhalavit*. Nec aliene vertes, *suspiravit*, *gemuit*, ab מפח *mapah*, ut indicaret, quanti staturus illi erat homo. IN FACIEM EIUS. אף *aph*, quasi אנף *anaph*, *nasus*, quod flatur per eum: synechdochice plerumque pro tota facie ponitur; sed hic non male ad solas nares arctaveris, quod per eas insufflatio penetravit. SPIRACULUM. נשמה *neschamah* quater & vigesies in Scriptura ponitur, & Noster varie reddidit. Hic, & Genes. VII. 22. Iob XXXIII. 4. Proverb. XX. 27. *spiraculum*; II. Samuel. XXII. 16. Psalm. XVII. 16. *inspirationem*; I. Regum XV. 29. *animam*; I. Regum XVII. 17. Iob XXVII. 3. Daniel. X. 17. *halitum*; Iosue X. 40. *quod spirat*; Iob IV. 10. XXXVII. 10. XXXIV. 14. Isaiæ XXX. 33. XLII. 5. LVII. 16. *flatum*; Iob XXVI. 4. *spiramentum*; Iob XXXII. 8. *spirationem*; Psalm. CL. 6. Isaiæ II. 22. *spiritum*; Iosue XI. 11. 14. Deuter. XX. 16. videtur omisisse, & pro eo ad sensum quippiam aliud substituisse, *halitum* proprie, *anhelitum*, *anhelationem*. VITAE. Hebr. *vitarum*. Pluralis numerus plures vitas indicat, vegetantem, sentientem, & rationalem: aut quod duæ sint vitæ; præsens in hoc sæculo animalis, & in altero superiore sæculo vita spiritualis, beata, & æterna. Nam חיים *chaiim* formam dualis numeri existimant. Vel abunde & copiose satis vitarum in eum inspiravit. Existimant duo hæc coniunctim hic posita, *halitum*, seu *spiritum vitarum*, Paulum Actor. XVII. 25. ubi inquit, *Cum ipse det omnibus ζωὴν ϰ πνοὴν*, id est *vitam, & halitum*, seu *inspirationem*, divisim & per diæresim iucundo Græcarum vocum concentu eloquutum fuisse, ac reddidisse; simulatque explicasse, aut certe innuisse, quid sit vita spiritualis, videlicet halitus, spiritus vitalis, seu vivificans, ut statim dicemus. Quidam annotant, illud, *Et inflavit in nares eius halitum viventem*, non sic esse intelligendum quasi Deus inflaverit per nares in hominem istum halitum, quod is solum illi immaneret, sed quod halitus etiam ille per nares egrediatur, & expiret, aliasque vitales operationes exerat, & efficiat. IN ANIMAM VIVENTEM. Heb. *animæ vitæ*, *animæ* dativi casus; vel *in animam vitæ*; id est, factus est homo anima præditus, animatus, & cœpit vivere naturali, seu humana vita. Observant hic Paulum de duplici Adamo differentem I. Corinth. XV. 45. ***Factus est primus homo Adam in animam viventem***, *novissimus Adam in spiritum vivificantem*, miro artificio locum hunc Genesis versasse, ut נפש חיה *nephesch caiah* sit ***anima vivens***; id est, homo naturalis, qui edit, bibit, generat, & alia vitæ munera & functiones exercet. Et נשמת חיים *nischmat chaiim* sit *spiritus vivificans*, id est homo spiritualis, seu cælestis, in Christo renatus: qui non edit, nec bibit, nec generat, nec alias naturales actiones habet; sed tantum spirituales, ut sunt cognitio Dei, laus Dei, lætitia in Deo, &c. qualis perfecte futurus est in cælo. Ac verisimile putant, cum postea dicit, *Secundus homo de cælo*, allusisse ad voces, נשמה *neschamah*, quæ propria est hominis spiritualis & cęlestis, & ad שמים *schamaiim*, id est cælum, quæ scriptura, & sono inter se conveniunt, ut in allusionibus mirus est artifex. Hinc Hebræorum nonnulli hic *neschamah*, animam rationalem, sive mentem intelligunt, quæ cum nomine שמים *schamaiim* affinitatem habet, quod nimirum sit e cælo. Unde *neschamah* dictam volunt,

lunt, quasi מן שמים *min ſchamaiim*, *de cælo*; נפש *nepheſch* vero animam ſenſitivam eſſe volunt. Sed ſunt hæc omnia nimis ſubtiliter & curioſe excogitata. Nec deſunt qui hic reddunt, *In corpus vivens*. Vide cap. 1. verſ. 20.

V. 8. PLANTAVERAT. Intelligunt ſere die tertio: facile aſſenſerim de ſubſtantia & natura arborum, fruticum, herbarum; non de ornatu, cura, ſingulari diſpoſitione, & amœnitate, quam Deus poſtea addidit. PARADISUM. פרדס *pardes* aiunt Perſicam eſſe vocem, quam ſacri Scriptores ter tantum uſurparunt. Nehemiæ 11. 8. ubi Noſter, *ſaltus*: videtur ibi eſſe ſaltus, aut ſilva ubi ſint plura ligna apta ad fabricandum: Eccle. 11. 5. ubi Noſter *pomaria*: Cant. IV. 13. *Paradiſus malorum Punicorum*: volunt eſſe hortum arborum domeſticarum, ſeu veſcarum, pomarium, ſeu viridarium interpretantur: nam ſubdit Eccleſiaſtes: *Et plantavi in illis arbores omnis fructus*. Alii, *hortum amœniſſimum, & conſitum arboribus fructiferis, & præſertim myrtinis ferentibus fructus præcipui ſaporis*: eſſeque compoſitum ex פרה *parah*, *fructificavit*, & הדס *hadas*, *myrtus*. Nonnulli *hortum cultiorem* exponunt; ut גן *gan*, *hortus*, quo hic Moſes utitur, ſit generalis. Non dubium, quin Græci ſuam vocem Παράδεισος, *Paradiſus*, ex Hebraica, *pardes*, mutuati ſint, ſed ut ſuam facerent, Hebraicamque originem occultarent, etymon & compoſitionem Græcam ei indiderunt. Vide Suidam. Moſes hic non uſurpavit vocem *pardes*, ſed *gan*, quæ ſignificat hortum, ſcilicet circummunitum ſepto, circumdatum maceria, ſeu ſepe; in quo differt ab agro, ſeu prato, quæ non ſunt circumſepta. VOLUPTATIS: ex verbo, *in voluptate*. עדן * gheden*, cum quinque punctis, ſedecim locis tantum in Scriptura ponitur, & plurimum Noſter *voluptatem* exponit, niſi Iſaiæ LI. 3. II. Samuelis 1. 24. Ezechiel. XXVIII. 13. ubi *delicias* reddit. Ieremiæ XLI. 34. *teneritudinem*. Geneſ. IV. 16. ipſam vocem *Eden* ininterpretatam reliquit. Aiunt proprie eſſe *voluptatem*, *delectationem*, *oblectationem*, *iucunditatem*, *ſuavitatem*, *delicias*, *amœnitatem*, ſicut & Græcis mutuata voce ἡδονὴ *voluptas* dicitur. Alius eſt *gheden* cum ſex punctis, quater tantum in Scripturis occurrens: II. Regum XIX. 12. Iſaiæ XXXVII. 12. Ezechiel. XXVII. 23 Amos 1. 5. nomenque proprium loci eſſe exiſtimant; unde Noſter illud ſine interpretatione reliquit, *Eden*, niſi in Amos. Ex locorum, cum quibus iungitur, circumſtantia, apparet fuiſſe vel in Syria Damaſcena, vel in Meſopotamia, non procul a Charris, Craſſi, & Romani exercitus ſanguine nobilitatis.

Plerique confundunt utrumque *Eden*, atque hic exponunt: *Plantaverat autem Dominus Deus paradiſum in Eden*, quaſi ſit proprium loci nomen in Meſopotamia, ubi conditum paradiſum arbitrantur. Mirum quot & quanti in hanc ſententiam abierunt, ineptiſſimam, vaniſſimam, contra omnem veterum conſenſum, & Hebræorum: cum primum *Eden* quinque punctorum luce meridiana fulgentius ſit, eſſe appellativum, ex multis Scripturæ locis, ſeorſim II. Samuel. 1. 4 Ieremiæ LI. 34. Quidam hic collective reddunt, *hortos delicatiſſimos*.

A PRINCIPIO. Notum eſt, מקדם *mikkedem* & temporis, & loci eſſe poſſe; id eſt vel *a principio*, *ab origine*, *ab initio mundi*, vel *ab oriente*, hoc eſt a parte mundi anteriore. Utrumque verum, & utrumque hic congruit. Plantatum paradiſum in oriente, nedum reſpectu terræ ſanctæ, vel deſerti, ubi Moſes Geneſin condebat; ſed ſimpliciter reſpectu veteris & cogniti orbis, & in intimo & profundo oriente, quod Auctores abſolute orientem nuncupare ſolent, ut ſunt India, Sinarum regio, &c. facile crediderim. Lactantius:

Eſt locus in primo felix oriente.

& ſic fere Patres loquuntur.

V. 9. PRODUXITQUE: proprie *ſuccreſcere*, *germinare*, *pullulare fecit*. Coniugatio Hiphil hic magnam vim & copiam ſuccreſcendi demonſtrat: vel quod in paradiſo pulchriores, & amœniores arbores poſuerit. PULCHRUM. נחמד *nechmad*: ex verbo, *deſideratum*, *appetitum*, *concupitum*, *expetitum*, nempe ut iucundum, gratum, amœnum, voluptuoſum, utile.

V. 11. PHISON. Ganges nomen habet ab expatiatione, diffuſione, & incremento aquarum: quod ſit maximus omnium veteris orbis. HEVILATH, Indiæ regio Geneſ. X. 29.

V. 12. OPTIMUM. Notant aliqui, Indicum aurum eſſe puriſſimum, & mundiſſimum:

ſimum : ſcribere autem hiſtoricos, quod in India fruſtum auri obrizi effoſſum ſit, quod pondo quadraginta duo cum dodrante æquaverit: frequens eſſe quod quatuor pondo habeat, & quandoque ad ſeptem etiam accedere. Bdellium. Bdellium arborem, & gummi ex eo naſcens late deſcribit Plinius Lib. XII. cap. 9. & Galenus Lib. II. VIII. X. de Antidotis, & Lib. VI. ſimplicium. Dioſcorides Lib. I. cap. LXIX. Arborem hic potius quam gemmam quidam inde intelligi volunt quod ei non præponatur nomen lapis, ut onychæ; Priſcianus tamen Lib. I. bdellium, inquit, genus eſſe lapidis. Vide quam cæcutiant in hac voce Hebræi, & noſtri: tam varie eam elucidant: quidam adamantem; alii cryſtallum; nonnulli unionem, margaritam; alii carbunculum; non deſunt qui iaſpidem; pauci ebenum. Virgilius:

——— ſola India nigrum
Fert ebenum. — —

Recte quidam ſuſpicantur, Noſtrum non intellexiſſe de bdellio arbore, ſeu gummi, ſed reliquiſſe nomen Hebræum בדלח *bedolach* ininterpretatum, emollitum tamen ad Græcum, ſeu Latinum ſonum. Hunc enim eſſe morem Vulgati, ut in vocabulis difficilis ſignificationis, relinquat ipſam Hebraicam pronuntiationem, luxatam tantiſper ad Græcum, vel Latinum uſum, ſed non in Græco, aut Latino ſignificatu. Sic infra verſ. 14. pro *Huperath*, dicet *Euphrates*; Exodi VIII. verſ. 16. pro *Cinim*, *Cyniphes*; Exodi XII. 22. pro *Ezob Hyſſopum*; Canticor. I. verſ. 13. *Cyperum* pro *Copher*; II. Regum XV. verſ. 9. *Cyrenem* pro *Kir*; Ezechiel. XXVII. 15. *Ebeninos* pro *Hobenim*; Sophoniæ III. 18. *Nugas* pro *Nugne*; Abdiæ verſ. 20. *Boſphorum* pro *Biſpherad*. Vide quæ notavimus. Lib. IV. de Antichriſto, cap. XXVII. Coniectura noſtra in Paradiſo fuit, eſſe *piper*, ſpeciem aromatis. quod in India mire provenit: nam & Ioſephus III. Antiquitatum cap. I. ſpeciem aromatis eſſe ſcribit. Onychinus. שוהם *ſchoham* fere omnes *onychem* interpretantur. Noſter Iob XXVIII. 16. *Sardonicues* dixit, ubi Iob affirmat eſſe pretioſum. Quidam *lapidem praſinum*; alii *berillum*; nonnulli *cryſtallum* intellexere. Cteſias Gnidius in Excerptis Indicis apud Photium: *De magnis montibus Indiæ, ex quibus ſardonyches, & aliæ gemmæ effodiuntur.*

V. 13. Gehon. Nilus ab aquarum eruptionibus ita dictus, quas cataractas Auctores vocant, ſeu catadupas: ubi *inter occurſantes ſcopulos non fluere immenſo fragore creditur, ſed ruere*: inquit Plinius Lib. V. cap IX. Alii *emiſſarium* exponunt. Qui Phiſon, & Geon, non Gangem, & Nilum maxima flumina; ſed duo ingentia fluenta, vel elicia, ſeu eruptiones, aut divergia Euphratis, & Tigridis, quæ in Meſopotamia, poſtquam paradiſum novo alveo influxere, efficiunt, interpretati ſunt, contra Ioſephum, & veterum Patrum fidem, rotunde dicam, videntur mihi ſenſu communi penitus caruiſſe. Emmanuel Tremellius, & Franciſcus Iunius maiori adhuc vanitate quatuor hæc paradiſiaca flumina quatuor unius ipſius Euphratis alveos, ſeu divergia aſtruere conati ſunt longa diſſertatione, quam totam unica Patrum auctoritas evertit. Aethiopiae. כוש *chuſch*, quam imperio coercet magnus Abyſſinorum Monarcha, vulgo male *Prete-Ioannem* appellant: in qua veri Nili fontes antiquis ignorati, ſed noſtris notiſſimi.

V. 14. Tigris. חדקל *chiddekel*, חד *chad*, *acutus*, & קל *kal*, *levis*, *celer*, *velox*, componunt, quod velociſſime & rapidiſſime currat, inſtar tigridis, aut ſagittæ, quam Perſæ, vel Medi tigrim appellant, teſte Curtio. Euphrates, הוא פרת *hu perat*: non eſt dubium quin ex duabus dictionibus Hebræis הוא *hu*, *ipſe*, & פרת *perat*, Græci, & Latini conflaverint unam *Euphrates*. Notiſſimus amnis. Maro IV. Georgicorum:

—— - Cæſar dum magnus in altum
Fulminat Euphratem bello.

Cicero II. de Natura deorum: *Meſopotamiam fertilem efficit Euphrates, in quam quotannis quaſi novos agros invehit.*

V. 18. Solum: ad verbum, *ad ſingulum eum*; vel *ad ſolum*, *ſolitarium*, *ſingularem eum*, quaſi viduum & derelictum: proprius in dativo: *ſingulo ei*. Alii, *ſeorſim ipſum*. Sic לבד *lebad* Zachariæ XII. 12. Adiutorium. עזר *ghezer*, *adiuvamen*, *adiutorium*, *ſuſtentaculum*, *fulcrum*, *adminiculum*, *opitulamen*. Simile sibi. Hebr. כנגדו *chenegdo*, *tamquam*, *ſicut*, *quaſi*, *coram eo*, *ante eum*, *e regione eius*, *ex adverſo eius*. Quidam, *Quaſi coram ipſo*, vel *quod coram ipſo*. Aliqui, *Quaſi coram ſe ipſe ſit*. Sic verſ. 20. ut non intelligatur

tur de subiectione, sed de cohabitatione, quod mulier coram marito suo semper & individua consuetudine vivat. Alii, *Secundum coram ipsum*; quasi iuxta correspondentiam eius, ipsi tamquam alter ipse, ac naturali specie & forma conveniens, iuris, vocationisque consors, & omnium officiorum particeps, commodum ipsi, astans ei. Nonnulli, *Iuxta coram eo*, ut duæ particulæ connectantur, magisque significatum intendant; nimirum ut ei semper præsto sit, ac vitæ consuetudine coniunctissima. Propius ad fontem, *tamquam secundum*, *iuxta præsentiam eius*; nempe, forma, specie, statura, & aliis vitæ muneribus est alter homo. נגד *neged*, *contra*, *ex adverso*, *ex opposito* interdum. Proverb. XXI. 30. *Non est consilium contra Dominum*. Ubi tamen melius exposuerim: *Non est consilium præsentiæ*, vel *ad præsentiam* IHVH. Possit hic reddi, *Quasi*, vel *quod contra ipsum*: ut voce ambigua indicaret, si bona fuerit coniux, maximo adiutorio, sin secus, molestiæ futuram; vel adiutorium, seu delicias viri, uxorem sæpe in malum vertere; aut, mulierem, quæ adminiculo esse debuit viro, factam ipsi ruinæ causam, cum ipsum impulit in peccatum. Sed sunt hæc subtiliter a quibusdam excogitata.

V. 19. UT VIDERET QUID VOCARET EA. S.Chrysostomus: *Atque hoc certissimum est sapientiæ quæ homini inerat, documentum, quod non solum sui ipsius, sed etiam rerum creatarum cognitione fuit præditus, ad salutarem illam Dei notitiam accedente*. Cicero I. Tusculanarum: *Aut quis primus, quod summæ sapientiæ Pythagoræ visum est, omnibus rebus imposuit nomina?* IPSUM EST NOMEN EIUS; nimirum, quod apud nos Heberi posteros servatur incorrupta lingua, inquit Moseh.

*V.*20. INVENIEBATUR. Hebr.*invenit*, pro *inventum fuit*. Tertiam personam præteriti, velfuturi, tametsi activam formam præferat, sæpe sumi impersonaliter in hac lingua, passim occurrent exempla. Infra cap. XI. vers. 9.

V. 21. IMMISIT. Hebr. *Cadere fecit*, *irruere fecit*, qua ratione Noster exponit Genes. XV. 12. Iob XXXIII. 15. Formula Hiphil magnam vim irruendi denotat, quasi oppresserit ac demerserit in soporem. SOPOREM. תרדמה *tardemah*, *altum soporem*, gravem, & profundum somnum, quasi qui obruat, opprimat, sepeliat, ut poetæ loquuntur.

Somno, vinoque sepulti.

Noster verbum expressit Ionæ I. 5. *dormire sopore gravi*. Stuporem hic, seu ecstasim, vel lethargum alii exponunt, aliene ac perperam. Vide infra cap. XV. vers. 12. UNAM DE COSTIS EIUS. Quidam: *Unum e lateribus eius*, vel *unam* (portionem) *de lateribus eius*; id est, unam massam carnis; vel ex utroque latere suam portionem, vel ex uno, seu altero laterum eius. צלע *tzelagh*, *latus*, *&* *costam* significat; sed hic tutius Nostro crediderim. Aliqui exponunt: *Unam de costis eius*; id est, ab utroque latere suam; quasi duas acceperit, unam ex dextro, aliam ex sinistro latere, easque compegerit: quod inde confirmant, ne homo plures costas in uno quam in altero latere haberet; & quia homo statim ait, *Os ex ossibus meis*. Plura ergo ossa, seu costæ, scilicet duæ, evulsæ sunt Adamo. Communiter unam tantum cum carne ex uno latere solum abstractam existimant. REPLEVIT: proprie *clausit*, *occlusit*, *inclusit carnem*; quasi dicat: Locum hiantem costæ, carne clausit, obturavit, replevit. *Cega* Hispanice dicimus, obturare, claudere, ut de puteis, & fontibus, deductum ab Hebraico סגר *sagar* quod hic ponitur.

*V.*22.ET AEDIFICAVIT, &c.Notant quidam, hac ædificatione mulieris ex costa Adæ dormientis, voluisse significare Deum illam cohabitationem viri cum muliere, quæ debebat ei esse tamquam domus, ex qua ædificaret, propagaretque liberos.

V. 23. HOC NUNC. Plerique, *Hac vice*, vel *hoc ictu*, *hoc pulsu*, quo me Deus feriit abstrahendo mihi costam cum carne. Quidam aiunt, פעם *pagham* hic esse interiectionem significantem quamdam animi perculsionem, ictum, pulsum, seu impetum; ac valere idem quod Latinis *apage*: reddunque: *Hoc*, *apage*, *os de ossibus meis*. זאת *zoth* hic ad mulierem retulerim, quod statim subditur, לזאת *lezoth*, *hæc*, vel, *huic vocabitur vira*, *&c.* & mox, *Accepta est zoth hæc*. Unde reddiderim: *Hæc*, *apage*, *os ex ossibus meis*. Quibusdam minus rectum videtur ut *pagham* hic sit interiectio *apage*; sed non animadvertunt sensum esse sublimiorem; si Adam e sopore excitatus, videnfque pulcherrimam iuxta se mulierem, admiratione perculsus ea verba protulerit.

Qui-

Quidam: *Hac demum vice adest os ex ossibus meis*; quasi dicat: Nunc demum singulare mihi auxilium adest, singulari quadam forma & ratione a Deo attributum: quod auxilium ego altera illa vice, antequam indormivissem, desideraveram, supra vers. 20. OS EX OSSIBUS MEIS; id est, carnis & sanguinis necessitudine coniunctissima femina, ut Genet. xxix. vers. 14. adeoque natura, iure, vocatione, officio una cum viro suo. HAEC VOCABITUR. *lezoth* reddunt *huic*, vel *ad hanc vocabitur*. Alii: *Ob hoc*, *propter hoc vocabitur*. VIRAGO. Aliud Latine sonat, quam אישה *ischah*, quod est nomen sexus vel naturæ: virago vero nomen virtutis, quasi Amazo. Servius in XII. AEneidos: *Virago dicitur mulier*, *quæ virile implet officium*. *Has antiqui viras dicebant*. Glossæ veteres: *Virago*, Ἀνδρεία Γυναίκα. Eædem Glossæ: *Virago*, Ἀνδρόγυνος, id est mari-femina, viri-femina. Hispanice *Machibembra*. Viraciam dixit M. Varro in Meleagris: *Si non malit viraciam uxorem habere Atalantam*. *Ischah*, Latine *vira*. Festus: *Querquetulanæ viræ putantur significari nymphæ præsides querqueto virescenti*. *Sic feminas antiqui*, *quas sagas dicimus*, *viras appellabant*: *unde adhuc permanent virgines & viragines*. Exscripsit eadem e Festo S. Isidorus Lib. XI. Originum, cap. 2. *Quæ vero nunc femina*, *antiquitus vira vocabatur*, *sicut a famulo famula*, *a servo serva*, *ita a viro vira*. *Hinc & virginis nomen quidam putant*. Ergo ut *vir* Latine & sexum & virtutem significat, ita *vira* antiquis. Putant quidam id nomen alicubi apud Plautum reperiri. Hinc Latinis *univira*, *bivira*, apud Nonium. Hispani forte ex *bombre* faciunt *bembra*. QUIA DE VIRO SUMPTA EST. Mirabilis & genuina etymologia, *Hæc vocabitur* אישה *ischah*, *vira*, *quia de* איש *isch*, *viro accepta est*. Aiunt איש *isch* primaria ac propria significatione idem Hebræis emphatice significare quod Latinis vir, a virtute; & a יש *iesch*, essentia vel existentia deductum existimant, eo quod vir prior sit essentia seu existentia ipsa sua vira: quique ætate, auctoritate, dignitate, gloria, præstantia, existimatione non tantum femineo generi, verum etiam vel iuvenibus vel plebeiis hominibus præstat, & anteponitur; atque etiam ad matrimonium, & ad res gerendum publicas idoneus est, & adhibetur, interque honoratiores connumeratur. Hic vir & vira nomina sunt sexus & naturæ. Ubi autem pro uxore & marito ponantur, facile & adiecta verba, & loci circumstantia edocebunt. Alias harum vocum acceptiones suis locis indi abimus. Nos vocem *vira* quotiescumque *ischah* occurret, ob antiquitatem, & nominis proprietatem, in nostra translatione retinebimus. Quibusdam ioci causa referre hic libuit cabalam quamdam, quam ex Rabbino quodam Pragensi se audivisse affirmant: qui ista duo אישה *ischah*, & איש *isch*, asserebat coniugii esse vocabula, atque Dei auctoris coniugii nomen יה *iah* continere: quando autem in coniugio non adesset יה *iah*, & adimeretur ex איש *isch iod* littera media, & ex אישה *ischah* ultima littera ה *he*, quæ duæ simul divinum nomen constituunt, abesset ipse יה *iah*, atque vera Dei invocatio in coniugio, atque dilectio, viva fides, rimor Dei, ol servatio præceptorum Dei: manere utrique decurtatas voces אש *esch* & אש *esch*, id est, ignem & ignem: hic ignem purgatorii, seu meram crucem, & molestiam intolerabilem; illic ignem gehennæ & æternum. Hanc observationem alii ex Aben-Ezra in Proverb. II. 17. ex Fasciculo Myrrhæ in Levitici XI. descripsere.

V. 24. ADHAEREBIT. דבק *dabak* exponunt *cohærere infixum*, *inhærere compactum*, *conglutinari*, *agglutinari*. Noster Genes. xxxiv. 3. *conglutinari* reddidit. Matthæi Interpres xix. 5. & Paulus Ephesior. v. 31. locum hunc Genes. προσκολληθήσεται, id est *agglutinabitur*, convertunt, metaphora sumpta ab iis quæ glutino sic committuntur ut putes unum esse. Unde דבק *debek*, *glutinum*, Isaiæ XLI. 7. Noster I. Regum XI. 2. *copulari* dixit. Recte hic reddemus: *Et agglutinabitur*, *cohærebit infixus*, *compingetur*, *copulabitur in vira sua*, seu *in uxore sua*. Genes. XIX. 19. Noster *apprehendere* exposuit: & apte hic quadret: *Et apprehendet in uxore sua*, sensu emphatico. Hispanice, *Hara presa*. IN CARNE UNA. Hebr. *carni uni*, vel *in carnem unam*; nimirum vel per mutuum corporum dominium, nexum, copulam, glutinum; vel in una prole: nam ex duobus viro & uxore generatur una caro, id est proles.

V. 25. ERUBESCEBANT: ex verbo, *pude-*

pudebunt se, *pudefient*, *erubescent*, *pudore consternabuntur*, seu *pudore rigescent*. Formula Hiphil, & geminatum verbum יתבוששו *iitbosebaschu*, præter morem, maximum pudorem indicant, quem nuditas verendorum post hominis lapsum inductura erat.

MENOCHII.

Vers. 1. OMNIS ORNATUS, Angeli, & sidera. Pro ornatus Hebraice est צבא *tsaba*, exercitus, militia, Angeli enim, & astra Deo militant, iussa illius faciunt, & suos ordines tuentur. Dicuntur *ornatus*, quia cælum summopere exornant.

V. 2. DIE SEPTIMO, exclusive. Itaque dominico die opus creationis inchoatum. OPUS SUUM, creationis. REQUIEVIT, non defatigatione, ut nos solemus, sed sola omissione operationis. Hoc etiam significat vox Hebræa שבת *sabat*, cessavit. Hinc factum sabbato nomen, qui dies quietis Hebræis.

V. 3. BENEDIXIT, laudavit, approbavit. SANCTIFICAVIT, divino cultui segregavit, seu dedicavit, exemplo quietis suæ venerabile reddidit, & inviolabili præcepto servari statuit, non actu, & reipsa, sed decreto, & destinatione sua: dies enim sabbati postea a Mose institutus est, Exod. xx. 8. ita aliqui, alii vero sentiunt, actu tunc festum instituisse, colique voluisse ab Adamo, eiusque posteris sacro otio, & cultu Dei, maxime recolendo beneficium creationis suæ, totiusque mundi, illo die completæ. QUOD CREAVIT DEUS UT FACERET; id est, quod creavit faciendo, & creando fecit, atque perfecit. Hebraismus.

V. 4. GENERATIONES, creationes. IN DIE, toto sex dierum spatio. Beda.

V. 5. ET OMNE VIRGULTUM. Ex Hebræo sic verti posset. In die primo mundi quo fecit Deus cælum, & terram, omne virgultum agri nondum erat in terra, & omnis terra regionis nondum germinabat, sed fons ascendebat de terra.

V. 6. SED FONS. Quidam vaporem intelligunt. August. V. de Genes. cap. 10. ait, fortasse fontem pro fontibus positum. Cornelius putat vocem אד *ed* significare inundationem, hoc est abyssum illam primigeniam aquarum, de qua dixit cap. 1. num. 2. hæc enim e terra videbatur emergere, & ascendere, irrigabatque, & tegebat totam terram,

V. 7. FORMAVIT IGITUR. Redit Moses ad opus sextæ diei, ut formationem hominis luculentius explicet. Hebræa ad verbum sic habent: *Plasmavit Deus hominem pulverem, vel lutum de terra*. Vox Hebræa יצר *itsar*, & Græcum ἔπλασεν, proprie ad figulinam pertinet, idemque est quod plasmavit. Solet Scriptura Deum figulo, hominem argillæ comparare. Lege Ierem. cap. 18. a num. 2. HOMINEM, ipsum corpus. DE LIMO TERRAE. Quamvis corpus humanum aliis etiam constet elementis, tamen terræ tantum prædominantis fit mentio. LXX. legunt: *Pulverem accipiens e terra*. Additus ergo liquor, & lutum factum, formatusque protoplastus *de terra terrenus*, ut eum appellat D. Paulus I. Cor. xv. 74. אדמה *adama* (ex qua formatus, & dictus est Adam) significat terram rubram. INSPIRAVIT. Non igitur anima fuit educta ex materia, sed ab extrinseco a Deo infusa. IN FACIEM EIUS. In Hebræo est באפיו *beappau*, quod Aquila, & Symmachus verterunt εἰς μυκτῆρας, *in nares*: in naribus enim viget respiratio, quæ signum est animæ latentis. Verum melius vertit Noster *in faciem*: non enim in solis naribus, sed in facie tota, & consequenter in toto homine anima est, & relucet. SPIRACULUM VITAE. Hebraice est, *vitarum*, quia rationalis anima eadem est sensitiva, & vegetativa; & ita largitur homini quasi triplicem vitam, plantarum, brutorum, & Angelorum. FACTUS EST IN ANIMAM VIVENTEM. Hebraismus, pro factus est animal vivens.

V. 8. PARADISUM. Paradisus, sive vox Græca sit, sive Persica, sive, quod aliis placet, Hebraica, hortum significat, aut viridarium conseptum, ac diligenter consitum omnis generis plantis. VOLUPTATIS. LXX. retinent vocem Hebraicam, & vertunt, *in Eden*, quod est nomen proprium loci. Verum noster Interpres, & Symmachus *Eden* accipiunt ut appellativum, tuncque significat voluptatem. A PRINCIPIO, scilicet die tertio mundi. LXX. vertunt, *ad orientem*, unde patet, respectu Iudææ (Iudææ enim respectu Moses scribit, & consignat plagas mundi) paradisum fuisse ad orientem, & plagam orientalem primo ab hominibus incoli cœptam.

V. 9. LI-

V. 9. LIGNUM PULCHRUM VISU, ET AD VESCENDUM SUAVE. *Et* non copulat, sed disiungit, sive fructiferum, sive infructiferum, & ad oculos tantum pascendos idoneum. LIGNUM VITAE, arbor vitalis, seu vivifica, cuius illa erat naturalis facultas, ut ex eius fructibus comedenti vita diutissime, ac sine morbis prorogaretur. IN MEDIO, vel situm designat, vel ad arboris excellentiam refertur. Nam Hebræi in medio illud esse dicunt quod inter alia est magis eximium. Gen. XXIII. 10. *Habitabat Ephron in medio filiorum Het*. SCIENTIAE BONI ET MALI: quod comedenti de fructu eius tribuebat scientiam discernendi inter bonum & malum. Aliqui putant hanc arborem fuisse ficum, quod statim ab eius esu folia ficus Adam consuerit ad tegendam nuditatem. Alii malum sive pomum, quod in Cant. VIII. 5. dicatur: *Sub arbore malo suscitavi te*. Nihil certo asseri potest.

V. 10. FLUVIUS EGREDIEBATUR. In paradiso vere extitit fluvius quatuor horum maximorum amnium origo, licet hi nunc in longe dissitis regionibus, diversis cernantur locis scaturire. Id enim contigisse potuit, quia post multos, & longos annorum, terrarumque tractus, se alicubi sub terram abdiderint, & postea iis locis emerserint ubi nunc fontes habere creduntur. Absorbuerit ergo tellus hanc eorum originem, & postea divisim effuderit.

V. 11. PHISON est Ganges, ita dictus ab aquarum multitudine, quia teste Plinio augetur amnibus viginti quinque; פוש *phos* autem Hebræis est crescere, & multiplicari. HEVILATH. Multi volunt esse Indiam; sed Hevila potius hic est regio vicina Susianæ, Bactrianæ, & Persidi, iacens inter Assyriam, & Palæstinam, opposita Sur. Sic enim accipitur Hevila I. Reg. XV. 7. Gen. XXV. 18. & ita dicta est ab Hevila filio Iectan, de quo Genes. x. 28.

V. 12. BDELLIUM. LXX. hic *carbunculum* vertunt; at Numer. XI. 7. *crystallum*. Bdellium ex Plinio Lib. XII. cap. IX. genus est gummi sive lacrymæ pellucidæ, quam stillat arbor nigra magnitudine oleæ, folio roboris, fructu, naturaque caprifici. Vatabl. & Eugubinus vertunt *unionem*. LAPIS ONYCHINUS, in Heb. שהם *scoham*, quodquid sit, vix sciri potest. Aliqui vertunt, *smaragdum*, alii *sardonychem*, alii *lapidem prasinum*, alii, ut Vulgatæ Auctor, *lapidem onychinum*, alii dicunt esse viridis coloris, alii candidi, alii mixtum candori ruborem habere. Vide Pined. Iob XXVIII. 16.

V. 13. GEON. Nilus, quem etiamnum Abyssini vocant *Guyon*, videtur dici ab Hebraico גחון *goab*, id est venter, vel potius pectus, quod sit quasi venter sordibus, lutoque plenus, vel quod quasi ventre, & pectore incubet Ægypto, eamque fecundet. AETHIOPIAE, proprie dictæ, quæ vocatur occidentalis, ad distinctionem Madianitidis, quæ Chananææ vicina. CIRCUIT, per meandros perlabitur, id est non recto prorsus cursu.

V. 14. TYGRIS, ita dictus a velocitate cursus: Medi enim sagittam *tygrim* appellant: vel ita dictus a tygridis feræ velocitate. Iam corrupte dicitur *tigel*. EUPHRATES, a radice פרה *para*, id est fructificavit, quia instar Nili exundans terras rigat, & fecundat. Nunc ab indigenis dicitur Phrat. Alii a Græco εὐφραίνεσθαι derivarunt, quod est lætari.

V. 15. POSUIT EUM IN PARADISO. Extra paradisum creaverat, ut colligitur etiam ex cap. III. 23. UT OPERARETUR, non ad victum comparandum, sed ad honestam exercitationem, voluptatem, & experientiam; ita ut nec fatigaretur, nec otio labasceret. ET CUSTODIRET ILLUM, tum a feris, quæ extra paradisum erant, tum ab ipsis animalibus, quæ erant in paradiso, ne eius decorem, & amœnitatem læderent. *Illum*, hortum: nam in Hebr. est affixum femininum.

V. 17. NE COMEDAS, pro; *ne comedatis*, enallage singularis pro plurali: nam præceptum datum est etiam Evæ, ut colligitur ex cap. III. 3. *Præcepit nobis Deus ne comederemus*, ait Eva, quod etiam ex pœna colligitur, quæ fuit utrique communis: itaque LXX. habent in plurali, *ne comedatis*. Est autem Eva condita ante hoc præceptum, licet eius formatio postea narretur, ut docet S. Greg. XXXV. Mor. cap. x. MORTE MORIERIS. Homo in statu innocentiæ naturæ lege mortalis erat; numquam tamen moriturus fuisset, si non peccasset: quia esu ligni vitæ, eo vel semel gustato, ut quidam volunt, vel, ut alii, sæpius & subinde sumpto, vitam propagare potuisset: quod indicat satis clare

cap. III. n. 22. Deus ipse dicens: *Ne forte mittat manum suam, & sumat de ligno vitæ, & comedat, & vivat in æternum*.

V. 18. NON EST BONUM: non est aptum, congruum, conveniens: ut genus humanum propagetur, & hoc animal sociale vitam iucunde transigat. ADIUTORIUM, ad procreationem, & ceteras vitæ necessitates. SIMILE SIBI. Chaldæus, *Quod sit penes eum*. LXX. *Secundum eum*. Est autem mulier viro similis, in natura, statura, loquela &c.

V. 19. FORMATIS IGITUR DE HUMO CUNCTIS ANIMANTIBUS TERRAE, ET UNIVERSIS VOLATILIBUS CAELI. Volatilia ex aquis creata sunt, ut patet ex cap. 1. num. 20. Itaque vox *volatilibus* coniungenda est cum voce *formatis*, non autem cum voce *de humo*. ADDUXIT, vel insito illis occulto quodam motu, ut sponte accederent, & subiectionem suam quodammodo profiterentur, vel adducta Angelorum ministerio. IPSUM EST NOMEN EIUS, naturæ animantis illius conveniens.

V. 20. CUNCTA ANIMANTIA, præter pisces, qui extra aquas sine miraculo adduci non poterant.

V. 21. IMMISIT ERGO DOMINUS DEUS SOPOREM IN ADAM. Hebraica vox gravem, & profundum somnum significat. LXX. pro *soporem*, verterunt *ecstasim*: nec tantum somnus Adæ immissus ne sentiret costam sibi detrahi, ac proinde ne exhorresceret, & doleret; sed cum somno in ecstasim raptus est ut videret quæ gerebantur, & spiritu prophetico cognosceret mysterium significatum, matrimonium scilicet suum naturale cum Eva, & mysticum Christi cum Ecclesia. TULIT UNAM DE COSTIS EIUS, non superfluam, vel supernumerariam aliquam, sed unam de requisitis ad individui integritatem. REPLEVIT CARNEM. Costam non sine carne abstulerat, nunc etiam carnem reponit non sine costa.

V. 23. HOC NUNC OS; quasi dicat: Apage a me animantia prius adducta: non placent, non congruunt mihi, quia specie dissimilia, & prono vertice in terram vergentia, & rationis expertia. Hæc mihi simillima est, immo carnis, & ossis mei portio. VOCABITUR VIRAGO; quasi dicat: Substantiam habet a me; nomen etiam accipiat.

V. 24. RELINQUET HOMO PATREM, ET MATREM. Verba sunt Dei: Deo enim ea tribuit Christus Matth. XIX. 5. Hæc ergo coniugii lex est, & societatis conditio, ut si res exigat, coniux coniugis causa patrem, & matrem deserere teneatur; quod intellige de cohabitatione, & vitæ consortio. Nam in pari casu famis, vel alterius similis necessitatis potius patri, & matri quasi auctoribus vitæ, quam coniugi subveniendum, ut docet D. Thom. 2. 2. quæst. 26. art. 11. ad 1. ADHAEREBIT UXORI. LXX. *conglutinabitur*, vox Hebraica דבק *dacar*, denotat arctissimam adhæsionem. ERUNT DUO IN CARNE UNA, primo per copulam carnalem. Secundo synecdochice; id est, erunt unus homo, erunt una persona civilis. Tertio quia coniux est dominus corporis sui comparis, & sic unius caro est alterius caro: I. Cor. VII. 3. Quarto effective, quia unam carnem, scilicet prolem generant.

Vers. 25. ERAT AUTEM UTERQUE NUDUS, ET NON ERUBESCEBANT: quia in statu innocentiæ nulla erat libido, nulla concupiscentia: ex hoc enim oritur pudor, & erubescentia, si membra in quibus regnat libido, nudentur, & pateant.

TIRINI.

Vers. 7. INSPIRAVIT IN FACIEM EIUS, Hebraica synecdoche, id est, in ipsum hominem. SPIRACULUM VITAE, Hebraice *vitarum*; id est, animam rationalem triplici vita præditam, plantarum, brutorum, Angelorum, seu vita vegetativa, sensitiva, rationali. Hanc animam non educit Deus ex materia prædisposita, seu ex corpore organizato (ut fit in plantis, & brutis) sed *inspirat*, & desotis inducit, de nihilo creatam infundendo. Ita omnes Patres, & Doctores. Formatus est autem Adam corpore & statura, quæ solet esse viri ætate perfecta: altiore haud dubie nostra vulgari, non tamen gigantæa, ut vult Ioannes Lucidus, & quidam alii: nam gigantes multo demum post tempore nati sunt, ut patet Genes. VI. 4.

Vers. 8. PLANTAVERAT AUTEM DEUS, tertia die conditi mundi, PARADISUM VOLUPTATIS, id est hortum delicatissimum, A PRINCIPIO. Septuaginta vertunt, *ad orientem*, sive ad orientalem plagam, nempe

nempe respectu Palæstinæ & Iudæorum. Quo vero præcise orientis loco fuerit, vel sit paradisus (nam probabile est etiamnum extare *a*) voluit Deus hominem latere in pœnam peccati. Origo quatuor fluviorum, *Phison*, id est *Gangis*; *Gehon*, id est *Nili*; *b Tigris*, & *Euphratis*, quos Moses hic dicit e paradiso scaturire, nullo uno terrarum loco reperitur. Nam Ganges oritur ex Caucaso monte Indiæ: Tigris, & Euphrates ex montibus Armeniæ: Nilus ex montibus Lunæ versus promontorium Bonæ spei; vel, si mavis, ex lacu quodam regni Congi *c*, ut notant qui ea loca lustrarunt. Sed non est impossibile, neque improbabile, quod S. Augustinus, & alii Patres dicunt (nam est fere omnium antiquorum communis sententia) hos fluvios vere ex uno eodemque paradisi fonte scaturire primum, sed mox subterraneis cuniculis & meandris etiam longissimis abscondi, atque iis demum locis quibus nunc se produnt, rursus emergere (ut de Alphæo, Arethusa, Hispano Ana, & aliis quibusdam fluminibus constat) Deo sic occultante primam scaturiginem, ne locus paradisi hac via mortalibus innotescat *d*.

V. 9. LIGNUM ETIAM VITAE, id est arborem excellenter vivificam; cuius fructus vel semel degustatus vitam hominis ad plures centenos annos prorogasset, idque vi naturali sibi a Deo insita: & subinde repetitus prorogasset etiam *in æternum*, quo ad nempe Deo placuisset hominem sine morte in cælum transferre. Neque solum reddidisset hominem longævum, sed sanum insuper, valentem, ac robustum, a morbis, a languore, tristitia & melancholia immunem. Habebat enim vim non modo nutritivam, sed & medicam præ omnibus pharmacis, qua & substantia corporis, & vires nutritivæ, & calor naturalis integre restauratus fuisset *e*. Hanc arborem statuerat Deus IN MEDIO PARADISI, Hebraica phrasi; id est, inter alias arbores magis eximiam, magis speciosam, & proceram. Allegoriam, & tropologiam huius arboris, paradisi, & quatuor fluminum, vide Proverb. III. vers. 18. LIGNUMQUE SCIENTIAE BONI ET MALI. Hebraismus, id est omnium omnino rerum. Hæc erat altera e præcipuis paradisi arboribus, & ipsa specie visenda, & quæ fructus non minus suaves quam pulchros proferret. Sic dicta, non quod comedenti de fructu eius vere tribueret aliquam scientiam (nisi quod Adamo & Evæ practicam & experimentalem notitiam dederit magni mali, & reipsa docuerit quantum intersit inter bonum & malum, obedientiam & inobedientiam, inter meritum & pœnam, inter felicitatem & miseriam) sed quod mendax dæmon fallaciter promisisset transgressoribus datum iri scientiam boni & mali; & quidem scientiam non communem aut vulgarem, sed excellentissimam, humana maiorem, similem divinæ. Patet ex cap. III. vers. 5. *Aperientur oculi vestri, & eritis sicut dii, scientes bonum & malum*. Et Deus ibidem ver. 22. decepto Adamo, scientiam qua Deo similis fieret, frustra expetitam, pulchra ironia & sarcasmo exprobrat: *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est, sciens bonum & malum*. Unde etiam hic a Mose arbor hæc ironice vocatur *scientiæ boni & mali*; quasi dicat: Arbor illa egregia scilicet, quam mendax dæmon promiserat daturam scientiam quasi divinam omnis boni & mali *f*.

Petes cuius speciei fuerit hæc arbor. Respondeo fuisse malum, seu pomum, ut colligi videtur ex Cantic. VIII. ver. 5. *Sub arbore malo suscitavi te: ibi corrupta est mater tua, ibi violata est genitrix tua*. Sed vero simile est, specie diversam fuisse ab omnibus malis nostris, seu cytreis, seu aureis, seu Persicis, seu vulgaribus. Nam si fuisset eiusdem speciei & naturæ cum aliis aliquibus paradisi arboribus; cum certum sit, non nisi unius arboris esum, quæ erat circa medium paradisi, fuisse protoplastis inhibitum; potuisset facili negotio, in altera eiusdem speciei arbore impune & sine periculo ab iisdem & Dei prohibitio eludi, & Satanæ tentatio vinci, & ipse mendacii convinci *g*.

V. 17. QUOCUMQUE DIE COMEDERIS EX EO, MORTE MORIERIS, tu cum omni stirpe tua: nam voluntates omnium posterorum posuerat Deus in voluntate unius Adami, utpote omnium parentis ac principis. Ergo illo peccante, peccarunt etiam illi omnes (& hoc est peccatum originale) illo mortis reo facto, facti sunt rei omnes. Et quidem morte animæ mortuus est Adam actu, & reipsa simul atque de pomo gustavit: morte quoque corporis quo ad debitu & necessitatem, etiam eo-

dem momento; quo ad actum vero, ea hora & momento quo collibitum fuit Deo sententiam mortis ante latam exequi. Quamquam & quo ad actum dici possit, Adamum eodem quo peccavit momento, sublatis iam a Deo omnibus adversus mortem remediis, cœpisse mori corpore, nempe longa illa phthiseos, seu internæ corruptionis morte, qua, pugnantibus inter se perpetuo elementis & humoribus, & se mutuo corrumpentibus, vix nati morimur, & ad interitum ducimur *b*.

(*a*) Ut dicam cap. 5. vers. 24.
(*b*) Ut probabo Eccli. 24. vers. 35. & docent Ioseph. I. Antiq. cap. 1. Epiph. in Ancorato. Hier. in Qq. Hebr. in Gen. August. Lib. 8. de Gen. ad lit. cap. 7. Thomas Malvenda Lib. de Paradiso. Bonfrer. & alii.
(*c*) Vide Do. Iarric. lib. 3. Hist. Indic. cap. 1.
(*d*) Vide Conimbricenses in Meteora tract. 9. Franc. Riberam in cap. 6. Amos, Bellarm. supra, Delrio, Greg. a Valentia, & DD. alios in S. Thom. 1. p. qu. 102. art. 1. ad 2.
(*e*) Ita Scotus, Durandus, Caietan. Strabus, Hugo, S. Thom. supra, Franc. Valesius sacræ Philosophiæ c. 6. Perer. A Lapide, Salianus, Bonfrerius.
(*f*) Ita Rupertus, Tostatus, Pererius, Salianus.
(*g*) Salianus, a Lapide, Bonfrerius.
(*h*) Vide fusius Bellarmin. & DD. Schol. de peccato orig. & pœnis eiusdem.

GORDONI.

Vides, Lector, hic, ubi de die septimo, quo Deus dicitur quievisse, iterum fieri mentionem (vers. 7. & 22.) Adami & Evæ: non sane quod hoc die, qui est quietis, fuerint producti: sunt enim sub opere diei sexti, ut refertur cap. 1. tamen secundo capite aliqua reponuntur explicanda distinctius, ut vers. 7. de Adam, & 22. de Eva.

V. 1. Igitur perfecti sunt, &c. nempe sexto die, cuius operis terminus velut extrinsecus est septimus dies. Non male Septuaginta habent, *Die sexto:* stat enim hic terminus exeuntis sexti, & ineuntis septimi. Ergo sex iam dierum successione productus est mundus, ut probabilissima habet sententia, contra Caietanum. Sane omnium opinione cæli, & terra, & aqua in primo temporis momento creata sunt ex nihilo: cælum intelligo empyreum ex communi sententia. Hæc ergo tria in momento, ex nihilo (quando advenit illud æternitatis divinæ instans, quo decrevit Deus ab æterno se communicare extra se) condita sunt. Cetera quæ sub aspectum cadunt, suas habent productiones; immo Deo etiam illa producente sine creatione. Et certe si uno instanti omnia, quomodo homo ex limo terræ productus dicitur; quomodo in primo instanti solæ tenebræ super faciem abyssi; & quomodo terra inanis & vacua? Est illa Caietani sententia violenta contra nativum sensum verborum. Nec obstat Eccli. XVIII. vers. 1. ubi omnia dicuntur facta simul: nam hoc est per sex dierum spatium. Favent Septuaginta, ubi est communiter *κοινῇ*. At quid est Deum requievisse die septimo? Non certe quod fatigatus sit a labore; sed quia desinebat tunc plura producere, numquam cessans a rerum productarum conservatione, & gubernatione. Dicitur sanctificatus, hoc est separatus a diebus aliis operi destinatis, & designatus cultui divino. En interim primum principium consuetudinis destinandi diem septimum quieti, a prophano usu: & quod ab hoc initio abiit in morem receptum apud Patriarchas, postea sub Mose factum est sub præcepto: nec, ut puto, ante eum præcipiebatur.

שמים, *ʃamaim* hoc loco pro cælis omnibus accipitur; alias tamen interdum pro uno. Porro vox צבא *tsaba* significat exercitum, vel ornatum: sane stellæ & sidera sunt pulchre ornatus exercitus cæli, solentque vocari cæli exercitus. Quod vero est hic, ornatus eorum, in Hebræo est צבאם *tsebaam*, exercitus eorum.

Vers. 2. Hinc fit ut nostro die dominico fuerit inchoatum opus creationis. Septimus dies, quo cessatum est, notat sabbatum Iudaicum. שבת *sabat*, *cessavit*.

V. 3. Benedixit, approbavit, laudavit. Quod creavit Deus ut faceret. Hebr. *Creavit Deus ad faciendum*. Sept. *Quæ incepit Deus facere*.

V. 4 Generationes, procreationes. In die, spatio sex dierum.

V. 5. Quid est Antequam oriretur in terra? Sane quia tunc a Deo producebatur omnino, ut cap. 1. vers. 11. dicebam.

V. 6 Fons ascndebat de terra. Et infra 10. *Fluvius egrediebatur de loco voluptatis*. Sentiunt minus recte illi qui per fontem intelligunt vaporem: nam Hebræum אד *ed*, vertit Hieronymus fontem. Demum apud Septuaginta est *πηγή*.

V. 7.

V. 7. FORMAVIT IGITUR DOMINUS DEUS HOMINEM DE LIMO TERRAE, ET INSPIRAVIT IN FACIEM EIUS SPIRACULUM VITAE. Terram hanc rufam fuisse ait Iosephus Lib. I. Antiq. cap. I. ex voce אדמה *adamah*, אדם rubescere. Affine quoque est עפר *hhaphar*, pulvis. At cur anima cum creetur, dicitur inspirata, spiraculum vitæ, & per inspirationem producta? Sane ut discerent homines animam non educi e materia: aut etiam ut denotetur animam non esse corpus, sed spiritum. Ceterum quidam hic per hominem intelligunt corpus Adami, etiam antequam Deus animam inspiraret. Est quidem corpus ante animam, ut pars materialis; verum in procreatione Adami, quem Deus per se effinxit, animam simul infundendo, & creando, non video cur hic aliquis recentiorum insinuet esse antecessionem temporis: solum sigillatim narrat hic Moses vers. 7. de homine, quod simul factum est a Deo. Hanc explicant difficultatem quæ docent Theologi de formato corpore Christi. Et vero quorsum tanta homonymia in voce hominis?

V. 8. PLANTAVERAT AUTEM DOMINUS &c. Sane sic utitur plusquam perfecto. Paradisum plantatum dixi in opere tertii diei. In Heb. גן בעדן *gan bebeden*. Paradisus est in Eden, seu in loco voluptatis. De Eden, loco huius paradisi, vide Ezechiel. cap. XXVII. de quo abunde certatur, & de recensitis hic fluminibus. Aliqua pars Asiæ designatur a multis. Sed quod successit post multa secula diluvium, omnia immutasse potuit. Magnitudo paradisi a quibusdam (quod probabile est) putatur fuisse quantam habet regnum aliquod non modicum. Unde facile habetur, potuisse fructum ligni ad omnes deferri, & locum ibi fuisse, omnibus perpetuo, ac sine peccato retinentibus iustitiam originalem, exclusis inde aliis, qui semel peccassent: quod etiam vel ideo probabilius apparet, quia vita retinentium iustitiam originalem non fuisset (usque ad translationem) valde longa; sed post convenientem liberorum & meritorum numerum, pro ratione prædestinationis, successisset translatio ad sedes beatorum. De quatuor fluminibus mox vers. 10. Ergo post recensitam productionem Adami, dicitur positus in paradiso: unde non pauci colligunt, eum fuisse conditum extra paradisum. At quo loco quis dicat? Certe in ætate qua potuit procreare liberos. Ceterum lignum hoc vitæ vocatur, quia dabat edenti vitam longævam, & valentem. De qua re, & statu illo innocentiæ, multa Theologi. Nos hic obiter, atque ex professo in opere Theologico, Lib. II. quæst. I. num. 13. At cur scientiæ boni & mali arbor nominata est? Plane, quia homo per eam didicit bona quæ amisit, & mala in quæ incidit.

V. 9. De ligno vitæ iam dixi. Immortalitatem afferebat volenti prudenter operari. Manebat quidem homo ex natura sua mortalis; sed præstabat lignum in illo statu per media data ut posset non mori: sicut, inquit Augustinus, in altera vita est non posse mori. Propterea Eugubinus iure est reprehensus a Sixto Senen. Biblioth. Lib. V. annot. 35. quod dixerit omnes homines futuros in eo statu mortales, & revera tandem morituros; quod est negare mortem (etiam corporis) per peccatum Adami esse incursam. Cuius contrarium habetur definitum in Trident. sess. 5. & longe antea in Concil. Milevit. cap. I. Immo clare videtur hoc cap. II. 17. & Sap. II. 23. Neque ergo est homo natura immortalis, neque ita mortalis, ut non potuerit in statu innocentiæ, per lignum illud, & status illius præsidia, conservari immortalis per sæcula aliquot, donec a Deo statum mutante transferretur ad beatorum immortalitatem. Sic sane in primo illo statu habebant homines posse non mori (prudenter operando) habituri tandem non posse mori. En quamdam immortalitatem, sed restrictam in illo Adami primo statu; & simul locum relictum peccato, per quod mors est introducta in orbem terrarum, Rom. V. Vide supra cap. I. vers. 12. & hic infra cap. III. vers. 22. Mors, inquam, introducta, tum omnium, peccante Adamo, tum etiam, ut puto, in eos qui non peccante Adamo, peccassent. Hoc secundum saltem probabile est: atque adeo non profuisset istis lignum vitæ ad mortem vitandam. De morte plura ubi de peccato originali.

V. 10. ET FLUVIUS EGREDIEBATUR, &c. Sed quis quatuor hæc flumina post tantam rerum mutationem, pro certo nunc definiet? Nec proinde est qui locum paradisi clare ostendat. Textus quidem

dem duos nominat fluvios, Tygrim, & Euphratem: unde suspicantur aliqui, paradisum fuisse Mesopotamiam. In hæc quatuor flumina dividitur (inquit Moses) fluvius qui egrediebatur de paradiso, & quem Iordanem putant aliqui, ex notatione nominis Heb. *Iarden*, quasi fluvius Eden. Sane יאר *Ieor* rivus est, seu fluvius. Nos alium etymologiam dedimus, Numer. xxxiv. Absorbetur Iarden in mare mortuum, nec ultra apparet: unde coniectura est, a Iordane varios fluvios derivari sub terra. Qui vero sint quatuor fluvii, inquirant quibus otium est. Tertium, & quartum dat Moses. Hieronymus in Traditionibus, & Iosephus Phison putant esse Gangem. Incertum est. Nec magis certum quod aliqui dicunt, fluvium Geon esse Nilum. Ait quidem Moses, ab hoc flumine ambiri omnem terram AEthiopiæ; sed constat non tantum in Africa, verum etiam in Asia fuisse AEthiopiam. Sic sane uxor Mosis AEthiopissa dicta est, quæ tamen erat natione Madianitis. Et huius orientalis AEthiopiæ passim fit mentio in Libris Prophetarum, & bellis Israeliticis. Hæc paucis de re nondum mortalibus satis comperta. HEVILATH, provincia iuxta Mesopotamiam.

V. 12. Ex loco hoc auri huius optimi, colligunt aliqui Phison esse Gangem. BDELLIUM, gummi genus pretiosum est. Heb. בדולח *bedolach*, Septuag. vertunt hic carbunculum, & Numer. 11. vers. 7. reddunt crystallum; nempe quia bdellium universe est quodlibet aqueum viscosum, quod velut in lapidem duratur. ONYCHINUS, שהם *scham*, non est improbabile esse eumdem lapidem cum sardonycho, quo fit ut Vulgatus, Iob xxviii. 16. ubi est שהם, vertat sardonychum. Varie tamen a Septuag. in variis locis redditur, ut hic lapis variis in nationibus potuit varia habere nomina. De his lapidibus Ezech. xxviii. 13.

V. 13. CIRCUIT, sinuose fluit, non recto cursu per regionem.

V. 15. TULIT.... ET POSUIT. Hinc videtur Adam factus extra paradisum. Ceterum UT OPERARETUR, id est coleret; tamen absque defatigatione (ut status ille ferebat) per modum honestæ, & non laboriosæ occupationis; ET UT CUSTODIRET, ne ab animalibus fœdatus ornatum amitteret.

V. 16. PRAECEPITQUE EIS, &c. Quæstio adhuc sub iudice est, an hoc præceptum, de vetito esu ex tali arbore, datum fuerit post Evam productam. Dubius hæsit Augustinus Lib. VIII. Gen. ad lit. cap. xvii. Longe vero probabilius est datum esse præceptum post Evam productam, & utrique. Nam versio LXX. sic habet: *Non comedetis ex eo*: οὐ φάγεσθε ἀπ' αὐτοῦ, & iterum cap. iii. utraque editio habet, *Ne comederemus*. Et vero conveniebat ut, cum utrique incumberet obligatio, utrique simul imponeretur præceptum. At (inquies) prius positus est Adam in paradiso, quam formaretur Eva. R. Brevissimum fuisse intervallum ab hoc ingressu ad conditam Evam. Quamdiu vero simul manserint in paradiso, dicam in fine capitis tertii. Estque hæc nunc magis & multum recepta de hoc præcepto sententia. Deus imponens præceptum, & pœnam, loquitur ad Adam, & ad posteros. Plura de hoc præcepto Theologi in Qq. de peccato originali. Postremo quod est ver. 17. pro pœna transgressionis, MORTE MORIERIS, habet hunc sensum: ad naturalem moriendi necessitatem devenies, ut exposui vers. 9.

V. 18. FACIAMUS EI ADIUTORIUM SIMILE. Non inveniebatur simile Adamo inter res hactenus creatas, aut inter animalia. Ergo de socia, & simili formanda agebatur. Hinc Hebr. כנגדו *chenegdo*, *coram eo*. Septuag. *Secundum eum*.

V. 20. Adam in paradiso nomina rebus cœpit imponere, & efformatur Eva ibidem. At qualis est hæc nominum impositio, novique idiomatis origo? Certe idioma hoc postea Hebraicum dictum est, auctum progressu temporis ab Adamo, cuius intellectui creditur Deus ad hoc dedisse vim aliquam, & auxilium, ad excogitandum nomina naturis rerum accommodata. Fuerit ergo inchoata nominatio die sexto, idque in paradiso, etiam ante conditam Evam, si vis; tamen compleri potuit impositio nominum etiam extra paradisum, & longiore aliquo tempore. Sed manet adhuc quæstio, qualis sit hæc adductio animalium ad Adamum. Caietanus vult adductionem factam non motu, & adventu locali, sed intellectuali. Rectius Pererius Lib. V. num. 8. corporalem etiam animalium visionem admisit, & forte per bina ex qualibet specie, & Angelorum ministerio. Intellige vero in hac

hac adductione bestias agri, & volatilia cæli. Sic enim loquitur Scriptura. Hinc præcipuis rebus nomina dedit. At quid de piscibus? Sane nec illis nomina imposita, saltem omnibus, docet Augustinus, ac proinde nec piscium species adductas subindicat. Consentit Ambrosius Lib. de Paradiso, cap. XI. estque hoc verius. ADIUTOR SIMILIS EIUS. Heb. *Adiutorium quod esset coram se.*

Vers. 21. En coniugii conditionem in statu innocentiæ. Hunc soporem immissum a Deo (dum ædificat Dominus costam in mulierem) ecstasim vocant antiqui Patres. Immo LXX. hunc somnum etiam ἔκστασιν dixerunt, quos secutus est Augustinus. Hebr. תרדמה *thardemah*. In hoc raptu visam fuisse essentiam Dei, putat non esse improbabile S. Thom. de Verit. quæst. 18. art. 1. alii aliter. Attigi hic vers. 1. & 33. Eugubini & Caietani confictas opiniones de costa. Plenus scripturæ sensus est ut verba sonant. Fuit hæc costa Adamo superflua, sed capiti generis necessaria, ut sic ad vinculum coniugii formaretur Eva, utpote quæ carens matre, nasci non poterat. Interim ex hac ecstasi didicit Adam, formatam Evam in coniugium, Deo coniungente, & largam impartiente benedictionem; nec sine ampla dote. *Replete*, inquit, *terram*, *& possidete eam*; cap. 1. vers. 28. Ceterum quid in hoc sopore revelatum sit Adamo de mysterio incarnationis, dixi in opere Theologico quæst. 1. num. 35. Quamdiu Adam manserit in paradiso incertum est. Vide cap. III. in fine.

V. 23. VIRAGO, QUONIAM DE VIRO SUMPTA EST. Sane virago non sexum femineum designat, sed virilis animi feminam. Itaque Interpres non satis expressit quod est in Heb. איש & אשה *iscah*, ex defectu Latinæ vocis, rem exprimentis. Caietanus iure a Catholicis acerbe reprehenditur, quod cum Origene dixerit, hanc Evæ ex costa productionem, solum parabolice accipiendam esse. Hoc damnat Hieronymus Epist. ad Philem. & Augustinus Lib. IX. Gen. ad litteram, cap. XVIII. Illa vocum cognatio probat Adamum Hebraice locutum.

V. 24. QUAMOBREM RELINQUET HOMO PATREM, &c. Calvinus vult hæc verba esse Mosis. Certe sunt Adæ verba, vel potius Dei: nam Christus Matth. XIX. vers. 5. hæc Deo tribuit verba. Vide temeritatem Novatorum. *Relinquet*. Intellige de vitæ consuetudine, & cohabitatione. Vide S. Thomam 2. 2. quæst. 26. art. 1. ad 1. Nam in æquali necessitate vitæ, famis, &c. præferuntur ex ordine caritatis pater & mater. CARO UNA. Sept. & Hebr. *In carnem unam*: & hoc vel in prole, vel in usu.

V. 25. UTERQUE NUDUS. Ex concupiscentia & libidine oriuntur pudor & erubescentia. Status innocentiæ immunis erat a libidine & concupiscentia.

CAPUT



CAPUT III.

Serpentis astutia, primi parentes, Dei præceptum transgrediuntur; atque
indicta singulis pœna, e Paradiso pelluntur.

1 Ed & serpens erat callidior cunctis animantibus terræ quæ
fecerat Dominus Deus. Qui dixit ad mulierem: Cur præce-
pit vobis Deus ut non comederetis de omni ligno paradisi?
2. Cui respondit mulier: De fructu lignorum quæ sunt in para-
diso, vescimur; 3. de fructu vero ligni quod est in medio
Paradisi, præcepit nobis Deus ne comederemus, & ne tange-
remus illud, ne forte moriamur. 4. Dixit autem serpens ad
mulierem: (*a*) Nequaquam morte moriemini. 5. Scit enim Deus quod in quo-
cumque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, & eritis sicut dii,
scientes bonum & malum. 6. Vidit igitur mulier quod bonum esset lignum
ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectuque delectabile; & tulit de fructu
illius, & (*b*) comedit; deditque viro suo, qui comedit. 7. Et aperti sunt oculi
amborum: cumque cognovissent se esse nudos, consuerunt folia ficus, & fecerunt
sibi perizomata. 8. Et cum audissent vocem Domini Dei deambulantis in paradiso
ad auram post meridiem, abscondit se Adam, & uxor eius a facie Domini
Dei in medio ligni paradisi. 9. Vocavitque Dominus Deus Adam, & dixit ei:
Ubi es? 10. Qui ait: * Vocem tuam audivi in paradiso, & timui, eo quod
nudus essem, & abscondi me. 11. Cui dixit: Quis enim indicavit tibi quod nu-
dus esses, nisi quod ex ligno de quo præceperam tibi ne comederes, comedisti?
12. Dixitque Adam: Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno,
& comedi. 13. Et dixit Dominus Deus ad mulierem: Quare hoc fecisti? Quæ
respondit: Serpens decepit me, & comedi. 14. Et ait Dominus Deus ad ser-
pentem: Quia fecisti hoc, maledictus es inter omnia animantia, & bestias
terræ: & super pectus tuum gradieris, & terram comedes cunctis diebus vitæ
tuæ. 15. Inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum & semen
illius: * ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius. 16. Mulie-
ri quoque dixit: Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos: in dolore pa-
ries filios, & sub viri potestate eris, (*c*) & ipse dominabitur tui. 17. Adæ
vero dixit: Quia audisti vocem uxoris tuæ, & comedisti de ligno, ex quo,
præceperam tibi, ne comederes, maledicta terra in opere tuo: in laboribus
comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ. 18. Spinas, & tribulos germinabit ti-
bi, & comedes herbam terræ. 19. * In sudore vultus tui vesceris pane, donec
revertaris in terram de qua sumptus es: quia pulvis es, & in pulverem re-
verteris. 20. Et vocavit Adam nomen uxoris suæ, Heva: eo quod mater es-
set cunctorum viventium. 21. Fecit quoque Dominus Deus Adæ, & uxo-
ri eius tunicas pelliceas, & induit eos: 22. & ait: Ecce Adam quasi unus
ex nobis factus est, sciens bonum & malum: nunc ergo ne forte mittat ma-
num suam, & sumat etiam de ligno vitæ, & comedat, & vivat in æternum.
23. * Et emisit eum Dominus Deus de paradiso voluptatis, ut operaretur ter-
ram,

ram, de qua sumptus est. 24. Eiecitque Adam: & collocavit ante paradisum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium atque versatilem, ad custodiendam viam ligni vitæ.

(*a*) I. Cor. XI. 3. (*b*) Eccli. XXV. 33. I. Tim. II. 14. (*c*) I. Cor. XIV. 34.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 10. *Vocem tuam audivi*. Non est addendum *Domine*, ut nec versu proximo *Dominus* primo casu, ubi legis: *Cui dixit*: *Quis enim &c.*

V. 15. *Ipsa conteret caput tuum*. Studiose caverunt Correctores, ne femininum *ipsa*, quod a vetere Interprete datum fuit, mutarent cum masculino *ipse*, aut neutro *ipsum*, quamquam clarioribus sensu. Vide Notationem.

V. 19. *In sudore vultus tui vesceris pane*. Sequitur in quibusdam libris, additurque pronomen *tuo*, sed quod merito omissum est.

V. 23. *Et emisit eum Dominus Deus*. Non est auferenda coniunctio *&*.

NOTATIO.

Vers. 15. *Ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius*. Latina exemplaria pleraque, *Ipsa*, scribunt, *conteret caput tuum*. S. Germani oblongum, & Sorbonicum correctorium a Parisiensibus notata, *Ipse*, legunt, *conteret caput tuum*. Harum lectionum posterior, Hebræo conformior est: legitur enim: הוּא יְשׁוּפְךָ רֹאשׁ וְאַתָּה תְּשׁוּפֶנּוּ עָקֵב.

Eadem lectio Græcæ translationi similis est: sic enim habet: αὐτός σου τηρήσει κεφαλὴν, καὶ σὺ τηρήσεις αὐτοῦ πτέρναν. *Ipse tuum conteret caput, & tu conteres eius calcaneum*: ita exemplaria Complutense, & Vaticanum; Germanicæ vero editiones cum Aldina, αὐτός σου τηρήσει κεφ. καὶ σὺ τηρήσεις αὐτοῦ πτ. *Ipse tuum observabit caput, & tu observabis eius calcaneum*; id quod a Patribus fere lectum est, atque adeo Hieronymo, qui, si in aliis codicibus τηρεῖν legi comperisset, ει nimirum primam syllabam formante, id proculdubio prætulisset. In Hebraicis namque super Genesin Quæstionibus, producta Interpretum LXXII. translatione, *Ipse servabit caput tuum, & tu servabis eius calcaneum*, annotat: „ Melius habet in Hebræo: „ *Ipse conteret caput tuum, & tu conteres eius cal*„ *caneum*: quia & nostri gressus præpediun„ tur a colubro, & Dominus conteret sata„ nam sub pedibus nostris velociter. “ Quibus in verbis etiam conspicitur, Hieronymum lectioni prædictæ conformiter *ipse* vertere.

Fortassis autem commodius neutro genere transferatur: *Ipsum conteret caput tuum*: est enim Hebraice pronomini הוא cum præcedente nomine זֶרַע, quod *semen* significat, debita convenientia, ut vocem quæ subaudiatur, aliunde accersere necesse non sit. Hoc modo (neutro inquam genere) in Latinis quibusdam exemplaribus haberi; insuper ita D. Leonem legisse, Aloysius Lippomanus docere videtur. Dum enim Leonis Magni in hunc locum verba Catonæ suæ copulaturus esset, præmisit: „ Vel iuxta alia exemplaria: *Ipsum* „ *conteret caput tuum*. “ Tum ipsius verba ex sermone de nativitate Domini secundo subiunxit: „ Deus omnipotens, & clemens, „ &c. statim ut nos diabolica malignitas ve„ neno suæ mortificavit invidiæ, prædesti„ nata mortalibus suæ pietatis remedia &c. „ præsignavit; denuntians serpenti, futurum „ semen mulieris, quod noxii capitis elatio„ nem sua virtute contereret, Christum scili„ cet in carne venturum Deum hominemque „ signans, qui natus ex Virgine violatorem „ humanæ propaginis incorrupta nativitate „ damnaret. “ Quibus ex verbis a Leone hoc modo locum hunc lectum vero non est absimile. Isidorus Clarius hoc ipso modo sua Biblia emendavit: *Ipsum conteret &c.*

Minime vero contemnenda est ea Latinorum exemplarium lectio, *Ipsa conteret caput tuum*, tum quod in omnibus pene Latinis codicibus legatur (nos certe post D. Hentenium nullum vulgatæ editionis codicem potuimus reperire, qui diversum legeret: nam Parisiensium sunt, quos pro *ipse* Hentenius adfert: neque constat de Sorbonico correctorio, qui alter est Parisiensium, an ex Hebræo, an ex Latinorum codicum auctoritate sic legendum doceat; ut neque de Aloysii exemplaribus, an nostræ sint editionis, cuius certe Clarii Biblia, quæ *ipsum* habent, non sunt) tum quod a veteribus, & iis qui vulgata ex Hebræo, & quod magis est admirandum, (dissonant enim Græca exemplaria) iis qui vulgata ex Græco editione usi sunt, agnoscatur, atque exponatur. Augustinus Libri secundi de Genesi contra Manicheos capite XVIII. „ Observat, inquit, ipse plantam mulieris, „ ut si quando illicita labitur delectatio, tunc

„ illam capiat : & illa obſervat caput eius , „ ut eum in ipſo initio malæ ſuaſionis excludat . “ Similis eſt Gregorii Lib. I. Moral. cap. XXXVIII. Eucherii, Bedæ, ac Rabani, lectio, atque expoſitio . Neque vero hæc lectio Hebræo repugnat . In primis enim potuerit Interpres הִיא femininum pronomen pro הוּא maſculino legiſſe, ut nonnulli coniiciunt. Deinde femininum pronomen nonnumquam eo modo ſcriptum reperitur, quo maſculinum, הוּא, quamquam הִיא legatur; atque ita hoc loco accipiendum, & legendum eſſe הוּא nonnulli exiſtimant . Hinc Guido Fabricius Pici Mirandulani principis auctoritate nixus in Hebraicis illis Bibliis Regio operi adiunctis, quibus Latina interpretatio inter contextus lineas inſerta eſt, excudi curavit הִיא; quamquam errore poſitum ſit הִית. Nec reiicienda eſt iſta lectio, quod maſculini generis verbum pronomenque ſequantur, verbum יְשׁוּף, pronomen נוּ: nam & alibi phraſes huiuſmodi reperiuntur. Eſther primo capite (v. 20.) וְכָל הַנָּשִׁים יִתְּנוּ יְקָר לְבַעְלֵיהֶן. Eccleſiaſtæ duodecimo (v. 4.) וְיִשַּׁחוּ כָּל־בְּנוֹת הַשִּׁיר. Poteſt autem hæc lectio ad eum fere ſenſum, quo ſuperiores exponuntur, de Chriſti matre intelligi, ut ſerpentis caput contriviſſe dicatur, quia eum genuit qui contrivit, quia diabolum ſua morte devicit, & nos ex eius tyrannide in libertatem aſſeruit.

Locus iſte a Chaldæo Paraphraſte ad hunc modum redditus eſt: *Et inimicitiam ponam inter te, & inter mulierem, & inter filium tuum, & inter filium illius: ipſe erit memor.* Exemplar Venetum: *Obſervans tibi quod feciſti ei a principio, & tu eris obſervans ei in fine.* Atque in hac paraphraſi obſervetur & illud, quod illi Græcæ lectioni conformiter, quæ & olim & hodie multorum eſt codicum, τηρῆς per η in prima ſyllaba transferatur *obſervans*, ne, cum & hæc accedat ratio, a quoquam facile reiiciatur. Porro etſi exemplar Venetum priori loco יְהֵי דְכִיר habeat, poſteriori tamen Complutenſi, & Regio conformiter, תְּהֵי נְטַר legit: atque expoſitio eſſe videtur, יְהֵי דְכִיר, eius quod in Complutenſi, & Regio eſt יְהֵא נְטַר.

COMMENTARIA

S A.

Verſ. 1. SERPENS, pro Serpens quidam: loquitur enim de certo quodam ſerpente, ut apparet ex Hebr. articulo. CALLIDIOR, ſcilicet propter diabolum, qui per illum agebat. Auguſt. Lib. XI. de Gen. DE OMNI, pro *de ullo*, Hebr. LIGNO, id eſt arbore; quaſi dicat, ex fructu arboris.

V. 2. VESCIMUR; id eſt, veſci poſſumus.

V. 4. MORTE MORIEMINI; id eſt, *certiſſime moriemini*, Hebraice.

V. 5. OCULI, ſcilicet mentis. DII, id eſt Deus, vel Angeli.

V. 7. APERTI OCULI, ſcilicet ad invicem concupiſcendum. Auguſt. XI. de Gen. Ad diſcernendum inter bonum quod amiſerant, & malum in quod ceciderant. Auguſt. XIV. de Civ. cap. XVII. *Oculi* non corporis, ſed mentis. Chryſoſt. in Gen. hom. XVI. PERIZOMATA, id eſt cingula.

V. 8. DEAMBULANTIS, ſcilicet in forma hominis: ſic enim eis apparere ſolebat, ut quidam volunt. AD AURAM, id eſt quo tempore ſolet ventus ſpirare. LIGNI, pro lignorum, id eſt arborum.

V. 14. INTER OMNIA, id eſt præ omnibus. ANIMANTIA, id eſt iumenta. BESTIAS, id eſt feras. SUPER PECTUS, &c. id eſt, omnes greſſus tui, nequitiæ erunt, & fraudes. Hier.

V. 15. ET SEMEN, pro id eſt inter ſemen. Chal. *Inter filium tuum, & filium eius*. Nota, quod mali dicuntur filii diaboli: unde Ioan. VIII. *Vos ex patre diabolo eſtis*. IPSA. Hier. in Gen. legit *ipſum*, ſcilicet *ſemen*: & quidem ſi legas *ipſe*, idem eſt ſenſus, nam ſemen Hebr. maſculinum eſt. Solet autem Interpres ſequi Hebræorum nominum genera. Vide Sapient. I. Matth. XX. Nota, quod quædam Heb. habent היא ſeu הוא, quod idem eſt, ſcilicet *ipſa*: & quidem multi antiqui legunt *ipſa*. Vide Chryſoſtomum hom. XVII. in Gen. Auguſtinum II. de Gen. contra Manichæos, cap. XVIII. & XI. de Gen. ad lit. cap. XXXVI. Amb. de Fuga ſæc. cap. VII.

Verſ. 16. ÆRUMNAS, ET CONCEPTUS, pro dolores conceptuum, ſcilicet geſtando fetum, & pariendo. POTESTATE, ſcilicet etiam nolens: alioqui ante peccatum ſub poteſtate erat, ſed volens; nunc autem

autem quam multæ nollent viris subesse, & oportet tamen.

V. 17. MALEDICTA, scilicet sterilitate, ut contra fertilitas dicitur benedictio. Vide Hebr. VI. IN OPERE TUO, idest propter tuum peccatum. Hebr. & Chal. *propter te*.

V. 20. HEVA, id est viva, seu vivens. Hebr. *Chavah*. MATER ESSET, scilicet futura.

V. 22. ECCE ADAM, &c. Ironia est.

V. 24. CHERUBIM, id est Angelos humana forma.

ESTII.

Vers. 1. SED ET SERPENS DIXIT AD MULIEREM. Serpens dixisse dicitur, quia diabolus per eum dixit, verbis in ore serpentis formatis; quomodo Num. XXII. asina Balaam locuta legitur, Domino os eius aperiente; & quomodo, secundum quosdam Apocalyp. XIII. locutura dicitur imago bestiæ.

Sed quæritur quomodo Eva non horruerit serpentem loquentem? Respondet Magister §. 2. Lib. II. Sent. distinct. XVII. mulierem putasse quod serpens hoc munus loquendi a Deo accepisset. D. Thomas & Bonaventura existimant putasse illam quod per serpentem spiritus aliquis sibi loqueretur, nondum discernens an bonus esset, an malus. Sed media sententia tenenda videtur, quam indicat ante eos Cyrill. Lib. III. contra Iulianum: nempe Evam putasse, non assentiendo, sed cogitando secum num forte serpens haberet aliquam vim loquendi. Neque enim perfectionem conditionis muliebris exegisse ut congenitam sibi haberet omnium rerum naturalium scientiam, sicut hoc exigebat perfectio viri. Itaque verbis diaboli, per os serpentis loquentis, & contemplatione propriæ excellentiæ interim fuisse seductam Evam, ut mox clarius explicabitur ad vers. 5.

Vers. 5. ET ERITIS SICUT DII. De hoc sic S. August. Lib. XIV. Civit. cap. XIII. *Perversa celsitudo est, deserto eo cui debet animus inhærere principio, sibi quodammodo fieri atque esse principium. Hoc autem fit cum sibi nimis placet*. Et infra: *Delectavit quod dictum est: Eritis sicut dii*. Hæc S. August.

At quæritur quomodo illud homo appetierit, quod sciebat sibi esse impossibile, utpote nullo adhuc errore affectus. Respondetur, idem hic suo modo accidisse quod contigit in lapsu dæmonum; de quo ita D. Thomas 1. part. quæst. LXIII. art. 1. ad 4. *Et huiusmodi*, inquit, *peccatum* (scilicet superbiæ) *non præexigit ignorantiam, sed absentiam solum considerationis eorum quæ considerari debent. Et hoc modo Angelus peccavit, convertendo se per liberum arbitrium ad proprium bonum, absque ordine ad regulam divinæ voluntatis*. Hæc D. Thomas. Vide etiam cap. præced. vers. 17.

V. 6. ET TULIT DE FRUCTU EIUS. Quæritur quæ arbor, & quis fructus fuerit. Quidam ficum fuisse putant, propter illud quod sequitur, *Consuerunt folia ficus*. Sed non convincit, maxime quod ficus non sunt pulchri aspectu. Verisimile magis est, malum seu pomum fuisse. Nam in genere pomorum quædam pulcherrima simul sunt, & esui gratissima. Et Ecclesia canit: *Quando pomi noxialis, morte morsu corruit*. Et Cant. VIII. *Sub arbore malo suscitavi te, ibi corrupta est mater tua*. Vide & Pererium.

V. 8. ET CUM AUDISSENT VOCEM DOMINI DEI DEAMBULANTIS. Verisimile est angelico ministerio formatum corpus deambulantis huius, vocemque loquentis; quomodo & alibi a Deo facta leguntur, quæ per Angelos facta sunt, aut dicta; ut lucta Angeli cum Iacob, legislatio in monte Sina, & alia.

V. 11. QUIS ENIM INDICAVIT TIBI QUOD NUDUS ESSES? Notandum, sicut occultum peccatum appetitæ divinitatis mox vindicatum fuit occulta pœna, id est iustitiæ, ac donorum spiritualium subtractione; ita & manifestum peccatum, quod erat in esu fructus vetiti, punitum fuit manifesta pœna, id est pudendo motu membrorum genitalium. Neque enim ignorabat ante peccatum Adam, se nullam habere vestem, nudumque esse; sed non experiebatur id quod nuditatem facit pudendam.

V. 14. ET AIT DOMINUS DEUS AD SERPENTEM. Sensus litteralis, secundum D. Augustinum Lib. II. de Gen. contra Manichæos cap. XVII. est: Quia fuisti instrumentum decipiendæ mulieris, ideo in toto genere animantium terrestrium eris maxime

contemptus & vilis, ipsique homini quam maxime exosus, & execrabilis.

Mystice. Diabolus super pectus ac ventrem graditur (exponente eodem Augustino ibidem) quia duabus viis tentat homines seducere; scilicet per superbiam, quæ significat pectus, & per libidinem, quæ ventre significatur. Vel secundum Gregorium Lib. XXI. Moral. cap. II. per ventrem significatur executio operis luxuriæ, per pectus vero eiusdem desiderium.

Vers. 15. IPSA CONTERET CAPUT TUUM &c. Quædam exemplaria genere masculino habent, quomodo & vertunt LXX. Alia item genere neutro. Sed quocumque genere efferatur, idem significatur, & eodem redit. Si genere masculino, tum refertur ad Christum, qui per passionem suam contrivit potestatem quam diabolus habebat in genus humanum. Si neutro, refertur ad semen; semen autem illud est Christus, ad Galatas III. Denique si feminino, refertur ad Evam, vel Virginem Mariam; eritque sensus, quod utraque per Christum ex eis nascendum id factura sit.

V. 22. ET SUMAT DE LIGNO VITAE, ET VIVAT IN AETERNUM. Perseverat Dominus ironice loqui. Dixerat enim antea, sine dubio per ironiam, seu sarcasmum: ECCE ADAM FACTUS EST SICUT UNUS EX NOBIS SCIENS BONUM ET MALUM; atque eodem scilicet schemate immediate subiungit: NUNC ERGO NE FORTE MITTAT MANUM SUAM, ET SUMAT DE LIGNO VITAE, ET VIVAT IN AETERNUM; quasi dicat: Ne videatur sibi sua stulta persuasione in æternum ex esu huius ligni victurus. Quid autem sibi velit quod dicit Deus, *Quasi unus ex nobis*, vide supra cap. I. vers. 26. ad illa verba: *Faciamus hominem ad similitudinem nostram*.

MARIANAE.

Vers. I. SED ET SERPENS ERAT CALLIDIOR. Sept. *Serpens erat prudentissimus*. Vox Hebræa ערמה *Hormah* in bonam partem accipitur, Prov. I. & VIII. & in malam, Exod. XXI. vers. 14. & Psal. LXXXII. vers. 4 ad illa verba: *Super populum tuum malignaverunt consilium*. Num serpens verus, an eius nomine & specie dæmon locutus Evæ est? Ioseph, & Hebræi fere quod serpens verus, & solus, quem olim putant humana lingua locutum, ut & ceteras animantes. Alii dæmonem tantum putarunt in specie serpentis; de quo omnia, quæ hic dicuntur de serpente, explicant. Nos cum Aug. XI. super Gen. ad litteram cap. III. sentimus, & verum serpentem fuisse, & intra eum dæmonem locutum, ut in energumenis. Serpens ergo verus callidissimus fuit; eoque aptus ut dæmon ad decipiendam mulierem eo abuteretur. Sed quomodo non horruit Eva colloquium serpentis? Fortassis horruit initio (neque enim omnia dicuntur) sed ille sensim, & callide se insinuans, depulit metum. Vocem humanam fuisse serpenti, non est verum; sed animantibus omnibus suam dialectum esse, qua inter se motus internos explicant, multa argumenta suadent; & Clemens Alex. affirmat Strom. I. & August. II. de Doct. Christ. id in medio relinquit. Eam dialectum notam primis parentibus quis dubitet? Et fortassis ea disputatio cum Eva in ea dialecto facta est, cum illa non satis intelligeret, quousque serpens in sua dialecto progredi posset. CUR PRAECEPIT? Hebr. אפכי *aphchi*, *etiam vere*: quod indicat, alia verba, uti ante dictum est, ante hæc præcessisse: certe salutatio, interrogationesque aliquot, de Dei potissimum severitate, quem in invidiam volebat adducere, quibus connectit, *etiam quod*, vel *etiam vere*. Hoc sequitur Rabbi David Kimhi in Lib. Radicum non inepte prorsus. Sed quoniam Hieron. & Sept. verterunt, *cur*; Chaldæus, *Verum ne est quod dixit Deus?* quasi sermonis initium accipiamus. Vocem infaustam, & vere a dæmone profectam, qua summis ima omni tempore confunderet. Divina præcepta exequi debemus, non præcipiendi rationes scrutari.

Vers. 2. DE FRUCTU LIGNORUM. Ruperr. Lib. III. cap. V. Eva modis omnibus Dei verba pervertit, in quo muliebre ingenium graphice depingitur. Detractione: nam Deus dixerat, *Ex omni ligno paradisi comedes*; ipsa, *De fructu lignorum*. Additione, cum adiecit, *Neque tangeremus illud*, quod Deus non dixit. Immutatione, cum quasi rem dubiam adiecit, *Ne forte moriamur*: Deus enim dixerat: *In quacumque*

quæ hora comederis ex eo, morte morieris. VESCIMUR; id est, vesci possumus.

V. 4. NEQUAQUAM MORIEMINI. Principiis obsta. Ex rupto silentio mulieris eo ventum ut dæmon Deo mendacium, & malignitatem affingat. Non, inquit, moriemini; sed id simulat Deus, ne eo esu evadatis ut

V. 5. DII. Hebr. ut *Elohim*, quod verti potest, ut *Dii*, ut *Deus*, & ut *Princeps*. Hoc postremum secutus est Chaldæus, primum Hieron. & Sept. estque sensus: Eritis sicut duo terreni dii, ut Deitas non sit in Deo multiplex, sed in ipsis hominibus. Sed non minus commode verti posset, *Eritis ut Deus*; i. est, Deo, qui in cælis est, similes. Quidam ex hoc loco idololatriæ sumptam occasionem dicunt, dæmone id agente, ut plures dii esse crederentur. SCIENTES BONUM ET MALUM; hoc est, scientes omnia suprema, infima, media.

V. 6. VIDIT IGITUR MULIER. Ne sententiam videretur præcipitare, accedit propius arborem, eamque contemplatur curiose; &, ut sibi fingunt somnia amantes, excitata concupiscentia, pulchra videtur quæ erat turpis. Addit: QUOD BONUM ESSET LIGNUM AD VESCENDUM, ET PULCHRUM OCULIS, ASPECTUQUE DELECTABILE. Septuag. Hebraica reddiderunt: *Et vidit mulier quod pulchrum lignum in escam, & placidum oculis ad videndum, & pulchrum ad intelligendum.* Nempe dixerat dæmon: *Eritis sicut dii scientes.* Sic mulier cogitavit, verius somniavit, aptum fore lignum ad acuendam intelligentiam, quod in Hieronymi interpretatione: fortasse cum absurdum id iudicium ex solo aspectu videretur, ad aspectum verba diverrit, neque ultra progredi voluit. DEDITQUE VIRO SUO, QUI COMEDIT. In Hebr. & Græco: *Et dedit viro suo cum ea, & comedit.* Unde colligunt, Evam bis comedisse, antea, & postea cum marito. Tum etiam verisimile est, multa inter eos verba præcessisse, Adamque Evæ blanditiis victum, magis quam quod crederet vera esse quæ nuntiabantur, comedisse. Adam enim in prævaricatione non est seductus, ut Paulus ait I. ad Timoth. II. vers. 14.

V. 7. APERTI SUNT OCULI. August. XI. de Gen. *Ad se concupiscendum*. De Civit. Dei Lib. XIV. cap. XVII. *Ad cognoscendum bonum quod amiserant, & malum in quod incurrerant.* OCULI, non corporis, sed mentis: Chrysostomus homil. XVI. in Genes. CUMQUE COGNOVISSENT SE ESSE NUDOS: nempe experti rebellionem membrorum, quæ vestibus merito esset tegenda. Ita ante nudi erant, sed vestibus non egebant. CONSUERUNT FOLIA FICUS. Nempe ea erat arbor interdicta: sic Hebræi, & ex Græcis plerique. FECERUNT SIBI PERIZOMATA. Subligacula, campestria, succinctoria: omnes hæ voces significant vestis genus qua teguntur nates & pudenda.

V. 8. ET CUM AUDISSENT VOCEM DOMINI DEI. Vides peccatoris stultitiam: prius se foliis tegit, deinde latebras captat, quasi Deum fugere possit. Vides flagitii conditionem; tenebras amat: benefacta se in luce collocari gaudent. Vides Dei benignitatem: offensus quamvis, hominem quærit, sine quo miser resurgere non posset. DEAMBULANTIS, in forma humana ficta specie se ad vera certamina exercet carne sumpta, quæ futura erant alio tempore. AD AURAM POST MERIDIEM. Hebraice, *Ad auram diei*: quod Symmachus, & Aquila, & Chaldæus ad verbum expresserunt. At Sept. dicentes, *Ambulantis in paradiso in meridie*, δειλινόν, quod potius sonat *tempus pomeridianum*, & Hieronym. cum posuit *ad auram post meridiem*, sententiam magis quam verba secuti sunt: nam in locis præsertim maritimis aura post meridiem excitatur; cui interpretationi Hebræi quidam Expositores subscribunt. Ex hoc colligit Histor. Scholastica, Adamum e paradiso pulsum hora septima, prima post meridiem. Isidorus in Chronicis, seu potius Lucas Tudensis, *Adamus*, ait, *prima hora diei fuit factus, tertia in paradisum deductus, hora sexta seductus, hora nona a paradiso pulsus.* Nempe & Christus sexta hora cruci affixus, nona expiravit. Aug. XI. super Gen. cap. XXXIV. Deum, ait, per creaturam subiectam apparuisse, nempe corpore assumpto, & specie hominis. Sed quæ e tribus divinis personis? Patres antiqui constanter affirmant, Dei Filium Adamo apparuisse, locutum cum Abrahamo, luctatum cum Iacob. Tertull. II. contra Marcionem, Clemens I. Pædagog. cap. VII. Iren. Lib. IV. cap.

cap. XVII. Hilar. XII. de Trin. Euseb. Historiæ initio. Quin Synodo Sirmiensi cap. XII. definitum id est. Nempe Dei Filius ab initio mundi fictam hominis imaginem, priusquam veram, sæpe induit, & ludicris certaminibus se ad vera exercebat. IN MEDIO LIGNI, id est lignorum, ubi maxime densum nemus erat.

Verf. 9. VOCAVITQUE DOMINUS DEUS ADAM. Non semel vocavit, sed sæpe; neque nunc modo, sed antea; quando Adam priusquam se absconderet, vocem Dei audivit: eaque terroris & fugæ causa fuit, uti superiori versu dicitur.

V. 10. TIMUI, EO QUOD NUDUS ESSEM. Male cohærentia verba male compositi animi formam exprimunt. Primum qui respondere debuit, Adsum Domine, sine honoris ulla præfatione incipit: VOCEM TUAM AUDIVI. Deinde addit: *Timui, eo quod nudus essem*. Quis timorem cum nuditate iungit? Ac potius debuisset dicere, Erubui quod nudus essem, timui indignationem tuam.

V. 11. QUIS ENIM INDICAVIT TIBI QUOD NUDUS ESSES, NISI QUOD EX LIGNO DE QUO PRAECEPERAM TIBI NE COMEDERES, COMEDISTI? Hebr. המן העץ *bamin babez, numquid de ligno, de quo præceperam tibi?* Atque ita exponit Chaldæus.

V. 12. MULIER QUAM DEDISTI MIHI SOCIAM. Sententiam expressit Hieronymus; Sept. & Chaldæus verba, cum dixere: *Mulier quam dedisti mecum*. In quo vide perturbatam Adæ mentem: in Deum culpam derivat, qui talem sociam dedisset. Et quam paulo ante prætulerat Deo, nunc eius salutem præ se contemnit.

V. 13. ET DIXIT DOMINUS DEUS AD MULIEREM. Non prius sententiam pronuntiat, quam in omnem causam more recti iudicis inquirat. Gen. XVIII. vers. 21. *Descendam, & videbo utrum clamorem qui venit ad me, opere compleverint*. Forma est quam iudices teneant, ne sententiam præcipitent. Qui inaudita causa iudicat, etiamsi recte statuat, iniuriam tamen facit.

V. 14. QUIA FECISTI HOC, MALEDICTUS ERIS. A serpente nihil quærit: quoniam si vero serpenti loqueretur, nihil intelligeret; si dæmoni qui latebat, nulla pœnitentiæ spes. Sed utrum his verbis punit? Aug. XI. super Gen. cap. XXXVI. ad dæmonem omnia refert: eoque ad mysticas significationes convertit quæ dicuntur omnia. Plerique de vero serpente intelligunt, bifariam divisi. Iosephus, & quidam Hebræi putant, serpenti pedes præcisos, cum ante habuisset. E nostris plerique ad serpentem referentes, disputant, bruta aliquando propter hominum peccata puniri. Lev. XX. cap. iumentum, cum quo quis coiret, lapidibus occidi iubetur. Nos de serpente vero, & de dæmone hæc omnia accipienda putamus. Et quidem mystice dæmon super ventrem graditur, in quem maiorem potestatem exercet; terram comedit, vitiis terrenis oblectatur. Quod vero ad serpentem spectat, ut verum eius peccatum non fuit, sed in speciem, ita fictum est supplicium, ut matres puero cadente solent verberare terram. *Maledictus eris*. Hebræi ad vitæ brevitatem serpentis referunt; nos qui sciamus maledictionem Dei esse male velle, & male facere, credimus in genere, hoc verbo exprimi mala quæ mox sigillatim explicat. INTER OMNIA ANIMANTIA. Hebraice, & Græce, *Ab omnibus*; hoc est, præ omnibus animantibus maledictus es. SUPER PECTUS TUUM. Hebr. *Super ventrem*; sic Chaldæus, & Sept. *Super pectus & ventrem* posuerunt. Quidam Hebræus dixit
על גחנך מעך כלומר שהולך מושכב ארצה
על בטנו; hoc est, *super viscera tua, ad terram super ventrem proiectus gradieris*.

V. 15. INIMICITIAS PONAM. Amicitiæ simulatione decepisti: ego efficiam ut nullus tibi fidat. SEMEN TUUM. Mali, filii diaboli. Ioan. 8. *Vos ex patre diabolo estis*. IPSA CONTERET CAPUT TUUM. Græce masculino genere, ut referatur ad semen feminæ, ad filium; verum de Christo vaticinium. IPSA CONTERET. Hebr. *ipsum*, ut ad semen mulieris referatur. Sic legit Hieron. Trad. in Gen. sed Chrysost. homil. XVII. in Gen. August. & Ambros. *ipsa* legunt. Sept. *ipse* posuerunt, ut referatur ad Christum. CONTERET CAPUT TUUM, ET TU INSIDIABERIS CALCANEO EIUS. Hebraice utroque loco est verbum שוף *supb*, & Græcis verbum *τερέω*: quod utrumque *conterere* significat. Ex Hieron. in Traditionibus satis constat, in veteri Vulgata editione, quæ ex Græca

haud

haud dubie manavit, lectum: *Ipsa servabit caput tuum, & tu servabis calcaneum eius*: atque ita in Romana quadam editione Sept. utroque loco *τηρήσει*, & *τηρήσεις* legitur. Hieronym. priori loco dixit, *conteret*; posteriori, *insidiaberis*. Fortassis Græci quidam aut utroque loco, aut altero pro *τειρέω*, quod verbum modo legimus, legerunt *τηρέω*, quod significat *observare*. Inter Hebræos Selomo priorem vocem deducit a שוף *suph*, quod est *conterere*; posteriorem ab נשף *nasaph*, quod est *afflare*, seu *mordere*, ut sit quædam *παρανομασία*, in linguis omnibus usitatus tropus: & alioqui serpens quomodo contereret calcaneum hominis? Itaque puto sic locum reddendum: *Ipse conteret caput tuum, tu sufflabis, mordebis*, aut *observabis calcaneum eius*. Hieron. in Traditionibus utroque loco Hebraice haberi dicit *conterendi* vocem.

V. 16. MULTIPLICABO AERUMNAS TUAS, ET CONCEPTUS TUOS. Ex hoc loco Rupertus colligit, multo plures post lapsum nasci quam incolumi natura fuissent. Nempe ut Angelorum ruina restitueretur, & numerus filiorum Dei æterno decreto descriptus, multo pluribus erat opus, ut plerisque cadentibus multi manerent. Sic figulus multo plures coquit lateres, quam pro postulatis, ut multis, quamvis fractis distortisve, competens numerus tamen constet. AERUMNAS TUAS ET CONCEPTUS TUOS. Aliqui ærumnas conceptuum explicant, & dolores conceptuum. Hebr. *Dolorem tuum, & conceptum tuum*. Quod Hieron. ad omne angustiæ genus per totam vitam refert, & ad dolores partus. SUB VIRI POTESTATE ERIS. Septuag. & Chaldæus: *Ad virum tuum conversio tua*. Vox Hebraica, תשוקתך *thesukathech* significat *desiderium tuum*; ac si diceret: Hoc ad calamitatis cumulum accedet, quod partus doloribus haudquaquam castigata, virum tamen ardenter appetes. Aliqui: Viro semper obedies, ex eius nutu pendebis. ET IPSE DOMINABITUR TUI: in eius arbitrio erit tuæ concupiscentiæ obsequi]. [Aut, tibi imperabit.

*V.*17. MALEDICTA TERRA; id est, infecunda redditur. IN OPERE TUO. Hebraice בעבורך *bebaburecha*, *propter te*: atque ita Chaldæus. At Hieron. & Sept. *in opere tuo*, nimirum unius litteræ mutatione in simillimam, legere בעבדך *bebabudecha*. Aquila *propter te* dixit; sententia tamen eadem est.

*V.*18. SPINAS, ET TRIBULOS. Fructus ad laborem non respondebit; sed spinas terra proferet pro herbis salutaribus. Porro per *spinas, & tribulos* Patres omnes herbas noxias, & inutiles intelligunt, quas natura integra futuras negant. Rabbi Selomo etiam animalcula noxia, pediculos, culices, peccati prolem legitimam: quæ sententia non videtur absona.

V. 19. IN SUDORE VULTUS TUI. Hebraice, *narium tuarum*, a naribus facie denominata, quoniam in ea eminent. Et sane אף *aph* & *nasum*, & *faciem* significat. QUIA PULVIS ES, lutum, terra, pulvis: ea omnia *haphar* Hebraicum significat.

V. 20. ET VOCAVIT ADAM NOMEN UXORIS. Præposteram hominis lapsi rationem! Deus illi graves calamitates denuntiat, ipse oblectatur inanibus titulis. MATER ESSET, destinata ad id scilicet. CUNCTORUM VIVENTIUM. Accommodate sumatur, nempe cunctorum filiorum hominis.

*V.*21. TUNICAS PELLICEAS. Servili ingenio homines veste servili induit.

V. 22. ECCE ADAM QUASI UNUS EX NOBIS. Cassianus Collat. XIII. cap. XVII. putat hæc assertive dictum, & in eo hominem Deo similem evasisse, quod sciret bonum & malum. Plerique tamen ironice dictum putant; quasi diceret: Tantum abest a Dei similitudine ut in magnas calamitates inciderit. ET VIVAT IN AETERNUM. Oratio deficiens; supplendumque, Pellamus eum e paradiso. Sept. verterunt *εἰς τὸν αἰῶνα*, quod ad verbum dicas, *in ævum*. Porro ævum non æternam, sed longam durationem significat, ne vox quidem Hebraica עלם *holam*, præsertim Vau littera destituta, ut disputat Hieronym. ad Galat. 1. Neque si Adam ex ea arbore comedisset, immortalis propterea evasisset post peccatum, & æternus. Et vide in supplicio Dei benignitatem: non vult diu vitam trahere tot & tantis vallatam calamitatibus.

Vers. 24. COLLOCAVIT ANTE PARADISUM. Sic etiam Sept. nimirum obliti quomodo verterint dictionem קדם *Kedem* cap.11. vers. 8. quo recurrendum est.

Alii

Alii Expositores sane vertunt : *Et collocavit ab oriente paradisi Eden* . Quid autem collocavit ? Sept. Adamum intelligunt collocatum . Hebraica verba , uti Hieron. in Trad. ait, potius significant Cherubim, & flammeum gladium collocatos . CHERUBIM , Angelos humana specie . FLAMMEUM GLADIUM , ATQUE VERSATILEM. Verum gladium putat Aven Ezra & alii Hebræi fuisse, & dici *flammeum* propter splendorem; *versatilem*, quod esset utraque parte acutus : iuxta quam sententiam singulare pro plurali accipiatur: erant enim plures Angeli , quisque suo armatus gladio : ergo *gladium* pro gladios . Nostri putant ignem fuisse , quo circumdatus est paradisus , qui vocetur gladius , quoniam in cuspidem surgit , & propter splendorem. Procopius ait , Cherubim positos adversus dæmones , ignem ad arcendos aditu homines.

MALVENDAE.

Vers. I. SERPENS . נחש *nachasch* dictum volunt a curiosa observatione, tentatione, insidiis, experientia , ut hic describitur callidissimus. Alii ab augurio, omine, seu incantatione: quod serpentes adiurati carmine incantentur, & excantentur. Plinius Lib.VIII. cap. XVI. *Quippe ubi etiam serpentes extrahi cantu , cogique in pœnam*. Et Lib.XXVIII. cap. 11. *Etiam serpentes ipsas incantari: & hunc unum esse illis intellectum , contrahique Marsorum cantu etiam in nocturna quiete* . Multa de his Auctores, & Lucianus in Philopseude . Virgilius:

Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis.

Eccle. x. 11. *Si mordebit serpens in non incantatione*. Quidam a colore æneo, seu notis, aut lineolis ærei coloris , quas in tergo habet. CALLIDIOR. ערום *gharum* , *attentus*, *callidus*, *astutus* , *versutus* , *versipellis*, *vafer*, quasi *excitatus*, *& providus*. *Astutum* videtur exposuisse Paulus II. Corinth. XI. 3. *Sicut serpens Hevam seduxit astutia sua* . *Prudentem* Christus Matthæi x. 16. huc enim uterque respexisse videntur. *Gharum* enim in bonum & in malum sumitur. Nescio cur quidam per superlativum vertant: *Erat callidissimus*, sive *astutissimus omnium bestiarum agri* . Quidam reddunt , *involutus* , quasi in multas spiras & gyros complicatus , & involutus: frigide , & ridicule . Cum hæc vox duodecies in sacris litteris extet , Noster Iob v. 13. Proverb. XIII. 16. XIV. 15. 18. XXVII. 12. *astutum* ; Proverb. XII. 16. XIV. 8. XXII. 3. *callidum*, ut hic; Prov. XII. 23. *versutum*; Iob v. 12. *malignum* ; Iob xv. 5. *blasphemantem*. CUR. Duæ hic sunt particulæ אף כי *aph ci* . Aiunt אף *aph* esse particulam indeclinabilem, quæ impetum, & afflatum animi notat ; & exponi debere secundum loci , & sententiæ exigentiam : esse enim difficile , eiusmodi animi affectus vocibus aptis exprimere; & ex gestu, aut sensu pronuntiantis esse intelligendam. Quidam hanc particulam augmentativam vocant, seu expletivam,qua oratio continuatur, & circumrotatur;hoc est, applicatur ad rem, vel personam sequentem. Communiter exponunt, *etiam*, *quoque*. Notant hic poni duas illas voculas *aph ci*, accentibus diversis distinctas , nec cohærere inter se, nimirum ut magnum animi impetum , & sententiæ, sensusve incrementum demonstrent , quo usus fuit coluber. Observant amplius, hanc voculam *aph* tam in compositione cum *ci* , ut hic, *aph ci*, quam per se solam, cum non sit rerum comparatio , aut collatio , idem esse quod *eo quod*; sed in sententia , in qua fit rerum collatio, si est oratio affirmativa , valere, *quanto magis*, *multo magis*; in oratione vero negativa idem esse quod *quanto minus*, *multo minus*. Hæc omnia pro loci circumstantia facile discernentur . Mirum quam varie hic reddiderint: quæ omnia distincte reponam : *Etiam quid*, *etiam quod* , *etiam quia*, *numquid*? *etiamne*? *ita omnino*, *itane? verene*? *equidem quia*, *eo quod*, *adhuc quia*, *amplius quod* , *etiamque* , *quanto magis* . Communiter putant esse paralepsin , quod Moses ex longiore serpentis ad mulierem sermone id tantum commemorare voluerit quod instituto erat necessarium , nimirum illud quo serpens obtinuit quod moliebatur . Videtur enim inter multas rationes , quibus persuadere mulieri voluit , non ita a Deo amari homines , ut ipsi putabant , hanc præcipuam afferre , quod esu illius fructus prohibuisset a quo penderet maximum hominis bonum, cognitio scilicet boni & mali . Verisimile enim esse , aiunt , plura præcessisse verba in colloquio serpentis cum muliere, ante hæc *aph ci* ; uti,

Non

Non equidem Deus adeo vos diligit ut ipsi existimatis, multa enim vobis invidisse videtur: neque enim contulit vobis pulchritudinem pavonum, fortitudinem leonum, velocitatem cervorum, volatum avium, &c. Etiam quod, Eo magis quod vos re adeo excellenti & praeclara privarit, cognitione boni & mali. Quidam: *Etiam* (subaudi, *estne verum*) *quod praecepit Deus ut non comederetis, &c.* putant truncatam esse sententiam, ut post alia multa quae serpens dixerit mulieri, subiunxerit: *Estne verum quod Deus, &c.* verti etiam posse: *Multo magis* (miror) *quod prohibuerit*, &c. quasi dicat: Miror Deum vos privasse magnis bonis; multo magis demiror quod dixerit vobis ne comederetis, &c. Aliqui: *Profecto quod dixit?* ut sit admirantis, & interrogantis. Alii volunt astute & subdole serpentem non directe voluisse Deum inclementiae, & invidiae accusare; hanc enim blasphemiam illico exhorruisset mulier: sed subdubitando ingressum, *Etiam ne verum est*, &c. vel *itane verum est*, &c. quasi dicat: Forsan non serio hoc Deus dixit ac prohibuit. Sed hic sensus manifeste pugnat cum vers. 5. Nonnulli exponunt: *Ira, quoniam dixit Deus*; quasi dicat: Ira est Domino adversum vos, aut iratus est vobis, quia dixit ut non comederetis, &c. nimirum ex significato אף *aph*, *nasi*, aut *irae*, quod ea infletur nasus; sed tunc est ab אנף *anaph*, non ab אפף *aphaph*. DE OMNI LIGNO PARADISI. Aliqui exponunt: *Ne ex ulla arbore*, sive *ne ex ullius arboris paradisi fructu comederetis*, ut illud, *ex omni*, phrasi Hebraica sit, *ex nullo*, ut Psal. CXLVII. 20. *Non fecit taliter omni nationi*; id est, nulli nationi fecit taliter: quae phrasis passim occurrit. Sed non puto serpentem tam manifeste & impudenter voluisse mentiri, ubi rem summa astutia & calliditate versabat; sed vere dixisse: Non omnes arbores horti vobis esui permisit, aliquas excepit.

V. 3. NE TANGEREMUS. Plerique volunt, hoc addidisse mulierem odio, & taedio praecepti; quasi illud ut superstitiosum in invidiam adduceret: cum Deus nec aspectum, nec tactum, sed esum tantum prohibuisset. Melius alii, tunc mulierem fuisse sanctam, & id ob religionem & reverentiam praecepti addidisse; quasi dicat: Praecepit nobis Deus ne comederemus; sed nobis religio fuerit etiam vidisse, aut attigisse. Quidam, forsan Deum id etiam praecepisse, sed Mosen divinum praeceptum narrantem cap. II. 17. subticuisse, quod hic mulier expressit. Verum id non placet. NE FORTE. פן *pen* aiunt idem valere quod Graecis μήποτε, id est *ne quando*: nec esse omnino dubitantis, aut haesitantis, sed temporis; saepequenumero negationem simplicem notare, *ne*, *ut non*, *ut ne*. Matthaei IV. 6. redditur ex Psal. XC. 12. μήποτε, *ne quando offendas ad lapidem pedem tuum*. Eodem modo Matthaei XXV. 5. *Ne quando te tradat adversarius iudici*. cap. XV. 32. *Ne quando deficiant in via*. Psal. XXVII. 17. *Ne quando supergaudeant mihi*.

V. 5. ERITIS SICUT DII. Quidam, *Sicut Angeli*, quod *Elohim* Angelos quoque significet; sed hic de Deo intelligi docet expresse vers. 22. SCIENTES BONUM ET MALUM. Aliqui interpretantur, scientes omnia; quasi dicat: Eritis multiscii velut Deus. Notant, Hebraeos quum volunt aliquem a varia & multiiuga rerum scientia laudare, solere dicere, eum scire bonum & malum; ut e contra ignarum, & rerum omnium inscium velut infantem, nescire bonum & malum. Confirmant id ex Isaia VII. 15. *Ut sciat reprobare malum, & eligere bonum*. Et vers. 16. *Antequam sciat puer reprobare malum, & eligere bonum*. Sed ii locum Isaiae non intelligunt. Rectissime Adam & Heva per scientiam ipsis a Deo inditam sciebant discernere inter bonum & malum, & plenissimam boni & mali scientiam habebant; sed fucos eis serpens faciebat, ut deciperet, & gustui fructus prohibiti mirabilem quamdam vim sciendi, quae eos propemodum Deo aequaret, & quam simillimos redderet, inesse cavillabatur: unde lapsi protoplasti suo ingenti malo experti sunt, gustato fructu, scientiam boni & mali, scilicet quantum boni perdiderint, & in quot mala inciderint: nam ab eo effectu per prolepsin dictam arborem scientiae boni & mali, plerique existimant.

V. 6. ET PULCHRUM. תאוה *taavah* nomen substantivum, *concupiscentia*, *desiderium*, *appetitus*, *aviditas*. Et cum hanc vocem, quae plus, minusve vigesies & semel in Scripturis occurrit, semper Noster *desiderium* exponat, hic *pulchrum* dixit: Psalm. CV. 14. *concupiscentiam*; Proverb.

xix. 22. *indigens*; & Prov. xviii. 1. *occasiones*: nimirum quod desiderium ipsum, seu concupiscentia plures & magnas occasiones quærat, & captet: quæ significatio pulchre huic loco quadrat: *Et occasiones oculis*: quod visus ille pulcherrimus fructus mille occasiones obtulerit transgrediendi divinum mandatum. Ex verbo reddes: *Et concupiscentia oculis*. Et abstractum magnam vim sententiæ addit; quasi dicat: Nedum concupiscibile, sed ipsa concupiscentia erat oculis, magnopere desiderabile. ASPECTU DELECTABILE. ונחמד העץ להשכיל *venechmad haghetz lehaseil*. Varie reddunt: 1. *& concupiscibilis arbor ad intelligendum*. 2. *& desiderata arbor ad intelligere faciendum*. 4. *& desiderabilis arbor ad considerate facere*. 5. *& iucunda arbor illa ad erudiendum*. 6. *& desiderabilis arbor ad contemplandum*; id est, quod oculos contemplantium se remoraretur. Observant, verbum שכל *sacal*, significare in omnibus actionibus & operationibus de quibus dicitur, insignem industriam, & accuratam, & gnavam considerationem, animum intentum, & diligens studium, gnavam & strenuam operam; proprieque esse *attente*, *scite*, *considerate*, *prudenter*, *solerter*, *industrie*, *strenue*, *gnaviter agere*, *callidum*, *industrium*, *prudentem esse*: ex quo putant per aphæresim factum Latinum *calleo*. Atque in aliquot Scripturæ locis esse, *fortunate*, *feliciter*, *secunde*, *prospere agere*: eo quod qui gnavus & strenuus est in rebus gerendis, & qui attente, considerate, & industrie agit, prosperos successus habeat.

Noster id verbum in Hiphil, ut hic ponitur, per *intelligere* vertit: his locis exceptis: Proverb. xix. 14. *prudentem esse*; Proverb. xvi. 20. *eruditum esse*; Daniel. xii. 3. *doctum esse*; Ieremiæ xxv. 5. *sapientem esse*; Psal. xciii. 8. *sapere*; Proverb. xvii. 8. *prudenter intelligere*; I. Samuel. xviii. 5. 14. *prudenter agere*: quæ omnia significata huic loco Genes. mire conveniunt. Et expetitum lignum ad prudentem, eruditum, doctum, sapientem esse, ad prudenter intelligere, ad prudenter agere, ad sapere.

Suspicio mihi est, serpentem mulieri insusurrasse, fructum illius arboris eam felicitatem gustantibus instillare ut in omnibus considerate, prudenter, industrie se gererent; atque omnia iis prospere, fortunate, feliciter succederent: ut Homericam Moly, de qua Plinius Lib. XXV. cap. iv. versionem Nostri, Hebræorum etiam nonnulli probant, teste Kimchi.

VIRO SUO. Addunt Hebræa particulam עמה *ghimmah*, *viro suo cum ea*, vel *viro suo secum*. Quidam exponunt: *Dedit viro suo*, *qui cum ea*, *vel secum erat*. Hinc aliqui volunt, Hevam seductam fuisse præsente Adamo viro suo. Verum Hebræi subaudiunt, *ut ederet*, sicque coniungunt: Dedit viro suo, ut ederet una cum ipsa, vel ut secum simul comederet. Unde nonnulli inferunt, Hevam bis comedisse, primum absente marito, iterum ipso præsente, ut eum ad esum pelliceret. Quod non probo: rectius est, ut illud *cum ea* idem sit quod comedit ipse ut ipsa comederat; vel quod Adam præsens interfuerit colloquio serpentis & Hevæ, & huius seductioni. Præclare Paulus I. Timoth. ii. 14. *Adam non est seductus*; *at mulier seducta in transgressione fuit*: quia & serpens decepit Hevam, & mulier serpenti credidit: at Heva nec voluit decipere Adamum; nec Adam eius, aut colubri verbis fidem habuit; sed superbia & amore uxoris, ne contristaret delicias cordis sui, lapsus est.

Vers. 7. ET APERTI SUNT OCULI AMBORUM: CUMQUE COGNOVISSENT SE ESSE NUDOS. Hanc partem illuminat postremus versus præcedentis capitis. In sanctitate & iustitia originali, tametsi nudi essent, non eis erat pudor, uti pueris & infantibus. Amissa gratia & sanctitate cœperunt sentire, curare, vereri suam nuditatem ut pudendam: cœpit eius eos pudere, ipsi erubescere, verecundari, ut pueri iam adultiores, cum se nudos vident. Alii ad motus carnis, & genitalium membrorum referunt, quos iam sentire & experiri cœperunt turpes & pudendos. Nonnulli apertos oculos mentis interpretantur ad discernendum inter bonum quod amiserant, & malum in quod inciderant; & magno suo malo experiri, quod coluber vere, sed vafre eis vers. 5. dixerat: *Aperientur oculi vestri*, *scientes bonum & malum*. CONSUERUNT, *concinnarunt*, *aptarunt*: alii, *comunxerunt*. FOLIA. Hebr. singulariter *folium*, sed collective, folia, frondes. Forsan singulari est usus, ob magnitudinem: nam unum folium ficus Indicæ ante, &

alind

aliud retro, poterat succingere totum hominem: tantæ enim magnitudinis traduntur folia ficus Indicæ, ut clypeum, aut scutum æquent. Vide nostrum Paradisum, cap. XVI. PERIZOMATA. חגורות *chagoroth*, *cinctoria*, *cingula*, *zonas*, *succinctoria*, *subligaria*, *subligacula*, *lumbaria*, *subventralia*. Quidam dixerunt *campestria*, quibus pudenda tegerent. Actorum XIX. 12. redditum videtur *semicinctia*. Hebræa vox & sono, & significatione cum Hispanica *cagaderas*, vel *bragas* consentit.

V. 8. VOCEM DOMINI. Tonitruum, seu fragorem ingentem, quidam intelligunt, e Psal. XXVIII. 3. & seqq. ridicule: strepitum, seu levem quemdam sonum advenientis Dei, vel signa aliqua præsentiæ dominicæ melius accipimus. DEAMBULANTIS. Quidam Hebræorum ad vocem referunt *deambulantem*, id est incedentem, & crescentem: nam ambulatio voci tribuitur Exodi XIX. 19. Ierem. XLVI. 22. מתהלך *mitallech*, participium Hithpahel, seriam spatiosam deambulationem, ex instituto susceptam, veluti levandi, & laxandi animi causa designat: ut quam segniter & otiose Deus ad puniendum hominem pigresceret, indicaret. AD AURAM POST MERIDIEM. Hebr. *Ad spiritum*, seu *ventum diei*; id est, in ea diei parte qua aura reflaret, & vocem subinde ad aures eorum reportaret. Quidam de matutino tempore accipiunt, quando solet aura consurgere. Hebræi, & Nostri melius de postmeridiano, seu subvespertino. Cant. II. 17. *Donec adspiret dies, & inclinentur umbræ*. Alii: *Ad respirationem diei*; id est, quo tempore est respiratio, & refrigerium diei, seu aeris: unde nonnulli: *Ad refrigerationem diei*; nempe quando declinat dies, cum zephyri incipiunt sese attollere, sub meridiem enim flare solent, teste Aristotele in Problematis. Maro III. Georgicorum.

Solis ad occasum, cum frigidus aera vesper
Temperat.

Non desunt ex Hebræis qui reddant: *Ad ventum diei*; id est, ad eam partem ubi venti in die spirare occipiunt, nempe ab occidentali parte horti, ubi sol occumbebat, & ventus flabat: ab ea enim parte zephyri consurgunt. Mysterio id serviat, quod ab occidente paradisi, nempe a monte Calvariæ salus ventura erat generi humano lapso. ET ABSCONDIT. יתחבא *iitchabe*, in Hithpahel, magnas latebras, metum, & festinationem abscondendi sese designat. IN MEDIO LIGNI, vel *arboris*. Alii, *In medio arborum*: aiunt positum singulare pro plurali phrasi Hebraica; id est, inter arbores horti, vel in ea parte horti, quæ arboribus densissima erat. Quidam, *Inter arbores*, nempe in medias arbores, densaque paradisi nemora se intulerunt. Nec a vero absimile ut intra illud topiarium, seu fornicatum opus, quod sola una Indica ficus efficere solet, ex variis propaginibus, & stolonibus, sese protoplasti abdiderint: nam mille equites sub una ficu meridiari, Auctores produnt: ac proinde dixisse, *In medio ligni*, vel *arboris*. Videmus ingentes arborum truncos intus exesos, & cavos multorum hominum capaces; sed tunc initio rerum, & in paradiso non erant eiusmodi.

V. 9. VOCAVIT DOMINUS DEUS AD ADAM. קרא *kara*, constructum hic cum אל *el*, *Vocavit ad Adam*, vim quamdam habet, quasi inclamaverit, & magna voce exciverit latentes. UBI ES? איכה *aieccah*, aliqui reddunt, *hei tibi*, *væ tibi*: frigide & aliene.

V. 12. MIHI SOCIAM. עמדי *ghimmadi*, id est *mecum*, *iuxta me*, quasi adstantem mihi, & in loco ubi ego sto; sive dicas, coadstantem mihi, coadstatricem meam. A verbo עמד *ghamad*, & pronomine primæ personæ, cum quo solo hæc particula iungitur.

V. 13. DECEPIT ME. Verbum השיא *hischia*, in Hiphil, ut hic ponitur, magnam deceptionem, & seductionem, versutam imposturam serpentis indicat. In hac coniugatione quatuordecies in Scriptura occurrit, & Noster pluries per *decipere*, vel *seducere* convertit, nisi his locis: Psal. LXXXVIII. 23. *proficere*; Abdiæ vers. 7. *illudere*; ibidem vers. 3. *efferre*; Psal. LIV. 16. *venire*; Isaiæ XXXVII. 26. *eradicare*; II. Reg. XIX. 25. *esse in ruinam*: quæ omnes significationes apte huic loco quadrent. I. *Serpens profecit in me*, obtinuit quod volebat. II. *Proficere me fecit*: ironice, scilicet evasi pulchre sciens bonum & malum tamquam Deus. III. *Illusit mihi*, amplissime, ac feliciter pro voto. IV. *Extulit me*, superbia, vel ironice, ad dignitatem divinam, aut me extra me tulit:

facome de mi: seu tulit mihi omnia bona, perdidit me. V. *Venit mibi*, venit in me, aut circumvenit me. VI. *Eradicavit me*, valide insertam & plantatam in iustitia, & sanctitate originali. VII. *Fuit mibi in ruinam*, sane maximam, quæ totum genus humanum hausit.

Notant verbum נשא *nasa* significare *obruere aliquem*, *obtundere*, *clamoribus*, *verbis*, & *argumentis fallacibus*, *persuasibilibus*, & *arte sophistica obtrudere*: quod hic mire in serpentem congruit. Aliqui consentiente voce exponunt: *Coniecit me in nassam*, Hispanice: *Cogiome en el garlito*. Alii: *Persuasit mibi*, *concitavit*. Nonnulli: *Oppressit me*, vel *desolavit me*; ut conveniat cum verbo שאה *schaab*. Nec desunt qui: *Abduxit me*, vel *sublevavit me*; id est, abduxit me a vero & recto, & sublevavit me in vanitatem, & appetitum sciendi bonum & malum.

Et comedi. אוכל *ocel*, participium præsens masculinum idem omnino quod in præcedenti versu, viro tribuitur: & *comedens* fui, vel & *comedo*. Sic enim Latini interdum loquuntur, & rem præteritam per præsens enuntiant, ut quasi ob oculos ponant. Nec sine mysterio mulieri tribuitur participium masculeum, ut animum masculum, superbum, ac validum ad transgrediendum Dei præceptum innueret; vel ut unum idemque peccatum mulieris & viri eius indicaret, quod præcipue masculum erat: nam si sola Heva peccasset, non nocuisset generi: ex sola enim traduce virilis seminis propagatur peccatum in posteros.

V. 14. Maledectus. ארור *arur* interpretantur *maledictus*, *execratus*, *corrosus*, *discerptus*, *laceratus*, *dilaniatus*, *compunctus*, *transfixus*; nimirum ex vicinis & agnatis verbis. Pectus tuum. גחן *gichon*, *ventrem* exponunt, propri animalis reptilis quo se protendit, proripit, proserpit, corrugando & porrigendo sese. Bis tantum in Scriptura reperitur, hic, & Levitici xi. vers. 42. & Noster utrobique *pectus* convertit. Quidam existimant, serpentem antea erectum super pedes incessisse; sed in pœnam a Deo ablatos ei pedes, & iussum ventre proserpere. Cibo decepit primos parentes, cibo punitur, cum iubetur eum ventre reptando premere, & pulverem esse, cum antea herbis, & fructibus victitaret. Apollonius in Mirabili Historia inquit: *Aristoteles in Dissectionum selectis Annotationibus*, *in Papho scribit*, *serpentem conspectum*, *qui duos pedes baberet*, *perinde ac crocodilus*. Plinius Lib.II. cap. xlvii. *Visæ iam etiam serpentes anserinis pedibus*. Et pulverem comedes. Isai. lxv. 25. Michææ vii. 17. Hoc loco super ventrem gradi, & terram comedere, quidam figurate dictum putant, pro versari in imis, & obscurissimis cavernis terræ, angustis admodum, & non altis: sunt enim cavernæ multæ ita angustæ & depressæ ut in illis nemo erigere se possit, nisi manibus exporrectis innitatur. Sed proprie hæc sunt proculdubio intelligenda. Virgilius II. Gergic.

Et tophus scaberes nigris exesa chelydris
Creta: negant alios æque serpentibus agros
Dulcem ferre cibum, & *curvas præbere latebras*.

V. 15. Inimicitias. Heb. singulare, *inimicitiam*, *malevolentiam*, *odium*, ut æterna tot sæculorum dissidia sint una continua, & intermissibilis inimicitia. Ponam. Futurum אשית *ascbit*, Hiphil emphasim habet; quasi dicat, æternum positæ erunt. Inter semen tuum, id est eos quos in malitia, & impietate genueris. Ipsa. Non est repudianda lectio hęc feminea. Sed præferenda profecto neutra, Ipsum, semen, quod est Christus; vel potius masculea. Ipse, semen, quod Hebraice est masculinum; vel melius ad sensum, Christus, quam & multi codices vulgatæ editionis etiam ferunt. Et sane utraque, neutra, & masculina eadem omnino est, ut gloria redemptionis in solidum Christo servetur. Nota, dici hic Christum antonomasice semen mulieris, quia ex Virgine sola, sine virili semine natus, infra cap. xlix. vers. 10. & Isai. vii. vers. 14. Matth. i. vers. 22. Conteret tibi. ישופך *ieschuphcca*, verbum maschuleum, *conteret te*. Varie exponunt: quidam: *Ipsum obruet tibi caput*. Alii: *Ipsum percutiet te capite*. Nonnulli: *Ipsum quatiet tibi caput*. Aliqui: *Ipsum contundet te in capite*. Alii: *Ipsum conculcabit tibi caput*. Et tu insidiaberis calcaneo eius. Idem est verbum תשופנו *tescuphennu*, masculeum, & pronomen נו *nu*, item masculeum *conteres eum*.

cum. שוף *fchuph* quater tantum in Scriptura occurrit, hoc versu bis: priori hemistychio Noster *conterere* vertit; posteriori isto *insidiari*; Iob IX. 17. *conterere*; Psalm. CXXXVIII. I. *conculcare*: quæ significatio mire hic convenit: *Ipse conculcabit te caput*; *& tu conculcabis eum calcaneum*. Hoc ergo hemistychium alii sic reddunt: *Et tu obrues ei calcaneum*: 2. *& tu percuties illud calcaneo*: 3. *& tu quaties illi calcaneum*: 4. *& tu sufflabis eum calcaneo*. Serpens enim quando venit ad mordendum, sufflat, id est sibilat. Aiunt, שוף *fuph*, ex agnatis verbis נשף *nafchaph*, & שפה *fchaphah*, esse *festinanter obruere afflatu*, seu *anhelitu*. Aliis est *quassare*, *concutere*, *conterere quatiendo*. Nonnullis *præcipitare*, *in præceps ruere*. Ego ex sono vocis *sufflare*, *afflare* putarem. Unde illud Psal. CXXXVIII. II. *Tenebræ conculcabunt me*: posset exponi: *Tenebræ afflabunt me*, seu *afflatu obruent*: ut de Iride dixit Maro V. AEneidos:

Et me sævus equis oriens afflavit anhelis.

Et Iob IX. 17. *Qui in turbine afflabit* (afflatu obruet) *me*. Non desunt qui existiment, ab hoc verbo esse שפיפון *fchephiphon*, serpentis genus virulentissimum, quod flatu obruat, seu opprimat, uti basiliscus: ac proinde suspicentur hunc esse, qui Hevam seduxit, ut verbo *fchuph*, quo hic utitur Dominus voluerit alludere ad nomen *fchephiphon*, & serpenti pœnam nominis sui infligere; quasi dicat: Tu es *fchephiphon*, flatu obruens; sed ipsum semen mulieris afflatu obruet tibi caput; & tu afflatu obrues ei calcaneum. Vide me Lib. III. de Antichristo, cap. VII. Ad hunc locum proculdubio respexit Paulus Rom. XVI. 20. *Deus autem pacis conteret satanam sub pedibus vestris velociter*: ubi per illud, *conteret velociter*, videtur voluisse exprimere vim verbi, ישוף *infchuph*, quod hic ponitur: nam, ut paulo ante dicebam, illud exponunt, festinanter afflare, obruere, conterere veluti turbine. CALCANEO EIUS. עקב *ghakeb*, *calx*, *calcaneus*, *planta pedis*, *vestigium*: & quia calcaneus seu planta postremum est in animante, transfertur *ad finem*, seu *extremitatem alicuius rei* significandam. Noster, Genes. XLIX. 19. *retrorsum* dixit: unde hic exponunt: *Et tu obrues eum retrorsum*, a tergo, ex insidiis. Huc forsan respexit Iacob Genes. XLIX. 17. de *fchephiphon* serpente: *Mordens calcaneos equi*; *& cadet equitans eum retrorsum*. *Ghakeb*, *insidias* aliqui explicant, Iosue VIII. 13. & hic vertunt: *Et obrues eum insidiis*, fraude, dolo. Noster, Psal. XL. 10. *supplantationem* dixit: nec aliene hic: *Et tu obrues eum supplantatione*. Psalm. LXXXVIII. 51. *commutationem* vertit, quod hic etiam quadret: *Et tu conteres eum commutatione*; id est, mutuo reddes ei vicem: vel re commutando, spiris, ambagibus, mutando artes. Noster, Iosue VIII. 13. *novissimum*, dixit: unde hic recte explices: *Et tu obrues eum fine*, novissimo, extremo: nimirum quod novissimis temporibus, & in fine mundi satanas per antichristum violentissimo turbine, & veluti totius inferni afflatu, pene obruturus sit Ecclesiam, & nomen Christi. Vide me Lib. IX. de Antichristo, cap. XV.

V. 16. MULTIPLICABO. הרבה ארבה *harba arbeh*, *multiplicare multiplicabo*. Geminatio verbi, & coniugatio Hiphil indicant, multos, magnos, & perennes futuros dolores mulieris, & immensum multiplicandos, & cumulatissime augendos. AERUMNAS TUAS. עצבוך *ghitzabon* ter tantum reperitur in Scriptura. Noster hic *ærumnas*; vers. 17. & Genes. V. 29. *labores* interpretatus est. Aiunt, proprie esse dolorem, mærorem, tristitiam, angustiam, compressionem, laborem, molestiam, fatigationem. Suspicor נ *Nun* additum ad auxesim doloris, quem gravissimum, & acutissimum esse in hoc sexu voluit Deus. ET CONCEPTUS TUOS. הרון *heron*, non alibi invenitur, *conceptum*, *conceptionem*, *graviditatem*, *ingravidationem*, *imprægnationem*, *gestationem uteri*, exponunt. Atqui hac pœna comprehendi volunt molestias menstruorum, devirginationem, pudorem, dolorem, fastidia, gestationem uteri tam diuturnam, lassitudines, pericula abortus, angustias quæ mulieres sustinent a conceptione ad partum, & alia id genus, quæ late enumerant Aristoteles VII. de Historia Animalium, & Plinius Lib. VII. cap. VI. & VII. Virgilius Ecloga IV.

Matri longa decem tulerunt fastidia menses.

Quidam vertunt, *fetum tuum*: quod ex multiplicatione partuum multiplicentur dolores, & pericula mulieribus. Quidam red-

reddunt: *Admodum multiplicabo dolorem tuum, etiam conceptus tui*; id est, inde a conceptu dolore coniuncta erunt gestatio, partus, educatio, & cura liberorum; quam ad functionem obeundam viro iungeris: I. Timoth. II. 15. IN DOLORE PARIES, FILIOS, educabisque: synecdoche, ut infra cap. XXV. 19. & L. 23. ET SUB VIRI POTESTATE ERIS. Varie locum ex fonte reddunt: *Et ad virum tuum appetitus tuus*, vel *concupiscentia tua*, vel *desiderium tuum*: quod etiam multipliciter intelligunt. I. Maximi tibi erunt dolores conceptus, & partus; & nec sic tamen post partum refugies congressum viri tui. II. Non tibi aliud appetendum erit, nisi quod volet maritus tuus: negat eam fore liberam, ac proprii iuris, sed mariti sui arbitrio & imperio addictam, ut ab eius nutu pendeat. III. Flagranter appetes, concupisces virum, ut illud Aristotelis: *Sicut femina appetit virum*: nedum ut suam perfectionem, sed vitio naturæ intemperanter. Quidam: *Et ad virum tuum excursio, accursio, occursio tua*. Significat autem illam accursionem, quæ spontanea esse debeat mulieris inclinatio ad virum suum, sicut potentia loco motiva obsequens est menti rectrici. Nonnulli: *Et ad virum tuum decursus, defluxus tuus*. Omnes discursus, negotia, actiones referes ad virum tuum: nihil sine eo ages. Alii: *Et ad virum tuum prompta voluntas, obsequentia, auscultatio, obedientia tua*. Nec desunt qui: *Et ad virum tuum illecebra tua*: quod mulier sit illecebra, voluptas, & deliciæ viri.

Noster vocem תשוקה *teschukah* quæ ter tantum reperitur in sacris litteris, hic *potestatem*, cap. IV. 7. *appetitum*, Cant. VII. 10. *conversionem* interpretatus est. Unde hic recte expones: *Et ad virum tuum conversio tua*. Quod mulier semper respicere virum debeat, intueri, & ab eo in omnibus pendere. Nec prorsus alienum erit: *Et ad virum tuum coxendicatio, tibiatio tua*, a שוק *schok*, *coxendice*, *tibia*, vel *femore*; quasi dicat: Iunges, suppones coxendicem, tibiam, femur, armum viro tuo ad procreationem generis humani; & in hoc maxime eius libidini subiecta eris. Multoties feminæ respuunt congressum, quem pati coguntur. Nec desunt qui reddant: *Ad virum tuum acclinatio tua*: de cultu, respectu, veneratione, reverentia mulieris ad virum suum. ET IPSE DOMINABITUR TUI. משל *mascbal* proprie *potestatem*, *ius*, *auctoritatem*, *dominium*, *eminentiam*, *excellentiam habebit in te*. I. Timoth. II. 12. & I. Corinth. XIV. 34. Paulus videtur exposuisse per *auctoritatem habere*, *authenticari*, *authenticum esse*.

V. 17. MALEDICTA, execrata. Vide vers. 14. Maledictio hic significat sterilitatem, angustiam, & difficultatem fructuum; sicut benedictio copiam, abundantiam, fertilitatem. Hebræor. VI. 7. 8. IN OPERE TUO. Hebræi codices constanter habent, בעבורך *bagbabureca*, cum ר *Res*, exponuntque: *Propter te, tui causa, propter peccatum tuum, propter opus*, quod admisisti: & id esse volunt quod Noster ait, *In opere tuo*: ex verbo, *in transitione tua*, id est in transgressione tua. Ut fons est fecundus, possis exponere: *In frumento tuo præteriti anni*; id est, non fundat tibi frumentum, quod servetur in annum sequentem: עבור *gbabur* enim *frumentum præteriti anni* significare aiunt, Iosue V. 11. 12. ubi Noster *fruges* exponit, ut hic recte vertas: *Maledicta terra in frugibus tuis*. Aliter: *Maledicta terra in transitu tuo*: quod potest explicari duplici Hispanismo, seu Hebraismo: *Maldita la tierra por donde passares, o que pisares*: vel *maldita la tierra en tu passar*. Commeatum & victum Hispanice dicimus, *passar*, id est transire, transigere. *Fulano tiene en que passar, lo passa bien*. Ac si dicat, execrata terra in victu & commeatu tuo, ægre tibi ac difficulter victum suppeditabit. Quidam existimant litterarum facili similitudine Nostrum legisse בעבודך *bagbabudeca*, *in servitute tua*, *in cultura tua*, seu *in opere tuo*, culturæ scilicet. IN LABORIBUS: singulare, ut vers. 16. in dolore, angustia, molestia, tristitia, mærore, fatigatione, compressione; quasi dicat, in summa calamitate, difficultate, labore, ærumna. Et utinam non experiremur tanto nostro damno.

V. 18. SPINAS. קוץ *kotz* singulare. Duodecies hæc vox occurrit in Scriptura, & semper Noster *spinam*, seu *spinas* convertit, nisi Osee X. 8. ubi *lappam* dixit, quæ est herba lanificio infesta. Virgilius I. Georgicorum:

Lappæque, tribulique absint.

Alii hic *carduum* interpretantur, seu lactucam asininam. ET TRIBULUM. דרדר *dar-*

dardar, non nisi in singulari & bis tantum occurrit, hic, & Osee x. 8. Quidam *carduum* intelligunt, qui inter fruges enascitur, & est anserum cibus. Paulus Hebræor. vi. 8. utramque vocem per ἀκάνθας, & τριβόλους, reddidit. Aliqui *ulmum silvestrem*, quam eadem voce ab Arabibus appellari, auctore Serapione medico notant. GERMINABIT TIBI. תצמיח *tatzmiach*, proprie *germinare*, *pullulare*, *progerminare*, *succrescere faciet*. Et formula Hiphil magnam copiam, vim, & fecunditatem germinandi hæc aspera, & infrugifera demonstrat. ET COMEDES HERBAM; quasi dicat: Non amplius iam deliciis paradisi frueris, nec vesceris eius delicatissimis, & suavissimis fructibus, sed ut iumentum herbas pasces.

V. 19. IN SUDORE VULTUS TUI. זעה *zegbah*, *sudorem* exponunt, qui ex labore, & commotione, seu agitatione causatur: *vultus tui*, proprie, *nasi tui*, vel *narium tuarum*: quod nasus in labore primum sudare incipiat. Quidam exponunt: Id est, quodcumque sequaris vitæ genus, laboriosa, & ærumnosa esto vita tua: synecdoche.

V. 22. ECCE ADAM QUASI UNUS EX NOBIS FACTUS EST. Quidam nolunt esse ironiam, sed interrogative legunt: *Ecce homo, estne sicut unus ex nobis cognoscendo bonum & malum*? quasi dicat: Quam diversus est hic eius status ab illo in quo eum condidimus! Tunc erat sciens & obtinens bonum, & sciens & abstinens malo; nunc reiecto bono amplexus est malum, quod assequutus est miser. NUNC ERGO NE FORTE MITTAT. Aiunt esse eclypticam orationem Atticis persamiliarem, qualis esse solet hominis aliquo affectu perturbati aut commoti: supplendamque hoc modo: *Nunc igitur periculum est*: vel *nunc igitur videndum ne extendat manum suam*, &c. Sic infra cap. XI. 4. cap. XII. 4. Iudicum XV. 12. Actor. V. ver. 39. & II. Corinth. VIII. vers. 7. II. Reg. II. vers. 16. Ierem. LI. 46.

V. 24. CHERUBIM. Varie huius vocis etymon elucidant; sed illud usitatius est, ut cum transposito רכב *racab* conferant: ut sint quasi *volucres*, *pennigeri*, *volantes*, *equitantes*, *vehentes*. Hic sanctos & spirituales Angelos omnino intelligendos esse, non est dubium. Notantque, Mosen industrie sanctos invisibiles Angelos hoc nomine appellasse, ut se ad captum populi accommodaret, cui noti erant Cherubim arcæ, seu propitiatorii, nimirum ut populus nomine noto, & quasi visibili, melius comprehenderet Angelos invisibiles. Quidam etiam cum ברך *barac* conferunt, quod Angeli continuo benedicant Deum. Longius alii a קרב *karab*, *appropinquare*, quod superni illi spiritus subito adveniunt, ac præsto sunt; vel quod Deo appropinquent tamquam ministri familiares. FLAMMEUM GLADIUM. להט החרב *labat bachereb*. Vide paranomasiam, כרבים *Cherubim*; & להט החרב *labat bachereb*, id est *flammam gladii*. Intelligunt laminam, seu aciem gladii, politam, tersam, fulgentem, rutilantem, vibrantem: nam gladius politus & splendens est flammæ similis. Sic poetæ fulgentibus armis tribuunt. Maro VIII. AEneid.

Terribilem cristis galeam, flammasque vomentem.

Et Lib. IV.

—— Vaginaque eripit ensem
Fulmineum.

Et Noster alio vocabulo Nahum III. 3. *& labat flamma, lamina gladii*, dixit *micantis gladii*. Atque illud Nostri hic, *flammeum gladium*, idem erit quod *ensem fulmineum*. Sed verius puto, fuisse revera magnas rhomphæas non ferreas, aut æreas, sed igneas, quasi flammas quæ protoplastos terrerent, & arcerent ab ingressu paradisi; ut *flamma gladii* per enallagem, *sit gladius flammæ*, seu ignis. ATQUE VERSATILEM. Participium femineum המתהפכת *bammithappeceth* non recte construetur cum *labat flamma*, *lamina*, quæ est masculini generis; sed cum *chereb gladio*, qui est feminini. Itaque dicemus: *Flammam gladii versatilis*. Unde non tam apte quidem: *Et aciem gladii versatilem*, vel *versam*, seu *vertentem sese*, ad custodiam ligni vitæ, quasi acies gladii obversa esset ad arborem vitæ. Non pauci *bammithappeceth* exponunt, *vertentis sese*, id est gladii ancipitis, bicipitis, binas acies habentis, utrimque acuti, & scindentis: ut fuerint species ingentium ensium strictorum, politorum, & fulgentium, quales Hispanici *montantes*. Melius alii, quod veloci & crebra agitatione quam citissime versarentur, evibrarentur, rotarentur a Cherubinis, terribilem in modum micantes ac fulminantes; & quasi scintil-

las

las ac flammas eiaculantes, quo intuentium oculi non sine horrore perstringerentur. Et formula Hithpahel concitatissimam & celerrimam versationem & agitationem significat. Plures erant Cherubini; plures quoque fuisse gladios flammantes, ut quisque suum teneret, eruditi censent; singulareque positum pro plurali. Apparuisse etiam Cherubinos forma visibili & spectabili, humana specie maiores, ea nimirum qua postea in propitiatorio expressi fuere, doctiores existimant; ac si diceret: Collocavit Angelos habentes formam humanam, qui instar cohortis prætoriæ excubias agebant, & apparebant strictis ensibus fulgurantibus, ac splendentibus, quos ipsi celeriter versabant, rotabant, agitabant, more militum, custodientes, ne quis accederet ad arborem vitæ. Erat hæc quasi statio quædam militaris. Totam hanc de paradiso voluptatis tractationem late elucidavimus peculiari opere, quod Romæ edidimus anno M. DCV.

MENOCHII.

Verf. 1. SERPENS ERAT CALLIDIOR CUNCTIS ANIMANTIBUS. In serpentem natura sua callidum, & vafrum vafer diabolus congrue ingressus, in eius ore, quasi in organo certa ratione moto, vocem humanam effinxit. Et admirata quidem est Eva eum loquentem, & suspicata id quod erat, altiori nimirum vi id fieri; sed metus aberat, quia necdum peccarat, & sciebat se Deo curæ esse. CUR PRAECEPIT? quasi dicat, cum omnes suavissimi sint, & salutares. DE OMNI. Ambiguum est an dicat de ullo, an vero de aliquo tantum neget, sic verba temperans ut posset deprehensus dicere se de una tantum arbore sensisse, non de omnibus: & hinc recognosce a quo didicerint hæretici sacram Scripturam citare, & corrumpere.

V. 3. DE FRUCTU VERO: de illo tamen pretiosissimo non licet. Hebraice, arbori articulus additur, ut videas iam nonnihil commotam. ET NE TANGEREMUS. Tædio, & odio præcepti, addens de suo invidiosa exaggerat: Deus enim nec aspectum, nec tactum, sed esum tantum prohibuerat. Ita D. Ambros. Lib. de Parad. cap. XII. Vel Eva adhuc integra, & sancta ex religione, & reverentia divini præcepti hoc dixit, quasi ne tangendum quidem pomum, quo vesci non liceret. NE FORTE MORIAMUR. Deus absolute affirmarat, *Moriemini*; mulier dubitat; diabolus negat.

V. 4. NEQUAQUAM MORIEMINI. In hoc diaboli sermone, quem cum Eva habuit, aliquot mendacia continentur. I. *Non moriemini*. II. *Aperientur oculi vestri*. III. *Eritis sicut dii*. IV. *Scietis bonum & malum*.

V. 5. SCIT ENIM DEUS, &c. Sensus est: Deus non ignorat hanc arborem vobis utilissimam esse, utpote quæ rerum omnium cognitionem possit solo esu afferre. Cumque bonus sit, & vestri curam gerat, non est putandus voluisse vos hoc bono privare. IN QUOCUMQUE DIE, in quocumque momento. APERIENTUR OCULI VESTRI: adeo perspicacis intelligentiæ efficiemini, ut merito sitis existimaturi vos antea cæcos fuisse. ERITIS SICUT DII, similitudine quadam sapientiæ, & omniscientiæ. SCIENTES BONUM ET MALUM, est Hebraismus: scietis omnia quæcumque vel bona sunt, vel mala; vera, vel falsa; necessaria, vel contingentia, &c.

V. 6. VIDIT IGITUR MULIER, non simplici, ut ante, aspectu, sed concupiscens, cupida gustandi, curiose, & attente pomum considerans. PULCHRUM OCULIS. Heb. *Desiderium oculorum*. Chaldæus: *Sanitas oculorum*; hoc est, cibus pastusque oculorum. ASPECTUQUE DELECTABILE. Dignam esse arborem attenta pulchritudinis eius consideratione. Chaldæus. *Arbor delectabilis ad intuendum in eam*. COMEDIT, primum sola: cum placeret pomum, tulit ad virum; vel Adam supervenit comedenti.

Verf. 7. APERTI SUNT OCULI EORUM, ut adverterent suam nuditatem, motus concupiscentiæ rebelles rationi experirentur, intelligerent se bonum iustitiæ originalis amisisse per peccatum, cognoscerentque Dei sententiam esse veram, dæmonem autem mendacem. VIDERUNT SE. Viderant ante, sed non adverterant. NUDOS, amictu corporis (hoc oculis corporis viderunt) & ex motu membrorum oculis mentis viderunt se stola gratiæ nudatos. CONSUERUNT, ramusculos teneriores circum latera plectentes, ut foliis pendulis veren-

verenda occultarentur. FICUS: quia est arbor latifolia, & fortassis erat in proximo. PERIZOMATA, lumbaria, seu ventralia, subligacula.

V. 8. VOCEM DOMINI, strepitum ex concussione arborum a Deo excitatum: nam quasi ad vestigia Dei venientis a longe, & per arbores gradientis concutiebantur. Alii accipiunt pro voce loquentis, & irati Dei dicentis: *Adam ubi es*? AD AURAM POST MERIDIEM: puta inclinante die, quando aspirare solent lenes zephyri, & aura ab hominibus diurno æstu fatigatis captari. ABSCONDIT SE IN MEDIO LIGNI, id est lignorum, inter arbores densissimas paradisi: enallage numeri, singulare pro plurali.

V. 9. UBI ES? S. Ambrof. Lib. de Parad. cap. XIV. *Ubi est*, inquit, *tua bene tibi conscia confidentia? Timor iste culpam fatetur, latebra prævaricationem. Ubi es ergo? Non in quo loco quæro, sed in quo statu. Quo te deduxerunt peccata tua, ut fugias Deum tuum, quem ante quærebas?*

V. 10. TIMUI, erubui.

V. 12. MULIER. Iustus in principio est accusator sui. Nobis Adam præit quærere excusationes in peccatis; deinde culpam in uxorem, quin & in ipsum Deum derivat. Peccavi quidem, sed non peccassem, nisi tu mihi talem vitæ sociam adiunxisses, non fecisses adeo & persuadere aptam coniugem: debebas prævidere.

V. 13. DIXIT DOMINUS AD MULIEREM. Adæ excusationem ut frivolam, & pœna, quam excusatione digniorem, sicut & mox Evæ, præterit. SERPENS DECEPIT ME; quasi dicat: Serpens, quem tu creasti, & inter nos hic degere permisisti, cui tantum versutiæ tribuisti. Itaque etiam mulier culpam in Deum derivare videtur.

V. 14. MALEDICTUS ES INTER OMNIA ANIMANTIA. Conveniunt hæc & serpenti, & dæmoni. Serpens est maledictus, quia abominabilis, horridus, venenatus, noxius animalibus, & præsertim homini. Pariter dæmon veneno peccati infectus, & infestus hominibus. SUPER PECTUS GRADIERIS. Quæ prius erant serpenti naturalia, iam illi in pœnam, & infamiam versa. Sic mors humano corpori ex elementis contrariis composito est naturalis, post peccatum est etiam pœna peccati. Sic iris ante naturalis, post Noe cœpit esse signum pacti inter Noe hominesque, & inter Deum initi. Porro dæmon serpens antiquus super pectus graditur, quia iam non cælestia, ut olim cum esset Angelus, sed terrena, & umilia cogitat. TERRAM COMEDES, pulverem, ut alibi solet vertere, Isa. LXV. 25. *Serpenti pulvis eius*. Miche. VII. 17. *Lingent pulverem sicut serpentes*.

V. 15. INIMICITIAS, apertas & in nocendi actum erumpentes. CONTERET CAPUT TUUM: ipsa, & semen ipsius conteret caput tuum, quod potissimum petendum cum serpens necandus est. Dæmoni etiam ista conveniunt: nam mulier per semen suum, scilicet per Christum, caput serpentis inferni contrivit. INSIDIABERIS: nam serpens humi reptans, & calcatus plantam petat necesse est, si se ulcisci velit. *Caput serpentis conterimus* (inquit S. Greg. Lib. I. Moral. cap. XXXVIII.) *cum initia tentationis a corde extirpamus, & tunc ipse insidiatur calcaneo nostro, quia finem bonæ actionis callidius, & potentius oppugnat*.

Vers. 16. AERUMNAS, ET CONCEPTUS, id est ærumnas conceptuum. Notum quam multa sint mulierum incommoda cum uterum gerunt. IN DOLORE PARIES. Hunc dolorem alioquin naturalem mulier in statu innocentiæ Dei beneficio effugisset. SUB VIRI POTESTATE ERIS. Parebis viro, non ut prius, semper sponte; sed interdum ingratis, & invita.

V. 17. MALEDICTA TERRA, privata benedictione fertilitatis spontaneæ, qualis in paradiso. IN OPERE TUO. Hebraice, *propter te*, id est propter peccatum tuum. Theodotion vertit: *In transgressione tua*. EX EA, ex eius proventu.

V. 18. SPINAS, ET TRIBULOS: non ut antea paucos, & paucis locis, sed copiose, & passim HERBAM TERRAE. Hebræi herbam terræ, vel agri vocant viliores herbas, quæ sunt iumentis, & aliis bestiis communes.

V. 19. SUDORE VULTUS: quia hinc copiosius sudor erumpit. PANE. Panis quemvis cibum significat. QUIA PULVIS ES &c. En pœna peccati mors. *Deus crea-*

vit hominem inexterminabilem ; invidia autem diaboli mors introivit in orbem terrarum. Sap. II. 23.

V. 20. EVA. Viva, seu vivens. LXX. vertunt, *ζωὴ vita*. Se & uxorem ad mortem a Deo damnatos solatur Adam, quod per Evam gignet posteros viventes, in quibus ipsi quasi parentes in filiis victuri sint perenniter.

V. 21. TUNICAS PELLICEAS. Vel Deus de nihilo creavit; vel Adam animantibus mactatis pelles detraxit; vel Angelorum ministerio id Deus effectum dedit.

V. 22. ADAM, homo, vir & femina. Deus more hominis irati per ironiam superbam spem protoplastorum increpat ad efficaciorem medicinam morbi, & ad futuri cautelam. Sententia est: cernite in quantas miserias venerit homo, ad similitudinem divinæ scientiæ ausus aspirare: quæsitis potitus est scilicet. NE FORTE MITTAT. Verisimile est Adamum adhuc non modo non gustasse, sed & ignorasse ubi sita, & quæ esset arbor vitæ, quod & diabolum latuerit. Qua ignoratione belle Deus, & misericorditer Adamo consuluit, ne qui miser futurus, in æternum miser fieret. VIVAT IN AETERNUM: quam illi vim fructus arboris largiri poterant.

V. 23. ET EMISIT EUM DOMINUS: ignominiose, & violenter expulit. Probabile id factum eodem quo peccavit die sub solis occasum. Quamdiu Adam fuerit in paradiso non constat. Videtur opus fuisse aliquot dierum intervallo ut beatum illum statum nonnihil experiretur. DE QUA SUMPTUS ES. Igitur extra paradisum creatus, quia extra eum in terram missus.

V. 24. CHERUBIM est numeri pluralis. Causa vero collocandi Cherubinos, ut & homines, & dæmones ab ingressu arcerent, illos ne de ligno vitæ sumerent; hos ne ingressi deciperent, & homini darent, & tali munere pollicitatione immortalis vitæ, veteres aliquos ad sui obsequium, & idololatriam pellicerent. FLAMMEUM GLADIUM, adeo splendentem ut vibratus flammas vomere videatur. Alibi quoque tales Angelis gladii tribuuntur. Num. XXII. 23. & I. Paral. II. XVI. & XXVII. Potest accipi de vero gladio æreo, vel chalibeo, vel de flamma in gladii figuram conformata. VERSATILEM, aptum verti in omnem partem, quia anceps, & utrinque secans.

TIRINI.

Verf. 1. SERPENS ERAT CALLIDIOR CUNCTIS ANIMANTIBUS. Loquitur de vero & naturali serpente. Quem Eugubinus putat fuisse basiliscum; Pererius scytalem, tergi varietate, & squamarum nitore insignem; Delrio viperam, ex illo Lucæ III. *Genimina viperarum*. Hoc animali, utpote natura callido, malitioso, & homini noxio, voluit dæmon, immo dæmonum princeps Lucifer *a*, uti tamquam instrumento ad fallendum aptissimo. Non quod serpens vim haberet loquendi, ut vult Iosephus *b*, Plato, S. Basilius; sed dæmon serpentem ingressus, ut solet energumenos, in eius ore, quasi in organo, aere moto, colliso, & modulato, vocem humanam, ut facile potuit, effinxit, *c* non vitali actione, sed artificiali. Et non latebat Evam, has voces supernaturali virtute formari; sed non satis attendit, uti debebat, & facile poterat, sui tentandæ fallendæque gratia confictas esse: atque ita se seduci passa fuit.

Ver. 5. APERIENTUR OCULI VESTRI, non corporis, sed mentis; quasi dicat: Adeo clari ingenii, adeo perspicacis intelligentiæ efficiemini, ut merito existimaturi sitis, vos hactenus nihil scivisse, & quasi cæcos fuisse *d*. Et vero mox ab esu fatalis pomi.

Verf. 7. APERTI SUNT OCULI AMBORUM, sed ut viderent, SE NUDOS ESSE. Tantum enim abest ut senserint accessisse sibi de novo, quam mendax serpens promiserat, sublimem illam, & quasi divinam rerum omnium scientiam, ut potius experti sint se nudatos etiam iis ornamentis quibus ante gaudebant: puta primo in anima, ornamento gratiæ iustificantis, & omnibus præsidiis iustitiæ originalis; secundo, in corpore, motuum omnium internorum, & humorum debita compositione, & compressione concupiscentiæ. Hinc tertio senserunt tristem iacturam tum sibi, tum posteris, incredibilium bonorum quibus in statu innocentiæ vix octiduo fruiti fuerant: nam tantum spatii intercessisse a

crea-

creatiore ad lapsum plerique *e* existimant. Quarto senserunt iliadem intolerabilium malorum, fractis innocentiæ repagulis, iam incursantem in orbem. Inde quinto maximam in se confusionem, pudorem, mærorem. Sexto acerrimum conscientiæ stimulum, qui animum arrodebat. Denique senserunt, sed malo suo, & serius, nimis veras certasque fuisse minas Dei (contra quam præsumpserant) dæmonis vero promissa, vana, & fallacia.

Ver. 14. MALEDICTUS ES INTER OMNIA ANIMANTIA. Hæc, & sequentia in sensu allegorico, sed præcipue intento a Spiritu sancto, accommodantur dæmoni; litteraliter serpenti naturali, cui tamquam organo malesuado dæmonis Deus merito maledicit, & punit: ut solet pius parens, & iudex etiam sicam qua latro filium occidit, execrari, & exurere. Neque tamen tollit hic Deus aut mutat naturales serpentis proprietates (cur enim tollat serpenti, qui non peccarat, cum dæmonibus, & hominibus gravissime lapsis, nulla naturalia sustulerit?) Sed quæ ante fuerant serpenti naturalia, scilicet humi reptare, antra sequi, terram comedere, venena spargere, iam eidem destinantur in pœnam, & in probrum: & qui ante nec odio, nec horrori, nec pudori, nec nocumento erat hominibus (divina providentia tunc arcente omnia noxia) post peccatum, præ ceteris animalibus factus est noxius, invisus, probrosus, execrabilis. Sic paulo post Adamo quoque, & Evæ quædam deputantur in pœnam, quæ etiam in statu innocentiæ fuerant ipsis naturalia; verbi gratia, uxorem subdi marito, herbis vesci, terram germinare ipsis spinas, & alia. Ita S. Chrysostomus, Augustinus, Rupertus, & reliqui Patres *f*.

Vers. 15. IPSA CONTERET CAPUT TUUM. Ita in feminino legerunt olim *g* SS. Chrysostomus, Ambrosius, Augustinus, Marius Victor, & plerique Catholici. Nec repugnat textus Hebræus, qui ambiguus est, ut bene ostendit Bellarminus. Unde apparet, ita olim etiam in LXX. lectum fuisse, cum isti Patres non sint usi alia versione. Nunc in recentioribus LXX. editionibus habetur masculinum *ipse*, supple, filius mulieris; & huic favet Arabicus, & Chaldæus, qui id adscribunt semini mulieris. Sed in idem redit: cum enim Deus hic quasi antagonistas opponat mulierem cum semine suo, serpenti cum suo semine; verissime dici potest, tam *ipsa* mulier, quam *semen*, seu posteri mulieris, conterere caput serpentis, puta tam naturalis serpentis (quem homo vix visum, ex innata antipathia, conatur conterere) quam allegorici, & infernalis serpentis, quem, ut dixi, præcipue hic designat Spiritus sanctus: uti & per mulierem præcipue designatur B. Virgo Maria, quæ pariendo nobis Christum (primarium & nobilissimum *semen* seu filium mulieris) ut facta est verissima Eva, id est mater viventium (idque vita longe præstantiore, scilicet spiritali, & æterna in cælis) ita penitus contrivit caput, & potentiam huius serpentis. Primo quia nullum peccatum, ne quidem originale (quod primum, & quasi caput est omnium peccatorum) in se admisit. Deinde quia nullum etiam peccati fomitem, vel pravam cogitationem (quæ principium, seu caput est actualis peccati) in se habuit. Denique quia hæreses, & tyrannides omnes (quæ præcipua capita, & cornua sunt serpentis infernalis) per virtutem Christi, seminis & filii sui, tam ipsa, quam Christiani omnes, qui illius quoque semen & filii sunt, perfecte devicit ac profligavit. Ita *b* Theodoretus, Rupertus, Beda, Augustinus, Epiphanius.

V. 24. ET COLLOCAVIT ANTE PARADISUM CHERUBIM, id est Angelos ex ordine Cherubinorum, qui sic vocantur a scientia excellentissima qua dotati sunt a Deo; & ideo perapte ponuntur hic quasi vindices omniscientiæ Dei, quam Adam, & Eva ambierant, & custodes ligni vitæ, ut nempe ab illius accessu, immo conspectu, arceant non solos homines, sed & dæmones: nam hi tali amuleto, & spe æternæ, seu immortalis vitæ, vecordes homines nimis facile ad suum obsequium, & ad idololatriam pertraxissent. Arceant, inquam, *flammeo gladio*, id est tam splendente, & acuto ut vibratus flammas, & fulmina vomere videatur; *& versatili*, hoc est apto facillime verti in omnem partem, utpote ancipite, & utrinque secante *i*. Sed hæc de gladio non materiali, sed metaphorico intelligenda sunt, nempe de potentia, & viribus Angelicis.

Qua die, qua hora, Adam & Eva comederint de pomo vetito; qua item expulsi sint e paradiso, dixi in Chronico cap. XLVIII. conclusione 5.

(a) Ita quidam apud Magistrum Sent. in 2. dist. 6.
(b) Ioseph. in Antiq. Plato in Politico. S. Basil. homil. de Paradiso.
(c) S. Aug. lib. 14. de Civ. cap. 11. & DD. Schol. cum Magistro supra.
(d) Rupertus lib. 3. de Trin. cap. 7. 8. 9. Delrio & alii.
(e) Pererius, Delrio, Torniellus, Salianus & alii.
(f) Citati a Pererio, a Lapide, Saliano, Bonfrerio.
(g) Chrysost. hom. 17. in Genes. Ambros. de Gen. cap. 18. Marius lib. 1. in Gen. Bellarm. in Controv. de verbo Dei, lib. 1. &c.
(h) Theodor. Rupert. Beda in hunc locum. S. Aug. lib. 11. de Civit. cap. 36. Epiph. lib. 2. contra Antidico-Marianos, & alii SS. Patres.
(i) Ita S. Chrys. Aug. Rup. & alii citati a Cornelio a Lapide, Delrione, & Saliano.

GORDONI.

IAm exactis aliquot diebus in paradiso, venitur ad positi a Deo mandati transgressionem, & mundi ac mortalium cladem insignem. Putatur septimus ab Eva condita, & proinde a mundi origine decimus tertius, quando humanum genus evasit massa perditionis. Vide Salianum nostrum, qui hæc, atque alia ad Christum usque, insigni opere est prosecutus.

V. 1. SERPENS, נחש *Nachasch*, ERAT CALLIDIOR. ערום *hharum*, astutus. Aliqui volunt dæmonem in specie serpentis. Recte Augustinus XI. super Genes. ad litteram, cap. XXVII. putat verum fuisse serpentem, & dæmonem locutum in serpente, ut in energumenis. Sic Num. XXII. per asinæ linguam Angelus locutus. Sed cur audire voluit Eva serpentem loquentem? Certe suspicata, quod erat, altiori quadam vi, quam serpentina id agi. Hinc & deinceps agnosce insigniora diaboli mendacia; & Evæ atque Adami primum peccatum esse superbiam. *Eritis*, inquit, *sicut dii*. Successerunt ad hoc primum alia peccata passim a Patribus notata, infidelitas, gula, curiositas, & inobedientia.

At quomodo loquitur serpens? Certe dum lingua serpentis utitur dæmon ad voces fundendas: & sicut cum voces similes profert corvus, non est vera locutio, quia non profert animi sensa; ita nec locutio hæc serpentis est vitalis actio: non enim ab intrinseco principio, sed ab extrinseco movetur lingua. Nec horruit Eva formam serpentis: sciebat enim in eo statu innocentiæ animalia non nocere homini. Statui innocentiæ non repugnat error, sive speculativus, sive practicus; & ante peccatum stare poterat iudicium imprudens, vel erroneum. Sic Eva dicitur decepta a serpente, hic vers. 13. & hic modus deceptionis est satis aptus. Certe rectitudo illius status non erat non posse peccare, sed, ut supra dixi, posse non peccare. Scio aliquos existimare hanc deceptionem in Eva non accidisse nisi post peccatum superbiæ, ac demum non potuisse hominem stante iustitia originali habere iudicium falsum, seu ante peccatum, quicquid sit de inconsideratione: quod colligunt ex perfectione illius status, quam illi dant ad favorem suæ opinionis. Et quidem do hanc sententiam etiam probabilem: satis in præsentia sit constare ex utraque opinione (ut dicam vers. 5.) quomodo potuerint peccare. AT CUR PRÆCEPIT? inquit serpens. Venenata vox est: oportet enim exequi divina præcepta, non vero inquirere rationem præcipiendi.

V. 2. Porro quod est hic VESCIMUR, hoc est vesci possumus.

V. 3. NE TANGEREMUS. Hoc addit Eva ad odium præcepti: nam Deus esum tantum prohibuit. In hac exaggeratione satis apparet initium tentationis.

V. 4. DIXIT. Nota hic varia mendacia diaboli.

Ver. 5. SCIENTES BONUM ET MALUM. Exactissimam cognitionem pollicetur; hoc est, scietis omne quod est vel bonum, vel malum.

V. 6. DEDITQUE VIRO SUO. Necdum sciebat se iustitiam originalem amisisse; nec carnis rebellionem experta videtur tam cito. An Eva statim amiserit status integritatem, vide Lib. XI. Theol. cap. 1. vers. 15. Comedit Adam non forte seductus pleno errore intellectus (sciebat enim falsum esse quod suggerebat serpens) licet errasse potuerit Eva, non tantam habens sapientiam. Solum ergo ut placeret hortanti uxori, & proposito sibi obiecto superbiæ, de perfectissima cognitione boni, & mali habenda, transgressus est præceptum. Ergo, inquies, defecit voluntas sine prævio defectu in intellectu. R. Hic forte non

præ-

præcessisse errorem, sed inconsiderationem aliquam: de qua re prolixius alibi. Ceterum hoc vers. 6. VIDIT MULIER, hoc est putavit: non raro enim in hoc sensu accipitur verbum videndi.

V. 7. APERTI SUNT OCULI; hoc est, cœperunt ambo agnoscere rebellionem carnis, nuditatem tandem, & turpitudinem, quam antea brevissimo intervallo non advertit Eva. Multa hic Theologis examinanda relinquere oportet: an qui ex posteris Adami peccassent, habuissent remedium redeundi ad iustitiam, vel etiam ad statum iustitiæ originalis, si Adamus, inquam, non peccasset: obscura res, &, ut puto, ignota: sicut etiam quomodo veste usuri essent, si quibusdam in innocentia manentibus, alii peccassent. Sane manente in omnibus integro statu innocentiæ, iustitia originalis pro optima veste erat, & Deus calori & frigoribus commode per apta media occurrisset. Ceterum in quæstione de reditu ad iustitiam post commissum peccatum, probabilius est potuisse eam tunc recuperari: quod suadet ratio liberi arbitrii, & status viatoris. Medium recuperandi iustitiam fuisset dilectio, & detestatio peccati, & forte alia: tamen ut gratia esse potest sine originali iustitia, non est necesse ut peccator recuperando gratiam, recuperaturus etiam fuisset originalem iustitiam; quamvis hoc etiam possit defendi. Quid sit ibi de veniali peccato, & quomodo non contingat in habente iustitiam originalem, docet Suarez de Oper. sex dierum, Lib. III. cap. XIII.

V. 8. ET CUM AUDISSENT VOCEM DOMINI, &c. Vocem intellige fragorem, & commotionem Domini adventantis, & velut ambulantis in paradiso (ait Moses.) Nisi dicas, quod probabile est, vocem efformatam per Angelum, qui Deum referebat; & maxime si omnia quæ Deus exterius agere dicitur cum hominibus, per Angelum acta sunt. Ceterum vox hæc, fragor, & sonitus videtur indicium adventantis Dei ad iudicandum de his peccatoribus. Sed quid est, AD AURAM POST MERIDIEM? Hebr. est *ad spiritum*, vel *auram diei*, לרוח היום *leruach haiom*. Intelligi videtur tempus inclinati iam diei. Theodotion vertit πρὸς κατάψυξιν τῆς ἡμέρας, *ad refrigerationem diei*. Consuerunt vero folia implicatis ramusculis, & foliis pendulis operuerunt verenda. Nec abfuit timor adventante iudice, cuius iam subiungitur sententia. At cur timeat, & erubescat, in promptu causa est; peccatum, & præsentia Dei.

V. 12. Adam peccat, excusatque: duplex peccatum.

V. 13. DIXIT AD MULIEREM. Antequam ferat sententiam, totam causam examinat.

V. 14. Serpens organum hic dæmonis in specie sua non peccavit; ac proinde nec ulla ei nova pœna imponitur, sed solum in opprobrium est denuntiatio suæ nativæ maledictionis; Idem fere de dæmone, qui non peccavit nisi solito modo tentando: quapropter non decernitur nova pœna: nam cum sit extra statum viæ, quæ ille facit, nec ad meritum, nec ad culpam ei imputantur; quo fit ut nec ad præmium sint, nec ad pœnam.

V. 15. INIMICITIAS PONAM... IPSA CONTERET CAPUT TUUM. Sed quæstio est, an *ipse*, *ipsa*, vel *ipsum*. Græce, & Hebraice in masculino genere apparet, ut referatur mystice ad semen, filium feminæ; nempe per vaticinium de Christo Virginis filio; & huic mystico sensui recte consentiunt editiones Hebr. זרע *zerahh*, mascul. cui respondet ישופך הוא *iesuphcha*, *ipse conteret te*. Septuag. αὐτός τηρήσει, (aliqui legunt τηρήσει, *observabit*) & iuxta hoc sensus est: ipse, scilicet homo, vel Christus (hoc semen est) conteret. Accedit porro ישוף *iasuph*, verbum esse hic masculinum. Secundo quid si essent voces femininæ? neutro enim carent Hebræi, & pro eo utuntur feminino, ex Hieron. ad cap. VII. Ecclesiastis. Hinc alii sane legunt: *Ipsum*, scilicet semen, *conteret caput tuum*. Ita Leo Magnus; nec discordat a priori sensu. Tertio tamen addo, hoc vaticinio optime explicari non solum Christum, sed etiam Virginem matrem, novam Evam. Atque ita plures sic legunt: *Ipsa conteret caput tuum*. Sic Latinæ editiones, sic Augustinus, Ambrosius, Chrysostomus, Beda, Bernardus, Rupertus, Eucherius, & alii. Sic, inquam, Christum simul, & B. Virginem præsefert hæc lectio, ut Patres docent. Nec obstat in Hebræo omnia esse masculina, cum aliquoties apud Hebræos contingat enallage generis: quod tunc recipi potest, cum est solidum aliquod mutatio-

tationis fundamentum, ut in præsentia. Ac si dicas hic positum esse הוא pro היא *hu* pro *hi*, & ישוף, *tašupb*, id est conteret, pro היא תשוף *bi tašupb*, ipsa conteres. Vides interim in hoc mystico sensu serpentem dæmonem conterendum a B. Virgine per Christum, verum eius semen. Magno quidem conatu Novatores vertunt Gallice, *celle semence*, & sæpe reponunt, ut de solo Christo (excludendo B. Virginem) sit sermo: sed cerebro Novatorum quis auctoritatem concedet?

V. 16. Heb. *Dolorem tuum*, & *conceptum tuum*. Altera etiam versio: *Ut sit sub arbitrio viri*.

V. 17. Gravis est in Adamum sententia, molestos agriculturæ labores designans; molestiam in terræ fructu colligendo: & per terram etiam alia intelligens quæ terra producit. Per spinas Patres intelligunt etiam noxias herbas.

V. 19. & 20. QUIA PULVIS ES. עפר *bhaphar*, pulverem proprie significat. En unde superbiat homo, temporis spolium, fortunæ pila, & mortis mancipium, ut agnoscebant etiam Ethnici. Ceterum quod hic Evæ nomen imponitur חוה *Havah*, vivens (ab חוה vixit) utpote futura mater viventium: hoc, inquam, illi nomen impositum fuit post eiectionem e paradiso, quando nondum erat mater viventium: nam statim post peccatum eiecti sunt. Itaque in hoc vers. 20. est quædam prolepsis. De die vero fixo eiectionis, non convenit inter Doctores. Probabilius sentiunt Torniellus, Pererius, Delrio, & quidam alii, ambos eiectos e paradiso, die octavo a sua productione: sed unde hoc plane evincam, non habeo. Vide supra vers. 1. Additur ad custodiam flamma gladii להט החרב *labat chaberob*, seu gladius flammeus. להט flammare. Angelus denotatur sub specie hominis armatus.

V. 21. Non deerant iam animalia producta, quorum pellibus vestiretur Adam, forte Angelo ad id cooperante, ex Dei iussu.

V. 22. ECCE ADAM QUASI UNUS EX NOBIS FACTUS EST. Ironiam hic aliquam agnoscunt Emmanuel Sa, & Mariana, a quo etiam loquendi modo fortassis non multum abest, quod sequitur: NE FORTE SUMAT DE LIGNO VITAE, ET VIVAT IN AETERNUM. Certe an lignum vitæ (quod dabat quidem vitam longævam) dedisset etiam vitam perpetuam, dubitant aliqui. Vide cap. 11. vers. 9. Et saltem verius est, usum eius post commissum personale peccatum, non hoc habuisse; præsertim si non operabatur sine concursu supernaturali: nam ipsum lignum, natura sua interitui obnoxium, non fuisset naturaliter perpetuum. De præservatione hominis in hoc statu a morte dixi vers. 9. citato.

Vers. 24. CHERUBIM. Angelum, vel Angelos humana specie, gladio armatos, flammeo, propter splendorem, & versatili, quod esset acutus utraque parte.

CAPUT

CAPUT IV.

Impius Cain pium Abel fratrem occidit; & a Deo punitus, ac profugus vitam agens, Enoch genuit: sed & Adam Seth generavit, cui natus est Enos.



1 Dam vero cognovit uxorem suam Hevam: quæ concepit, & peperit Cain, dicens: Possedi hominem per
Deum. 2. Rursumque peperit fratrem eius Abel. Fuit autem Abel pastor ovium, & Cain agricola. 3. Factum est
autem post multos dies ut offerret Cain de fructibus terræ
munera Domino. (*a*) 4. Abel quoque obtulit de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum: & respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius; 5. ad Cain vero, & ad munera illius non
respexit: iratusque est Cain vehementer, & concidit vultus eius. 6. Dixitque
Dominus ad eum: Quare iratus es; & cur concidit facies tua? 7. Nonne si
bene egeris, recipies: sin autem male, * statim in foribus peccatum aderit?
Sed sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius. 8. Dixitque Cain
ad Abel fratrem suum: Egrediamur foras. Cumque essent in agro, consurrexit Cain adversus fratrem suum Abel, & (*b*) interfecit eum. 9. Et ait Dominus ad Cain: Ubi est Abel frater tuus? Qui respondit: Nescio. Num custos fratris mei sum ego? 10. Dixitque ad eum: Quid fecisti? Vox sanguinis
fratris tui clamat ad me de terra. 11. Nunc igitur maledictus eris super terram, quæ aperuit os suum, & suscepit sanguinem fratris tui de manu tua. 12.
Cum operatus fueris eam, non dabit tibi fructus suos: vagus & profugus eris
super terram. 13. Dixitque Cain ad Dominum: Maior est iniquitas mea quam ut veniam merear. 14. Ecce eiicis me hodie a facie terræ, & a facie tua abscondar, & ero
vagus & profrugus in terra: omnis igitur qui invenerit me, occidet me. 15. Dixitque ei Dominus: Nequaquam ita fiet; sed omnis qui occiderit Cain, septuplum
punietur. * Posuitque Dominus Cain signum, ut non interficeret eum omnis qui
invenisset eum. 16. Egressusque Cain a facie Domini, habitavit profugus in
terra ad orientalem plagam Eden. 17. Cognovit autem Cain uxorem suam;
quæ concepit, & peperit Henoch: & ædificavit civitatem, vocavitque nomen eius ex nomine filii sui, Henoch. 18. Porro Henoch genuit Irad, &
Irad genuit Maviael, & Maviael genuit Mathusael, & Mathusael genuit Lamech: 19. qui accepit duas uxores, nomen uni Ada, & nomen alteri Sella.
20. Genuitque Ada Iabel, qui fuit pater habitantium in tentoriis, atque pastorum. 21. Et nomen fratris eius Iubal: ipse fuit pater canentium cithara,
& organo. 22. Sella quoque genuit Tubalcain, qui fuit malleator, & faber in
cuncta opera æris, & ferri. Soror vero Tubalcain, Noema. 23. Dixitque Lamech uxoribus suis Adæ, & Sellæ: Audite vocem meam uxores Lamech, auscultate sermonem meum: quoniam occidi virum in vulnus meum, & adolescentulum in livorem meum. 24. Septuplum ultio dabitur de Cain; de Lamech vero septuagies septies. 25. Cognovit quoque adhuc Adam uxorem

suam:

ſuam : & peperit filium , vocavitque nomen eius Seth, dicens : Poſuit mihi Deus ſemen aliud pro Abel , quem occidit Cain . 26. Sed & Seth natus eſt filius, quem vocavit Enos: iſte cœpit invocare nomen Domini.

(*a*) Heb. XI. 4. (*b*) Sap. X. 3. Matth. XXIII. 35. I. Ioan. III. 12. Judæ 11.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

Verſ. 7. Statim in foribus peccatum aderit. Huc non eſt adiiciendum pronomen *tuum*.

Verſ. 15. Poſuitque Dominus Cain ſignum . Romani Patres omiſeruot eam quæ oomini *Cain* præponi ſolet *in* præpoſitiooem : nam & aotiqui noſtri codices hic variant (alii eoim ſcribuot *in Cain ſignum* , alii *ſignum in Cain*, alii deoique *Cain in ſignum*) & lxx. ſimiliter ſine præpoſitione verteruot τῷ χαὶν, tertio caſu.

NOTATIO.

V. 8. Dixitque Cain ad Abel fratrem ſuum : *Egrediamur foras* . Quod io Latinis codicibus legitur , *Egrediamur foras* , in Hebræis , & Chaldæis non reperitur. In Græcis habetur [illegible], *tranſeamus in campum* . Hieronymi in Hebraicis Quæſtionibus hæc ootatio eſt: „ Et dixit Cain ad Abel fratrem ſuum, ſubauditur , ea quæ locutus eſt „ Domious. Superfluum ergo eſt quod in Samaritanorum , & noſtro volumine reperitur, *Tranſeamus in campum*. “ Hac, ut videtur , Hieronymi notatione motus Rabanus prædicta verba omiſit; & F. Magdalius Gaudenſis, cuius extat Bibliæ correctorium anno 1508. Colooiæ excuſum , ſcripſit : „ *Egrediamur foras* oon eſt de textu, nec habetur in „ Hebraico. “

COMMENTARIA

SA.

Verſ. 1. COGNOVIT,&c. ſic ſolet Scriptura copulam carnalem honeſte ſignificare. POSSEDI. *Cain* interpretatur *poſſeſſio*, ſeu *poſſeſſus*. PER DEUM, id eſt Dei dono . Chald. *coram Domino*.

V. 4. RESPEXIT, ſcilicet ignem cælitus mittendo, qui ſacrificium conſumeret . Cyrillus II. in Gen. Hier. in Gen.

V. 5. AD CAIN, ſcilicet ob odium in fratrem. Iren. Lib. IV. cap. XXXIV.

V. 6. CONCIDIT. Demiſſus vultus triſtitiæ ſignum.

Verſ. 7. NONNE SI BENE EGERIS. LXX. *Nonne ſi recte obtuleris , non autem recte diviſeris, peccaſti?* RECIPIES, ſcilicet mercedem . PECCATUM , id eſt pœna peccati . EIUS, ſcilicet peccati . DOMINABERIS, ſcilicet ſi velis , cum Dei gratia . Vel futurum pro imperativo.

V. 8. EGREDIAMUR FORAS: id ex LXX. ſumptum , qui verterunt , *Egrediamur in agrum* . Heb. deeſt, ſed ſubintelligitur.

Verſ. 12. VAGUS, ET PROFUGUS. LXX. *gemens , & tremens* .

V. 13. MEREAR , pro poſſim impetrare.

V. 14. OMNIS QUI; quaſi dicat, quiſquis hominum futurorum; quamquam nihil prohibet etiam tum fuiſſe homines aliquot , ſcilicet Cain filios & fratres, & horum etiam filios. Vide Auguſt. XV. de Civit. cap. XV.

V. 15. SEPTUPLUM , id eſt graviſſime. OMNIS. pro ullus, Hebraice.

V. 16. EDEN, ſcilicet paradiſi.

V. 20. PATER HABITANTIUM, &c. id eſt , primus inventor artis habitandi in tabernaculis ad gregem paſcendum.

V. 21. PATER CANENTIUM, id eſt Muſicæ inventor.

V. 23. IN VULNUS MEUM , pro vulnere a me inflicto.

V. 24. SEPTUAGIES SEPTIES , id eſt multo gravior . Id vero dixit uxoribus timentibus, ne ob homicidium a ſe patratum occideretur , ut eſſent bono animo . Audivi doctum ſane & pium virum ita interpretantem : cum male audiret , Lamech, quod duas uxores duxiſſet, & illæ time-

merent, ne ei mali aliquid ea causa accideret, dixit: Numquid hominem aliquem occidi, ut vitæ meæ timere debeatis? Si Caini occisor graviter puniendus est, quanto magis qui me occiderit?

V. 26. INVOCARE, id est palam colere, seu excellentius quam vulgus soleret.

ESTII.

Vers. 4. ABEL QUOQUE OBTULIT DE PRIMOGENITIS, ET DE ADIPIBUS EORUM. Ambros. quidem de Incarnat. sacramento cap. 1. sic ait: *Nihil invenio quod in specie munerum reprehendatur*. Sunt tamen qui recte arbitrentur, quia alius quæ offerret elegerat, alius quæ viliora habuit offerebat. De quo & illud carmen in Abel: *Sacrum pingue dabo, non macrum sacrificabo*; quod retrogradum conveniat in Cain. Certe non sine causa videtur dici de Abel, *Et de adipibus eorum*. ET RESPEXIT DOMINUS AD ABEL. Hieronym. in Trad. Hebr. refert Theodotionem vertisse: *Et inflammavit Dominus super Abel, & munera eius; super Cain autem, & munera eius non inflammavit*. Per quod significatur cælitus incensum fuisse sacrificium Abel, non Cain. Idque accipit probabilitatem ex aliis locis, quibus legitur Deus sacrificia igne cælesti combussisse, ut de Salomone, Elia &c. Ad quæstionem quæ hinc movetur: An ergo ante diluvium licuit vesci carnibus, scilicet una parte sacrificii? respondeo, id ex hoc loco non sequi, cum sit holocaustum, id est totum absumptum. Quod ad rem ipsam, negat id licuisse Hieronym. Libro II. contra Iovinianum capite x. Item Divus Thomas de hoc dicit, *Videtur*, 1. 2. quæst. 102. art. 6. ad. 2. Vide etiam eius Commentarium ad Romanos XIV. E contra vero Dominicus a Soto Libro V. de Iustitia & Iure, quæstione 1. art. 1. bonis argumentis probat statim a lapsu fuisse hominibus in usu cibum carnium, & solvit argumenta in contrarium. Vide etiam Pererium, si placet.

Vers. 7. SED SUB TE ERIT APPETITUS EIUS, ET TU DOMINABERIS ILLIUS. Aperte hic homini, etiam post lapsum tribuitur dominium, & potestas respectu suarum actionum. Nam clare dicitur ad Cain: *Sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius*, scilicet peccati: nam illud immediate præcedit, & nihil aliud ad quod possit referri. Et hoc ipsum est quod etiam dicit Apostolus I. Corinth. VII. *Non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis*. Unde manifeste convincitur error Novatorum, qui persuadere volunt, homini remansisse post lapsum voluntatem quidem ad bonum, sed non liberam voluntatem, sed quæ a Deo necessario impellitur; cum hoc loco Geneseos aperte dominium in suas actiones homini tribuatur, & apertissime Apostolus necessitatem opponat potestati suæ voluntatis. Vide nostra in II. distinct. XXIV.

Vers. 13. MAIOR EST INIQUITAS MEA QUAM UT VENIAM MEREAR. Septuaginta habent: *Maior est causa mea*. Et sic legit Ambros. Lib. I. de Abel & Cain, & Hieron. qu. VIII ad Algasiam. Quod autem adiungit Cain: *Maior est iniquitas mea quam ut veniam merear*: verum quidem est proprie loquendo, quod iniquitas non veniam mereatur, sed pœnam, tamen non ideo absolute verum est quod ipse dixit: nam Hebr. pro illis verbis, sic legitur: *Maior est iniquitas mea, quam parcere*: aut, ut Pagninus vertit: *Maior est punitio mea, quam ut feram*, id est quam ut ferre possim. Et poterat Cain scire peccatum suum esse remissibile, & non esse sibi desperandum, quandoquidem sciebat & parrem suum gravissime peccasse, nec tamen illum desperasse: de quo vide Sap. x.

Vers. 15. OMNIS QUI OCCIDERIT CAIN, SEPTUPLUM PUNIETUR. Chald. *In septem generationes vindicta sumetur ex eo*. Poterat Adam tamquam princeps humani generis occidere Cain homicidam, sed natura abhorrebat ut pater filium occideret: deinde multiplicandum erat genus humanum; ideo & aliis, forte volentibus eum occidere, tam gravis pœna imponitur. Et tamen hoc etiam dicitur in pœnam Cain, quia erat ei pœna tam diu vivere cum tormento malæ conscientiæ, quam ipse fatetur. POSUITQUE DOMINUS CAIN SIGNUM. Signum illud quidam intelligunt tantum Dei decretum, & voluntatem, nolentis eum occidi, ut vagus, & profugus existens in terra, diu lueret peccati supplicium, perpetuo agitante

eum & perturbante propriæ conscientiæ tormento. Alii dicunt signum hoc fuisse simul tremorem corporis & mentis, ac vultus consternationem: nempe quia illud quod præcedit, *Vagus, & profugus eris super terram*, LXX. vertunt: *Gemens, & tremens*.

V. 16. HABITAVIT CAIN PROFUGUS IN TERRA AD ORIENTALEM PLAGAM EDEN. Hebr. *Et sedit in terra Nod ante Eden*; id est, ex adverso eius regionis in qua plantaverat Deus paradisum.

V. 23. & 24. QUONIAM OCCIDI VIRUM IN VULNUS MEUM, ET ADOLESCENTULUM IN LIVOREM MEUM.... DE LAMECH VERO SEPTUAGIES SEPTIES. Ambros. in Luc. XVII. *Septuagies*, inquit, *& septies Lamech condemnatur, quia gravius deliquit, qui scelus dum punit, admittit*. Videtur innuere Ambrosius, quod Lamech punierit scelus Cain, & postea ipse simile admiserit. Quod autem a Lamech iuvenis quidam occisus traditur, nec tamen nomen refertur occisi, futuro mysterio fuisse prætermissum a prudentibus æstimatur, inquit Sulpitius in initio Histor. sacræ.

Vers. 26. ISTE COEPIT INVOCARE NOMEN DOMINI. Hebr. *Tunc ceptum est invocari in nomine Domini*; quamvis nostra lectio consonet Septuaginta, qui sic vertunt: *Hic speravit invocare nomen Domini Dei*. Capnion contendit, Hieronymum vertisse per adverbium, *Hic* (id est, eo tempore) *cæpit invocari nomen Domini*, passive. Et inde scilicet factum esse in pronomen *hic*, & postea *iste*, simulque substitutum verbum activum.

MARIANAE.

Vers. I. ADAM VERO COGNOVIT UXOREM SUAM. Tres Moyses numerat Adæ filios: plures habuisse, verisimile est. Philo in Antiquit. Epiph. Hæresi XXXIX. duodecim illi filios dant; Beda in Collectan. triginta filios, totidem filias. Quæ omnia incertæ fidei puto. *Adam* hoc loco, & superiori cap. non semel, volunt esse non nomen proprium, sed appellativum; quasi dicat, ille homo, propter ה emphaticum hic positum, quod non iungitur nominibus propriis; quod verum sine exceptione esse non credam, quando Sept. & fere Interpretes *Adam* posuere. POSSEDI. Vox CAIN est idem quod *possessio*. PER DEUM, id est Dei dono.

V. 2. CAIN AGRICOLA. Sept. *operans terram*; atque ita est Hebraice, nisi quod verbum עובד proprie significat *serviens terræ*, instar famuli obsequiis a domino alimenta promerens.

V. 4. DE PRIMOGENITIS GREGIS SUI. Hebraice, *ovis suæ*, hoc est ovium suarum, nempe gregis sui. ET DE ADIPIBUS EORUM. Adeps in quaque re vocatur quod est optimum. ET RESPEXIT DOMINUS, nempe igne de cælo misso, quod in dedicatione templi Salomonis est factum, & Eliæ ad preces. Sic Theodotion pro *respexit*, dixit ἐνεπύρισεν, hoc est *inflammavit*, sententiam secutus magis quam verba. Vide, prius respicere Deum ad Abel, deinde ad munus; quoniam ab animo probitas, & iniquitas proficiscitur, & pietatem pluris quam munus facit.

V. 7. NONNE SI BENE EGERIS, RECIPIES? Ad verbum: *Nonne si bene egeris recipere?* Quod infinitivum ego redderem per *merces*, aut *exaltatio*: *Nonne si bene egeris, merces*, supple. erit (quod in sententia cum Hieron. verbis consentit) aut *exaltatio*, ut accidit fratri tuo? SIN AUTEM MALE, STATIM IN FORIBUS PECCATUM ADERIT. Adverbium *statim* redundat; certe Hebraice non est. Sic Chaldæus refert ad diem iudicii, in quo manifesta erunt omnia peccata: id significat *esse in foribus*. Sed melius ad cognitionem Dei vindicis referatur, cui aperta sunt omnia, ut quæ præ foribus iacent. PECCATUM. Quidam *pœna peccati*; quasi dicat: Punitio in foribus præsto erit. Admisso peccato, ad iudicis portam pœna suspensa manet, donec eam irroget. Pro *aderit* Hebr. רובץ *Robez*, quod significat *excubat*. SED SUB TE ERIT APPETITUS EIUS. Hebraice, *Ad te erit appetitus eius*: qua forma loquendi & verbis superiori cap. vers. 16. est usus, cum dixit de Eva: *Ad virum erit appetitus tuus*: nempe ut servi rationes & desideria pendent ab hero, & ad eum referuntur: quod dixit in Psalm. CXXII. vers. 2. *Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ*. Sententia totius loci: Non poteris occultare peccatum; sed neque vim inferet ullam, sed potius ut servis

servis

servis peccato dominaberis. Nihil ergo de liberi arbitrii libertate delibabitur. Sic Hieron. in Trad.

V. 8. DIXITQUE CAIN AD ABEL FRATREM SUUM. In Hebræo quid dixerit, reticetur. Hieron. putat illi dixisse verba quæ audivit a Deo. Sept. addiderunt de suo: *Egrediamur in agrum*: unde in Vulgatam nostram translatum est illud, EGREDIAMUR FORAS. Alii putant dixisse illi verba dura, rixæ initium quærens.

Verf. 11. NUNC IGITUR MALEDICTUS ERIS SUPER TERRAM. Sept. *Maledictus tu a terra*; hoc est, præ terra, magis quam terra: id enim significat præpositio מן *min* Hebraica, sicut superius cap. III. verf. 14. de serpente: *Maledictus præ omnibus animantibus terræ*: atque ita præpositio superposita hoc loco accipiatur. Ita sententia erit: Vides terram maledictam? Tu magis, atque eo amplius, quod illa ut mater sanguinem fratris tui suo gremio accepit. Alii vertunt: *Maledictus eris a terra*, respectu terræ, *terra propter te*. Atque ita maledictionis explicatio erit quod sequitur

Verf. 12. CUM OPERATUS FUERIS EAM, NON DABIT TIBI FRUCTUS SUOS. Hebr. *vires suas*; sed perinde est.

V. 14. A FACIE TUA ABSCONDAR: non veniam ad offerendum aliquid.

Verf. 15. OMNIS QUI OCCIDERIT CAIN, SEPTUPLUM PUNIETUR. Sept. *Septem vindictas exolvet*; Chald. *In septem generationes vindicta sumetur ex eo*. Sed simplicissime, gravissime is occisor punietur: numerus certus pro indeterminato.

V. 17. ET AEDIFICAVIT CIVITATEM. Cain primus ædificavit civitatem: nempe mali captant hic habitationem permanentem, domicilium stabile. Amici Dei habitant in tabernaculis, paucis contenti, mortis memores. Rursus ex eius posteritate sunt artium inventores ad quærendas opes, quæ sunt fere irritamenta malorum.

V. 19. QUI ACCEPIT DUAS UXORES. Lamech primus invexit bigamiam.

V. 21. NOMEN FRATRIS EIUS IUBAL. Hic musica instrumenta invenit; a quo & iubilandi vocem sunt qui manasse credant. PATER CANENTIUM, musicæ inventor.

Verf. 23. OCCIDI VIRUM IN VULNUS MEUM, ET ADOLESCENTULUM IN LIVOREM MEUM. Hinc Iosephus, a Lamech occisum Cain, quem *virum* vocat, & Tubalcain adolescentem, qui eius cæcitatem regebat. Et credit tunc impletum, *Septuplum ultio dabitur de Cain*, quoniam is septima generatione est punitus; cum potius punitio illa ad occisorem Caini sit referenda. Ergo simpliciter intelligamus, Lamech voluisse ex duplici capite confirmare uxoribus suam incolumitatem. Et quoniam viribus ipse præstaret, & propter paratam Dei vindictam. OCCIDI VIRUM. Sic exponatur: Occiderem virum vulnere inflicto, & adolescentem solo livore, nempe percussione sine effusione sanguinis. Itaque valeo viribus, ne sitis de me solicitæ: nam fortasse ex nimia venere debilitatus erat; & hoc Moyses indicare voluit: quod spectat ad Dei vindictam.

V. 24. SEPTUPLUM ULTIO DABITUR DE CAIN. Ad verbum, *Septuplum vindicabitur Cain*, pro, Si septuplum vindicabitur Cain, nempe gravissima vindicta sumpta de occisore; Lamech vindicabitur septuagies septies, hoc est multo gravius: numerus certus pro incerto; uti Matth. XVIII. ver. 22. *Non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies*. Non explicat cur gravius puniri debeat eius occisor, subintelligitur tamen, quoniam Cain fuit fratricida, ego innocens.

V. 25. VOCAVITQUE NOMEN EIUS SETH. Nempe Eva vocavit: nam Hebr. verbum est femininum.

Verf. 26. ISTE COEPIT INVOCARE NOMEN DOMINI. Hebr. *Tunc cœptum est invocari nomen Domini*; id est, tunc cœpit populariter coli Deus, aut palam, & excellentius quam ante consueverant, Enos instruente. *Enos* significat *hominem*. Homini nihil magis naturale quam Dei cultus & Religio. R. Kimhi addit, significare *hominem malis contritum*, ut intelligas, rebus adversis neque maius solatium, neque certius remedium Dei invocatione. R. Moseben Maymon in Misna, tum hic Kimhi intelligit cum cœpisse idola colere, & tunc cultum impium cœpisse. Sic verbum הוחל *huhal* sumunt in significatione profanandi: nugæ. Græcus quidam, cœpisse invocare Deum Dei nomine, nempe ineffabili, quod hoc

L 2 loco

loco ponitur, cum ante Deum invocarent nomine *Elohim*, aut aliis nominibus, quæ proprie non sumuntur ab essentia.

MALVENDAE.

Vers. 1. COGNOVIT. ידע *iadagh* notant sumi interdum non speculative, ut est mentis; sed realiter, & sensualiter, pro *sentire tactu*, *experiri*. Hic tecte & verecunde concubitum viri cum muliere cognitionem appellavit; qui Hebraismus frequentissimus est in sacris litteris utriusque Testamenti. Rationes aliquot afferunt, cur concubitus cognitio nuncupetur. I. quod in nullo cognoscatur femineus sexus & natura tam plene & perspicue ut in congressu. II. quod in eo actu mulier tractetur ut notissima, & familiarissima. III. quod virgo, & quæ numquam virum passa est, Hebræis dicitur עלמה *ghalmah*, *abscondita*, quæ nondum virorum patuerit aspectibus, cuius turpitudo nondum per virilem congressum detecta aut revelata est, quæ nondum virum experta est, necdum sanguis index virginitatis in sindone palam ostensus est coram iudicibus, Deut. XXII. 15. IV. quod semen cerebri, in quo sedes est cognitionis, stillam esse sensit Pythagoras teste Laertio Lib. VIII. Plutarchus Lib. V. de Placitis Philosophorum, cap. III. *Semen Alcmæo partem cerebri esse*.

Imitati sunt hanc phrasim Græci & Latini, Plutarchus in Alexandro: *Neque aliam cognoscebat mulierem*: & alibi sæpius. Menander apud Hermogenem Tomo V. de Inventione. Cæsar Lib. VI. Belli Gallici: *Intra annum vigesimum feminæ notitiam habuisse, in turpissimis habent rebus*. Horatius:

..... *Ignara mariti*.

Vide Notas Xylandri in Plutarchi Romulum. Ergo hic: *Adam cognovit uxorem suam Hevam*; id est, expertus est eius sexum, rem cum illa habuit.

POSSEDI HOMINEM PER DOMINUM. קניתי איש את יהוה *kanithi isch eth Ihuh*: Fagius, Forsterus, Clarius, Marinus, Avenarius, Schindlerus reddunt, *Acquisivi virum ipsum Iehova*, seu *Dominum*, id est virum, qui est ipse Iehova, quem scilicet pollicitus est mihi Dominus, cum dixit: Semen tuum conteret caput serpentis. Putabat enim Heva se nunc matrem seminis illius promissi, quod contriturum esset caput serpentis, nempe Messiam peperisse: Idque ex quadam cabala Iudaica se accepisse confirmant, voluntque particulam את *eth* hoc loco expositivam esse, & emphasim habere, accipique pro *ipsum scilicet*. Qui locus maxime stabilit Christi divinitatem, & Iudæorum perfidiam contundit. Mercero, Drusio, & aliis hæc non placet expositio. Alii fere: *Acquisivi*, *adepta sum*, *nacta sum*, *obtinui*, *comparavi virum a Domino*, vel *cum Domino*, hoc est Deo volente & favente; vel Dei dono & munere. Sic Græci loquuntur σὺν Θεῷ. Quidam: *Acquisivi hominem Domino*, vel *ad Dominum*: את *eth* enim interdum esse notam dativi, & pro Lamed poni, mille exemplis ostenditur in Lexicis. Vide Levitici XIII. 49. I. Samuel. XXII. 14.

V. 2. OVIUM. צאן *tzon* notant esse nomen collectivum comprehendens multitudinem seu gregem ovium, & caprarum, id est multas simul oves, & capras: esseque semper singulare, & numquam reperiri plurale, tametsi sit collectivum: atque hoc nomine singulari comprehendi animalia minora pascualia utriusque speciei, ut sunt oves, & capræ: sicut nomine בקר *bakar* veniunt omnia animalia maiora pascualia, ut sunt boves, vaccæ, vituli, cameli, asini, &c. quæ dicimus armenta. Vide cap. XVIII. vers. 7. Addunt, nusquam inveniri singulariter pro una ove, aut capra; sed unam ovem dici שה *seh*, unam capram עז *ghez*. Insuper quod voce Latina cum Interpretes pro *tzon* reddunt oves, debere intelligi etiam capras, quod simul pascere soleant. Ad hæc oves, & capras dictas *tzon*, quod radicitus gramina erodant & depascantur, ut cognationem cum verbo נוץ *nutz* habeat. Quidam per vocem *gregis* reddi posse putant, nisi ubi cum numeris coniungitur; uti duæ *tzon*, *oves*, centum *tzon*, *oves*. Mihi videtur nec gregem, nec pecus, nec pecudes proprie exprimere vim huius vocis, sed universe esse animalia minuta pascualia, & horum gregem, seu multitudinem. Nonnulli volunt esse pecudes lanigeras, vel pilosas, quæ tondeantur, quarum vellus seu pili usui esse possint. Sed hoc est divinare.

V. 3. MUNERA. מנחה *minchah* universe est *munus*, *donum*, *donarium* cuius-

cum-

cumque rei, *seu sacræ*, *seu profanæ*, *quod alicui*, *seu Deo*, *seu homini*, *honoris & reverentiæ causa offertur*: eo quod sensim, placide, & cum pompa quadam honorifica portetur, aut ducatur, a נחה *nachah*, & חנה *chanah*: vel ינח *ianach*. Hic pro munere, oblatione, quæ Deo offertur. Aliæ huius voces acceptiones suis locis elucidabuntur.

V. 4. De adipibus: proprie, *de pinguedinibus*, *de omentis*, *de arvinis*, quod hæc sint quasi lac coagulatum & congelatum. Volunt esse figuratam locutionem, pro, obtulit de primogenitis non quibuscumque, sed crassissima, pinguissima, optima, & selectissima quod adeps sit optima & lectissima pars carnis. Nomen חלב *cheleb* ita hic scribitur ut possit esse singulare & plurale, sed sensus eodem recidit, nisi quod numerus pluralis pleniorem efficit sensum. Unde Paulus Hebr. XI. 4. *plurimam hostiam* appellat. Forsan Habel adipes seorsim & separatos a carnibus obtulit, ut in lege postea usurpatum est. Respexit. Mirum quot significationes tribuant verbo שעה *schaghah*, *aspicere*, *respicere*, *sperare*, *fidere*, *terrere*, *formidare*, *timere*, *desinere*, *enumerare*, *describere*, *narrare*, *delectari*, *oblectari*, *vacare*, *caligare*, *cæcutire*, *vertere se*, *animadvertere*, *accedere*, *vitare*, *declinare*, *relaxare*, *expavescere*, *intendere*, *inniti*, *incumbere*, *claudere*, *obturare*, *obducere*, *divertere*, *acquiescere*. Vide Lexica.

Noster, cum hoc verbum in Kal duodecies extet in Scripturis, diversimode exposuit. Hoc vers. & sequenti, *respicere*; Iob XIV. 16. Isaiæ XXII. 4. *recedere*; Exodi v. 9. *acquiescere*; II. Samuelis XXII. 42. *clamare*; Iob. VII. 19. *parcere*; Psal. CXVIII. 117. *meditari*; Isaiæ XVII. 7. & 8. *inclinari*; Isaiæ XXXI. 1. *confidere*; Isaiæ XXXII. 3. *caligare*. In Hithpahel vero bis. Isaiæ XLI. 10. *declinare*, & vers. 23. *loqui*. Nimirum pro varia verbi constructione, varie quoque convertitur. Hic, & Isaiæ XVII. 8. construitur cum particula אל *el*, & in hac constructione aiunt, notare *blandum illum gestum illius qui se ad aliquam personam, seu rem applicat*: *Et respexit*, scilicet blande, IHVH *ad Hebel*, *& ad oblationem eius non respexit*, blande. Itaque volunt esse, benigne, & blande respicere, sive rationem habere, & respectum agere alicuius, cum quodam favore & propensione animi. Potest reddi: *Et inclinavit se*, *intendit*, *animadvertit*, *vertit oculos*, *intuitus est gratiose*, *cum oblectatione*, *placide respexit*, *approbavit favens*, *& acceptum habuit*: humanitus dictum a principum consuetudine. Notant, visibilem hanc fuisse approbationem oportuisse, cum quia eam animadvertit Kain, tum quia dicit Apostolus, Deum perhibuisse testimonium de donis Hebeli, Hebr. XI. 4. fortasse igne cælitus demisso, aut alia aliqua divina extra ordinem significatione.

V. 5. Iratusque est. חרה *charah*, quando de animo dicitur, est *indignatione*, *ira*, *& furore accendi*, *ardere*, *exardescere*, *incandescere*, *exuri*, *aduri*, *succendi*, *inflammari*, *succensere*. Vertunt: *Et exarsit*, *incanduit vehementer ipsi Kain*. Mirabilem habet interdum constructionem: nam suppositum verbi habet *Lamed*, ut hic: unde subaudiunt aliud suppositum, nempe ira, vel animus, in hunc modum: *Et exarsit*, *incanduit*, *animus*, vel *ira*, *furor*, *ipsi Kain*. Hebraismus, quem Hispanismus illustrat; quasi dicat: Favor Dei in Hebelem, exarsit ipsi Kaino, *quemole esto a Kain*; hoc est, illum urebat invidia ac zelotypia. Invidia, livor, æmulatio, fraternæ felicitatis illi omnem iram, odiumque accendit. Futurum defectivum ויחר *vaiichar*, per apocopen litteræ ה *He*, indicat, quam immerito, & sine ulla ratione Kain irasceretur, cui omnis causa iustæ indignationis deficeret. Et concidit vultus eius. Maiorem vim Hebraica habent: *Et ceciderunt facies eius*. Demisso in terram vultu incedebat. Gestus est hominis pudore suffusi, vel tristitia & mœrore depressi, qui solent vultum demittere. Utrumque Kaino eveniebat, & pudor & dolor. Solet animus indicari vultu: nam abdicato sacrificio suo se abdicatum videbat Kain.

V. 7. Recipies. שאת *seeth* formam habet infiniti Kal, vel nominis infiniti verbi נשא *nasa* cum Scin sinistro: quo verbo nullum aut in sacra lingua fecundius, aut amplioris & angustioris significatus. Primaria, & propriore notione *levare* exponunt; locumque hunc varie elucidant. I. *Nonne si benefeceris*, *levatio*? relevatio, sublevatio, scilicet, ab onere peccati; id est, non amplius gravaberis onere peccati; sed habebis remissionem peccatorum & gratiam: vel

vel, *Nonne si bene feceris*, *levatio*? id est, condonatio, remissio, indulgentia, venia peccati; hoc est, remittet & condonabit tibi peccatum. II. *Nonne si bene egeris*, *levare*, seu *levatio*? id est, levabis, attolles vultum. Nonne incedes recto vultu, vivesque in gaudio, & lætitia, sine pudore & mœstitia; cum nunc, quia male egisti, incedas vultu demisso præ pudore & dolore? III. *Nonne si bene feceris*, *levatio*? hoc est, elevatio, exaltatio erit tibi? quasi dicat: Tu doles quod frater tuus sit elatus & evectus supra te, meo favore: non est quod fraterno honori invideas, quia si te recte gesseris, attolleris ut ille, & in eumdem honoris gradum te quoque evebam qui te nunc tuis peccatis offensus ignominia notavi. IV. *Nonne si bene feceris*, *levare*, seu *levatio*? id est, levabis, feres, tolles, reportabis præmium, ac mercedem. Hispanice, *llevaras tu galardon*. Hunc sensum videtur Noster sequutus, *recipies*, scilicet prɥmium, aut mercedem. V. *Nonne si bene egeris*, *acceptatio*, erit? De sacrificiis præcesserat sermo; quasi dicat: Nonne si rite obtuleris, si pura & casta fuerit tua oblatio, suscipietur, & acceptabitur tamquam grata & boni odoris? VI. *Nonne si bene feceris*, *supportatio*? id est, Deus te feret, sustinebit, sufferet, suscipiet, seu favebit tibi. Primum sensum ceteris antepofuerim, quem & Hebræorum primi, & nostrorum eruditiores probant. IN FORIBUS. Heb. *ianuæ*, *ad ianuam*, *ad ostium*, *ad portam*, *ad fores*; id est, proximum est ac præsentissimum. Sic Matth. XXIV. verf. 33. PECCATUM: proprie, *erratum*, *aberratum*, *delictum*. ADERIT. רבץ *rabatz* trigesies in Scripturis occurrit. Noster terdecies *cubare*, *accubare* exponit; novies *requiescere*; bis *iacere*; bis *collocare*; Deuter. XXIX. 20. *sedere*; Deut. XXXIII. 13. *subiacere*; Numeror. XXII. 27. *concidere*; Isaiæ LIV. 11. *sternere*. Hic vero reddit *aderit*, ex verbo, *cubans*, vel *accubans*. Cetera significata etiam quadrent. Plerique metonymice hic *peccatum* pro pœna peccati, seu punitione capiunt, ut Zachariæ XIV. 19. & infra verf. 13. *iniquitas*; atque hanc metonymiam in Hebræo textu indicare generis enallagen, qua *peccatum* est femineum, & *cubans* masculeum; quasi dicat: Punitio in foribus præsto est, & te quam celerrime manet supplicium. Sed numquam mihi visus hic sensus melior: de culpa & reatu potius, & cruciatu intrinseco conscientiæ acceperim.

Quidam notant, valde emphaticam hanc esse locutionem: qua ostendit Deus nihil fore ipsi Kaino magis adversum, quam proprium ipsius peccatum, quod intus alebat ac fovebat; ac si diceret: Nihil tua obstinatione proficis: nam ut te non persequar, aut puniam, peccatum tuum nihil relaxationis aut quietis dabit tibi, quin te semper acriter pungat, exagitet, persequatur, urgeat, cruciet; neque ulla patietur elabi, quantumcumque dissimules peccatum: cum ad exitum venies, illic peccatum occurret, suas in ostio excubias agens, tunc deprehendetur conscientia tua, quæ se prius solutam & liberam putabat, & duplices moræ pœnas persolvet. Nempe quod poeta dixit:

> *Nocte dieque suum gestare in pectore testem.*

Quidam volunt elegantem esse metaphoram, conferuntque cum alia Deut. XXIX. verf. 19.

Notabis חטאת *chattath*, *erratum*, esse feminei generis, sed hic ei tribui participium masculeum רובץ *robetz*, cubans, & duo pronomina masculea, *eius*, *eo*, vel quia forte, ut quidam volunt, hic *chattath* est masculeum, ut & Amos V. 12. vel ut indicent, Kaini peccatum fuisse gravissimum, & primum partum primi peccati.

SED SUB TE ERIT APPETITUS EIUS, ET TU DOMINABERIS ILLIUS. Quia pronomina *eius*, & *illius*, sunt masculea, uti diximus, quidam non ad peccatum, quod est femineum, sed ad Hebelem referunt; quasi dicat: Nulla est tibi causa invidiæ adversus fratrem, cum semper tibi integrum maneat ius primogeniti, quo ille a tua voluntate pendeat, & imperium in ipsum habeas, sitque tibi subiectus. Locutio Hebræis familiaris, desiderium, sive appetitum alicuius esse ad aliquem, pro, eius arbitrio subiectum esse. Vide cap. III. verf. 16. Alii: *Ut erga te est appetitus illius*, *& tu præes illi*; ac si dicat: Et naturæ lege, quia iunior est te; & animo, quia frater; & vocatione, quia tibi subiectus, te colit Hebel: quamobrem indignum est te hoc animo in illum esse. Sed sensus remotus, & alienus: melius hęc de peccato accipias. Quidam de pœna peccati

cati intelligunt; id est, cupit te iam iam apprehendere, appetitque tibi inhærere punitio. Verum si voles, dominaberis illi pœnæ, effugies pœnam illam, gratia mea scilicet. Potest extrema particula verti per imperativum, hoc pacto: *At tu dominare ei*; id est, vita illam punitionem, emendando vitam tuam. Sed iam dixi, aptius intelligi de culpa.

Sunt hic plane & verba & oratio eadem omnino quæ cap. III. 16. unde varie vertunt. I. *Et ad te accursio eius*; id est, accurrit tibi, incurrit in te, occurrit tibi. II. *Et ad te appetitus, desiderium, concupiscentia eius*: inest tibi amor peccati, amas peccatum; vel active, peccatum concupiscit, avet tibi inesse. III. *Et apud te illecebra eius*, de fomite, & concupiscentia peccati. IV. *Et ad te desiderium eius*; id est, tuo arbitrio subiectum erit peccatum, tuo iuri & voluntati obnoxium; non erit sui iuris, sed tui; nihil volet, nihil tentabit, nihil audebit, nisi quod tu voles. V. *Et ad te prompta voluntas, obsequentia, auscultatio, obedientia eius*: tibi obediet, tibi ad nutum parebit, subiectum erit in omnibus. Insignis locus pro libero arbitrio, quem & sequens clausula magis illuminat: *Et tu potestatem, ius, auctoritatem, dominium, imperium, regnum habebis, obtinebis in illud*: hoc enim proprie significat verbum משל *maschal*. Quo proculdubio allusit Paulus Roman. VI. 14. *Peccatum enim vobis non dominabitur*. Quasi dicat: Habebis in tua potestate, arbitrio, voluntate peccatum.

V. 8. DIXITQUE CAIN AD ABEL FRATREM SUUM: EGREDIAMUR FORAS. Quia hæc postrema clausula, *Egrediamur foras*, abest ab Hebræo, varie hunc locum elucidant. I. *Et retulit Kain ad Hebel*, vel *& narravit Kain Hebel fratri suo*: subaudi, omnia quæ dixerat ei Deus. II. *Et alloquutus est Kain ad Hebel fratrem suum*, verbis scilicet duris, ut inde haberet occasionem insurgendi in eum. Defectivam enim putant orationem, & ideo aliquid subaudiendum; sed quid illud revera fuerit, incertum. III. *Et colloquebatur Kain ad Hebel*, scilicet dissimulans odium, ut inopinantem opprimeret; consilium vultu, verbisque tegens, ac spem fronte serenans. IV. *Et dixit*, id est statuit, decrevit, *ad Hebel*, adversus Hebel: constituit illi malum, perniciem, decrevit illum interficere. Sic verbum אמר *amar* sumitur. Exod. II. vers. 14. *Num occidere me tu dicis*, id est decrevisti, statuisti, *sicut occidisti Ægyptium*? ET INTERFECIT EUM, lapide, fuste, gladio, aut armis consimilibus. Vide infra vers. 23.

V. 11. MALEDICTUS ERIS SUPER TERRAM. Heb. *Maledictus tu de humo*, id est execratus tu a terra: quia & vindictam contra te clamat de effuso in se fraterno sanguine, execrata tantum parricidium; & tibi ægre fructus proferet, & te nutantem, & tremebundum vix sustinebit. Quidam: *Maledictus esto, exul ab ista terra*, e vers. 14.

V. 12. VAGUS. נע *nagh*, *movens, mobilis, nutans, tremulus, quassans, agitans sese*. PROFUGUS. נד *nad*, *dimotum, iactatum, divagatum, profugum, exterrem, exulem, erronem, migratorem* exponunt.

V. 13. INIQUITAS MEA. עון *ghavon* proprie *curvitas, distortio, perversitas, pravitas, vitium, iniquitas*. Est palam culpa passim, & pœnæ interdum, ut I. Samuel. XXVIII. 10. *Si evenerit tibi iniquitas*, id est pœna, seu punitio. Item Threnor. IV. 6. & alibi. Hic plerique Hebræorum & nostrorum pro pœna sumunt; sed rectius alii pro culpa. QUAM UT VENIAM MEREAR. מנשא *mineso*. Varie reddunt, *de, a levare, portare, a ferre*, seu *a ferendo*, vel *quam ut eam ferre & sustinere possim*. Gravior est punitio quam ut sim ferendo. Hispanice: *Grande es mi pena de llevar*: II. *de quam levare*, vel *quam levatio*, tolerantia, sufferentia, sublevatio, condonatio; id est, quam ut levari, remitti, condonari possit, vel quam ut remittatur, aut condonetur, seu quam ut remittat, & condonet Deus, aut parcat, & ignoscat. In eiusmodi locis ubi verbum נשא *nasa* construitur cum peccato, idem Hebræis valere dicunt, quod Latinis tollere, auferre onus, seu pondus peccati, remittere, condonare, sublevare, levare peccatum, dare veniam, parcere, indulgere, condonare, non opprimere: esseque gratiæ, clementiæ, veniæ, ignoscentiæ. III. *grandis iniquitas mea de ad levare*; vel *magna est iniquitas mea ad condonandum*, ut nulla sit comparatio; quasi dicat: Magnum peccatum meum magna indiget venia, ut non sit desperatio. Sed Secundus sensus pro-

proculdubio est præferendus, qui est Nostri.

V. 15. SED OMNIS QUI OCCIDERIT CAIN. Exponunt: quia hæc pœna inflicta fuit Kaino, cum ad homicidium eius ulciscendum, tum ad exemplum in posteritatem (quæ tunc fuit infrequens) statuendum, ut omnes exemplo eius absterrerentur ab effundendo sanguine: Deus per paralepsin annuit Kaino postulatum suum, & per gravissimæ pœnæ denuntiationem cavet ne quis temere in cædem illius ausit prorumpere. SEPTUPLUM PUNIETUR, interfector ipsius Caini. Heb. *Septuplo vindicator*, ipse scilicet Kaiinus; quasi dicat: Supplicium de interfectore ipsius Kaiini multo gravius sumitor, quam sit de ipso Kaiino sumptum. Numerus finitus pro infinito, ut Iob v. 19. Proverb. IX. LXXIV. 16. POSUITQUE DOMINUS CAIN SIGNUM. Heb. *Et imposuit* IHVH *Kaiino signum*. Quidam exponunt: Aliquo signo externo & visibili edito ostendit illi, neminem eum impune interfecturum: signo contestatus est illi securitatem & incolumitatem: sicut Mosi signo visibili astruxit suam legationem, Exod. IV. Alii: Id est, aliquam notam impressit ei, qua adducebantur omnes ut ab eo homine abstinerent; quasi reddiderit eum stigmatiam. Nonnulli per hypallagen vertunt: *Et posuit Kaiinum in signum*, id est ut exemplo esset. Quibusdam friget, & exemplo caret hæc interpretatio. Nec desunt qui: *Et imposuit Iehovah ipsi Kaiino characterem*, quem litteram nominis Dei *He* intelligunt.

V. 16. A FACIE DOMINI. Heb. *A faciebus Iehovah*. Observant, facies Dei hic, & supra vers. 14. dici locum illum, seu cœtum piorum ubi verbum Dei, & promissio de semine benedicto venturo sonabat: ubi erat vera Ecclesia, sacramenta, sacrificia, verus Dei cultus, religio, pietas, & aliæ cæremoniæ, res externæ sanctæ religionis, quæ sunt tamquam visibiles Dei facies, in quibus Deus se exhibet, & præsens est, & vult se conspici; ubi favorem suum & benevolentiam erga suos ostendit, eos alloquitur, oracula edit. Sic postea in Lege columna ignis, & rubis, arca, propitiatorium, tabernaculum, &c. dicta sunt facies Domini, ut suis locis videbimus. HABITAVIT PROFUGUS IN TERRA. Heb. *Et habitavit in terra* נוד *nod*. Quidam *nod* pro appellativo sumunt: *In terra commotionis*, *vagationis*, *fugæ*. Alii: *In terra divagationis*, *&* *exilii*. Nonnulli: *In terra perfugii*; id est, in qua erat perfugium ipsis profugis. Plerique nomen proprium esse volunt terræ illius, quam Kaiin pulsus a cœtu piorum inhabitavit; atque a fuga & divagatione seu exilio, & migratione Kaiini hoc illi nomen inditum existimant, e vers. 12. supra. Aliqui reddunt: *Et consedit in terra Nodi*, id est agitationis & vexationis. Hanc Nomadum esse putant in Arabia deserta Babyloniæ contermina, quæ regio respectu Chenahaneæ sita est ab oriente Hedenem versus. Hæc vox alibi non legitur præterquam Psal. LV. 9. ubi, *motionem*, *demigrationem*, *fugam*, *exilium*, *agitationem*, *vexationem* interpretantur. Noster *vitam*, sapienter, quod ex iis omnibus constet. AD ORIENTALEM PLAGAM EDEN. Heb. nulla est præpositio. Quidam: *In anteriori parte Heden*. Alii: *Ante Heden*. Nonnulli: *Ad orientem*, *Hedenem versus*. Intelligo, Kaiinum recedentem a cœtu piorum, versus orientem profectum, in ea regione habitasse quæ erat orientalis loco ubi tunc erat Ecclesia, versus tamen hortum Heden; ut incoluerit regionem intermediam, inter hortum Heden & locum Ecclesiæ. Sed hæc verba fuse elucidavimus in Paradiso nostro, cap. XVIII.

V. 17. UXOREM SUAM. Hanc sororem eius germanam fuisse, & Savem appellatam, ex Lepto Genesi refert S. Epiphanius Hæresi XXXIX. Sethianorum. ET PEPERIT HENOCH. Heb. חנוך *Chanoch*, sonat *initiatum*, *dedicatum*, *consecratum*. ET AEDIFICAVIT CIVITATEM. Heb. *Et fuit ædificans urbem*. Quidam: *Quamobrem studebat ædificare civitatem*; hoc est, cœperat quidem summo studio & contentione ædificare civitatem, sed vi maledictionis Dei subinde ad errandum impulsus opus intermittere cogebatur. Vide similem locutionem Numer. XIV. vers. 27.

V. 19. DUAS UXORES. Primus digamus, & corruptor legitimi coniugii, de cuius institutione supra cap. II. vers. 24. נשים *naschim*, *mulieres*: circumstantia loci docebit, quando pro uxoribus capitur. Notant factum ex nomine אנשים *anaschim* detracta capitali littera א *Aleph*, quod mulier caput

caput esse non debeat; ideo tegere illud velamine, I. Corinth. 11. aut quod oppressionibus, aut gravaminibus sint obnoxiæ, ægræ plusquam viri. Alii a נשה *naschah*, quasi obliviosæ, quod minus memoria valeant quam viri; aut quod in illis oblivioni detur, & extinguatur paterna familia.

V. 20. PATER HABITANTIUM IN TENTORIIS; id est, auctor, inventor, & doctor, qui primus pastores docuit sua tuguriola in chiramaxiis, sive arcuniis (ut apud Festum legunt, pro arcuma, arcuniam) statuere. Ita Tremellius, & Iunius. Sed quid sit arcuma, vel arcunia apud Festum, & quid chiramaxium apud Petronium, te Scaliger docebit in Festum: quod tamen utrumque longe abesse a tentoriis, quorum hic mentio, non dubito. ATQUE PASTORUM. Hebr. *pecoris*, seu *pecuariæ*; id est, docuit pastores universe artem pecuariam, id est pecora alere, in greges distribuere, &c. מקנה *mikneh* proprie *acquisitio*, *comparatio*, *possessio*. Aliquanto specialius capitur pro acquisitione pecoris, seu animalium quæ in pascuis aluntur; id est, *peculium*, *pecus nostra industria*, *nostro labore*, seu *pretio partum*. Est collectivum, & includit maiora & minora animalia pascualia. Rationem nominis esse volunt, quod veteres bonam partem suæ possessionis in pecore collocarent: sicut Latini inde pecuniam dixerunt. Noster reddere solet *pecus*, *possessionem*, *substantiam*, *&c.*

V. 21. CANENTIUM. Hebr. singulare, *capientis*, *apprehendentis*, *attrectantis*, *tractantis*, *contrectantis*, *prehendentis*. CITHARA, factum ex Hebraico כנור *cinnor*. ET ORGANO. עוגב *ghugab*, quater tantum extat in Bibliis: Noster ubique *organum* interpretatur. Aliqui *fides*, vel *fistulam*: & organum fistulis constat. Dictum volunt quasi amabile, amatorium; quod eius lusu, & sono afficiamur voluptate, & amore; seu quod decantandis amatoriis sit aptum. Alii putant verbum עגב *ghagbab* potius esse *suspirare*, *flare*: unde volunt *ghugbab* esse *instrumentum musicum*, quod suspiria, & flatus, seu sibila emittat, ut tibiam, aut fistulam. Observant autem his duobus generibus instrumentorum cithara & organo synecdochice comprehendisse Mosen omnia instrumenta musica, cum quæ fidibus extenduntur, ac digitis, manuque pulsantur; tum pneumatica, quæ anima implentur, ventoque moventur: de quibus accurate Athenæus Lib. IV. cap. XXIII.

V. 22. TUBALCAIN. Heb. *Thubal-kain*. Notant, significare *Orbis possessorem*, vel *confusionis comparatorem*, quam in mundum ferrea sua arte invexit. Ovidius I. Metamorphoseos:

iamque nocens ferrum ....

volunt per aphæresin dictum gentibus Vulcanum fabrum ferri. MALLEATOR, ET FABER Heb. unica vox לוטש *lotesch*. Aiunt לטש *latasch* significare *arma*, *gladios*, *ferramenta*, *seu quævis alia instrumenta*, *sive ærea*, *sive ferrea*, *distendere*, *producere*; quod fit cudendo, acuendo, limando, poliendo, expoliendo. Noster I. Samuel. XIII. 19. *exacuere*; Psal. LI. 4. *acuere*; Psal. VII. 13. *vibrare*; hic *malleare*, *& fabricare*, exposuit. Quidam hic reddunt *cudentem*; alii *expolientem*; plures *acuentem*: quod nonnulli metaphorice capiunt; id est, acute erudientem: unde convertunt: *Qui erudivit omnem fabrum ærarium*, *& ferrarium*; id est, artem inventam ad commoditatem cędendi ligna, sacrificia, &c. excoluit, ornavitque. Quamobrem non video, inquiunt, cur tantopere in ea quæstione laboretur, quo instrumento Kaiin Hebelum occiderit: cum agriculturæ iam ante operam dedisset Kaiin, quæ sine ferramentis non potuit, saltem ex quo terra maledicta fuit, exerceri. IN CUNCTA OPERA. חורש *choresch* quidam participium faciunt, *fabrum*, *fabricantem*, *artificem*, *opificem*. Alii nomen, *fabrile*, scilicet *opus*, *fabricationem*, *opificium*, *artificium*. NOEMA. Hebr. *Naghamah*, id est *amœna*, *iucunda*, *speciosa*, *pulchra*. Hic iam, inquiunt, invaluerat insana ambitio formæ.

V. 23. DIXITQUE LAMECH UXORIBUS SUIS ADAE, ET SELLAE. Quidam reddunt: *Tum dixit Lemech suis uxoribus: O Hadah*, *& Tzillah*, *audite*, *&c.* Omissisque aliis interpretationibus, brevitatis causa, hæc eius videtur loci sententia. Lemec duas uxores duxerat, supra vers. 19. hæ autem uni viro iunctæ æmulæ appellantur I. Samuelis I. vers. 6. & mutuas fere inter se exercent inimicitias, Genes. XXX. & Levit XVIII. vers. 18. quibus altera angit alteram, & utraque obtundit virum, prout versibus elegantissimis Euripides docet in Andromache, & gravissime Seneca in Hercule Otæo, initio Actus

II. figu-

II. figuravit. Accessit, quod natis utrique prolibus, & artibus per eas inventis, & cultis, insolentiores istæ feminæ effectæ sunt, adeo ut Lemechi aures sua æmulatione, & altercationibus oppleverint, animumque senis fatigaverint. Ab his occasionibus videntur profecta Lemechi verba silentium imperantis thrasonice minitantis in sequentibus. AUDITE VOCEM MEAM, &c. quasi dicat: Plus satis aliorum sermones auditis, qui nobis has turbas excitant, estisque mihi molestæ: tempus est ut audiatis mihi, &c. IN LIVOREM MEUM, &c. חברה *chaburah*, cum sexies in Scriptura occurrat, semper *livorem* vertit Noster, nisi Psalm. XXXVII. 6. ubi *cicatrices* dixit. Est autem proprie livor vestigium plagæ in cute, coniunctio seu collectio sanguinis ex plaga seu contusione, tumor ex plaga lividus, sanguis post plagam, seu percussionem concretus, vel plaga ex sanguine concreta, concretio sanguinis, quem exiles venæ contusæ ad extremam cutem diffundunt. Differt a פצע *petzagh*, *vulnus*, quod iam sanguinem emisit, & ex quo sanguis emicuit; at *chaburah*, *livor*, nondum sanguinem emittit. Quidam putant, *lacerationem*, & *incisionem* hac voce significari. Alii *tumicem*, *tumorem liventem*, *plagam*, in qua congregatur sanies, exponunt. Nec desunt qui *ulcus*, *apostema*, *pustulam*. Pauci *percussionem*, *contusionem*. Rectius *vibicem*, seu *tumicem* reddes. Glossæ veteres: *Tumex* σμάδιξ αἱματώδης τύπος, dictus a tumendo.

Sane illud huius versus, *In vulnus meum*, & *in livorem meum*, bifariam capi potest: active, id est in vulnus a me inflictum; vel in livorem contusione a me excitatum: & passive, id est quæ mihi inflicta fuerint. Syntaxis Hebraica est cum nota dativi: *Vulneri meo*, *& tumici meo*; id est, in, ad, ob vnlnus meum, & in, ad, ob tumicem meum.

Nec possum nec debeo omnes huius obscurissimi loci interpretationes reponere: verisimiliores numerabo. I. ex verbo: *Quia virum interfeci ad vulnus meum*, *& puerum ad livorem meum*. Hic præteritum, interfeci, pro futuro, interficiam; & futurum indefinite acceptum, pro præterito imperfecto poni; vertique debere ad hunc modum: Sane hominem interficerem in vulnere meo, etiam adolescentem in livore meo. Sanguinarii homines, ut aliis sunt terrori, ita passim omnibus sunt exosi: propterea terrebat uxores Lemechi mariti violentia toti humano generi intolerabilis, ne facta conspiratione omnes eum opprimerent; & de hac re admonuerunt maritum: qui tantum abfuit ut blanditiis uxorum mitigaretur sævus ac ferox, ut potius se magis ad crudelitatem acueret, ac confirmaret; adeo ut uxoribus patefecerit crudelitatem suam, iactando, sibi satis animi esse, roboris, ac violentiæ ad fortissimum quemque hostem trucidandum, si quis ipsum aggredi auderet; ac si dicat: Si a quoquam etiam viro fortissimo, vel ab adolescente, qui viribus valet, vulnus acciperem, vel saltem livorem, illum interficerem, valeo enim viribus: non est igitur quod mihi, vel vobis, aut liberis vestris timeatis, o vos uxores meæ. Videbat enim uxores suas tristes. II. Quidam reddunt: *Nam virum interfecero ad vulnus meum, etiam adolescentem ad tumicem meum*. Obtunsus auribus & animo Lemechus æmulatione, superbia, & altercationibus uxorum, quæ etiam præclaris artibus filiorum efferebantur, thrasonice minatur: Si quis mihi porro negotium facessiverit, quisquis tandem ille sit, strenuo vindicaturus sum, sive prudens, sive imprudens, sive magnus, sive parvus, sive gravem, sive levem iniuriam fecerit: *ad tumicem meum*; id est, si me vel leviter quisquam offenderit, ut quum baculi percussione tumidi livores in cute nascuntur, quos prisci Latini *tumices* appellabant. Gradatio vehementissima. III. *Quia occidero virum in vulnus meum*, *& adolescentulum in livorem meum*; hoc est, ego in caput meum secure recipio, si quid est periculi; in caput meum vertat, si quid secius contingat; meo periculo accidat, quidquid poterit; quasi dicat: Certus sum occidere quemcumque mihi obsistentem, quidquid inde mihi male contingat. IV. *Quia occidi virum vulnere meo*, id est a me inflicto, *& puerum livore meo*, id est a me impresso; ut duos se occidisse glorietur, alterum virum iam ac prævalidum, inflicto vulnere lethali; alterum puerum, contusione vel fustigatione. Quinam vero ii fuerint, hactenus nos latet: nam fabulas Hebræorum, & Nostrorum explanationes haud animus est transcribere. V. Cum male audiret Lamech,

mech, quod duas uxores duxisset, & illæ timerent, ne ei mali aliquid ea de causa accideret, dixit interrogative: Numquid hominem aliquem vulnere occidi, aut puerum ullum contudi, ut vitæ meæ timere debeatis? Si Kaiini impii parricidæ interfector graviter puniendus fuerit; quanto gravius puniri debebit qui me innocentem, & qui neminem interfecerim, occiderit?

Non prætermiserim, particulam כי *ci*, *quia*, *quoniam*, interdum in Scriptura usurpari pro negativa, *non*, *nec*: Isaiæ xxx. vers. 21. *Hæc via, ambulate in ea*: ci, *non declinetis neque ad dexteram, neque ad sinistram*. Isaiæ XLIII. vers. 22. *Non me invocasti Iabacob*, ci *neque laborasti in me Israel*. Unde hic apte reddi queat: Ci, *nequaquam virum interfeci vulnere meo*, &c. quasi dicat: Nec virum vulnere, nec infantem aut puerum contusione umquam occidi. Notant insuper, particulam *ci*, interrogative aliquando sumi, pro eo quod Latine, dicimus, *quid*? vel *num*? vel *forsan*? Isaiæ XXIX. 16. Ci, *num dicet opus factori suo*: vel *forsan dicet opus*, &c. Ironicos. Isaiæ XXXVI. vers. 29. Ci, *numquid liberaverunt Samariam de manu mea?* Quandoque etiam accipi pro *si*, Deuter. VII. vers. 17. Ci, *si dixeris in corde tuo*, unde hic recte verti possit: Ci, *quid*? *num*? *forsan*? *occidi virum in vulnere*, &c. ut penitus abnuat. Vel in eumdem sensum: *Si virum occidi*, &c. id est, non. Suspicio est, Lamechi uxores timuisse illi mortem; nimirum vel propter polygamiam ab eo primum introductam, vel ob arma, & instrumenta ferrea nuper reperta, vel quod ipse ferox esset ac sævus; ipsum vero eas bono esse animo iubere, quod nemo ipsi mortem intentaturus sit, eo quod neminem ipse umquam occiderit; quasi dicat: Nullus me interficiet, cum neminem ipse interfecerim, aut vulneraverim, aut læserim. Unde verba Nostri recte interrogative capi posse, tam certum est, quam quod certissimum.

VI. Amicum meum Hebraice doctum ita exponentem audivi, *Quia vir*, id est, quum essem iam vir (*ci* pro *quum* frequentissime ponitur) *occidi*, subaudi alios, *in vulnere meo*, eos scilicet vulnerando: & *puer*, id est quum adhuc essem pene puer ac infans, *in livore meo*, id est pugno, aut lapide, aut bacillo contundendo alios pueros mihi æquales; quasi dicat: Et in pueritia, ac fere in infantia, & in virili ætate semper fui ferox, & violentus, atque humani sanguinis avidus, ut hic iste totus impius, ac sævus sese thrasonice violentiæ, & crudelitatis ab incunabulis iactitet apud uxores. Et quod sequitur, *Quia septuplo vindicabitur Kaiin*. &c. dictum sit ab eo ironice, & irrisorie per summum contemptum, ut sibi scelerum impunitatem promittat; quasi dicat: Nihil est quod mihi aut vobis timeatis, uxores meæ: scilicet, si Kaiin interfector puniendus fuerit graviter, meus sane gravissime.

V. 24. SEPTUPLUM ULTIO DABITUR DE CAIN, &c. Subaudiunt, *Scitote, inquam, quod septuplum vindicabitur Kaiin*, &c. Deus voluerat Kaiinum horribile aliis fugiendi homicidii esse exemplum: in hunc finem eum fœdo stigmate notaverat: nequis tamen eius scelus imitaretur, septuplo gravius puniendum esse dixerat, quisquis eum occideret. Hanc Dei sententiam impie pervertens Lamech illius severitati illudit: nam inde arripit maiorem peccandi licentiam; ac si Deus homicidas singulari aliquo privilegio donasset. Non quod serio ita sentiat, sed quia vacuus omni pietatis sensu, impunitatem sibi promittat; ac interea per iocum obtendit Dei nomen, & sententiam. Quidam reddunt: *Cum septuplo sit vindicandus Kaiin, utique Lamech septuagies septies tanto*; id est, ut ut grave supplicium occisori Kaiini interminetur Deus, ego longe gravissimo afficiam eum qui me offenderit. Plerique exponunt: Scitote quod gravissime punietur, gravissima ultio sumetur a Domino de eo, qui Kaiin interfecerit; multo autem gravior de eo qui me occiderit; quasi dicat: Si Deus affirmavit se gravissime puniturum eum qui occiderit Kaiin, multo magis eum puniturus est qui me interfecerit, quippe qui nullum interfecerim, sed ne vulneraverim quidem. Aut si occiderim, non tamen fratrem, ut Kaiin, quod fuerat horrendum parricidium. Ut numerus septenarius in Scriptura multitudinem designat, ita septuplicatio, seu septuagies septies pro ingenti incremento, & immani numero ponitur. Nec est dubium quin hanc phrasim imitatus fuerit Christus Matthæi XVIII. vers. 22. *Non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies*: ut etiam S. Hilarius in eum Matthæi locum annotavit.

V. 25. ET VOCAVIT NOMEN EIUS. Verbum *vocavit* est femineum, תקרא *tikra*, unde ad Hevam referendum videtur: *Et ipsa vocavit nomen eius*. Quidam exponunt: Et ipsa causa fuit cur hoc nomen filio vir imposuerit; ut supra in nominando Kaiino, vers. I. SETH שת significat *positum*, *repositum*, ut exponunt sequentia. DICENS: POSUIT MIHI DEUS. Heb. *Et vocavit nomen eius Seth: quia posuit*, vel *reposuit*, *mihi Deus*. Subaudiendum verbum *dicens*; vel *nam reposuit mihi Deus*, *inquit*, *semen aliud*, eclipsis frequens, ut infra cap. xx. 11. I. Samuelis I. 20. I. Regum xx. 34. & I. Mach. x. 20. SEMEN ALIUD, vel *alterum*: exponunt: Id est, filium unum, singulariter dictum, ac non sylleptice, ut infra cap. XXI. vers. 13. & cap. XXVIII. vers. 3. quo respexit Apostolus Galat. III. 16.

V. 26. ENOS. אנוש *Enosch*, id est mortalem, infestum ærumnis, doloribusque. Vide infra cap. VI. ad vers. 4. ISTE COEPIT INVOCARE. Heb. *Tunc cœptum est*, &c. Quidam: *Tunc*, post natum Enosum. Alii: *Tunc*, sub Enoso. ISTE COEPIT INVOCARE NOMEN DOMINI. Mirum quam varie hunc locum & Hebræi, & Nostri convertant, & explanent. I. *Tunc violatum*, *profanatum fuit ad vocare in nomine Iehovah*; hoc est, in diebus Enos erraverunt homines post idola, & invocatio nominis Iehovah tunc fuit polluta & profanata, cum nomen Iehovah æterni & vivi Dei passim idolis profane & impie tribueretur. Vel *tunc cœptum fuit ad vocare in nomine Iehovah*, id est, tunc cœperunt homines vocare deastros suos, & idola sua de nomine Iehovah. Hæc interpretatio est quorumdam Hebræorum. S. Hieronymus: *Tunc initium fuit invocandi nomen Domini. Licet plerique Hebræorum aliud arbitrentur: quod tunc primum in nomine Domini, & in similitudinem eius fabricata sint idola.* II. *Tunc cœptum est profanari in invocando nomine Iehovæ*; id est, sub Enos tempora alii posteri Sethi, apud quos mansura erat Ecclesia, a Kaiinitis corrupti, cœperunt profanare se in invocando nomen Domini; id est, in vero Dei cultu profanarunt & corruperunt Dei cultum. Ita Tremellius, & Iunius in prioribus editionibus coniungentes una versione duas verbi חלל *chalal*, significationes, *incipere*, & *profanare*. Sed ii mutaverunt, ut statim videbimus. III. *Tunc cœptum fuit prædicare in nomine Domini*; id est, tunc cœperunt pii publice prædicare doctrinam de vero Deo, & refutare idololatriam. IV. *Tunc initio*, *primum publicatum fuit*, *exorsum fuit*, *commune fieri cœpit*, *primum commune factum fuit*, *invocare in nomine* IHVH; hoc est, tunc primum publice, passim, communiterque institutus est verus, legitimus, & solemnis Dei cultus externus, ac certi, & sacri ritus, ac cæremoniæ colendi Deum instauratæ sunt, ac propositæ, plures, & solemniores quam antea, quas observarent filii Dei, & posteri Sethi, homines pii ac fideles in quibus erat vera Ecclesia Dei. Notant, hanc phrasim, *vocare*, vel *invocare in nomine* IHVH, significare *celebrare*, *implorare nomen Iehovæ*; in quibus equidem rebus verus Dei cultus exterior consistat, nempe in invocatione, gratiarum actione, prædicatione verbi Dei, confessione, glorificatione, celebratione, sacramentis, sacrificiis, & aliis sacris ritibus & cæremoniis. Aliqui hic *invocare nomen Domini*, pro *litare*, seu *rite sacrificare Domino* accipiunt. V. Nonnulli, quod videant iam sub Adamo, Hebele, Setho fuisse institutum externum cultum divinum, arbitrantur Enosum peculiarem quamdam & singularem, sublimioremque rationem colendi Deum instituisse, quam esset communis vulgi religio, nempe arctiorem, & diviniorem cultum, qualis est vitæ monasticæ ac religiosæ; quasi dicat: Tunc sub Enoso cœpit iam sublimior quidam Dei cultus, nempe monasticum & asceticum vitæ genus, divinis contemplationibus, meditationibus, & aliis piis, & religiosis, perfectioribusque exercitationibus deditum: unde non dubito dimanasse posterioribus temporibus collegia, seu monasteria filiorum prophetarum. Tam alte merito repetimus initia vitæ monasticæ. Forsterus reddidit: *Tunc cœptum est publice invocari nomen Iehova*. VI. Tremellius, & Iunius in posterioribus editionibus ita hunc locum convertunt, & explanant: *Tunc cœptum est invocare*, vel *invocari nomen Iehovæ*. Alii: *Cœptum est vocare de nomine Iehovæ* (id est) *prædicare*, *atque profiteri nomen eius*, *& pios in Ecclesia ex nomine Dei distinguere*. *Sensus est*, *Adam & Seth* (*in cuius posteris mansura erat Ecclesia*) *ubi corruptos a Kaiinitis reliquis mundi mores ex conversatione imbibi a suis posse anim-*

ad-

adverterunt, *& labefactari Dei cultum*, *cuius fuerunt administri*: *inde ab eo tempore suos in corpus Ecclesiæ contraxerunt*, *eodem alios prædicatione verbi provocarunt*, *sanctis precibus*, *& exercitamentis pietatis ab impietate & iniustitia palam grassante eos vindicarunt* (*quod unicum est piorum in desperatis*, *& conclamatis perfugium*) *religiosaque hac observatione nomen sibi compararunt*, *& appellationem filiorum Dei*. *Est igitur hæc loquutio* (*utrovis modo accipias*) *synecdochica*. *Nam prius quidem invocavit Adam*, *sed in familia*; *tunc vero invocaverunt multi*, *sed in Ecclesiam*, *veluti in caulam recepti a mundi peccantis*, *& seducentis consortio*. *Hanc interpretationem*, *ut infra cap.* XII. *vers.* 5. *& cap.* XIII. *vers.* 4. *& Aben Hezra verissimo fundamento defendit adversus omnium Iudæorum explicationem*, *dicens*, *si esset ex profanandi significatione*, *futurum fuisset ut nomen*, *non autem verbum cum particula Hebræa cohæreret*. (Futilis & ridicula ratio) *De hac autem corruptione publica* (*cuius exemplum in Lemecho adduxit Moses*) *vide infra in cap.* V. *vers.* 21. *& cap.* VI. *vers.* 1. *nam tota recensio capitis quinti a Mose hyperbatice inseritur*, *& finis huius capitis ad continuationem historiæ est cum principio sexti capitis coniungendus*. Hactenus illi. VII. *Tunc cœptum fuit vocari*, *appellari*, *in nomine*, vel *de nomine* IHVH; id est, tunc cœperunt homines de Dei nomine appellari, ita nimirum ut pii, fideles, Sethi propago, ad Ecclesiam Dei pertinentes, filii Dei appellarentur; quasi plane & istud Moses notarit, non solum ad indicandam certam Ecclesiæ notam ac tesseram, sed ne omnino novi hospites accederemus ad contemplandam eam historiam, quam VI. postea capite inde, nempe a filiis Dei, exorsurus erat. Sed huic expositioni obstare videtur, quod illi non filii IHVH, sed filii *Elohim* vocentur. Sed utrumque unius Dei nomen est.

Antea iam colebant Deum, aliis quidem nominibus, forsan nomine *Elohim* eum invocando; at tunc sub Enos cœptum fuit invocare, & colere Deum sub arcano nomine IHVH, quasi in veri & æterni Dei invocatione, & cultu tunc usurpare cœperunt divinissimum istud nomen. Nam cum Hebræi id adeo sacrum & religiosum habuerint, eiusque invocationi mirabiles virtutes tribuerint, cura fuit Mosi, non prætermittere eius invocationis, & cultus primam in Dei populo originem. Neque obstare locum Exodi III. 6. ibidem videbimus.

MENOCHII.

Vers. 1. COGNOVIT. Virgo Hebræis עלמה *Alma*, quæ vox absconditam, seu incognitam significat. Hinc factum ut qui cum muliere congreditur, eam cognoscere dicatur. CAIN, dicitur a קנה *Kana* possedit. POSSEDI HOMINEM: aucta sum homine, acquisivi sobolem. PER DEUM, divino munere, ac beneficio.

V. 2. RURSUMQUE PEPERIT. Rabbini putant ex eodem conceptu Evam peperisse gemellos, quia hic non repetitur *concepit*, sed tantum *peperit*; sed temere ita sentiunt: Moses enim hic compendio utitur, & in verbo *peperit* præsupponit, & subaudit *concepit*. ABEL. Proprie *Abel*, vel ut Hebraice dicitur, *Hebel*, significat *vanitatem*. Vel Eva nato suo celerem necem præsagiit, vel omnium hominum morti obnoxiorum conditionem significavit; quasi diceret: *Universa vanitas est omnis homo vivens*.

Vers. 3. DE FRUCTIBUS TERRAE. Secundos, & viliores fructus: hi enim vocantur in Scriptura fructus terræ; contra vero Abel qui primogenita, & adipes obtulit.

Vers. 4. RESPEXIT DOMINUS AD ABEL, ET AD MUNERA EIUS. Primum fuit causa secundi. Placuerunt munera, quia placuit Abel. Sacrificia enim vetera non placebant Deo ex opere operato, sed ex opere operantis. Patres sentiunt, igne de cælo misso, qui absumpserit Abel sacrificium, declarasse Deum sibi illud placuisse. Itaque Theodotion vertit ἐνεπύρισεν, *inflammavit*, *incendit*. Oblatio Cain intacta relicta est.

V. 5. CONCIDIT VULTUS EIUS. Qui bene sibi conscii, & simpliciter ambulant, ambulant vultu erecto, & confidenter; qui vero livore contabescunt, & malum machinantur, frontem caperant, faciem obnubilant, & oculos in terram demittunt.

Vers. 7. NONNE SI BENE EGERIS, RECIPIES? tum quietem, & gaudium conscientiæ, tum favorem meum, utque simili

mili signo, igne nimirum de cælo misso, attester te, tuaque munera mihi placere. IN FORIBUS PECCATUM ADERIT; id est, pœna peccati, quæ quasi canis aut cerberus cubans fores obsidet peccati vindex. Canis hic est vermis conscientiæ, mentis turbatio; & indignatio, ira Dei, omnesque ærumnæ præsentes, & æternæ, quibus Deus peccata punit. SED SUB TE ERIT APPETITUS EIUS. In Hebræo, & apud LXX. est: *Ad te conversio eius*. Sensus est: peccatum, eiusque appetitus, & concupiscentia te solicitabit ad consensum; sed ita ut ad te converti, & a te consensum petere, & impetrare debeat. Id noster Interpres ad sensum clare vertit: *Sub te erit appetitus eius*.

Vers. 8. INTERFECIT EUM. Nescitur quo modo. Vers. 11. terra dicitur bibisse sanguinem Abel. Patet non præfocatum, sed quopiam lapide, aut alio telo necatum.

V. 9. CUSTOS. Cum indignatione loquitur, & quasi subsanans Deum. An ego fratris mei sum pædagogus?

V. 10. QUID FECISTI? Unico vocabulo ostendit se conscium perpetratæ rei. VOX SANGUINIS CLAMAT: cædes iniusta celerem, & atrocem in conspectu Dei vindictam postulat.

V. 11. MALEDICTUS ERIS SUPER TERRAM. Terra erit tibi maledicta, & maligne, parceque tibi eam colenti dabit fructus suos. Hebræa habent: *Maledictus tu de terra*. Vel etiam *Maledictus*, quia infelix, vagus, & profugus super terram.

V. 12. VAGUS, ET PROFUGUS: sceleris pœna, & carnificina conscientiæ per incertas vagantem sedes exagitabunt. LXX. habent: *Gemens, & tremens*: significantes Cain animo consternatum, & corpore tremulum.

Vers. 13. MAIOR EST INIQUITAS MEA QUAM UT VENIAM MEREAR: quam ut ulla pœnitentia veniam possim impetrare. Hebræus contextus habet: *Maior est iniquitas mea quam ut ferre eam*, scilicet possit Deus, non ut Rabbini. quam ego ferre possim: sumunt enim iniquitatem pro iniquitatis ipsius pœna.

V. 14. EIICIS ME; quasi dicat: Merito despero, nam video te mei curam abiicere, & privare solita providentia tua, quem nullibi tuto pateris consistere, vel ullam capere quietem. A FACIE TERRAE: ablegas me a facie terræ ubi natus, & educatus. Vel terra sumitur pro hominibus metonymice; & sensus est: Facis me hominum odium, adeo ut nec illi me visu dignentur, nec eos ego ausim aspicere. A FACIE TUA ABSCONDAR: quasi reus, præsentiam Dei Iudicis fugiam; vel cura, favore, & tutela tua destituar. OMNIS QUI INVENERIT ME: nequeo effugere quin ab aliquo mox interimar: omnis creatura in me insurget. OCCIDET. Nec iram Dei, nec animæ mortem timet; sed solam vitæ huius, & corporis iacturam veretur.

V. 15. SEPTUPLUM PUNIETUR. Numerus finitus pro infinito. Gravius punietur quam tu: quia tuo exemplo deterritus non fuit quominus te de medio tolleret, quem in delicti sui pœnam, & admonitionem superesse sic volebam ut & vitam pro supplicio, & mortem pro solatio haberet. POSUITQUE DOMINUS CAIN SIGNUM. Cuiusmodi signum fuerit ignoratur. Communior Patrum doctrina est de corporis tremore, cum quadam vultus, & mentis consternatione. UT NON INTERFICERET EUM OMNIS: ut nemo eum interficeret: Hebraismus.

V. 16. HABITAVIT PROFUGUS IN TERRA. Hebr. est: *Habitavit in terra Nod*.

V. 17. UXOREM SUAM, filiam Adami sororem suam: initio enim mundi necesse fuit sorores fratribus nubere. AEDIFICAVIT: non iam, sed multis post annis, cum Cain plures genuisset filios, & filias, nepotes, & neptes, qui Henochiam replere possent. AEdificavit autem ex rudi materia, & ferarum metu. HENOCH. Non a se Cain nominavit, quia nomen ipsius omnibus invisum.

V. 19. DUAS UXORES. Primus polygamus Lamech legem monogamiæ latam Genes. 11. 24. violavit. Post diluvium cum vita hominum esset brevior, & solus Noe cum suis superesset, ne nimis lente propagarentur homines, indulsit Deus ut plures liceret habere uxores, quod Abraham etiam, & Iacob viri sanctissimi fecerunt. Rursus Christus Matth. XIX. 4. polygamiam sustulit.

Vers. 20. PATER HABITANTIUM. Hebræi vocabulo *patris* solent significare

quem-

quemvis artium inventorem, vel excellentem magistrum.

V. 23. QUONIAM OCCIDI VIRUM. Traditio Hebræorum est, quam Hieronymus non respuit, occidisse Lamech Cainum tritavum suum, quem ab armigero adolescente indicatum, feram putaverat, quo errore cognito dolorem cædis in adolescentem effudit illo interempto. Hoc posito sequentia facile expediuntur. QUONIAM. Non redditur ratio, sed simpliciter quid factum sit narratur. VIRUM. Cain. IN VULNUS MEUM. Hebraism. vulnere a me imposito. ADOLESCENTULUM, armigerum venationis comitem. IN LIVOREM MEUM, ex livore contusionis ei meo verbere illato, e quo male curato mortuus.

V. 24. SEPTUPLUM ULTIO DABITUR DE CAIN; quasi dicat: Scio mihi cædem illam non impune cessuram, quia Deus prædixit graviter puniendum Caini occisorem. Ex hoc potestis colligere, uxores meæ, gravius adhuc plectendum qui, quod vos metuitis, me per iniuriam interimeret. Nam Cain fratrem suum sponte occidit, nec pœnituit facti, & ideo dignissimus qui & ipse occideretur; ego duos quidem occidi, sed avum invitus, & ignarus, puerum illum nolens occidere, sed tantum castigare, quod me in fraudem induxisset; & utriusque facti me pœnitet: quare nemo me iam reum, sed pœnitentem, si occidat, punietur ipse septuagies septies. SEPTUAGIES SEPTIES, multo gravius. Ad hunc locum respexit Christus Matth. XVIII. 22. *Non dico septies, sed septuagies septies*.

V. 25. SETH, quod proprie *positionem* seu *fundamentum* significat. Nomen hoc instinctu Dei indidit: tum quia futurus fundamentum civitatis Dei pro Abel; tum quia figura Christi, qui fundamentum Ecclesiæ vocatur Isa. XXVIII. 16. & I. Corinth. III. 11.

V. 26. ENOS, significat hominem miserum, afflictum, ærumnosum. Noverat Seth hanc futuram suorum, nempe iustorum, in hac vita conditionem. COEPIT INVOCARE NOMEN DOMINI. Sensus est, tunc temporis auctore, & suasore Enos cœpisse homines passim, & publice certis cæremoniis, & conceptis precum formulis Deum colere.

TIRINI.

Vers. 1. PEPERIT CAIN, DICENS: POSSEDI HOMINEM. *Cain* enim Hebraice idem est quod *possessio*; quasi dicat: Natus est mihi filius, qui erit possessio & hereditas mea. PER DEUM. Vox est gratulantis, & Deum auctorem generationis agnoscentis. Hæc mystica, & pia nominum impositio statim ab ipso mundi exordio, insinuat curam studiumque primorum parentum, ut simul ac liberi in lucem essent editi, expedirentur a culpa originali, remedio a Deo designato, scilicet fide parentum in Deum, signo aliquo externo expressa, quale pro adultis erat sacrificium, pro posteris Abrahæ masculis circumcisio saltem post octavum diem *a*.

V. 4. RESPEXIT DOMINUS AD ABEL, ET AD MUNERA EIUS. Respexit favendo, probando, & pecora, terrasque illius fecundando *b*. Theodotion vertit, *Inflammavit Dominus*; nempe, igne de cælo misso absumpsit sacrificium Abelis, Caini reliquit intactum. Quæ est sententia communis fere omnium SS. Patrum *c*. Respexit vero Deus prius ad personam Abelis, quam ad eius munera; ut doceamur sacrificia vetera non placuisse Deo ex opere operato (uti placet illi sacrificium novæ legis) sed tantum ex opere operantis.

V. 7. NONNE SI BENE EGERIS, RECIPIES. scilicet etiam tu favorem meum, & benedictionem similem fratri tuo? ut & simili signo, puta igne cælitus immisso, tester, te quoque tuaque sacrificia mihi placere. SIN AUTEM MALE egeris, STATIM IN FORIBUS PECCATUM, id est pœna peccati, ADERIT, quasi canis & cerberus præ foribus animi instar vindicis culpæ accubans. Ita sonat Hebræum רובץ *robets*. Hic canis est vermis conscientiæ, ira Dei capiti peccatoris imminens, omnesque pœnæ præsentis & futuræ vitæ. SED SUB TE ERIT APPETITUS EIUS, scilicet peccati, ET TU DOMINABERIS ILLIUS; quasi dicat: Facile evaseris omnem pœnam, si, ut liberi es arbitrii, volueris concupiscentiæ & appetitui tuo, tamquam mancipio rebelli, dominari, & resistere: nam invitare te possunt passiones & appetitus tui ad culpam, sed cogere non possunt *d*.

V. 8. INTERFECIT EUM, non mandibula, ut fingunt pictores, sed rustica furca,

ca, seu lignea, seu ferrea, quam manu secum sine suspicione de more ferre solebat. Interfectus est autem Abel verosimillime anno ætatis suæ 129. mundi 130. Nam natum anno 2. mundi conditi, & occisum eodem anno quo natus, & illi substitutus est Seth, hoc est 130. ex Scripturis deducunt Caietanus, Pererius, Torniellus, & alii.

V. 14. ECCE EIICIS ME HODIE A FACIE TERRAE; id est, a patria mea amœnissima, & fertilissima *e*, quin & a tota terra, dum exulem me & profugum nusquam uno eodemque loco consistere permittis. ET A FACIE TUA ABSCONDAR; id est, quasi reus præsentiam irati iudicis & vindicis Dei horrebo & fugiam, & latibula quæram; quasi dicat: Exosus ero Deo, & hominibus, ut nec ego illos aspicere ausim, nec illi me ferre sustineant: unde quisquis ME INVENERIT, quasi erronem & fugitivum, & omnibus exosum, OCCIDET *f*.

V. 15. POSUIT DOMIMUS CAIN SIGNUM. Ex communiori sententia signum hoc fuit *tremor corporis*, & maxime *capitis*, ac *consternatio vultus g*. Dat ergo hoc supplicio Deus Caino vitæ fidem publicam, sed altiore consilio, partim in pœnam illius, cui celerior mors forte commodior accidisset, partim in aliorum exemplum, quo a simili scelere deterrerentur. Unde & gravius supplicium minatur hic Deus secundo homicidæ, licet ipsiusmet Caini omnibus invisi: SEPTUPLUM, inquit, PUNIETUR, id est multiplicius & longe gravius: quia nempe gravius etiam peccabit: quippe & alieno doctus exemplo & malo, & præcepto meo de non occidendo tam graviter, tam serio iterato rebellis.

V. 23. & 24. Sic Lamech secundus, immo tertius homicida, nam & VIRUM, inquit, OCCIDI (quem, incertum, nisi quod Rabbini velint fuisse Cainum, atavum Lamech; ut etiam S.Hier. S.Anselm. Rabanus, Strabus, Comestor, Lyranus, Abulensis, Lipomanus, Caietanus, Genebrardus, & alii, quos citant & sequuntur Delrio, Salianus, Pererius, & Bonfrerius) ET, alterum quemdam, ADOLESCENTULUM, IN VULNUS, ET LIVOREM MEUM: hebraismo. id est livore, & vulnere a me ipsi inflicto. Hic, inquam, Lamech, cum suum hoc geminum scelus cum simplici scelere Caini contulisset, mox se præ illo longe gravius ex duplici iam dicto capite punitum iri ominatur, SEPTUPLUM, inquiens, ULTIO DABITUR DE CAIN, id est gravius valde, & multiplex; DE LAMECH VERO SEPTUAGIES SEPTIES, id est longe gravior, & multiplicior. Similis phrasis est Matth. XVIII. ver. 22. Quasi dicat: Si Cain, qui non nisi semel, & sine exemplo aut expressa prohibitione deliquit, tam graviter punitus est; ego qui duos occidi, quique pœnam Caini vidi, Dei expressam inhibitionem audivi, nec tamen ab eodem scelere abstinui, longe gravius merito puniendus sum *h*.

Vers. 26. ISTE COEPIT INVOCARE NOMEN DOMINI, scilicet publice per cœtus & ecclesias. Cum enim, crescente numero hominum, cresceret etiam oblivio, & contemptus Dei, videtur Enos, auctore & monitore Adamo, publicos piorum conventus cogere cœpisse, partim ad augendam, stabiliendam, & propagandam religionem; partim ad preces & conciones publicas, & cultum Dei per sacrificia, aliosque ritus & cæremonias inducendum.

(*a*) Ita S. Greg. l.IV. Mor. cap.III. S. Th. III. p. qu. lxx. art. 2. & 4.
(*b*) Ita Chrys. & Lipomanus apud Salianum anno 130.
(*c*) Citant illos a Lapide, & Salianus supra.
(*d*) Ita contra Calvinum Bellarmin. & a Lapide, qui citant SS. Patres.
(*e*) Ita Oleaster, & Pererius.
(*f*) Ambros. Oleaster, Lipomanus apud a Lapide.
(*g*) Ita LXX. & tradunt Hebræi, Hier. Procopius, Eucherius, Theod. Rupert. citati a Saliano, & a Lapide.
(*h*) Ita Chrys. & Theodoretus apud a Lapide.

GORDONI.

INitio ergo Adam genuit Cain, & Abel. At vero Adam cum genuit Seth, erat annorum 130. Ab hoc Seth, seu ab Enos eius filio (qui veræ religionis tenacior fuit) incipit proponi ordo & series nepotum, omissa altera linea quæ est a Cain, & quæ ad Patriarcharum seriem non pertinet.

	Nascitur.	Generat natus annos.	Vixit annos.	Moritur anno mundi.
Adam.	0	130	930	930
Seth.	130	105	912	1042
Enos.	235	90	905	1140.

Vers. 1. ADAM VERO COGNOVIT UXOREM SUAM. Falluntur Novatores, si pu-

si putant, aut divinant Adamum cognovisse in paradiso uxorem suam Evam, cum Patres doceant eos mansisse in paradiso virgines, ut hic locus docet, ubi nunc primum, & post eiectionem, fit mentio copulæ. Peperit vero Eva Cain קין. Sane קנין *kinian* est possessio, a radice קנה possidere, quod ad generationem solet referri. Hinc allusio Evæ: Possedi virum. Gemellos fingit Calvinus fuisse Cain & Abel; sed somniat: contra quem etiam colligunt Patres, Abel obiisse virginem. Ita Hieronymus, Basilius. & Ambrosius: quod Scriptura, uxoris, aut prolis nullam faciat mentionem.

V. 2. CAIN AGRICOLA. Heb. עבד *hboved*, serviens terræ, instar famuli. Sept. operans terram, ἐργαζόμενος τὴν γῆν.

V. 3. POST MULTOS DIES. In Hebr. *A fine dierum*. Idiotismus est, designans, post aliquot annos.

V. 4. DE ADIPIBUS. Sane ex optimis totius gregis: solent enim Hebræi, quod optimum est, adipem vocitare. Sic ex adipe frumenti, & medulla tritici. Respexit vero Deus, hoc est ostendit sibi placere: nam Hebraicum שעה *vabha* designat complacentiam. At cur magis placuit Abelis victima? An quia innocentior erat; an quia ex adipe, & optimis, maiore fide, & caritate: nam talia sacrificia probat Deus.

V. 5. NON RESPEXIT. Causa fuit odium in fratrem, ex Iren. Lib. IV. cap. XXXIV.

Vers. 6. & 7. QUARE IRATUS ES? .... NONNE SI BENE EGERIS, RECIPIES? .... SED SUB TE ERIT APPETITUS EIUS, ET TU DOMINABERIS ILLIUS. Hic Calvinus pugnat contra liberum arbitrium. Vult ergo τὸ *eius* referri ad Abelem, & non ad peccatum; at inepte: nam quomodo ad Abelem, cuius hic nulla facta est mentio, referri potest, ut recte notant August. XV. de Civit. cap. VII. & Ambrosius Lib. II. de Cain & Abel cap. VII. Dices, pronomen, aut affixum esse masculinum, & peccatum Hebraice femininum: ergo non ad peccatum. Sed hoc quoque falsum est. En textum, רבץ לפתח חטאת *robbets lapetbah battath*, *cubans ad ostium peccatum*. En חטאת, masculinum. Adde ואליך תשוקתו *veelecba tevukatbo*, & *ad te appetitus eius*. Hic iterum apparet *battath* esse masculinum. Vide radicem שוק. Certe alioqui dicendum erat *robetsa*, & *tevukateeb*. Ceterum loci huius versio apud Septuaginta obscurata est vitio temporis; quod inepte Eugubinus inscitiæ LXX. Interpretum ascripsit, ut recte notavit Bonfrerius, assertor passim huius contra eumdem Græcæ versionis.

V. 8. DIXITQUE CAIN AD ABEL FRATREM SUUM: EGREDIAMUR FORAS. Non est quod criminetur Novator vulgatam editionem: verba enim ista, *Egrediamur foras*, quamvis non sint nunc in Hebræo codice; tamen fuerunt olim; & ea apud Septuaginta legerunt multi: διέλθωμεν εἰς τὸ πεδίον. Ea ponit Hieronymus in sua versione; quamvis in Quæstionibus Hebraicis dixerit posse tolli. Sane recepta sunt a Patribus; & nisi adsint, sensus mutilus fere est. Credendum ergo LXX. viris, non uni aut duobus Novatoribus.

Vers. 11. MALEDICTUS ERIS: quia vagus, infelix, & terra maligne respondebit tuo labori.

Vers. 13. MAIOR EST INIQUITAS: per nullam pœnitentiam potero veniam impetrare.

V. 14. A FACIE TERRAE: non quidem omnis terræ, sed terræ in qua natus sum. ET ABSCONDAR A FACIE TUA; hoc est, ero fugiens te, quasi mihi iratum, & pavidus.

V. 15. POSUITQUE DOMINUS SIGNUM, &c. Divinandum est, quale fuerit hoc signum: quod dico, ut rideas Rabinos, qui canem fuisse volunt datum Caino, a quo duceretur per vias tutas. Alii signum in facie datum putant; alii tremorem corporis.

V. 16. HABITAVIT AD ORIENTALEM PLAGAM EDEN. Insinuavi cap. II. vers. 8. quis sit locus Eden, ubi erat paradisus.

V. 17. COGNOVIT AUTEM CAIN UXOREM SUAM, certe sororem, ut satis indicat genealogia hactenus a Mose notata. Vide Levit. Cain post aliquot annos exilii Enochiam condit, primam in orbe civitatem, sic a filio Enoch nominatam, quando proinde cessavit esse profugus Cain.

V. 19. Lamech primus polygamus legem monogamiæ violat, latam Gen. cap. II. vers. 24. Post tamen diluvium, ut multiplicarentur homines, dispensatum putamus de hac lege: nam Abraham, & alii multi

N poly-

polygami fuere. Propagato humano genere cœpit iterum quasi tacito iure gentium contemni polygamia: quam Christus tandem Matth. xix. 4. sustulit e medio.

V. 20. PATER. Auctorem hic designat, & inventorem artis, v.g. pastoritiæ. A pastoribus ad Nomadas, & Arabes fluxit usus habitandi in tentoriis.

V. 21. Iubal putatur inventor Musicæ. Ab eius nomine forte vox, iubilari.

V. 23. IN VULNUS MEUM, vulnere a me inflicto. Dubium est quis hic sit qui occisus est a Lamech; immo quis vir ille, & quis adolescens: vir quidem inflicto vulnere; adolescens verberibus, & livore. Probabile quidem est, videri hic duos occisos, & non eumdem esse virum, & adolescentem. At quinam hi sint, quis divinabit?

V. 24. Lamech homicida solatur uxores, ne timeant de ipsius nece: si enim qui occidit Cain, magna dignus est pœna; sane, inquit, longe maiore pœna afficietur qui me Lamech occiderit: quia innocentior sum illo, qui erat fratricida.

V. 25. VOCAVIT, scilicet Eva: nam in Heb. verbum est fem. ותקרא *vatekra*.

V. 26. SETH NATUS EST FILIUS, QUEM VOCAVIT ENOS: HIC COEPIT INVOCARE NOMEN DOMINI; hoc est, auctor fuit ut homines recta aliqua ratione Deum colerent, ritu aliquo, & cultu publico. An ante hunc Enos fuerit idololatria, fueritque ab eo sublata certatur.



CAPUT V.

Propagatio Adæ ac posterorum, annique vitæ ipsorum usque ad Noe.

1 HIc est liber generationis Adam. In die qua creavit Deus ho-
minem, (*a*) ad similitudinem Dei fecit illum. 2. Masculum
& feminam creavit eos, & benedixit illis: & vocavit no-
men eorum Adam, in die quo creati sunt. 3. Vixit autem
Adam centum triginta annis; * & genuit ad imaginem &
similitudinem suam, vocavitque nomen eius Seth. 4. Et fa-
cti sunt dies (*b*) Adam, postquam genuit Seth, octingenti
anni; genuitque filios & filias. 5. Et factum est omne tempus quod vixit
Adam, anni nongenti triginta, & mortuus est. 6. Vixit quoque Seth centum
quinque annis, & genuit Enos. 7. Vixitque Seth, postquam genuit Enos,
octingentis septem annis, genuitque filios & filias. 8. Et facti sunt omnes
dies Seth nongentorum duodecim annorum, & mortuus est. 9. Vixit vero
Enos nonaginta annis, & genuit Cainan. 10. Post cuius ortum vixit octin-
gentis quindecim annis, & genuit filios & filias. 11. Factique sunt omnes
dies Enos nongenti quinque anni, & mortuus est. 12. Vixit quoque Cainan
septuaginta annis, & genuit Malaleel. 13. Et vixit Cainan, postquam genuit
Malaleel, octingentis quadraginta annis, genuitque filios & filias. 14. Et fa-
cti sunt omnes dies Cainan nongenti decem anni, & mortuus est. 15. Vixit
autem Malaleel sexaginta quinque annis, & genuit Iared. 16. Et vixit Ma-
laleel, postquam genuit Iared, octingentis triginta annis; & genuit filios &
filias. 17. Et facti sunt omnes dies Malaleel octingenti nonaginta quinque anni,
& mortuus est. 18. Vixitque Iared centum sexaginta duobus annis, & genuit
Henoch. 19. Et vixit Iared, postquam genuit Henoch, octingentis annis, &
genuit filios & filias. 20. Et facti sunt omnes dies Iared nongenti sexaginta
duo

duo anni, & mortuus est. 21. Porro Henoch vixit sexaginta quinque annis, & genuit Mathusalam. 22. Et ambulavit Henoch cum Deo: * & vixit, postquam genuit Mathusalam, trecentis annis, & genuit filios & filias. 23. Et facti sunt omnes dies Henoch trecenti sexaginta quinque anni. 24. Ambulavitque cum Deo, & non apparuit: (c) quia tulit eum Deus. 25. Vixit quoque Mathusala centum octoginta septem annis, & genuit Lamech. 26. Et vixit Mathusala, postquam genuit Lamech, septingentis octoginta duobus annis, & genuit filios & filias. 27. Et facti sunt omnes dies Mathusala nongenti sexaginta novem anni, & mortuus est. 28. Vixit autem Lamech centum octoginta duobus annis, & genuit filium: 29. vocavitque nomen eius Noe, dicens: Iste consolabitur nos ab operibus, & laboribus manuum nostrarum, in terra cui maledixit Dominus. 30. Vixitque Lamech, postquam genuit Noe, quingentis nonaginta quinque annis, & genuit filios & filias. 31. Et facti sunt omnes dies Lamech septingenti septuaginta septem anni, & mortuus est. Noe vero cum quingentorum esset annorum, genuit Sem, Cham, & Iapheth.

(a) Sap. II. 24. Eccli. XVII. 1. Sup. 1. 28. Inf. IX. 6. (b) I. Par. I. 1. (c) Eccli. XLIV. 16. Heb. XI. 5.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

Vers. 3. *Et genuit ad imaginem*. Consulto omissa est, quam quidam interponunt, vox *filium*.

Vers. 22. *Et vixit postquam*. Nomen *Henoch* hic non repetitur, sed subaudiendum relinquitur e proximo.

COMMENTARIA

SA.

Vers. 1. LIBER GENERATIONIS, id est enumeratio posteritatis, eius scilicet per quam Christus descendit. DEI, pro *suam*, Hebraice.

V. 2. BENEDIXIT, idest fecundos reddidit. EORUM, pro eius. LXX. *eius*. ADAM, pro hominem; quasi dicat, utrumque hominem vocavit.

Vers. 4. FILIOS ET FILIAS. Horum non fit mentio, quia non ab eis Christus.

V. 22. AMBULAVIT CUM DEO, id est *sancte vixit*, Hebraice.

V. 24. TULIT, forte in paradisum terrestrem. Augustin. de Genes. ad lit.

V. 27. MORTUUS EST, scilicet anno quo cœpit diluvium: Hieronymus.

V. 29. NOE, id est requiem, seu quietem. CONSOLABITUR: forte quia invenit agriculturæ instrumenta, & artem.

V. 30. GENUIT, &c. Sensus est, post annum ætatis 500. generare cœpisse, habuisse vero hos tres filios, scilicet diverso tempore.

ESTII.

Vers. 5. ET FACTUM EST OMNE TEMPUS ADAM, ANNI NONGENTI TRIGINTA. De ætate hominum primi temporis vide Pamelium in Lib. Cypri. ad Demet. ubi citat Aug. & Iosephum. Nugati sunt quidam, annos velut AEgyptios singulorum mensium, vel Arabicos sex mensium, intelligi. Sed reclamat ipsa Scriptura sacra in narratione diluvii; tum etiam Moyses in Exodo, & alibi. Quin etiam Copernicus Lib. III. cap. VI. ostendit annum mathematicum apud AEgyptios item fuisse 365. dierum & 6. horarum, ut est apud nos.

V. 24. De Enoch: AMBULAVITQUE CUM DEO, ET NON APPARUIT. Ambulare cum Deo, phrasi Scripturæ, est vivere iuste, & sancte, secundum Deum. Ita & cap. seq. dicitur: *Noe vir iustus, atque perfectus, cum Deo ambulavit*. Porro quod dicitur, *Et non apparuit*, Hebr. est, *Et non ipse*; id est, non amplius comparuit inter

homines. De eo Eccli. XLIV. *Henoch placuit Deo, & translatus est in paradisum, ut det gentibus pœnitentiam*. Et ad Hebr. XI. *Fide Enoch translatus est, ne videret mortem, & non inveniebatur, quia transtulit illum Deus. Ante translationem enim testimonium habuit placuisse Deo*. Ex quibus confirmatur ecclesiastica opinio de Enoch, quod in vita reservetur, donec simul cum Elia mittatur ad prædicandum contra perfidiam Antichristi, & ad reducendum gentes per Antichristum seductas, ad pœnitentiam. Quod vero dicitur translatus in paradisum, an in illum, ex quo eiectus est Adam, incertum, teste August. de Peccato orig. cap. XXIII. Fuit autem Enoch etiam propheta, & pars prophetiæ eius citatur a Iuda Apostolo in sua epistola. Nec dubium videtur, quin scripto reliquerit quod prohetavit, alioqui difficulter in tot sæcula conservandum. Fuerunt ergo litteræ ante diluvium. An autem Enoch primus eas invenerit, non liquet. Mihi certe verisimile est, rei tam necessariæ inventum, fuisse ipsius primi hominis.

V. 29. VOCAVITQUE NOMEN EIUS NOE, DICENS. Chrysostomus homil. XXXIX. in Genes. contendit, Lamech hunc infidelem fuisse, divinitus tamen factum ut occulto impetu tale nomen filio imponeret. Sed improbabile id de hoc Lamech (nempe est & alius ex posteris impii Cain, de quo supra) quandoquidem per hanc lineam fides, seu religio vera, propagata est ad posteros: unde & capite proximo *filii Dei*, id est, unius Dei cultores, omnino sunt filii Seth.

MARIANAE.

Vers. 1. HIC EST LIBER GENERATIONIS ADAM. Vox Hebraica ספר *sepher*, librum, narrationem, numerum significat. Interpretes fere *liber* dixere. Fortassis satis commode dicas: Hæc est enumeratio. Loco *generationis*, Hebr. si puncta respicias, est *generationum*; si litteras, dixeris *generationis*: quod Sept. Chald. & Hieron. sunt secuti. Sic sæpe puncta ab antiqua, & vera lectione discrepant. *Liber generationis*, posteritatis ratio. AD SIMILITUDINEM DEI FECIT ILLUM, id est suam ipsius: antecedens pro relativo. Deus hominem fecit ad similitudinem suam.

V. 2. ET VOCAVIT NOMEN EORUM ADAM. Ex hoc loco colligas, non solum ἄνθρωπος Græcis, & Latinis *homo*, esse generis communis, sed etiam Hebræis vocem *Adam*; maleque Græce legi: *Vocavit nomen eius Adam*, tum quoniam in Vaticano codice Græco legitur αὐτῶν, non αὐτοῦ: tum quia Hieronym. in Trad. ubi sequitur Vulgatam antiquam, quæ ex Sept. editione manavit, *eorum* legit, ut nos legimus, redditque dicti rationem, dicens: *Et vocavit nomen eorum Adam, id est homo*. Hominis nomen tam viro quam feminæ convenit. Et sane cum *Adam* idem sit quod terrestris, in hoc non discrepant sexus. Græculus aliquis non intelligens quomodo Eva diceretur Adam, Græcam vocem immutavit, scilicet *eorum* in *eius*. In Gotthicis legitur male: *Vocavit nomen eorum Adam & Eva*. Sed & hoc loco sciendum, *Adam* & nomen proprium esse primis hominis, & commune viris omnibus, feminis quoque: hoc loco appellativum est.

V. 3. VIXIT ADAM CENTUM TRIGINTA ANNIS. Iam incipiunt in annorum numero Græci a supputatione Hebraica discrepare: dicunt enim: *Vixit Adam annos ducentos triginta*. Method. in Revelationibus affirmat, Adam annorum triginta genuisse Cain, post alios triginta annos Abel natum, post annos alios septuaginta, cum Adam esset centum triginta annorum, occisum Abel. Rursus alios centum annos luxisse Abel, abstinuisse ab uxore. Alii addunt, hos centum annos ab Hebræis non numerari. Quæ omnia incertæ fidei sunt. Et GENUIT. Vox *filium*, a quibusdam hic addita, redundat, nec est in Gotthicis, nec in Hebr. neque in Sept. sed suppleri debet tamen. AD IMAGINEM ET SIMILITUDINEM SUAM; nempe, filium Seth genuit & ingenio, & corpore sibi simillimum. Quibus ex verbis fortassis commode explices Dei verba: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*. Nempe in hominis specie apparens, voluit hominem condere secundum animam similem divinitati, secundum corpus formæ hominis assumptæ. Quod magis convenit, si צלם *Zelem* dicamus *umbram* significare, quod naturæ assumptæ superius quadrat, hic corpori. Adverte etiam, ex duabus vocibus צלם *Zelem*, & דמות *Demuth* Interpretem priorem *imaginem*, posteriorem *similitudinem* dixisse superius cap. 1. Hic converso ordine. Hæc dicta sint, ne quis

quis de vi harum duarum vocum magnopere contendat.

V. 4. GENUITQUE FILIOS ET FILIAS. Vides, Adamo alios fuisse filios præter eos qui nominantur.

V. 18. VIXITQUE IARED CENTUM SEXAGINTA DUOBUS ANNIS. In hac sexta generatione, Sept. consentiunt in numero annorum, quo Iared genuit Henoch; consentiunt, inquam, cum lectione Hebraica: quod mirum est, cum in quinque superioribus centum annos addant in singulis ad eos qui in Hebraico sunt. Diversæ computationis causas duas affert August. XV. de Civit. cap. XIV. Altera fuit error eius qui ex Bibliotheca Alexandrina primus descripsit Genesim, qui in alios codices ex eo manavit. Aut fortassis aliquis multitudine annorum deterritus, quibus primi homines vixerunt, eos annos menstruos putavit: sic ne plerique ex iis viderentur nono, aut etiam septimo anno procreasse filios ante pubertatem, centum alios annos, hoc est menses, addidit procreationi. Ita in sexta, octava, & nona generationibus, nihil addidit, quoniam in Hebraico satis temporis designari credidit, etiamsi anni essent menstrui. Neque credit ab Hebræis numeros esse corruptos: quo enim operæ pretio? neque a Sept. viris sapientissimis. Et quoniam diversitas errorem arguit, origini standum potius credit quam Græcis exemplaribus.

V. 22. ET AMBULAVIT HENOCH CUM DEO; id est, sancte vixit. Sept. *Et placuit Henoch Deo*. Hebræi putant, Henoch indole fuisse prava; & ne degeneraret, morte occupatum, priusquam complesset ætatem. Aven Ezra: *Tulit eum Deus, id est, mortuus est: sic Elias dixit: Tolle animam meam*. Nos verius, translatum vivum, nec mortem gustasse, quando de eo ut de aliis omnibus non dicitur, *Mortuus est*. Atque ita confirmatur Eccli. XLIV. *translatum in paradisum*, & ad Hebr. XI. *Fide Henoch translatus est, ne videret mortem*. Chald. etiam vers. 24. ait: *Non comparuit, nec etiam occidit eum Deus*.

V. 25 VIXIT QUOQUE MATHUSALA CENTUM OCTOGINTA SEPTEM ANNIS. Hic in Græca versione Complutensi & Regia demuntur viginti duo anni. in Romana viginti tantum anni detrahuntur: dicunt enim: *Mathusala vixit 167. annis*. Quam veram esse lectionem, ex Hieronymo in Tradit. manifestum est, & ex August. de Civ. Dei Lib. XV. cap. XIII. Tum quoniam nisi ita legeretur, Mathusala ex Græca lectione non quatuordecim annis supervixisset diluvio, quæ communis sententia est, sed potius sedecim.

Vers. 27. MORTUUS EST, ipso anno quo diluvium cœpit, iuxta Hebr. computationem.

Vers. 28. VIXIT AUTEM LAMECH CENTUM OCTOGINTA DUOBUS ANNIS. In Græco hic adduntur sex modo anni: sic enim: *Vixit Lamech annos centum octoginta octo*. Et tamen de universa vita Lamech demuntur anni viginti quatuor. Hebraice enim dicitur vixisse septingentis septuaginta septem annis, Græce septingentis quinquaginta tribus. Miram profecto varietatem.

V. 29. ISTE CONSOLABITUR NOS. Hebræi id dici putant, quoniam instrumenta ad culturam terræ invenit; *nos*, quoniam instauravit genus humanum post diluvium.

V. 31. GENUIT SEM, CHAM, ET IAPHETH. Sem non fuit primus Noe filius: quoniam cum quingentorum esset annorum, cœpit filios procreare: si ergo Sem fuit primus filius, anno quo diluvium incidit, nempe sexcentesimo ætatis Noe, fuit annorum centum. At anno secundo post diluvium ad eam ætatem pervenit, cap. XI. vers. 10. E duobus aliis quis fuerit maior, non satis constat: nam hoc loco Cham ponitur ante Iapheth; at converso ordine cap. XI. prius Iapheth refertur, eiusque filii, deinde Cham. Ergo hoc loco Sem præposuit propter dignitatem. Tum cap. IX. vers. 24. Cham vocatur minor Noe filius. Si annorum subducas rationem iuxta Hebraicam computationem, ab initio mundi ad diluvium, anni sunt 1656. atque iuxta hanc rationem Adam obiit ante diluvium anno 726. Lamech quinto non amplius, Mathusalem ipso diluvii anno. At iuxta computationem Sept. ab initio ad diluvium colliguntur anni 2240. Adam obiit ante diluvium anno 1310. Lamech 35. Mathusalem annos quatuordecim vixit post diluvium. Cum octo tantum animæ salvæ factæ fuerint. Quod argumentum magnum est, Græcos numeros esse vitiatos, Hebraicos sinceriores. Annos hos menstruos fuisse, & lunares, & ex eo natam quorumdam

dam vitam nongentorum annorum, indicat Servius III. AEneid. in illud:

Interea magnum sol circumvolvitur annum.

Non ita esse tamen, confirmat Augustinus de Civitate Dei Lib. XV. cap. XIV. quoniam anni decimus mensis, tum mensis dies vigesimus septimus inferius computatur. Sed qui tamdiu vitam primi homines propagarunt? Multæ afferuntur causæ: corporum optima constitutio, cibi solidiores salubrioresque, ac super omnia, Dei voluntas.

MALVENDAE.

Vers. I. HIC EST LIBER. ספר *sepher*, enarratio, enumeratio, recensio, recitatio, catalogus. Hispanice *contar* dicimus numerare, & narrare. GENERATIONIS. Hebr. pluraliter, *generationum*, hoc est posteritatis, generis, seu genealogiæ Adami primi parentis; quasi dicat: Ista est enumeratio, seu catalogus eorum quos genuit Adam; sive eorum qui originem & genus duxerunt a primo parente: qui proprie censentur in Christi genealogia, per quos propagata fuit Ecclesia Dei, & vera religio. Non est inscriptio, aut titulus totius operis genesis mundi, sed series tantum, & catalogus posterorum Adami qui ad genealogiam Christi pertinent. Quamvis non aliene reddes: *Iste est liber*, seu *narratio historiarum*, aut *rerum gestarum Adami*. Vide cap. II. vers. 4. Hunc locum videtur Matthæus imitatus, cum suum Evangelium ita orditur: *Liber generationis Iesu Christi*.

V. 2. ET VOCAVIT NOMEN EORUM ADAM. Non est hic Adam nomen proprium primorum parentum, sed appellativum & commune speciei humanæ, complectens utrumque sexum, id est homo. Nomen אדם *Adam*, ductum est ab אדמה *adamah*, quæ *est terra*, *humus*, *tellus rubra*, *subrufa*, *argillosa*: אדם *adam* est *rubescere*, *rufum*, *seu rubicundum esse*: inde *adamah*, *humus rubra*, qualis est ut plurimum argilla. Unde *Adam* dictus, quasi rufus, burrus, rubeus, ferreus, argillaseus, seu argillosus. Et quemadmodum Latinis homo dicitur ab humo, sic Hebræis Adam ab *adamah*, *humo rubea*. Hæsit tamen nomen Adam tamquam proprium primo parenti; quod is sator & proauctor totius humani generis fuerit. Alii volunt, primum hominem nullum habuisse proprium nomen, sed appellatum nomine totius speciei, quam ipse totam in se uno continuerit. Vide cap. II. vers. 7.

V. 3. VIXIT AUTEM ADAM CENTUM TRIGINTA ANNIS. Hebr. ad verbum: *Et vixit Adam triginta & centum anni*. Vox *anni*, est genitivus singularis, quia מאת *meath*, *centum*, est in regimine: notantque in eiusmodi locutionibus quando מאה *meah* est constructum, nempe *meath*, *centum*, rectius per centenarium, quam per centum efferri, iuxta vocis proprietatem, ut si dicas, *centenarium anni*, pro centenarium annorum.

Observant insuper, nomen שנה *schanah*, *annus*, quando construitur cum numeris cardinalibus intra denarium numerum inclusive, semper pluraliter usurpari שנים *schanim*; ut, duos annos, quinque annos, octo annos, decem annos. Excipiunt pauca loca, in quibus monadica cum singulari *schanah annus*, construuntur. II. Regum VIII. 17. *Octo annum regnavit in Ierusalem*. Cap. XXII. I. *Filius octo annum erat Iosias*.

Quando autem cum cardinalibus numeris ultra denarium numerum construitur, perpetuo legi singulariter, *annus*, in omnibus Scripturæ locis sine ulla exceptione. Utriusque constructionis perspicua sunt exempla toto hoc capite. Similes constructiones habere nomen שקל *schekel*, id est siclus, ut suis locis videbimus. Nec desunt qui annotent, non sine mysterio hoc capite, & in aliis eiusmodi locis, ingentibus annorum numeris addi nomen singulare annus, ut indicetur, tot annorum centenaria, quæ Patres vixerunt, & vera æternitatis æstimatione fuisse, & visa illis quam brevissima, & quasi unum annum. Sed puto esse consuetudinem linguæ.

GENUIT. Verbum ילד *ialad*, in Hiphil, vividam, & robustam vim generandi indicat, quæ tum in primævis hominibus abunde vigebat. Sic in sequentibus. AD IMAGINEM ET SIMILITUDINEM SUAM. Heb. inversus ordo verborum ab eo, quem posuit cap. I. vers. 26. ibi prius ponitur צלם *tzelem*, & postea דמות *demuth*: hic prius *demuth*, deinde צלם *tzelem*. Atqui duabus hisce vocibus exponunt hic, sibi-

quam

quam simillimum eiusdem naturæ in corpore & anima, nempe animal rationale. Quidam *demuth similitudinem*, ad originem naturæ referunt; *tzelem imaginem* vero ad corruptionem & vitiositatem, quæ ab ipso Adamo contracta per defectionem, ad omnes posteros defluit. Vide cap. I. vers. 26.

Vers. 4. ET GENUIT FILIOS ET FILIAS; id est, multos alios præter hic commemoratos, quorum non meminit Scriptura, quia eos tantum præcipue recensere studuit ex quibus Christus benedictum semen oriturus erat, & quia illorum omnis soboles diluvio extincta, & quia nihil ad mysterium pertinebant. Sic in sequentibus.

V. 24. AMBULAVITQUE HENOCH CUM DEO. Hoc ipsum antea iam dixerat vers. 22. Possis etiam iuxta linguæ proprietatem reddere: *Et ambulavit Henoch ad Deum*; id est, ivit, profectus est ad Deum, scilicet ad locum paratum a Deo, quem Deus illi destinaverat, ut in eum vivens transferretur: quem sensum sequentia magis declarant. Quidam ut rem observatu dignissimam notant, quod quando verbum הלך *halac*, *ambulare*, ponitur in formula Hithpahel, ut hic, & cum את *eth*, vel לפני *liphne*, & nomine Dei construitur, hoc est quando aliquis cum, vel coram Deo ambulare dicitur, idem significare, quod in publico esse ministerio Dei, & officio fungi sacerdotali: ut Genes. VI. 9. *Cum Deo ambulavit Noaeh*. I. Samuel. II. 30. *Dicendo dixi: Domus tua, & domus patris tui facient se ambulare ad facies meas, usque æternum*. Noster: *Ministraret in conspectu meo*. Et vers. 35. *Et surgere faciam mihi sacerdotem creditum, secundum quod in corde meo, & in anima mea faciet, & ædificabo illi domum creditam, & ambulare se faciet ad facies Christi mei, omnibus diebus*. Ita hoc loco: *Ambulare se fecit Henoch cum Deo*; id est, fungebatur publico & sacro ministerio Dei, & officio sacerdotali. Alii contra nolunt esse hanc generalem verbi *balac* in Hithpahel usurpationem, sed loci & sensus habendam esse rationem: quod est tutius.

Communiter exponunt: *Ambulavit autem Henoch cum Deo*; id est, ne hominum sui sæculi corruptelis abduceretur, habuit unius Dei respectum, ut pura conscientia, tamquam sub oculis eius, probitatem, & innocentiam coleret. Quasi dicat: Pie, iuste, sancte, inculpate, religiose vixit; ex Dei præscripto vitam instituit, mores conformavit. Vel rebus divinis vacavit, vitam divinam, & sublimiorem egit; occupatus fuit in cultu Dei, & in vera Dei nominis invocatione, corde, & corpore. At cum hoc Scriptura singulariter de Henoch dicat; cum tamen eo tempore alii fuerint in cœtu piorum viri iusti, & probi, qui recte & pie Deum colerent: existimant aliqui significari his verbis, Henoch non utcumque sancte vixisse, sed sanctiorem quamdam atque eximiam & perfectissimam, seu heroicam præ ceteris vitam instituisse, arctiusque & familiarius Deo inhæsisse, atque cum eo versatum; quem Deus singulari gratia sanctitate, virtutibus, donis, favoribus ornarit, & auxerit; ac si dixisset: Fuit vir sanctissimus, & absolutissimus.

LXX. Interpretes Hebraismum ita exposuere: *Placuit Deo*: quem sensum sequuti sunt divini Auctores, Sapien. IV. 10. *Placens Deo*. Eccli. XLIV. 16. *Henoch placuit Deo*. Paulus Hebræor. XI. 5. *Testimonium habuit placuisse Deo*. Ut hinc quoque cernas quanta fuerit olim auctoritas LXX. Nonnulli hic reddunt: *Et fecit se Chanoeb ambulare Deum*, id est imitari Deum.

Observant insuper verbum *balac* in Hithpahel, ut hic, significare continuam, assiduam, frequentem deambulationem; vel magnam & intimam conversationem, & familiaritatem. Quidam reddunt: *Ambulavitque indefinenter Chanoch secundum Deum*; id est, non est sequutus malitiam sui sæculi, aut corrupto Dei cultu cum ceteris depravatus; sed certa fide, cordis integritate, & vitæ innocentia Deum coluit, ex præscripto eius, eumque ducem sequutus est. Nec desunt qui exponant: *Et deduxit se Henoch cum Deo*; quod Hispanice dicimus: *Se portò bien con Dios*; id est, fideliter & sancte se gessit cum Deo. Vel *deduxit se ad Deum*, seu *Deo*; id est, se totum Deo dedidit, tradidit, sanctitati, & divino cultui mancipavit. Quod bis id de Henoch Scriptura pronuntiet, satis arguit excellentem & heroicam in Henocho fuisse virtutem. Et quidem vers. 22. satis diserte Hebræa exprimunt, *Henoch trecentos annos ambulasse cum Deo*. Ergo exibilandi Hebræi qui tradunt Chanoch ante tempus raptum, quod levis & lubricus esset: adeo non pudet eos tam aperta mendacia divinare. ET NON APPARUIT. Hebr. & *non*

non ipse. Peccant omnino qui exponunt: *Et non fuit*, desiit esse, mortuus est. Quanto melius, & verius LXX. & Paulus: *Et non est inventus, non inveniebatur, non apparuit*, non comparuit, desiit versari, & esse inter homines; nempe translatus in secretum locum. TULIT EUM. לקח *lakach* quidam reddunt, *tulit, abstulit de medio*, morte scilicet: ut illud Maronis VI. AEneidos:

Sustulit atra dies, & funere mersit acerbo.

Et illud de Nerone apud Svetonium cap. XXXIX.

Sustulit hic matrem ....

Et I. Reg. XIX. 4. *Tolle animam meam*; id est, aufer mihi vitam. Item Ieremiæ XV. 15. Sed numquam in Scriptura verbum LAKACH invenitur simpliciter positum pro morte tollere, nisi cum adiuncto nomine animæ, vel desiderii, ut Ezechiel. XXIV. 16. & Ionæ IV. verf. 3. Pro vivi assumptione, translatione, transportatione, habes II. Reg. II. verf. 5. *Nosti, quod hodie Dominus accipiens Dominum tuum a capite tuo?* Ergo qui hunc locum, non de Henoch viventis & integri translatione, assumptione, sed de eius morte acceperit, impius est. Vide Sapien. IV. 10. Eccli. XLIV. 16. Hebræor. XI. 5. ubi expressissime asseritur Henoch non fuisse mortuum, sed adhuc vivere: & quod hic dicitur, *accepit eum Elohim*, illis locis exponitur, *Translatus est*. Quidam recte hic vertunt: *Quia assumpsit eum Deus*. Vitam adhuc mortis expertem, & translationem Henoch fuse demostramus Lib. X. de Antichristo, cap. I.

Vers. 29. NOMEN EIUS NOE. *Noach* proprie quietem, pausam significat: quod in ipso ira Dei diluvio superinfusa mortalium generi quieverat. Hunc postea Græci Oenotrion, Latini Ianum dixerunt: quod primus mortalium vini usum repererit. Vide Cap. IX. verf. 20. 21. ISTE CONSOLABITUR NOS. Mirum quod nomen נח *Noach* sit a נוח *noach*, & Moses etymologiam nominis non a נוח *noach, requievit*, sed a נחם *nacham*, id est *consolari*, petierit: dicendum enim erat, יניחנו *ienichennu, requiescere nos faciet*; & non ינחמנו *ienachamenu, consolabitur nos*. Quidam censent, etsi non voce, sensu tamen, & re ipsa idem omnino utrumque esse: nam qui nos requiescere facit, ipse nos egregie consolatur, & potius hic allusionem esse, non etymologiam. Alii volunt, hic vertendum, *Requiescere nos faciet*, ex verbo *noach*, & insertam fuisse litteram מ *mem*, per paragogen. Quod si ita est, & etymologia ducta est a *noach*, Mem מ littera ideo inserta videtur, ad indicandum magnam quietem, solatium, levamen allaturum Noach rei agrariæ, seu agriculturæ. Infra cap. IX. 20 AB OPERE NOSTRO. Hebr. *facto, factura nostra*, vel ab opere agricolationis, vel a peccatis nostris: nam Noe in diluvio sedavit, & requiescere fecit iram Dei, & fuit unica spes generis humani. Quidam: *De labore nostro*, quo adversus impietatem, & iniustitiam hominum dimicamus in fide, & patientia. ET LABORIBUS MANUUM NOSTRARUM IN TERRA. De voce עצבון *ghitzabon* vide cap. III. Quidam hic reddunt: *De molestia manuum nostrarum e terra*, vel *ex parte terræ*; quasi dicat: Nos post multos labores, tempore suo melius habituri sumus, opera istius. *In labore manuum*, volunt esse synechdochen, quia sub una specie comprehendit miserum statum in quem deciderat genus humanum. Rarum aliquod, & insolitum auxilium a tam misera, tristi, & laboriosa vita, cui addictus fuerat Adam, Lamech a filio sperabat. Idemque tamquam divinitus promissum credebat. At hæc sunt subtilia & curiosa. Melius Hebræi hanc partem ad agriculturam referunt; ac si dicat: Multum nos levabit labore colendi agros. Nam fuit inventor instrumentorum, quibus solent colere terram, uti dicemus cap. IX. verf. 20. Alii hic vertunt: *Et de compressione manuum nostrarum de terra*: colendo enim, & subigendo terram, manus comprimimus. Nonnulli reddunt: *Et de dolore manuum nostrarum*; id est, de opere laboriosissimo, cuius necessitatem subivimus, cum propter communem illam omnium hominum depravationem, tum propter singulare sæculi nostri scelus. *De humo, quod maledixit ei Iehova*: traiectio, pro de maledictione qua maledixit Iehova terræ; quæ intulit antecedentia mala,

MENO-

MENOCHII.

Verſ. 1. LIBER GENERATIONIS: enarratio continuatæ proſapiæ Adami uſque ad Noe.

V. 2. VOCAVIT NOMEN EORUM ADAM. Hic *Adam* eſt nomen ſpeciei, non individui, itaque etiam Evæ convenit.

V. 3. AD IMAGINEM ET SIMILITUDINEM: ſibi per omnia ſimilem, in natura, corpore humano, anima rationali &c.

V. 4. GENUITQUE FILIOS ET FILIAS. Certum eſt ante Seth ſaltem unam filiam habuiſſe, Caini uxorem.

V. 5. MORTUUS EST. Bene Eccleſiaſticus XIV. 12. *Hoc eſt teſtamentum huius mundi: Morte morietur*. Fuit autem illo ævo tam diuturna hominum vita, Dei voluntate, & arcana cooperatione, ut homines citius propagarentur: contulit etiam bona corporis conſtitutio, victus temperantia, vigor terræ, cuius fructus eo tempore ſucculentiores, benignus ſiderum aſpectus, & ratio tuendæ valetudinis Adamo ſapientiſſimo perſpecta, & aliis communicata: ſcivit enim herbarum, ac ſtirpium vires, metallorum &c.

V. 22. AMBULAVIT CUM DEO. Genus hoc dicendi ſignificat vitam perfectam, & inculpatam, divinæ conſentientem voluntati. LXX. habent, *Placuit Deo*.

V. 24. ET NON APPARUIT. LXX. *Et non inventus eſt*, quod ſecutus D. Paulus ad Hebr. XI. 5. habet, *Et non inveniebatur*. QUIA TULIT EUM DEUS: in alium locum tranſtulit. *Henoch*, inquit D. Paulus loco citato, *tranſlatus eſt, ut non videret mortem*. Cauſa tranſlationis habetur Sap. IV. 10. quia dilectus Deo, & vivebat inter malos bonus, ne malis moribus innocens contaminaretur. Locum, in quem translatus eſt, indicat Eccleſiaſticus cap. XLIV. 16. *Henoch*, inquit, *placuit Deo, & tranſlatus eſt in paradiſum, ut det gentibus pœnitentiam*.

V. 29. ISTE CONSOLABITUR NOS. Vox *Noe*, quietem, & conſolationem ſignificat; Noe autem quieſcere fecit, & conſolatus eſt homines. I. quia omnia retro acta opera, ſcilicet peccata, quieverunt per Noe, qui ea obruit diluvio. II. quia aratrum, & alia inſtrumenta agriculturæ, artemque faciliorem colendi agros invenit. III. quia propter ſanctitatem, & ſacrificium Noe, poſt diluvium Deus benedixit terræ, cap. VIII. 21. & IX. 1. quo factum eſt ut terra ſic benedicta, minore labore mortalium fructus daret. IV. quia inventor vini fuit, quod corda lætificat, & conſolatur. V. quia mundi poſt diluvium reparator, qui etiam mundo Deum, eiuſque beneficentiam conciliavit, ex quo etiam Meſſias naſciturus, qui eſt quies, & conſolatio noſtra.

V. 31. CUM QUINGENTORUM ESSET ANNORUM. Non eſt credibile Noe uſque ad annum 500. abſtinuiſſe coniugio. Ergo alios ante Sem, Cham, & Iaphet genuit filios, qui mortui ſunt ante diluvium. Poſt annum ergo 500. Noe genuit, id eſt generare cœpit Sem, Cham, & Iaphet ſucceſſive: nec enim eodem anno hi tres ſimul geniti ſunt.

TIRINI.

Verſ. 5. OMNE TEMPUS QUOD VIXIT ADAM, ANNI NONGENTI TRIGINTA. Non fuerunt hi anni menſtrui ſeu 30. dierum, ut quidam putarunt (nam inde ſequeretur, Malaleel, & Henoch, qui hic dicuntur filios genuiſſe anno ætatis ſuæ 65. genuiſſe illos anno ſexto ſolari) ſed fuerunt veri & pleni anni, ſinguli 12. menſium, ut dixi in Chronico, *a* & patebit infra cap. VIII. 5. ubi decimo anni menſe, prima die menſis dicuntur apparuiſſe cacumina montium.

Sed unde tunc homines tam longævi? Reſpondeo. Primo ex meliore complexione & temperamento corporis humani. Secundo ex ſobrietate, qua quidam *b* putant, pleroſque etiam carnibus, & vino, etſi prohibita non eſſent, abſtinuiſſe ante diluvium. Tertio ex primævo vigore terræ, fructuum, & alimentorum. Quarto ex peritia & ſcientia Adam, quam & poſteris communicavit, qui longe melius quam omnes noſtri medici norant vim ſingularum herbarum, fructuum, metallorum, &c. Quinto ex Dei voluntate, & arcana cooperatione, idque ut & homines citius propagarentur, & ſcientias arteſque certius perdiſcerent, & poſteris etiam remotiſſimis cognitionem, & cultum veri Dei commodius inculcarent.

An Adamo, & Evæ peccatum ſuum, quatenus ipſis perſonale erat, remiſſum fuerit

rit, dubitare nefas est, cum Sapientiæ x. vers. 2. dicatur Deus eduxisse Adamum a delicto suo, seu, ut Græce est, a lapsu suo. Quin & traditio est, ambos salvatos esse, tam certa, ut Irenæus, Epiphanius, Philastrius, Augustinus, & alii Tatianum eiusque discipulos Encratitas id negantes damnent erroris. Adamum Ierosolymis saltem sub finem vitæ vixisse, & mortuum ac sepultum ab Henocho esse, & ossa illius in arca adservata fuisse tempore diluvii, fuse docent Cornelius a Lapide & Jacobus Salianus.

Vers. 22. AMBULAVIT HENOCH CUM DEO; id est, Deum ita præsentem præ oculis ac familiarem habuit, Deique nutui ac placito in omnibus ita sese accommodavit, & conformavit, ut videretur perpetuo & indivulse cum Deo inambulare, & illi tamquam summo amico, ac domino suo, omni studio ubique deferre.

V. 24. TULIT EUM DEUS; id est, de terra transtulit vivum in paradisum. Ita ad Hebræos XI. 5. *Henoch translatus est ne videret mortem*. Et de paradiso diserte id affirmat Ecclesiasticus cap. XLIV. vers. 16. Ubi cum Elia vitam quasi beatam agit, corpore quidem ex se corruptibili ac mortali, sed divina virtute incorrupto, & immuni a concupiscentia, & a nostris ærumnis; in statu quodam medio viatores inter & beatos, & in altissima Dei contemplatione, non tamen visione, iucundissime tempus transigendo. Qui putant paradisum terrestrem, & in eo arborem vitæ etiamnum superesse *c* (quod est probabile: cur enim nobilissimum arboris genus Deus perdidisset, aut interire permisisset, qui virentem olivam, & alias arborum etiam vilissimas species a diluvio tanta cura conservavit?) ii dicunt Henochum & Eliam usu eiusdem arboris, & aliarum frui pro libito, atque ita vitam continuo prorogare. Alii dicunt, sine esu, aut potu, aut eorum appetentia, vel indigentia, suspendente Deo actionem caloris naturalis consumptricem humidi radicalis, integros incorruptosque manere *d*. Thomas Malvenda Lib. de Parad. cap. LXXXIV. & P. Iacobus Bonfrerius dicunt probabile esse, paradisum in quo est Henoch, tempore diluvii ab aquis imbribusque servatum immunem, aquis undique ad latera sese attollentibus, & quasi in murum solidatis; ut contigit Israelitis in mari rubro, & in Iordane, & Iosepho nostro Anchietæ in mari Brasilico, & quibusdam aliis Sanctis. Cur vero Henoch translatus sit, explicat Sapiens cap. IV. vers. 10. quia *placens & dilectus Deo*, scilicet præ omnibus aliis eius sæculi, & *ne* in tanta mundi corruptela *malitia mutaret intellectum eius*. Cur vero vivus translatus sit, indicat Ecclesiasticus cap. XLIV. vers. 16. *Ut det gentibus pœnitentiam*; id est, ut in fine mundi, quando cum Elia orbi restituetur, traducat tam lingua, quam exemplo suo populos tum superstites ab adoratione dæmonis, & Antichristi ad verum Christum & Deum. Et apud multos quidem filiorum, seu nepotum suorum fidem parens sanctus inveniet: omnes autem & quotquot iam vivimus, & quotquot sub finem mundi supererunt, ex Henoch linea recta prognatos constat, cum sit ipse abavus Noe, parentis omnium nostrum. Sed a spurio suo Antichristo una cum Elia martyrio afficietur Ierosolymæ, relictis cadaveribus in publica platea insepultis; sed triduo post redivivi, & gloriosi tota urbe spectante in cælum conscendent, ut dicitur Apocalypsis XI. & est communis Patrum, ac Doctorum sententia *e*.

(*a*) Chron. cap. X. Est communis sententia.
(*b*) S. Chrys. Torniellus, Bonfrerius, & alii citati a Pererio a Lapide & Saliano.
(*c*) Ut Sixtus Senensis lib. V. Biblioth. Delrio in cap. III. Genes. Bellarm. & Adamus Contzen de gratia primi hominis. Greg. a Valentia.
(*d*) Suarez tom. II. p. III. disp. 55. sect. I. & fere omnes tum veteres, tum recentiores Theologi, ut etiam fatentur Pererius & Viegas. Cornel. a Lapide, Salianus.
(*e*) S. August. Lib. XX. de Civit. cap. XXIX. Iren. Lib. V. cap. V. & aliorum citat. a Delrio, Bellarmino, a Lapide & Saliano.

GORDONI.

HOc capite prorogatur chronologia reliqua, quæ est usque ad Noe. Et quidem initio capitis quarti eam dedi ab Adamo ad Seth; hic vero a Seth ad Noemum. Et recte a Seth ordo texitur: nam excepta linea ista Sethea, reliqui Adami filii, & posteri periere in diluvio Noetico.

Nasci-

	Nascitur.	Generat natus annos.	Vixit annos.	Moritur anno mundi.
Cainan maior	325	70	910	1235
Malaleel	395	60	805	1290
Iared	460	162	962	1422
Enoch	622	65	365	987 Translatus.
Mathusalem	687	187	969	1656
Lamech	874	182	777	1651
Noe	1056	502 cum genuit Sem.	950	2006

Hic vides, lector, Patrum has genealogias non semper proponi per primogenitos, cum sumatur exordium a Seth tertio Adami filio, ut notavi cap. IV.

V. 1. Hic est liber generationis Adam a radice ספר, numeravit. Est ספר *sepher*, liber, catalogus. Numerantur vero hic, seu in hac prima mundi ætate, generationes decem per Seth. Ceterum quomodo hic constet annorum numerus, & an solares, quave alia ratione accipi possint, dixi ex professo agendo de re chronologica, & præsertim de annis Numæ ibidem tom. I. Qq. cap. x. n. 26.

V. 2. VOCAVIT ADAM. Nomen hoc est hoc loco nomen speciei, non individui.

V. 3. VIXIT ADAM &c. Ab hoc loco incipit varietas annorum inter LXX. Interpretes & Hebræos: de qua controversia dixi suo loco. AD IMAGINEM. Hic de vera similitudine agitur, & in eadem natura, & specie.

V. 22. AMBULAVIT ENOCH CUM DEO, nempe pie, sancteque vivendo. Scripsit hic Propheta quædam, quorum meminit Iudas in sua Epistola. Sed ille liber, quem vidit Hieronymus, est apochryphus. Verus hic liber interiit, sicut & ille Rectorum, Iosue cap. x. v. 13.

V. 24. NON APPARUIT, QUIA TULIT EUM DOMINUS. De hoc transitu Enoch non facile est statuere. Unum hic certum esse debet, Enoch & Eliam nondum obiisse mortem: alioqui hoc non dissimulasset Scriptura, utpote quæ tam diligenter reliquorum Patriarcharum mortem proposuit. Hinc apud Septuaginta est, *Transtulit eum Dominus*. μετατέθηκεν αὐτόν. Heb. לקח *lakach*, & Eccli. XLIV. vers. 16. non mortuus, sed translatus dicitur, ut tandem gentibus det pœnitentiam. Et ad Heb. cap. XI. vers. 5. *Enoch translatus est, ne videret mortem*. Vide Eccli. cap. XLIV. In paradisum dicitur translatus, iuxta Vulgatum: in locum voluptatis aliquem soli Deo notum, ut ibidem notavit Iansenius. Inepte ergo Calvinus, qui mortuum scribit, & animam in cælum translatam. De loco, in quo sit, & fuerit tempore diluvii, nondum hominibus est revelatum. At credibilius est, eum miraculo etiam nunc conservari, sine cibo. Ac denique non est probabile Enoch hunc, & Eliam Deum videre; quicquid dicant recentiores aliqui. Immo nec puto eos esse in statu merendi: nam iam statum mutarunt. De Elia vide Malach. IV.

Vers. 25. Mathusalem erat annorum 187. cum genuit Lamechum, & obiit sub initium diluvii, ut alibi dixi, iuxta rationem annorum Hebraicam.

V. 29. Noe consolatus est parentes, ut ait Lamech pater eius non solum quia præluxit maioribus exemplo vitæ, sed etiam quia ex revelatione, & aliunde magnus fuit habitus coram Deo.

Vers. 31. NOE VERO GENUIT SEM, CHAM, ET IAPHET. Hebr. נח *Noach*, quies. De huius ætate, & diluvio Noetico, & tota hac re Chronologica dixi ad annum mundi 1056. & 1656. in quem incidit diluvium, ac finis primæ ætatis. Genuit Noe hos filios non quidem eodem unico anno quingentesimo; sed significatur ante illum annum non genuisse. Ceterum post diluvium plures genuisse nil impedit.

Quis horum trium filiorum Noe fuerit natu maior, Scriptura non expressit; nec pro certo constare potest.

An Noe ante diluvium alios genuerit, certatur. Volunt enim aliqui Noemum quingentis annis abstinuisse a coniugio, aut non habuisse liberos ante diluvium.

CAPUT VI.

Hominis peccata fuere Diluvii causa : Noe tamen iustus inventus est , cui arca fabricanda mandatur , in qua ipse & cunctorum animantium genera serventur.

1 CUmque cœpissent homines multiplicari super terram, & filias
procreassent, 2. videntes filii Dei filias hominum quod essent
pulchræ , acceperunt sibi uxores ex omnibus , quas elege-
rant . 3. Dixitque Deus : Non permanebit spiritus meus
in homine in æternum , quia caro est : eruntque dies illius
centum viginti annorum. 4. Gigantes autem erant super ter-
ram in diebus illis : postquam enim ingressi sunt filii Dei
ad filias hominum, illæque genuerunt, isti sunt potentes a sæculo viri famo-
si . 5. Videns autem Deus quod multa malitia hominum esset in terra , &
cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore, 6. pœnituit eum
quod hominem fecisset in terra. * Et tactus dolore cordis intrinsecus, 7. (a)
Delebo, inquit , hominem quem creavi, a facie terræ , ab homine usque ad
animantia, a reptili usque ad volucres cæli : pœnitet enim me fecisse eos. 8. Noe
vero invenit gratiam coram Domino. 9. Hæ sunt generationes Noe. (b) Noe
vir iustus atque perfectus fuit in generationibus suis, cum Deo ambulavit : 10.
& genuit tres filios, Sem, Cham, & Iapheth . 11. Corrupta est autem terra
coram Deo, & repleta est iniquitate. 12. Cumque vidisset Deus terram esse cor-
ruptam (omnis quippe caro corruperat viam suam super terram) 13. dixit ad
Noe : Finis universæ carnis venit coram me : repleta est terra iniquitate a fa-
cie eorum; & ego disperdam eos cum terra . 14. Fac tibi arcam de lignis læ-
vigatis : mansiunculas in arca facies , & bitumine linies intrinsecus & extrin-
secus . 15. Et sic facies eam . Trecentorum cubitorum erit longitudo arcæ ,
quinquaginta cubitorum latitudo, & triginta cubitorum altitudo illius. 16 Fe-
nestram in arca facies , & in cubito consummabis summitatem eius ; ostium
autem arcæ pones ex latere : deorsum cęnacula , & tristega facies in ea . 17.
Ecce ego adducam aquas diluvii super terram, ut interficiam omnem carnem,
in qua spiritus vitæ est subter cælum : * universa quæ in terra sunt , consu-
mentur. 18. Ponamque fędus meum tecum ; & ingredieris arcam tu , & filii
tui, uxor tua , & uxores filiorum tuorum tecum . 19. Et ex cunctis animan-
tibus universæ carnis bina induces in arcam , ut vivant tecum : masculini se-
xus, & feminini. 20. De volucribus iuxta genus suum, & de iumentis in ge-
nere suo , & ex omni reptili terræ secundum genus suum , bina de omnibus
ingredientur tecum , ut possint vivere . 21. Tolles igitur tecum ex omnibus
escis quæ mandi possunt , & comportabis apud te ; * & erunt tam tibi quam
illis in cibum. 22. Fecit igitur Noe omnia quæ præceperat illi Deus.

(a) Inf. VIII. 21. Matth. XV. 19. (b) Eccli. XLIV. 17. (c) Hebr. XI. 7.

BUR-

BURGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

Vers. 6. *Et tactus dolore cordis intrinsecus*. Prudenter sublatum est, quod plerique vel præponunt, vel postponunt, *& precavens in futurum*.

Vers. 17. *Universa quæ in terra sunt consumentur*. Deleta est coniunctio *&*, quæ a quibusdam libris huic pericopæ præponebatur.

Vers. 21. *Et erunt tam tibi quam illis in cibum*. Non scribas *escam*, pro eo quod in antiquis libris est *cibum*.

COMMENTARIA

SA.

Vers. 2. FILII DEI, id est Dei cultores, scilicet posteri Seth. Chrysost. in Genes. homil. XXII. FILIAS HOMINUM, scilicet impiorum ex posteris Cain. Chrysost.

V. 3. SPIRITUS MEUS, id est vita, seu anima, quam ei dedi. CARO, id est carnalis, seu voluptatibus deditus. DIES ILLIUS, id est tempus ei ad pœnitendum datum ante diluvium: amputati autem 20. anni, quia pœnitentiam agere contempserunt, secundum Hier. in Gen. Puto ego nihil fuisse amputatum, sed id Deum dixisse annis 120. ante diluvium, adeoque antequam Noe esset 500. annorum; etsi Scriptura more suo postea narret: non enim ordinem servat.

V. 4. POTENTES, id est robusti. FAMOSI, id est celebres.

V. 7. INQUIT, pro cogitavit, vel dixit, scilicet Angelis, vel Noe.

V. 8. INVENIT GRATIAM, id est *fuit gratus*. Hebr.

V. 9. IN GENERATIONIBUS SUIS, id est inter homines sui sæculi. CUM DEO AMBULAVIT. Vide cap. V.

V. 10. IAPHETH. Hunc quidam putant primogenitum, & Cham secundogenitum.

V. 11. CORRUPTA, scilicet flagitiis. TERRA, id est homines. Notat Chrysost. homil. XXIV. terram vocari, quod eorum opera terrena; ut aliquando carnem, quia carnalia.

V. 12. CARO, id est homines.

V. 13. VENIT CORAM ME, pro statui perdere. A FACIE ILLORUM, id est coram illis, pro per eos, seu per illorum opera, Hebr.

V. 14. LAEVIGATIS, id est lævissimis. Hebr. *Gopher*, quod est *lignum lævissimum*. Chald. *cedrum* vertit; LXX. vero, *quadratis*.

V. 15. CUBITORUM. Cubitum Geometricum quidam intelligunt, qui continet sex cubitos vulgares.

V. 16. DEORSUM COENACULA, ET TRISTEGA; pro inferiora, secunda, & tertia, scilicet tabulata; vel *deorsum* coniunge cum *latere*. *Cœnacula*, *& tristega*, pro cœnacula, quæ sunt triplicia, seu veluti tria tecta; nempe infima, media, suprema.

V. 17. ECCE EGO, pro ego vero. AQUAS DILUVII, id est aquarum diluvium.

V. 19. CARNIS: non enim pisces.

V. 20. INGREDIENTUR TECUM. Hebr. *venient ad te*, scilicet Dei iussu, & Angelorum ministerio.

ESTII.

Vers. 2. VIDENTES FILII DEI FILIAS HOMINUM. Quidam per filios Dei Angelos intellexerunt, decepti versione septuaginta Interpretum, prout olim ferebatur in quibusdam exemplaribus, quæ pro filiis Dei habebant Angelos, uti refert Aug. Lib. XV. de Civit. cap. XV. In hac sententia manifeste est Lactantius Lib. II. cap XV. ubi somniat, Angelos, quos Deus in custodiam hominum delegaverat, illectos pulchritudine feminarum cum illis commixtos fuisse. Sed hanc sententiam tamquam felicitati sanctorum Angelorum contrariam, merito repudiat Ecclesia; immo ipse Christus Matth. XXII. ubi dicit: *Neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei*. Alii Angelos malos, id est

eſt dæmones incubos, intelligunt. Sed hos nuſquam Scriptura vocat filios Dei, neque illi pulchritudine corporum alliciuntur, ſed invidia ſtimulantur, ut noceant hominibus. Tertii intelligunt filios principum : nam Hebr. plurale eſt *elohim*, id eſt deorum, quod & ad principes aliquando accommodatur, nempe quod illi filias hominum, id eſt plebeiorum, uxores duxerint. Sed non fuiſſet hoc tantum peccatum ut propterea diluvium induceretur. Proinde reſtat ut, ſecundum receptam magis opinionem, per filios Dei intelligamus poſteros Seth, in quibus cultus Dei vigebat; per filias hominum, illas ex Cain impio.

V. 4. GIGANTES AUTEM ERANT SUPER TERRAM IN DIEBUS ILLIS: POSTQUAM ENIM INGRESSI. Hebr. *Et etiam poſtquam ingreſſi*. Obiiciunt quidam hæc verba contra id quod dictum eſt per filios Dei non intelligi Angelos. Nam extraordinariam fuiſſe hanc commixtionem omnino volunt, utpote cauſam cur naſcerentur gigantes. Sed reſpondeo, Scripturam non aſſignare cauſam naturalem talis generationis, ſed demeritoriam, ex qua factum ſit ut Deus ſic puniret humanum genus, ut naſcerentur gigantes, oppreſſores hominum : hoc enim ſonat Hebr. *Nephilim*; quaſi dicat, cadere alios facientes.

V. 6. POENITUIT EUM QUOD HOMINEM FECISSET. Septuaginta vertunt ἐνεθυμήθη, id eſt *recogitavit*. Symmachus, ἀπέστρεψεν, id eſt *adverſatus eſt*. Pœnituit ergo Deum; id eſt, Deus iuſte iraſcens, & indignans peccatis hominum, decrevit maiorem partem hominum diluvio e medio tollere, quaſi opus ſuum averſans. Porro tria myſteria nobis allegorice commendantur in diluvio, & arca. Primum eſt ſalutare lavacrum baptiſmi, de quo I. Petri III. Secundum eſt Eccleſia per arcam ſignificata: quia ſicut extra arcam non erat ſalus, ſic nec nunc extra Eccleſiam. Ac rurſum, ſicut in arca erant animalia munda ſimul & immunda, ſic & in Eccleſia ſunt boni & mali. Quod myſterium Patres multis locis inculcant. Tertium quia ſicut ſolis illis qui ad arcam confugiebant, quæ ex lignis fabricata erat, ſalus erat; ita & nobis non eſt ſalus, niſi per lignum Crucis Chriſti, id eſt per merita paſſionis eius. Inſinuatur nobis hoc myſterium eleganter Sap. x. & XIV.

Verſ. 15. TRECENTORUM CUBITORUM ERIT LONGITUDO ARCAE. Aug. quæſt. CXIII. in Exodum dicit, quod ſtaturæ hominis altitudo eſt fere trium cubitorum.

MARIANAE.

Verſ. 2. VIDENTES FILII DEI FILIAS HOMINUM. Hebraice, *filii Elohim*, numero multitudinis: quod utroque modo explicari poteſt (eſt enim vox ambigua) nempe *Dei*, & *deorum*. FILIAS HOMINUM. Hebraice, *filias hominis*, ſingulare pro plurali. Non pauci hoc referunt ad incubos, qui coeuntes cum feminis, ex eo ſtupro genuerint gigantes. Quod Philaſter tamen inter dogmata reprobata reiicit. Alii *principum filios* intelligunt: certe Chaldæus & Symmachus, qui vertit, *filii potentum*, qui miſcentes ſanguinem cum filiabus hominum, certe ex plebe vaſtos filios procrearunt. Hanc explicationem ſi ſequimur, oportebit pro *filiis Dei* intelligere *filios deorum*, id eſt procerum. Auguſtino tamen XV. de Civit. Dei, cap. XXIII. magis placet, ut *filii Dei* propter innocentiam vocentur filii Seth, qui ex Cain poſteritate feminis oblectati (eæ ſunt *filiæ hominum*) in omnia mala præcipitarint. Sic Caſſian. Collat. cap. XXI.

Verſ. 3. NON PERMANEBIT SPIRITUS MEUS IN HOMINE. Græci, Sept. & Chaldæus ſic explicant, ut eſt in editione Vulgata, *non permanebit*. Hieronym. in Trad. ait verbum Hebraicum ſignificare, *non iudicabit*: quod inter Græcos ſecutus eſt Symmachus. Nempe vox Hebraica ידון *iadon* deduci poteſt a נדן *neden*, quæ vox *vaginam* ſignificat; & hoc modo reddi debet: *Non erit ut in vagina ſpiritus in homine*, quod idem eſt *non permanebit*. Poteſt etiam deduci a verbo דון *don*; atque ſic ſignificabit *non iudicabit*, & *non litigabit*; quod poſtremum ſequuntur fere Hebræi. Prætcrea *ſpiritus meus* poteſt referri ad Deum ipſum, qui nolit amplius iudicare, vel litigare cum homine, eum corrigendo; vel potius ſpiritus meus ſit, quem ego homini inſlavi: nolo enim ut ſint lites perpetuæ inter ipſum, qui ad honeſta fertur, & corpus, quod turpia conſectatur. Hiſt. Schol. *Non permanebit ſpiritus meus*; *id eſt*, *indignatio mea non in*

per-

perpetuum manebit. QUIA CARO EST: carnalis, voluptuosus. ERUNTQUE DIES ILLIUS CENTUM VIGINTI ANNORUM. Hieron. in Trad. Augustin. XV. de Civit. Dei, cap. XXIV. & Chaldæus, pœnitentiæ & conversioni hominum eum terminum præscriptum intelligunt; idque dictum ante diluvium centum viginti annis, priusquam Noe esset annorum quingentorum. Iosephus, & plerique Hebræi vitæ hominum brevioris factæ eum terminum putant, ne ex securitate diu vivendi, ut antea, se pravitati traderent. Quod si obiicias, multos post diluvium plures vixisse annos, quo argumento priores moventur; respondent, exceptione aliqua veritatem communis regulæ non infringi. Ex his plane verbis antiquorum sententia manavit, dicentium, vitam tribus contineri, natura, fato, fortuna. Quod tangit eleganter Cicero, aut quisquis Auctor est, in Consolatione; & explicat Servius, AEneidos Lib. IV. in illa verba:

> *Vixi, & quem dederat cursum fortuna, peregi.*
> *Natura ultra centum viginti annos vitam non extendit;*
> *Fatum ultra nonaginta, tres nempe Saturni conversiones;*
> *Fortuna, seu casus nullum tempus definit.*

V. 4. GIGANTES ERANT SUPER TERRAM IN DIEBUS ILLIS: POSTQUAM ENIM INGRESSI SUNT, &c. Hebraica sic: *Gigantes erant super terram in diebus illis, & etiam postquam ingressi sunt*. Itaque iuxta hanc lectionem, gigantes erant ante, & postquam filii Dei ingressi sunt ad filias hominum. Nempe & patres ipsi filii hominum erant gigantes, & qui ex iis nati sunt. *Gigantes* dicuntur Græce, quasi e terra geniti: non enim credebant homines tam vasto corpore e feminis natos. Hebraice vocantur *nephilim*, quasi *cadentes*; nempe, ut Hebræi explicant, quod iis visis præ terrore homines alii ad terram caderent. ISTI SUNT POTENTES A SAECULO VIRI FAMOSI. Heb. *viri nominis*. Nempe heroes Græcorum litteris celebrati, sic dicti ab amore deorum erga mulieres, uti Plato in Cratylo pluribus explicat ex hoc loco verbis propemodum desumptis.

V. 5. ET CUNCTA COGITATIO CORDIS INTENTA ESSET AD MALUM. Hebraice: *Et omnis formatio cogitationum cordis*. Vox יֵצֶר *iezer*, id est *formatio*, ab Hebræis passim usurpatur pro peccati fomite, addita præsertim voce הָרַע *barah*, *formatio mala*.

V. 7. DELEBO, INQUIT, HOMINEM. Vox Hebraica אֶמְחֶה *aembeb* est proprie *per aquas*. Hebræus Schol. אין מהוי אלא במים, *non est deletio nisi per aquas*. *Inquit*: cogitavit, aut dixit Angelis, vel Noe, scilicet Deus.

Vers. 9. NOE VIR IUSTUS ATQUE PERFECTUS FUIT IN GENERATIONIBUS SUIS; nempe ut ea ferebant tempora, non absolute. Vel *in generationibus suis*, præ aliis ex cognatione sua. Vel ad augmentum laudis spectet, quod in generationibus suis inter pravos iustus esset.

Vers. 11. CORRUPTA EST AUTEM TERRA; hoc est, homines qui erant in terra. CORAM DEO, id est verissime, aut vehementer. *Nemrod robustus venator coram Domino*, eadem significatione accipiatur: quæ forma loquendi frequens est. *Peccatores coram Domino nimis*: alterum, scilicet *nimis*, alterius explicatio, scilicet *coram Domino*.

V. 12. OMNIS QUIPPE CARO CORRUPERAT VIAM SUAM. Sept. αὐτοῦ, id est *Dei viam*. Pronomen Hebraice masculinum & ad Deum, & ad carnem referri potest. *Via* est lex Dei cuique homini præscripta, naturæ institutum, & finis, ad quem uterque sexus, homines, & ætas dirigitur. Porro *omnis caro* omnis homo est.

V. 13. FINIS VENIT CORAM ME. Decrevi delere. REPLETA EST TERRA INIQUITATE, iniuria, contumelia, rapina. Hæc omnia vox Hebræa significat חמס *bamas*. A FACIE EORUM, ab ipsis, propter ipsos. Vox *facies* sæpe redundat, ut supra notavi.

Vers. 14. FAC TIBI ARCAM DE LIGNIS LAEVIGATIS. Hebraica vox גֹּפֶר *gopher*, pro qua Hieron. reddidit *lævigatis*, & in Trad. dixit *bituminatis*, & Sept. posuerunt, *quadratis*, Hebræis est arbor levis materiæ, navigationi aptæ. Quidam putant esse pinum; Chaldæus cedrum; addunt alii, esse odoris sulphurei, nulla meliori coniectura quam quod גָּפְרִית *Gophrith*, id est sulphur, ab ea voce deducatur. Et fortassis

hac

hac voce pix significatur, & sic cum pinu conveniet. MANSIUNCULAS. Hebr. *nidos*: sic Sept.

Verf. 15. TRECENTORUM CUBITORUM. Video ex Origene, & Augustino, posteriores consentire, hos cubitos arcæ Geometricos extitisse, qui singuli sex ex communibus continent. Et sane אמה *amah* vox Hebraica non cubitum modo significat, sed mensuram magnam, matrem aliarum, ad quam aliæ revocantur. Verum ea ratione vastitas arcæ magna erit, extensa quantum fere miliare. Altitudo 180. cubitorum nostrorum fidem superat. Sed & arca resurrectionis typus est, cum hominis corpore iacentis & mortui exacta proportione respondens; sexcupla longitudinis ad latitudinem, ad altitudinem decupla: quod I. Petri tangitur, cap. III. verf. 21.

V. 16. IN CUBITO CONSUMMABIS SUMMITATEM EIUS. Hebraice: *In cubito consummabis eam desuper*: sic Sept. & Chald. reddidere. Porro relativum *eam* ad fenestram referri potest, & ad arcam, ut inferior latior esset, surgeret pyramidis forma. Quod addit, COENACULA ET TRISTEGA FACIES IN EA, *tristega* tria tecta significat: Hebraice apertius, *inferiora, secunda, & tertia facies eam*: sic Sept. quoque & Chald. una tamen omnes sententia, arcam tribus tabulatis sublatam esse. Quem in usum quodque tabulatum deserviret, divinent alii: Scriptura non explicat.

V. 17. ECCE EGO; id est, Ego vero. Hebraice: *Et ego adducam aquas*.

V. 18. PONAMQUE FOEDUS MEUM TECUM, nempe iridem; aut potius pacifcar tecum tuam & tuorum incolumitatem. Hebr. *surgere faciam*; id est, stabiliam, opere complebo fœdus, nempe quod tecum de tua & tuorum incolumitate iam pepigi. Quando fuit fœdus hoc? Non omnia referuntur. Itaque nostra littera loquitur de pacto quasi de re futura, Hebraica quasi de pacto iam facto, quod fore firmum pollicetur.

V. 20. INGREDIENTUR TECUM. Hebr. *venient ad te*, non tuo labore, sed sponte sua, meo iussu venient volucres, & iumenta.

MALVENDAE.

Verf. 2. FILII DEI. I. id est homines proceræ & magnæ staturæ, nempe gigantes: quod nomen *Elohim* additum hominibus magnitudinem denotet; ut cedri Dei, montes Dei, id est altissimi. Vide cap. I. verf. 2. Inepte, nec ex usu linguæ. II. Filii iudicum, vel ii qui tum populo præerant. Ridicule. III. Pii, & fideles, qui vera fide, & legitimo cultu invocabant Patrem, & a Deo vocabantur filii, & credebant in promissionem de semine mulieris venturo: & opponuntur Cainiticæ Ecclesiæ, qui dicebantur Filii Adam, id est hominum, ut mox dicemus. Hi pii erant filii Seth, in cuius domo, & familia, seu posteritate vera Ecclesia, & purus Dei cultus manebat. Deuter. XIV. I. *Filii estis Domini Dei nostri*. Ioan. I. 12. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri iis qui credunt in nomine eius*. IV. Proceres, magnates, principes, potentes, nobiliores, primores populi; quasi dicat, filii potentum, fortium, strenuorum, ut apud Homerum, *Filii Achivorum*, pro Achivis. Nec aliene dices *heroes*. Duæ istæ posteriores interpretationes optime; sed tertia melior. FILIAS HOMINUM. Hebr. *Filias Adam*, seu *hominis*. Iam diximus Adam esse collectivum. I. Filias hominum plebeiorum, vulgarium, e media plebe. *Filii Adam*, & *Adam*, interdum pro hominibus vilibus, abiectis, vulgaribus, plebeiis. Psal. XLVIII. 3. Noster dixit *terrigenas*: quos Latini filios terræ, fraterculos gigantum. Isaiæ II. 9. Ergo hic filias hominum vulgarium & plebeiorum opponit filiis magnatum & nobilium. II. Notant, *Filios Adam* plerumque in Scriptura in malam partem accipi, pro carne & sanguine, sine Spiritu sancto, & fide; ut Genes. XI. 5. *Descendit autem Dominus ut videret civitatem, & turrem quam ædificabant filii Adam*. Hi autem erant de Cham, & de eius posteris, Nemrod, & alii qui veram religionem non colebant. Sic hoc loco, *filias Adam*, dici filias Cainitarum, qui erant a vera fide, & cultu puro Dei alieni.

Taxat hic Moses filiorum Seth, & eorum, qui veram religionem profitebantur, nedum libidinem, sed etiam impietatem, qui a maiorum moribus discedentes, promiscue vagaban-

gabantur pro sua libidine ruentes, & Cainitis aliisque profanis gentibus se permiscentes, filias illorum profanorum matrimonio sibi iungebant, contra Dei præceptum: quæ erat illis causa ut ab avita & recta religione deficerent, abducentibus eorum corda mulieribus impiis & profanis. Ac si dicat: Causa labefactatæ & corruptæ religionis tunc fuere matrimonia Sethianorum cum Cainitis.

QUOD ESSENT PULCHRAE. Hebr. *bonæ*: quidam, *proceræ*. Sic Græci dicunt *mulier procera & pulchra*. Ita טוב *tob* capi volunt I. Samuel. 11. 9. quod non placet.

Vers. 3. NON PERMANEBIT SPIRITUS MEUS, &c. Varie locum exponunt. I. *Non iudicabit spiritus meus*; id est, non puniet perpetuo, quia fragilis est humana conditio: *iudicare* pro *punire*. Genes. XV. 14. *Gentem, cui servituri sunt, ego iudicabo*, id est puniam. II. *Non certabit, litigabit, non disceptabit, contendet, non rixabitur, alterabitur spiritus meus de homine in æternum*, id est longo tempore; quasi dicat: Non potest animus meus diutius ferre inobedientiam, pervicaciam, nequitiam hominis, quin illum puniam: vel, non disceptabo diu de homine, quid facturus sim de illo, perditurusne, an servaturus sim illum: tandem decernam quidnam facturus sim de homine, qui quantus quantus est, totus est caro, id est infirmitas, deliciæ, voluptates, libidines, vitia: iam iam proculdubio perdam, ac severe puniam. Defessus Deus obstinata mundi nequitia, præsentem vindictam denuntiat, quam hactenus distulerat. Quantisper enim pœnam suspendit Dominus, quodammodo disceptat cum hominibus, præsertim si vel minis, vel levium castigationum exemplis ad pœnitentiam sollicitet. Sic iam rixatus fuerat aliquot sæculis cum mundo, qui tamen subinde deterior fiebat: nunc quasi tædio affectus, declarat sibi non esse animum litigandi diutius. Quidam: *Non rixabitur*, id est indignabitur, *spiritus*, animus, *meus*, adversus hominem, *eo quod sit caro*, id est infirmus, ac fragilis. III. *Non litigabit, rixabitur spiritus meus*, cælestis, id est anima, quam in hominem spiravi, *in æternum*; id est, non erit anima diu in illa rixa quam habet cum corpore; quasi dicat: Non diutius vivet homo. IV. *Non elongabitur, prolongabitur spiritus meus in homine*; hoc est, spiritus vitalis, seu vita non erit longa in homine. Deduxerunt ידון *iadon* a נדה *nadab*. V. *Non vaginabit*, aut *vaginabitur*: non erit ut in vagina spiritus meus in homine: quia corpus est veluti animæ vagina: tamquam si Deus spiritum suum, id est animam hominis, quam Deus ipsi inspiravit, nolit amplius teneri captivum in corpore humano quasi inclusum in vagina; quasi dicat: Non diutius vivet. Deduxerunt a נדן *neden*, *vagina*, violente ac detorte. Si accipiatur hic spiritus pro ira, impetu, & commotione animi, ut Psalm. XVII. 16. erit sensus: Non vaginabitur spiritus meus, furor intus; id est, non diutius continebo in vagina furorem, iram meam in hominem; quasi dicat: Distringam iram meam in hominem; quasi dicat: Distringam iram meam adversus hominem, quia totus carnalis est. VI. *Non stabiliet*; *non stabilietur*, vel *non fulciet*; *non sustentabit spiritus meus in homine*, id est hominem. Qui hanc explanationem non agnoverit, non satis vim & maiestatem linguæ sanctæ penetravit; nimirum ex significatu ארן *eden*, אדין *adon*, אדני *adonai*, quæ esse a verbo דין *dun*, adiecto א Aleph a fronte, periti affirmant. Delirant, nec vim linguæ norunt, qui putant Nostrum pro ידון *iadon*, legisse ילין *ialon*, *Non pernoctabit, non permanebit*. VII. *Spiritus meus*, vel *animus meus*, vel *anima a me in homine spirata*, vel *spiritus* vitalis; quidam, *inter homines* vel *cum homine*, aut *propter hominem*, seu *de homine*, vel *adversus hominem*. Omnia fons patitur. IN AETERNUM, vel perpetuo, vel longo tempore. seu diutius. Quidam, *Ad olim, quia*. בשגם *besagam* particula e tribus composita, ex ב *in*, ש *qui, quæ, quod*, & גם *etiam, quia, quoque*. Hic communiter exponunt: *Eo quod etiam caro*. Alii: *Porro quod etiam caro*, vel *in quo etiam caro est*. CARO, hic in malam partem, pro homine qui spiritu Dei caret; id est, sunt carnales, voluptatibus, & vitiis dediti: ut opponatur ei quod antea dixerat: *Non permanebit spiritus meus in homine*. Sic sæpissime capitur in veteri & in novo Testamento. Psalm. LV. 5. *Non timebo, quid faciat mihi caro*. Romanor. VIII. 4. *Qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum spiritum*.

P ERUNT-

ERUNTQUE DIES ILLIUS CENTUM VIGINTI ANNI. Quidam existimant hunc numerum annorum præfixum a Deo vitæ humanæ; quem si aliqui excesserint Genes. XI. id fuisse in paucis, & præter ordinariam legem. Servius enarrans illud Maronis IV. AEneidos:

Vixi, & quem dederat cursum fortuna peregi:

inquit: *Non natura, nec fatum. Tribus enim humana vita continetur. Natura, cui ultra centum & viginti solstitiales annos concessum non est. Fato, cui nonaginta anni, hoc est tres Saturni cursus exitium creant; nisi forte aliarum stellarum benignitas etiam tertium eius superet cursum. Fortuna, id est casu, qui ad omnia pertinet, quæ extrinsecus sunt, ut ad ruinam, incendia, naufragia, venena.* Atque hæc fuit antiquorum opinio naturæ seu vitæ humanæ metam esse annos centum viginti. Vide Deuteron. XXXIV. vers. 7. Alii potius volunt Dominum loqui de termino pœnitentiæ concesso hominibus ad pœnitendum, intra quem Deus deleturus erat diluvio genus humanum si non resipiscerent; atque ita videtur hæc dixisse Deus centum viginti annis præfixe ante diluvium: quæ est receptior & frequentior sententia.

V. 4. GIGANTES. נפלים *nephilim*, a נפל *naphal*, *cadere*, *ruere*. Rationem nominis varie enucleant. I. Quod illis visis homines præ metu & tremore in terram caderent. II. Vel quod ceteri illis humiliores, veluti coram illis cecidisse viderentur. Numer. XIII. 34. III. Quasi deiectores, quod immani sua proceritate homines cadere facerent, & prosternerent. IV. Quasi irruptores, oppressores, tyranni, quod violenter in homines irruerent, & opprimerent: nempe quod sicut impetuosa procella & labes violenter cadens, agros vastat ac perdit; ita suis irruptionibus latrones isti perniciem & vastationem mundo intulerunt. V. Quasi defectores, quod per impietatem a Deo defecissent, & apostatassent, apostatas dixeris. Sic verbum *naphal* capitur II. Reg. XXV. 11. Ierem. XXXVII. 13. 14. XXXVIII. 19. Quibusdam vanissime in mentem venit, non hic exprimi a Mose istos fuisse insusitata corporis magnitudine; sed tyrannos fuisse & oppressores; quasi eos non tam corporum mole a reliquis discernat, quam irruptionibus, latrociniis, & grassandi libidine. Quasi si Græce dixisset *gigantes*, non intelligeremus homines vastæ altitudinis; sed tantum terra genitos, vel terræ filios, etiamsi pygmæi fuissent. Fuere proculdubio Nephilim, de quibus hic loquitur Moses, immani & inusitata corporis altitudine, simulque audacia, tyrannide, oppressionibus, & irruptionibus infames. Aliqui *nephilim* lapsos interpretantur: vel quod vulgus eos cælo lapsos crederet; vel quod male id genus hominum audiret, tamquam Deo invisum, ac cælo deiectum & præcipitatum. Maro I. Georgicorum:

Pater extructos disiecit fulmine montes.

& VI. AEneidos:

. . . . genus antiquum terræ, Titania pubes,
Fulmine deiecti.

Quidam existimant, eos esse quos Ennius Hetrusco vocabulo *cascos* dixit, a cadendo. Sed cascos est vetus, antiquus. Condidimus nos peculiarem de gigantibus tractationem multa lectione.

Moses hoc versu satis indicat gigantes antea non fuisse in terra (quod tamen quidam existimavere) sed ex congressu filiorum Dei cum filiabus hominum procreatos: nam ut rem novam, eorum originem nobis exponit. Id quod Vulgati lectio satis innuit, ut etiam Hebræa, quæ ad verbum ita habent: *Nephilim fuerunt in terra in diebus illis: & etiam, & sane, certe, equidem, post sic, quod venient filii Eloim ad filias hominis, & parient eis. Isti heroes ab olim, homines nominis.*

POTENTES. גבורים *gibborim*, exponunt, *prævalidos, fortes, præpotentes, robustos, gigantes, viros heroicos, heroes.* גבור *gibbor* Noster Psal. XVIII. 6. *gigantem* est interpretatus. Vide cap. X. vers. 8. A SAECULO. מעולם *meghölam*, *de æterno*, *de sæculo*, *de olim*, contentiente voce, *ab antiquo*, *a priscis temporibus*; quasi dicat, quos prisca tulit ætas. Quidam explicant, *de seculo*, id est *de mundo*. עולם *gholam*, enim *sæculum* & *mundum* significare non quidem tantum materialiter hanc mundi machinam a Deo conditam, quæ cælo, terra, elementis, aliisque creaturis constat; sed formaliter pro gestu, ordine, dispositione mundi, & his quæ in mundo geruntur, notum est. I. Corinth. VII. 21. *Præterit figura huius*

huius mundi. Sic Psalm. LXXII. 12. *Abundantes in sæculo*. Lucæ XVI. 8. *Filii huius sæculi*. Ergo hic: *Potentes de sæculo, de mundo*: qui in sæculo seu mundo plurimum poterant, qui rerum potiebantur in sæculo. VIRI FAMOSI. Hebr. *mortales nominis*, id est nominati, famosi, celebres, inclyti. Hic primum occurrit vox אנוש *enosch*, in plurali אנשים *anaschim*, quæ proprie significat *hominem miserum, mortalem, desperate perditum; adeo malis obrutum ut desperatum sit de eius salute & incolumitate; doloribus, miseriis, morbis, ærumnis, calamitatibus graviter affectum, ac deploratum*. Vocem *mortalis* nonnihil Hebrææ respondere, sed non æquare existimant: quod Enosch perpetuam hominis ærumnam ob peccatum primi parentis denotet incurabilem & insanabilem. Noster verbum *Anasch*, *desperatum esse*, convertit, II. Samuel. XII. 14. & nomen *Anusch*, *desperatum, desperabile*, Michéæ I. 9. Ierem. XV. 8. Notantque ut Adam, homo, initio dictus est אדמה *adamah*, *humo*, ex qua sumptus est; ita *Enosch* nomen postea ab ærumnis & miseriis indeptum, quibus fuit propter peccatum mox obrutus; malis scilicet nec per naturam, neque per medicinam curabilibus: ut creationem a miseria seiungamus, nec hominem ab initio tantis miseriis obrutum cogitemus, quæ ei non nisi propter inobedientiam obvenerunt. Quidam *Enosch* interpretantur obliviosum, a נשה *naschah*, conferuntque cum Psal. VIII. 5. *Quid est Enosch, quod memor es eius?* pulchra antithesi: Quid est obliviosus, quod memor es eius? Sed alii hanc potius allusionem, quam etymon esse censent. Vide Eusebium Lib. XI. de Præparatione cap. IV.

V. 5. COGITATIO. Unica voce reddidit duas Hebraicas, יצר מחשבות *ietzer machschebotb*. Atqui vocem *ietzer* Noster *figmentum* reddidit, Psal. CII. 14. Isaiæ XXIX. 16. Habacuc II. 18. at Deuter. XXXI. 21. Genes. VIII. 21. *cogitationem*. Isaiæ XXVI. 3. *errorem*. Ter autem invenitur coniunctum cum nomine *machschebotb*: I. Chronic. XXVIII. 9. ubi dixit *mentium cogitationes*; & I. Chronic. XXIX. 18. ubi pro iis duabus vocibus, unam tantum reposuit, *voluntatem*; & hoc loco, ubi videtur omisisse; vel pro duabus posuit *cogitationem*. Ergo *ietzer* aiunt significare, *formam, formationem, fictionem, figmentum, imaginationem, cogitationem, intentionem, affectum, desiderium, concupiscentiam, genium, ingenium, indolem, naturæ propensionem*: universe quidquid vel re, vel animo effingitur, & efformatur. Putant Paulum vim vocis expressisse II. Ephes. X. *Ipsius sumus* ποίημα, *figmentum, factura*. Hebræi hic peccatum originale, seu peccati fomitem interpretantur. *Machschebotb*, proprie *excogitationes, ratiocinationes, æstimationes, syllogismi, inventiones, industriæ, artes*. Ex verbo: *Omnis formatio*, figmentum *cogitationum*, ratiocinationum, industriarum *cordis eius*. INTENTA ESSET AD MALUM OMNI TEMPORE. Heb. *Tantummodo malum omni die*, vel *profecto, certe, vere malum, &c.*

V. 6. POENITUIT EUM. Humanitus dictum, pro eo quod est, hominem, quem prius creaverat, delere statuit, tamquam si eum facti pœnituisset. S. Augustinus Lib. XVII. de Civit. Dei cap. VII. *Ubi enim legitur, quod pœniteat eum, mutatio rerum significatur, immutabili præsentia manente divina*. ET TACTUS DOLORE CORDIS INTRINSECUS. Heb. *Et doluit ad cor suum*. עצב *ghatzab*, proprie *sauciare animum dolore, discruciare animum, contristare*. Coniugatio Hithpahel hic dolorem & tristitiam auget: *Et dolore sauciavit, discruciavit seipsum, vel contristavit seipsum, ad cor suum*.

V. 9. ISTAE SUNT GENERATIONES NOE. תולדות *toledoth*, vel quos genuit Noe, nempe filii eius, vel posteritas, e versu sequenti: vel acta, eventus, res gestæ, historiæ eorum quæ contigerunt tempore Noe. Vide supra cap. II. vers. 4. & cap. V. vers. I. PERFECTUS. תמים *tamim*, *consummatus, integer, perfectus, immaculatus, omnibus numeris & modis absolutus, ita ut reprehendi & culpari non possit*: & refertur communiter ad mores. Græcis dicitur ἀνέγκλητος, item ἄμωμος. IN GENERATIONIBUS SUIS. דורות *doroth*. Aiunt, דור *dor* significare seriem constitutam & ordinariam sive temporum, sive hominum, sive actionum; aut certam successionem seu revolutionem, & ordinem graduum naturalis propagationis, ubi ex alio alius nascitur. Latini nunc ætatem, nunc generationem, nunc progeniem, quæ quasi sphæra vel globus revolvitur, Græci γενεά reddiderunt: dicique volunt tam de tempore, quam etiam de hominibus illius

P 2 tem-

temporis, & omnibus denique, quæ ſpatio illo fiunt & eveniunt. Sæculum, ætatem plerumque interpretantur, a volubilitate & ſucceſſione, quod ætas ætati, & ſæculum ſæculo ſuccedat, ut circulum videantur conficere. Alii *ætatem durabilem*, *perdurabilem*, *ſæculum*, *ſpatium circiter centum annorum*, exponunt: ergo *in generationibus ſuis*, id eſt in ætatibus illis quibus vixit, ſive inter homines ſui ſæculi, nempe in ætate præcedente diluvium, quo tempore hominum mores erant corruptiſſimi, & in ætate ſequente diluvium. Ac ſi dicat: Quamdiu vixit, pie & ſancte coram Deo vixit, & coram hominibus inculpate. Emphaticum autem illud eſſe notant, *in generationibus ſuis*: quod mirabile eſſet conſtantiæ exemplum, inter tam corruptos & impios homines integritatem ſervaſſe. CUM DEO AMBULAVIT; id eſt, vel ſacerdotio functus eſt coram Deo, vel ſancte iuſteque vixit, vitam divinam egit, vacavit cultui divino. Eadem omnino phraſis & verba, quæ ſuperiore capite verſ. 22. & 24. ibi vide.

V. 11. CORRUPTA EST. שחת *ſchachath*, *corrumpi*, *perdi*, *depravari uſque ad imum & fundum*, ſignificat. *Perdita fuit funditus*. INIQUITATE. חמס *chamas*, omnia iſta complectitur, vi, violentia, iniuria, iniuſtitia, rapina, tyrannide, fraude, calumnia, invidia. Quidam, ſubverſione, oppreſſione. CORAM DEO. Heb. *faciebus Elohim*, id eſt Deo ſciente & vidente; qua phraſi longa Dei tolerantia commendatur. Alii vere & realiter: nam Deus falli non poteſt. Melius, ut ſit Hiſpanica phraſis, *faciebus*, vel *ad facies Dei*, id eſt, *a la cara de Dios*, per ſummam impudentiam, & contemptum Dei, nullo Dei reſpectu & verecundia, aut pudore divinæ maieſtatis; quaſi dicat: Vivebant homines flagitioſiſſime: iam tum erat maximus Dei contemptus.

V. 12. CORRUPERAT. השחית *hiſchchit*, in Hiphil ingentem & deſperatam corruptionem, perditionem, depravationem exitialem ab imo & funditus denotat. VIAM SUAM. דרך *derec*, figurate Hebræis ſignificat, doctrinam, dogma, ſectam, religionem, cultum, ſtudia, opera, conſuetudinem, morem, vitæ rationem, inſtituta, in quibus homines verſantur, & per quæ incedunt: in qua ſignificatione ponitur multis locis Scripturæ, ut Pſalm. I. 1. *Et in via peccatorum non ſtetit*: & alibi. Et in Actis Apoſtolorum eſt frequens hic Hebraiſmus cap. IX. 2. *Ut ſi quos inveniſſet huius viæ*. cap. XVIII. 25. *Hic erat edoctus viam Domini*: & paſſim. Hic viam ſuam omnia iſta deſignat: nam homines tunc in doctrina, religione, cultu Dei, ſtudiis, moribus, & in tota vitæ ratione erant depravatiſſimi, corruptiſſimi, perditiſſimi. Quidam ad ſcelus Sodomiticum arctant; quod via & modo naturali non congrediebantur. Sed univerſalius intelligendum.

Verſ. 13. CORAM ME. Heb. *faciebus meis*, vel *ad facies meas*. Decretum mihi eſt illos finire, conſumere, funditus perdere. A FACIE EORUM; id eſt, propter eos, propter opera ipſorum hominum, vel per eos, opera eorum: i. ſi repleverunt terram rapinis & violentia.

V. 14 ARCAM. תבה *tebah*. a בנה *banah*, deducunt, quaſi ædificium, ædes, constructio, domus, ædificium habens ſimilitudinem domus. Arcam vertit Noſter. Dicitur tantum in Scriptura de Arca Noe, & de alia arca ſeu fiſcella, in qua expoſitus fuit Moſes Exod. XXIII. DE LIGNIS LAEVIGATIS. גופר *gopher*, non alibi quam hic reperitur, & in varias ſignificationes diſtrahunt. Quidam *arborem piceam*, vel *pinum* exponunt, quam Germani ſimili voce *kifer*, vel *kufer* appellant. Alii *cedrum*. Nonnulli *abietem*. Nec deſunt qui *arborem*, *ex qua defluit materia glutinoſa*, ſeu *quæ ſtillet*, aut *reſinam*, ſeu *materiam aptam ad collinendum*, & *bituminandum*. Hebræi aiunt eſſe lignum leviſſimum, & ad fluitandum ſuper aquas aptiſſimum, ex quo confici poſſint navigia, quæ diu durent in aquis, & vim, impetum aquarum ſuſtineant, nec facile putreſcant, ac leviſſime fluitent. Quidam volunt eſſe ſpeciem cedri Syriacæ cariem non ſentientis, quam *cedrelaten* vocant, de qua Plinius Lib. XIII. cap. V. *Ex hac reſina laudatiſſima*; *materiæ vero ipſi æternitas: itaque & ſimulacra deorum ex ea factitaverunt*. Alii putant eſſe lignum de cuius cortice fiunt calceamenta hypodemata: nam alioqui exponunt, *lignum leve*: nihil vero cortice hoc levius. Sunt qui putent fuiſſe terebinthum reſinoſum lignum, & ſulphuroſas baccas ferens, quam in Syria proceram creſcere aiunt.

Noſter *lævigatis* dixit, id eſt exaſciatis, poli-

politis; vel bituminatis. Conferunt cum voce כופר *copher*, id est *pice*, *gummi*, *resina*, *bitumine*, materia scilicet glutinosa, qua aliquid oblinitur. Aliqui volunt hic *Gopher*, esse proprium alicuius loci nomen, ubi materia ad navigia aptissima proveniret. גפרית *gephrit*, quod procuuldubio est a *gopher*, genus *gummi*, seu *bituminis*, aut *picis*, seu *materiæ glutinosæ*, *quod facile ignem concipit*, *& terræ sterilitatem inducit*, interpretantur. Noster *sulphur* semper exposuit: inde quidam suspicati sunt, ea ligna fuisse coloris sulphurei, aut melius, pinea, seu picea, unde pix efficitur.

V. 18. Pactum meum, ברית *berith*, id est, *fœdus*, *pactum*. Ut constat inter omnes de significatu; de ratione tamen nominis non constat. Quidam a בהר *bathar*, transposito deducunt, id est, *divisit*, *dissecuit in partes*, *partitus est*, *dispertiit*: nimirum quod in fœderibus sanciendis cæderentur victimæ, & inter partes dissectas animalium cæsorum transirent qui fœdus inibant; & dictum *berith*, *fœdus* ab ista cæremonia transitus per partes victimæ; qua significare voluerint, inter illas duas partes paciscentium factam iam transactionem, conventionem, seu compositionem, quæ postea confirmabatur quoque externis signis, & publicis epulis: quem morem seu ritum ferientium fœdus pulchre descriptum habes Genes. xv. 10. 17. 18. & Ierem. xxxiv. 18. & 19. Alii *berith*, quasi כרית *cerith*, dictum volunt a כרת *carath*, id est *scidit*, *excidit*, *cæcidit*, *percussit*, *feriit*, *icit*: unde in Scriptura *berith*, sæpe construitur cum verbo isto *carath*, quod Noster *ferire fœdus* reddere solet: nempe quod in fœderibus ineundis cæderentur animalia. Festus: *Fœdus appellatum ab eo, quod in paciscendo fœda*, vel *fœta*, aut *fœde* (*) *hostia cæderetur*. Virgilius:

.... *Et cæsa iungebant fœdera porca*.

Vel quia in fœdere interponatur fides. Servius in I. AEneidos: *Fœdus autem dictum*, vel *a Fetialibus, qui olim Fœdales dicebantur*, id est, *Sacerdotes, per quos fiunt fœdera*: vel *a porca fœde*, hoc est *lapide occisa*. Et in VIII. AEneid. elucidans illud:

.... *Et cæsa iungebant fœdera porca*:

inquit: *Fœdera, ut diximus, dicta sunt a porca fœde, & crudeliter occisa: nam cum antea gladiis configeretur, a Fetialibus inventum, ut silice feriretur: ea causa quod antiquum Iovis signum lapidis siliceni putaverunt esse. Cicero fœdera a fide putat dicta. Sed huius porcæ mors optabatur ei qui a pace resiliret. Falso autem ait, porca, nam ad hoc genus sacrificii porcus adhibebatur: ergo aut usurpavit genus pro genere; aut certe illud ostendit, quia in omnibus sacris feminei generis plus valent victimæ. Denique si per marem litare non possent, succidanea dabatur femina: si autem per feminam non litabatur, succidanea adhiberi non poterat. Quidam porcam euphoniæ gratia dictam volunt*. Hæc Servius. Nonnulli putant Virgilium scripsisse:

.... *& cæsa iungebant fœdera porco*:

ut porcus femina intelligatur. Vide Iacobum Gutherium de vetere Iure Pontificio Romano Lib. IV. cap. xviii. Eiusmodi fœderis ritum, icti inter Romanos & Albanos scite describit Livius Lib. I. cap. xxiv. Festus: *Porci effigies inter militaria signa quintum locum obtinebat, quia confecto bello, inter quos populos pax fiebat, ea, cæsa porca fœdere firmari solet*. Vide intra cap. xv. vers. 18.

Nonnulli *berith*, a ברר *barar* derivant, & sic dicta, pacta, seu fœdera existimant, quod in illis sine ulla sophistica, utrimque expurgate, & perspicue declaretur, ratificeturque fides, adhibita publica cæremonia, seu solemnitate. Nec desunt qui a ברה *barah*, id est ab *eligendo*, accersant, quia eliguntur personæ, inter quas, & res, ac conditiones, propter quas fœdus initur. In Novo Testamento passim versum extat διαθήκη, id est, *testamentum*, cuius vocis rationem ibi reddemus.

Hoc pactum, seu fœdus, quod stabile, firmum, ratum Deus vult esse cum Noe, quidam illud de iride intelligunt, cap. ix. vers. 9. & seqq. Alii existimant Deum promisisse Noe, quod non moreretur aquis diluvii; quod tamen non refertur a Mose. Quia enim difficillima erat arcæ fabrica, & innumera subinde obstacula supervenire poterant, quæ abrumperent inceptum opus, addita promissione & fœdere Deus servum suum confirmat: nempe eum cum familia futurum incolumem, quamvis totus mundus diluvio periret. Fœdus igitur Dei cum Noe pactum fuit, pereunte mundo, ipsum cum suis servandum iri.

(*) *Fœdia*. Sic enim veteres loquebantur: vide ipsum Festum in *Fœdum*;

ME-

MENOCHII.

Verf. I. CUM COEPISSENT HOMINES MULTIPLICARI. Prius etiam cœperant multiplicari; ſed non loquitur de multiplicatione in immenſam multitudinem, cum qua pari paſſu nequitia, & morum pravitas gliſcebat. FILIAS PROCREASSENT. Ante etiam natæ filiæ, ſed nunc plures maſculis: vel quod profuſa libidine vis generatrix eſſet debilitata; vel quod medicamentis id curarent, ut ſinguli pluribus feminis fruerentur; vel demum divino conſilio ad celeriorem, & uberiorem humani generis proventum. Nec deeſt qui ſuſpicetur ironice etiam maſculos hic filias vocari, quod effeminati eſſent, & animis muliebribus.

*V.*2. FILII DEI FILIAS HOMINUM. Poſteris Seth nomen filiorum Dei adhæſit propter illorum ſanctitatem, religionem, ac iuſtitiam, aliarumque virtutum quaſi ſplendentem in eis Dei imaginem. Cainitæ dicuntur filii hominum, quia terrena tantum ſapiebant. PULCHRAE. Hebraice, *bonæ*. Notat D. Auguſt. Lib. XV. de Civit. cap. XXIII. in ſacra Scriptura bonos ſolere vocari eos qui ſpecioſi corpore ſunt.

V. 3. SPIRITUS MEUS: ſpiraculum vitæ quod illis inſpiravi. IN HOMINE, in hominibus iſtis, ut habent LXX. ſingulare pro plurali. IN AETERNUM, tam longo tempore quam permiſi maiores illorum vivere. QUIA CARO EST: non natura, ſed culpa, & vitæ inſtituto, perinde vivunt, ac ſi mens illis non ut rectrix, ſed pro ſale ne putreſcant, data eſſet. ERUNTQUE DIES ILLIUS. Non loquitur de termino vitæ in communi hominum poſtea naſciturorum (quorum multi hunc terminum prætergreſſi) ſed de termino vitæ perverſi illius ſæculi hominum peſſimorum, quos diluvio delere ſtatuerat, quibus tamen ad pœnitentiam tam laxum ſpatium largiebatur centum & viginti annorum.

*V.*4. GIGANTES, vaſti ac proceri homines, & virium fiducia in alios violenti; itaque Aquila vertit *οἱ βίαιοι. violenti*. POSTQUAM ENIM: ratio cur Gigantes geniti. Filii Seth, qui vocantur filii Dei, integerrimis erant viribus; hi filias Cain duxerunt uxores, eiſque ut pulcherrimis ſummo amore, & ardore libidinis agglutinati ſunt; fecit autem libido, ut natura omnem ſuam vim, & potentiæ extremum exereret: hinc homines vaſtiſſimi, & validiſſimi prognati ſunt. ISTI SUNT POTENTES, viribus corporis, ſcelere etiam, & flagitiis nobiles. A SAECULO, ab initio mundi.

V. 5. MULTA MALITIA, continua, varia, vehemens, & late diffuſa. INTENTA ESSET AD MALUM. In Hebræo eſt: *Tantum intenta eſſet ad malum;* quod verum eſt de hominibus peſſimis illius ævi: vel etiam eſt hyperbole, ut cum de peccatore, qui tamen aliquando bona aliqua facit, aut cogitat, dicimus v. g. Hic homo nihil cogitat niſi de ventre.

V. 6. POENITUIT EUM. Sine pœnitentia ſunt dona Dei; ſed ita loquitur Scriptura per anthropopathiam.

Verſ. 8. INVENIT GRATIAM: notus Hebraiſmus, pro acceptior & gratior fuit Deo quam ceteri. IUSTUS, ET PERFECTUS, perfectione non patriæ, ſed viæ, quæ excludit omne peccatum, non veniale, ſed mortale, quæque in aſſiduo ſtudio, & profectu virtutum conſiſtit. IN GENERATIONIBUS SUIS, inter homines ſui ævi, adeoque præ omnibus hominibus qui tunc vivebant. Aliqui *in generationibus*, explicant in actionibus ſuis: hæ enim ſunt quaſi liberi quos parit homo totius vitæ ſuæ ſpatio, & decurſu. CUM DEO AMBULAVIT, ut Henoch, de quo cap. v. 22.

Verſ. 11. CORRUPTA EST AUTEM TERRA; metonymia, pro habitatores terræ. CORAM DEO, vere. INIQUITATE, fraude, calumniis, violentia.

V. 12. OMNIS CARO, omnes homines, ſic dicitur Iſa. XL. 5. *Videbit omnis caro pariter*. VIAM SUAM, ſuam vivendi rationem, quæ ductum ſequi debet rationis, & divinæ legis imperium.

V. 13. FINIS OMNIS CARNIS VENIT CORAM ME: inſtat dies decreta a me excidio hominum, & animalium.

*V.*14 ARCAM. Ipſo nomine Hebræo תבה *theba* ſignificatur arcæ forma non navigii in morem, ſed capſæ ſupra, & infra latæ, & infra quidem non concameratæ, ſed æqualis, & planæ. DE LIGNIS LAEVIGATIS. Hebraice, *De lignis* גפר *gopher*, quod LXX. verterunt, *quadratis*. Noſter *lævigatis*, id eſt dolatis, & politis ad aptiorem, firmioremque

que

que compaginem ? Alii vertunt de *lignis cedri*, nam cedrus in Syria frequens, & longissimas dat tabulas, & incorruptibilis est, & ex cedro factam arcam docent aliqui Patres. D.Hieronymus vertit, *Ex lignis bituminatis*, id est bituminosis, & resinosis, vel bitumine illitis, vel liniendis: pinus autem, & cedrus sunt resiniferæ. MANSIUNCULAS IN ARCA FACIES. Hebraice: *Nidos facies arcam*; sic etiam LXX. eo quod in arca stabula parva, seu mansiunculæ instar nidulorum: has iubet per totam arcam fabricari varie iuxta singulorum animantium necessitatem, non pro solis avibus; ideo non vertit, Nidulorum. BITUMINE, quod picis vicem implet, & odoriferum etiam est, ideoque opportune adhibitum (ut etiam cedrinæ tabulæ, & trabes) nam in arca graveolentia ex fimo animalium anguste habitantium.

Vers. 15. TRECENTORUM CUBITORUM. Cubitus continet pedem cum dimidio. Arcæ longitudo decupla erat ad eius altitudinem, & profunditatem, totaque capacitas fuit cubitorum solidorum 450. millium.

*V.*16. FENESTRAM, præcipuam unam, grandiorem, & pellucidam ex vitro, crystallo, vel lapide speculari, quod Hebraica vox indicat צהר *tsohar*, & Græcum διαφανής, ut vertit Symmachus. Hæc maior fenestra nihil prohibet alias etiam minores fuisse. ET IN CUBITO CONSUMMABIS SUMMITATEM EIUS; quasi dicat: Altitudinem eius, puta fenestræ, facies unius cubiti. Vel sensus est: Mensuram cubiti semper ad manum habe, & adhibe donec arcam consummaveris, & perfeceris, omnia ad præscriptum modulum, & mensuram cubitorum præscriptorum exigendo. Alii: Tectum arcæ ab extremitatibus medium versus paulum admodum assurgat, ita ut tota declivitas a medio ad crepidinem unius tantum sit cubiti. DEORSUM COENACULA, ET TRISTEGA FACIES IN EA. *Deorsum* significat infimum tabulatum arcæ; *cœnacula* tabulatum medium; *tristega*, id est, iuxta Græcæ vocis vim, tertium tectum, tabulatum tertium. Videtur habuisse arca tres contignationes, & partem imam, in qua fuerit saburra, & sentina: super hanc in secunda erant animalia per cellas distributa; in tertia erat annona; in quarta aves, & homines.

V. 18. PONAM FOEDUS MEUM TECUM, nempe iridem, vel potius, pacifcar tecum tuam, & tuorum incolumitatem, Heb. *surgere faciam*, id est stabiliam, opere complebo fœdus, nempe quod tecum de tua, tuorumque salute, quos diluvio eripiam, iam pepigi. Quando fuit fœdus hoc? Non omnia referuntur. Noster textus loquitur de pacto quasi de re futura, Hebræus quasi de pacto iam facto, quod firmum fore poilicetur, & in opus conterendum.

Vers. 19. EX CUNCTIS ANIMANTIBUS BINA. Sermo est de terrestribus, quorum etiamsi aliqua natura fera, tamen Noe ut olim Adamo obedientia, & cum ceteris animalibus socialiter vixerunt in arca, nemini infesta. Quæ ex putri gignuntur, aut quæ ex specierum variarum commixtione, non sunt in arcam inducta. Amphibiis quæ diu terra carere non possunt, locus in arca assignatus.

*V.*20. INGREDIENTUR TECUM: venient ad te, scilicet sponte sua.

V. 21. EX OMNIBUS ESCIS QUAE MANDI POSSUNT. Hebr. *Ex omni cibo qui comedi solet*, puta tam ab homine, quam a bestiis. Itaque feræ carnivoræ etiam in arca carnes in cibum habuerunt.

TIRINI.

Vers. 2. VIDENTES FILII DEI FILIAS HOMINUM. Non est hic sermo de Angelis, aut dæmonibus incubis, aut succubis *a*; sed de filiis & posteris duorum fratrum Seth, & Cain. Et quidem filii Seth vocabantur filii Dei, primo ob sanctitatem, iustitiam, temperantiam, aliasque virtutes, quibus toti mundo testatum faciebant se esse veros filios Dei *b*; secundo quia robusti erant, & viribus, forma, statura eximii: nam Hebræa pl.rasi, omnia fortia, magna, egregia dicuntur esse Dei, ut *cedri Dei*, *montes Dei*, id est cedri & montes altissimi *c*. Filii vero, & posteri Cain, mali parentis peior soboles, dicebantur filii, & filiæ hominum, primo quia moribus perversi, & animo toti terræ affixi; secundo quia corporis robur formam ac staturam enervarant nimis profusa libidine, & luxu. Cum ergo, mortuo quoque Setho, non pauci ex posteris Seth, qui viribus erant integerrimis, spreta parentum moni-

monitione de non miscendis connubiis cum Cainitis, summo ardore libidinis adglutinarentur pulchrioribus & selectioribus filiabus Cain, ex hac commixtione (natura vim suam omnem, & extremum potentiæ exserente) prognati sunt gigantes, seu homines monstrosa statura, robore, latrociniis, & tyrannide insignes: qui suis sceleribus maxima potissimaque causa diluvii fuerunt, ut hic Moses insinuat, & Iob XXVI. vers. 5. & Sap. XIV. vers. 6.

V. 3. SPIRITUS MEUS, id est anima & vita homini a me inspirata, Genes. II. vers. 7. NON PERMANEBIT IN HOMINE IN AETERNUM, Hebraica phrasi, id est in longum tempus, quale sibi quisque imaginatur, & promittit. Sed ERUNT DIES ILLIUS CENTUM VIGINTI ANNORUM; id est, non dabo ulteriores mundo inducias quam ad centum viginti annos; quibus tentabo num destituti sint a malo, nec ne: nam si tempus hoc, quod ad agendam pœnitentiam ipsis indulgeo, negligant, eo exacto omnes delebo per diluvium quod orbi inducam. Non ergo statuitur hic singulis hominibus certus vitæ terminus, ut vult Iosephus, Lactantius, Procopius apud Salianum, quia plurimi deinceps longe diutius supervixerunt, ut patet Genes. XI. Sed toti tunc generi humano (ut dixi) spatium pœnitentiæ præscribitur *d*. Et hoc ipsum revelat hic Deus Noe, ut ipse illud toti mundo palam faciat non solo verbo, sed & longa arcæ inusitatæ fabrica, qua diluvium orbi ob infanda scelera imminens & prædicebat omnibus, & publice, ni pœniterent, comminabatur.

V. 16. DEORSUM COENACULA, ET TRISTEGA FACIES IN ARCA. *Deorsum*, id est infima tabulata; *cœnacula*, id est media tabulata; *tristega*, id est tertia seu suprema tabulata. Ita Hebræa, & Chaldæa. Erant enim in arca tres contignationes seu tabulata, quæ discriminabant quaterna spatia. Primum & infimum spatium erat sub infimo tabulato, scilicet locus saburræ ad librandam arcam in aquis, & sentina ad sordes undique excipiendas, quæ postea per antlias, vel sportas, & funes in altum reductæ, per fenestram superiorem eiiciebantur. Secundum spatium erat supra infimum tabulatum, seu in prima contignatione; ubi erat locus omnium animalium, in cellas utrimque distinctus. Tertium erat supra medium tabulatum, seu in secunda contignatione, ubi distinctæ erant apothecæ, quibus includebatur omne genus annonæ pro hominibus, & animalibus, etiam dolia aquæ dulcis ad potum, & ad lotionem. Quartum spatium erat in summo tabulato sub tecto, ubi ex una parte locus erat hominum cum sua culina, foco, furno, mola, lignili, & penu, ex altera erant caveæ, & nidi singularum avium cum suo pabulo. Nota. In singulis contignationibus erant ambulacra media, & in his scalæ quibus ex una in aliam ascendebant, & descendebant. In pavimentis erant foramina, & tubi, quibus & pabulum, & sordes, & quæcumque vellent, ad inferiora demittebant. In latere arcæ, a medio circiter usque ad verticem, erant passim foricæ seu foramina, tum ad respirationem, tum ad lumen hauriendum, tum ad sordes egerendas necessaria *e*.

V. 20. BINA DE OMNIBUS, id est mas & femella, INGREDIENTUR TECUM. Hebraice, *venient ad te*; scilicet, sponte sua, feritate ad tempus deposita, vel saltem mitigata, adcurrent; idque vel Dei instinctu, vel Angelorum impulsu, uti olim ad Adamum, Genes. II. vers. 19. cum Adam illis omnibus sua nomina inderet *f*.

(*a*) Ut sensere Ioseph. Philo, Iustinus Tertull. Lactantius, Burgensis, Franc. Valesius, & alii apud a Lapide.
(*b*) Ita Chrysostomus, Cyrillus, Theodoretus, Rupertus, Hilarius, apud eumdem, & Salianum.
(*c*) Ita Oleaster.
(*d*) Ita Chaldæus, & LXX. Hieronymus, Chrysostomus, Augustinus Lib. XV. de Civit. cap. XXIV.
(*e*) Fuse hæc Ioannes Buteo Libro de Arca; & ex eo Pererius, & alii.
(*f*) Ita S. Augustinus supra cap. XXVII.

GORDONI.

OB morum corruptelam decernitur diluvium. Paratur arca, & definitur numerus liberandorum a diluvio. Tale est huius sexti capitis argumentum. Protenditur hæc secunda inchoans ætas usque ad Abrahamum. Hac excurrente annorum periodo, varia exorta sunt regna: Babylonicum a Belo, anno mundi 1870. Sicioniorum regnum sub Aegialeo, anno 1906. Assyriorum sub Nino, anno 1935. sub cuius sæculo Thare septuagenarius genuit Abrahamum; & anno mundi 1978. a quo Patriarcha initium erit tertiæ ætatis. Qui vero vixerunt Patriarchæ

chæ hac tota secunda ætate, recensentur capite undecimo, nempe a Sem usque ad Abraham, ut insequens habet digramma.

	Nascitur.	Generat natus annos.	Vixit annos.	Moritur anno mundi.
Sem	1558	100	600	2158
Diluvium	1656			
Arphaxad	1658 Biennio post diluvium.	Ann. 135.& 35. iuxta LXX. Interpr.	438	2096 Obiit ante patrem.
Cainan minor	1693	30	360	Hunc ponunt Lucas & LXX
Sale	1723	30	433	2156
Heber	1753	34	464	2217
Phaleg	1787 Linguarum confusio.	30	239	2026
Reu	18.7	32	239	2 56
Sarug	1849	30	230	2079
Nachor	1879	29	148	2027
Thare pater Abrahæ.	1908	70	205	2113
				Sara. 2115

Arphaxad generat natus annos 135. inde ad mortem sunt anni 303. Genes. cap. XI. vers. 13.

Vers. 1. Notat tempus, non quidem primæ multiplicationis, sed quando cœperit esse ingens multiplicatio, procreatis etiam filiabus in magno numero.

Vers. 2. VIDENTES FILII DEI FILIAS HOMINUM. Prætereo quod quidam putant, hic filios Dei esse Angelos malos, seu Dæmones incubos. Rectius filii sunt in linea Seth, sic dicti phrasi Hebræorum, quod essent robustiores, & meliores ceteris hominibus. Hebræis familiare est, omnia fortia, præclara & magna, Dei filios nominare, ut notavit Oleaster. Filiæ vero Caini, dictæ hominum filiæ, ob deteriores vitæ & morum conditiones.

V. 3. NON PERMANEBIT. *οὐ καταμείνῃ*, hoc est, non permittam diu admodum vivere. Invaluit malitia. At quomodo ætas hominis 120. annorum definitur? R. non ibi præscribi hominis ætatem, sed spatium annorum quod datum est impiis usque ad diluvium, ut pœnitentiam agerent, scilicet numerando ab anno Noe 480. usque ad diluvium. Fuit hæc comminatio revelata Noe, Mathusalem, & aliis quibusdam. Hic aliqui de longitudine vitæ humanæ differunt. Videri potest Torniellus ad ann. 1651. August. XV. Civit. cap. IX. & Ioseph. I. Antiq. cap. IV. CENTUM VIGINTI. Concessum spatium usque ad diluvium.

V. 4. Hinc iam notat Scriptura multiplicatos gigantes, Heb. נפילים *nephilim*, a rad. נפל deiecit, prostravit; quasi qui homines prosternunt. Dicuntur Titanes Iudith cap. XIII. vers. 8. Hic potentes vocantur: quod tyrannidem horum designat.

V. 5. CUNCTA COGITATIO CORDIS INTENTA ESSET AD MALUM OMNI TEMPORE. Septuaginta *πᾶς διανοεῖται*, omnis qui cogitat. Heb. כל יצר מחשבות *col ietser Machsevoth*, omne figmentum cogitationum. חשב cogitavit. Hinc colligit male Calvinus, opera iustorum omnia esse inquinata occulto aliquo concupiscentiæ peccato: quia, inquit, in Hebr. est רק *rak*, hoc est tantum: nam si tantum ad malum, quomodo ad bonum? Sed non videt Novator iste, Mosem tantum loqui de peccatoribus, & iis tantum qui erant tempore Noe, ad quos puniendos decretum est diluvium. Immo רק *rè*, non verterunt LXX. Interpretes; utpote dictum per pleonasmum, & inclusum in verbis illis. *Cuncta cogitatio*. Quid quod iustitia inventa sit in familia Noe? Immo & in aliquibus qui perierunt, quos probabile est, crescentibus ante oculos diluvii undis, egisse pœnitentiam; ut colligi recte potest ex I.Petr. III. vers. 19. ubi de his, qui increduli fuerunt sub Noe, excurrentibus illis 120. annis, ut notavi vers. 3. Denique quid si hic locus non actum, sed fomitem & propensionem explicat?

V. 6. Pœnitentia non cadit in Deum; nec dolus ullus; sed per id quod fit in homine, explicat quid fit a Deo: nam, ut explicant Theologi, quod est in homine formaliter, tribuitur Deo longe alio modo, & per effectum; ut quando in effectu castigat, irasci dicitur. Sic etiam sententia

Dei comminatoria accipit mutationem aliquam, non vero eius decretum.

Verſ. 9. NOE IUSTUS, iuſtitia qua eſt homo ſine mortali peccato. PERFECTUS IN GENERATIONIBUS SUIS: ſeu tempore quo vixit, ſeu inter homines ſui ſæculi.

V. 11. TERRA, hoc eſt homines qui ſunt in terra, CORAM DOMINO, ſeu nimis.

Verſ. 12. CARO OMNIS: univerſe loquendo: nam quando pauci tantum excipiendi ſunt, ſolet aliquando Scriptura non hærere in minimo numero exprimendo.

V. 13. FINIS VENIT CORAM ME. Publicat Deus decretum de hominibus delendis.

V. 14. FAC TIBI ARCAM. תבה *teba*. Reliquum caput fere de arca eſt, quam in modum ciſtæ deſcribunt Interpretes, quadrangulam, in fundo planam, modice in culmen aſſurgentem, & quaqua verſum æqualem, atque undique clauſam, 300. cubitorum in longitudine, tota capacitas evaſit 450000. cubitorum. Locum eſſe omnibus animalibus recentiores demonſtrant; ſi cum Auguſtino accipias cubitum geometricum, fere ad miliare erit longitudo arcæ.

V. 15. Multi hic intelligunt cubitum geometricum (qui continet ſex cubitos vulgares) nec ab hoc abeſt אמה *amah*, in Hebræo. Ingens ſane ſic erit arcæ magnitudo.

V. 16. ARCA EX LIGNIS LEVIGATIS. In Heb. *Ex lignis Gopher*, nomen ſatis ignotum. Septuaginta, *Ex lignis quadratis*, Hieronymus in Qq. Hebr. *Ex lignis bituminatis*; quaſi eſſet in Hebræo כפר *chopher*, non autem גפר *gopher*; ac ſi intelligas arbores omnes, quæ ex ſe bitumen vel reſinam proferunt: inter quas eſt cedrus, levis quidem, & facile enatans. At quid cœnacula, & triſtega? Chaldæus ſic explicat: *Facies habitationes*, ſeu manſiones, *inferiores* (Noſter *deorſum* vocat) *ſecundas*, & *tertias*. In Hebræo eſt, *Infima, ſecunda*, & *tertia*. Deſignatur ergo arca ſecundum altitudinem diviſa in tres contabulationes: quod enim eſt hic *deorſum* deſignat infimum tabulatum. Cœnacula ſignant medium tabulatum; triſtega ſupremum. Denique hæc ſuprema habitatio habebat tectum arcuatum.

V. 18. PONAMQUE FOEDUS, nempe de Iride, aut etiam de te liberando a diluvio. Quando poſitum ſit hoc fœdus, non exprimit Scriptura. Hebræus loquitur ut de pacto iam poſito; ſed frequens eſt apud Hebræos enallage temporis.

V. 19. EX CUNCTIS. De hoc iterum cap. VII. verſ. 8. Et quamvis ferinam aliqua naturam habuerint, ſtabat concordia, Deo opus ſuum firmante. BINA hoc eſt, combinando utrumque ſexum: non enim hic agitur de numero, ſed cap. VII.

Oportet Noemum edoctum fuiſſe a Deo, quæ tam variis animalibus aptæ eſſent eſcæ. Aggreſſus vero putatur Noe arcam extruere centum annis ante diluvium. Eſt magnorum virorum ſententia; quamvis certe ex Scriptura hoc non habeatur.

V. 22. Fecit quidem Noe omnia imperata; ſed tempus in ſingulis non deſignatur.

CAPUT

CAPUT VII.

Ingresso Noe cum suis in arcam, statim aqua omnium montium cacumina 150. diebus superavit, reliquaque animantia submersit.

1 

Ixitque Dominus ad eum: (a) Ingredere tu, & omnis domus tua in arcam: te enim vidi iustum coram me in generatione hac. 2. Ex omnibus animantibus mundis * tolle septena & septena, masculum & feminam; de animantibus vero immundis duo & duo, masculum & feminam. 3. Sed & de volatilibus cæli septena & septena, masculum & feminam: ut salvetur semen super faciem universæ terræ. 4. Adhuc enim, & post dies septem ego pluam super terram quadraginta diebus, & quadraginta noctibus: & delebo omnem substantiam, quam feci, de superficie terræ. 5. Fecit ergo Noe omnia quæ mandaverat ei Dominus. 6. Eratque sexcentorum annorum quando diluvii aquæ inundaverunt super terram. 7. Et (b) ingressus est Noe, & filii eius, uxor eius, & uxores filiorum eius cum eo, in arcam propter aquas diluvii. 8. De animantibus quoque mundis & immundis, & de volucribus, & ex omni quod movetur super terram, 9. duo & duo ingressa sunt ad Noe in arcam, masculus & femina, sicut præceperat Dominus Noe. 10. Cumque transissent septem dies, aquæ diluvii inundaverunt super terram. 11. Anno sexcentesimo vitæ Noe, mense secundo, septimodecimo die mensis, rupti sunt omnes fontes abyssi magnæ, & cataractæ cæli apertæ sunt: 12. & facta est pluvia super terram quadraginta diebus & quadraginta noctibus. 13. In articulo diei illius ingressus est Noe, & Sem, & Cham, & Iapheth, filii eius, * uxor illius, & tres uxores filiorum eius cum in eis arcam: 14. ipsi, & omne animal secundum genus suum, universaque iumenta in genere suo, & omne quod movetur super terram in genere suo, cunctumque volatile secundum genus suum, universæ aves, omnesque volucres 15. ingressæ sunt ad Noe in arcam, bina & bina ex omni carne in qua erat spiritus vitæ. 16. Et quæ ingressa sunt, masculus & femina ex omni carne introierunt, sicut præceperat ei Deus. Et inclusit eum Dominus deforis. 17. Factumque est diluvium * quadraginta diebus super terram; & multiplicatæ sunt aquæ, & elevaverunt arcam in sublime a terra. 18. Vehementer enim inundaverunt, & omnia repleverunt in superficie terræ. Porro arca ferebatur super aquas. 19. Et aquæ prævaluerunt nimis super terram, opertique sunt omnes montes excelsi sub universo cælo. 20. Quindecim cubitis altior fuit aqua super montes, quos operuerat. 21. (c) Consumptaque est omnis caro quæ movebatur super terram, volucrum, animantium, bestiarum, omniumque reptilium quæ reptant super terram: universi homines, 22. & cuncta in quibus spiraculum vitæ est in terra, mortua sunt. 23. * Et delevit omnem substantiam, quæ erat super terram, ab homine usque ad pecus, tam reptile quam

volucres cæli; & deleta sunt de terra: remansit autem solus Noe, & qui cum eo erant in arca. 24. Obtinueruntque aquæ terram centum quinquaginta diebus.

(a) II. Petr. II. 5. (b) Matt. XXIV. 32. Luc. XVII. 26. I. Petr. III. 20. (c) Sap. X. 4. Eccli. XXXIX. 28. I. Petr. III. 20.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

Verf. 2. *Tolle feptena & feptena.* Non mutes imperativi præsens *tolle*, cum futuro indicativi *tolles*.

Verf. 13. *Uxor illius, & tres uxores filiorum eius cum eis.* Ut non est præponenda coniunctio *&* ante vocem *uxor*, ita non est delendus numerus *tres* ante vocem *uxores*.

Verf. 17. *Quadraginta diebus.* Omittendum est quod sequitur in quibusdam codicibus, *Et quadraginta noctibus*.

Verf. 23. *Et delevit omnem substantiam.* Superfluit quod quibusdam exemplaribus additur *Deus*.

COMMENTARIA

SA.

Verf. 1. IN GENERATIONE HAC; id est, inter homines huius temporis.

V. 2. MUNDIS. Quæ munda essent, revelaverat Deus, vel ea tali numero venerunt. SEPTENA. Unum erat postea immolandum, relinquenda sex ad prolem & sacrificia. Nota, quod quidam putant fuisse ex immundis duo tantum, scilicet marem & feminam, ex mundis autem septem, ut proxime dictum. Alii putant fuisse quatuordecim, scilicet septem mares, & totidem feminas. Iustinus quidem quæst. XLIII. ita sentit, seu quisquis est ille Auctor. Itemque ex immundis fuisse quatuor, scilicet duos mares, & duas feminas, quia dicitur, *duo & duo*, *septena & septena*: quæ mihi opinio non probatur.

V. 4. DIES SEPTEM, scilicet ab ingressu, vel a præcepto de ingrediendo. SUBSTANTIAM, id est animalia. DE SUPERFICIE TERRAE. Non enim pisces qui in mari.

V. 11. MENSE SECUNDO, id est Aprili. SEPTIMO DECIMO. LXX. *vigesimo septimo*. ABYSSI MAGNAE, id est aquarum, quæ sub terra. CATARACTAE, id est nubes, unde veluti e fenestris apertis imber descendit.

V. 12. QUADRAGINTA, scilicet ut possent agere pœnitentiam: Chrysost. homil. 24.

Verf. 13. IN ARTICULO DIEI ILLIUS, pro illo ipso die, scilicet decimoseptimo; seu potius, quo Deus præceperat: nam post eum dicuntur transisse 7. dies, deinde decimoseptimo die ruptos fontes, &c.

V. 16. DEFORIS, scilicet claudens ostium: aliter enim claudi non poterat vel (ut quidam volunt) bitumine extrinsecus contra aquas muniens

V. 17. DIEBUS, scilicet naturalibus.

ESTII.

Verf. 2. EX OMNIBUS ANIMANTIBUS MUNDIS TOLLES SEPTENA ET SEPTENA; DE IMMUNDIS VERO DUO ET DUO. Quidam hæc per anticipationem dicta volunt, & materialiter de iis quæ postea in lege habita sint munda & immunda. Sed id non recte. Noe enim hæc distinguere non potuisset, nisi iam tunc horum distinctio facta fuisset. Proinde rectius dicitur, etiam ante legem fuisse mundorum atque immundorum animalium discrimen, maxime quoad sacrificia, sive divino instinctu sic hominibus constituentibus, sive etiam positiva Dei ordinatione, certæ significationis causa, sicut postea generaliter etiam quoad cibum id factum est per legem Moysi.

V. 11. RUPTI SUNT OMNES FONTES ABYSSI MAGNAE, ET CATARACTAE CAELI APERTAE. Abyssum ma-

gnam

gnam videtur intelligere mare. Quomodo autem fontes eius rupti dicantur, obscurum est. De cataractis vide Annot. IV. Reg. VII. & Hieron. in Malach. III. sic illud interpretatur: *Si non aperuero vobis cataractas*; id est, si non tantas pluvias effudero ut cataractæ cæli apertæ esse crederentur. Et sic etiam tam in fontibus abyssi, quam cataractis figurate intelligit Caietanus.

V. 19. OPERTIQUE SUNT OMNES MONTES EXCELSI SUB UNIVERSO CAELO. De diluvio quædam etiam ab Ethnicis Scriptoribus referuntur, licet fabulis permixta, nominatim de diluvio Deucalionis apud Ovidium in Metamorphosi, & alios. Legitur quoque Lib. VI. histor. Indicæ cap v. quod rex quidam Nicaragua quærebat ex Christianis, num haberent notitiam aliquam diluvii, quo inundata fuit tota terra, & submersi homines, & bestiæ, & an extremam mundum esset adhuc aliud. Quin Lactantius Lib. II. cap. x. de Ethnicis antiquis Scriptoribus agens, ait: *Factum esse diluvium ad perdendam, tollendamque ex orbe malitiam, inter omnes constat*. Sic Lactantius.

Quidam generalem hanc eluvionem in astra referunt, sicut & ultimam orbis conflagrationem. Sed audiendi non sunt. Nam cum tota natura corporea sit facta propter hominem, non est putandum vim eius valere ad perdendum genus humanum, cuius gratia condita est, nisi accedente causa supernaturali.

V. 23. ET DELEVIT OMNEM SUBSTANTIAM QUAE ERAT SUPER TERRAM, AB HOMINE USQUE AD PECUS. Quæritur an omnes illi homines qui tunc diluvio perierunt, etiam perierint æternaliter? Respondeo, I. Petri III. sic legimus: (de Christo agit Apostolus) *In quo & his qui in carcere erant spiritibus veniens prædicavit: qui increduli fuerant aliquando, quando expectabant Dei patientiam in diebus Noe*. De quo loco sic Hilar. in Psal. CXVIII. ad illa verba, *Quando consolaberis me?* vel ut ille legit, *Quando exhortaberis me? Scit* (inquit) *Propheta, hanc exhortationem sanctos quiescentes in inferno desiderare. Scit, testante Petro, descendente in inferna Domino, etiam his qui in carcere erant, & increduli quondam fuerant in diebus Noe, exhortationem prædicatam fuisse*. Sane omnino ex his apparet, spiritus seu animas etiam quasdam a Christo descendente ad inferos fuisse ex limbo liberatas, eorum qui tempore diluvii eo usque increduli, tandem ipsius rei (quam credere noluerant) experientia, & præsenti periculo commoniti, Deo invocato, ad pœnitentiam conversi sunt. Si quæratur quare Petrus eorum pœnitentiam specialiter meminerit: respondeo, primo quia numquam tanta hominum multitudo simul periit; deinde quia hoc pacto Apostolus sibi viam facere voluit ad digressionem, quam mox instituit de mysterio arcæ, & diluvii, nempe de baptismo ibi præsignato. Vide Comment. nostrum I. Petri III.

MARIANAE.

Vers. 1. INGREDERE TU, ET OMNIS DOMUS TUA. Ex his verbis constat, Noe neque plures tribus filios habuisse, neque ante annum quingentesimum genuisse liberos, ac ne bigamiam quidem inter Dei filios posteros Seth susceptam, quando singuli viri cum singulis uxoribus in arcam ingrediuntur.

Vers. 2. EX OMNIBUS ANIMANTIBUS MUNDIS TOLLE SEPTENA ET SEPTENA. Non quatuordecim ex singulis generibus, ut Iustinus Martyr ait quæst. XLIII. sed septem: sex ad servandum genus, septimum ad sacrificium. Munda vocantur per anticipationem, in lege id nomen habitura. Aut forte hæc legis observatio ante legem fuit, ut & circumcisio, & sabbatum. In volucribus eadem distinctio fortassis intelligenda est mundarum & immundarum, tametsi tantum dicitur ut *septena & septena* introducat.

Vers. 4. POST DIES SEPTEM. Hebr. *Quia ad dies adhuc septem*, id est septimo abhinc die; quod iungatur cum illo *ingredere*. OMNEM SUBSTANTIAM, id est omnia animalia: non enim delevit arbores, argumento olivæ, cuius ramum columba detulit. Deut. XI. vers. 6. invenio יְקוּם iekum, quod hic ponitur, significare *viventia*, fortasse a surgendo sic dicta.

V. 7. ET INGRESSUS EST NOE, nimirum die illo septimo: quia vers. 13. dicitur, *in articulo diei illius*, quo certe diluvium cœpit, fuisse ingressum.

V. 11. ANNO SEXCENTESIMO VITAE NOE, MENSE SECUNDO. Verisimile

mile est mundum fuisse conditum in autumno, ideoque Hebræis initium anni est mensis Tisri æquinoctio autumnali proximus: sic mense Marchesuan, qui est mensis secundus, incidit diluvium. SEPTIMODECIMO DIE. Sept. *vigesimo septimo* dixerunt; aut certe numerus est vitiatus in illis. FONTES ABYSSI vocantur fontes qui sunt in terra, quoniam per meatus subterraneos aqua maris, percolata salsugine, prorumpit variis in locis, ut in Ecclesiaste dicitur. & Lucretius testatur inter Poetas. Porro CATARACTAE CAELI, Hebraicæ *fenestræ cæli*. Vis aquæ ex nubibus decidens ea loquendi forma explicatur. Locutio ad vulgi sensum accommodata: dicimus enim cælum rumpi, cum tempestas concitatur magna.

Vers. 13. IN ARTICULO DIEI ILLIUS בעצם *Behezem*, *in corpore diei illius*, cum multum diei superesset: in quo iustorum ingenium explicatur, non nectentium moras, sed festinantium, cum faciendi aliquid tempus venit.

V. 16. ET INCLUSIT EUM DOMINUS DEFORIS. Hebraice: *Et clausit Dominus super eum*, vel *pro eo*, ut melius scilicet clauderetur, fortassis etiam bitumine addito.

V. 17. QUADRAGINTA DIEBUS. Sept. addidere, *& quadraginta noctibus*, ut intelligas dies naturales fuisse horarum viginti quatuor.

V. 24. OBTINUERUNTQUE AQUAE TERRAM CENTUM QUINQUAGINTA DIEBUS. Vers. 17. dixit: *Factumque est diluvium quadraginta diebus super terram*: nimirum quadraginta diebus pluviæ tenuerant; at centum quinquaginta diebus aquæ terram texerunt: in quo numero minorem quidam includunt. Itaque pluit quadraginta diebus. Aliis centum & decem aquæ terram inundaverunt. Alii seiungunt, & centum nonaginta dies numerant a diluvii initio usque ad finem eius: quos refellit capitis proximi versus quartus, arcam quievisse mensis septimi die septimo decimo, postquam cœperunt aquæ imminui. At a secundo mense quando cœpit diluvium, usque ad septimum, quinque menses sunt, dies præcise 150. Porro pro *obtinuerunt*, Hebr. est *prævaluerunt*, seu *fortificatæ sunt super terram*.

MALVENDAE.

Vers. 3. MASCULUM, ET FEMINAM. Heb. *virum*, & *viram eius*. Nonius cap. VI. *Viros etiam de animalibus posse dici*, *Virgilii auctoritas iubet in Bucolicis*, *Ecl.* VII.

. . . . *Vir gregis ipse caper deerraverat*.

& alibi,

. . . . *Quem legere virum*.

Theocritum quoque ita loquutum monet Servius.

Vers. 4. PLUAM. Participium Hiphil ממטיר *mamtir*, *pluere faciens*, vim ingentem pluendi, & violentissimos imbres denotat, ut non pluere, sed ruere viderentur aquæ. SUBSTANTIAM. יקום *iekum*, ter tantum occurrit in Scriptura, hic, & vers. 23. & Deut. XI. 6. & semper Noster *substantiam* vertit. Aiunt esse nomen generale ad omnia quæ subsistunt, & vivunt in terra *Hypostasim*, seu *subsistentiam* quidam exponunt; voluntque Paulum per hypostasim reddidisse, aut certe hac voce usum Hebr. XI. 1. *Est autem fides sperandarum hypostasis*, *subsistentia*, *substantia rerum*. Et cap. XIII. 14. *Si tamen initium substantiæ usque ad finem firmum retineamus*. Ergo ad verbum *surgentiam*, *erectionem* dixi; id est, quod in terra surgit, erigitur, stat, subsistit. Omnia enim prostravit diluvium. Alii, *omne surgens*.

V. 6. DILUVII. מבול *mabbul*, quidam deducunt a בלל *balal*; quasi dicas, *confusionem*, *mixtionem*, *fusionem aquarum*: vel quod omnes res terrestres confuderit & dissipaverit. Alii a נבל *nabal*, quod *ceciderint*, *aut defluxerint aquæ* de cælo; vel quod eo omnia conciderint; vel quod omnia fecerit flavescere, flaccescere, languescere, marcescere, *diluvium*, *diluvionem*, *eluvionem* interpretantur.

V. 11. RUPTI SUNT. Heb. *discissi*, *dissecti*, *impetu*, *ac vi diffissi sunt*, *disrupti sunt*. ABYSSI MAGNAE. Vide Genes. I. vers. 2. intelligunt immensam illam & profundam aquarum copiam quæ est sub terra. Seneca Naturalium Quæstionum Lib. V. cap. XV. *Asclepiodotus auctor est*, *demissos quam plurimos a Philippo in metallum antiquum*, *descendisse illos cum multo lumine*, *vidisse flumina ingentia*, & *conceptus aquarum inertium*

ertium vastos, pares nostris, nec compressos quidem, terra supereminente, sed liberæ laxitatis. Et Lib. III. cap. XIX. *Magnam vim aquarum in subterrantis oculi*. *Habet ergo non tantum venas aquarum terra, ex quibus corrivatis flumina effici possunt; sed & amnes magnitudinis vastæ*.

Non dicit Scriptura mare superfusum terris inundatione in diluvio, sed ruptos fontes abyssi magnæ; id est erupisse magnas, & innumeras scaturigines e vasta & immani mole aquarum, quæ in terræ intraneis concavitatibus continetur. suppeditante tamen materiam etiam ipso mari, sed subterraneis venis & meatibus, quæ in superficie terræ erumperent; quasi dicat: Dirupta est terra in plurimos ubique oculos, scaturigines, fontes, qui magna vi aquas funderent.

· CATARACTAE CAELI. ארבת *arubboth*, *foramina*, *fenestras*, *speculas*, *cataractas* exponunt. Nubes sic vocat, & egregie Noster, *cataractas*, quod tanta vi & copia nubes imbres effunderent, ut non pluere, sed instar Nili ingentes torrentes e cælo præcipites deorsum ruere immani fragore viderentur. Latini quoque portas cataractas appellant, in arcibus, & fluviis, quæ attolli & dimitti possunt, vel ad hostes arcendos, vel emittendæ, vel retinendæ aquæ causa, ut tunc quasi sublatæ fuerint e cælis seu nubibus omnes portæ, cataractæ ad effundendum in terram omnem aquarum impetum.

V. 12. PLUVIA. גשם *geschem*, *pluviam grandem & fortem*, *largiorem*, *vehementiorem*, *densissimam*, *quæ terram attingat & quatiat*; quasi dicat, vehementer tractabilem, & palpabilem, quam venti spirantes, & flantes comitentur, significare aiunt. *Imbrem*, aut *nimbum* quidam exponunt.

Vers. 13. IN ARTICULO DIEI ILLIUS. Ex verbo varie exponunt: *in robore diei illius*; *in substantia diei ipsius*; *in corpore diei ipsius*; *in proprietate diei ipsius*: proprie, *in osse diei ipsius*, volunt intelligi os seu robur diei ipsum prope meridiem. Aliqui accipi volunt emphatice, pro *in ipso illomet die*. Vide infra cap. XVII. vers. 23. 26.

Vers. 14. UNIVERSAE AVES. צפור *tzippor* interdum est generale nomen ad aves (quidam eo nomine minutiores aves dici putant) ut patet Genes. XV. 10. ubi comprehendit turturem & columbam: aliquando vero est peculiare, certam speciem indicans, quam nos inverso vocabulo Hebræo *passerem* dicimus, ut Psal. LXXXIII. 4. Equidem Hispanice passeris voce universe minutiores aves, interdum certam speciem, quos *gorriones* dicimus, appellamus. VOLUCRES. כנף *canaph*, *ala*. Quidam id adiectum putant propter ea volucria quæ etsi plumas non habeant, habent tamen alas, seu membranas, quibus volant, ut vespertiliones. Alii vertunt: *Omnis avis*, & *omne alatum*. Nonnulli: *Omnis pluma*, *omnis ala*. Aliqui: *Omnis volucris*, *omne pennatum*. Quidam: *Omnes aves cuiuscumque alæ*; id est, quomodocumque alatæ sint, membranis, aut pennis.

V. 19. ET AQUAE PRAEVALUERUNT. Quidam: *Roboraverunt sese*, *fortificatæ sunt*, *prævaluerunt*; quasi dicat, sua copia & impetu omnia conturbaverunt in toto orbe, arbores eradicantes, fortissima ædificia disiicientes, & cuncta miscentes, ad diem usque decimum septimum mensis septimi, quo destitit arca fluitare: infra cap. VIII. vers. 3. & 4.

MENOCHII.

Vers. 2. SEPTENA ET SEPTENA. De speciebus mundis septem, non quatuordecim; de immundis duo, non quatuor, scilicet de illis quatuor masculos, & tres feminas, de his dumtaxat masculum, & feminam. De mundis par unum inductum est ad speciei conservationem, alterum ad sacrificium, tertium ad esum post diluvium: denique septimus mas pro sacrificio offerendo statim a diluvio, cap. VIII. 20.

V. 3. UT SALVETUR: ut cunctarum specierum seminarium supersit.

V. 4. ADHUC ENIM ET POST SEPTEM DIES. Hi septem dies supra præscripti temporis spatium additi, ut extrema saltem hac dierum hebdomada homines pœniteret, & moverentur exemplo Noe, qui verba non audierant. EGO PLUAM. Videtur habere emphasim; quasi dicat: Non siderum vi aliqua, aut ex causis naturalibus, sed absoluta mea potentia, & voluntate.

V. 9. DUO ET DUO, id est per paria, seu bina.

V. 11.

V. 11. Mense secundo, qui Hebraice dicitur Iiar, & fere respondet nostro maio, saltem quoad posteriorem sui partem. Rupti sunt, vi aquarum disrupti; vel operti sunt aquis ita exundantibus ut omnia repagula fracta viderentur. Omnes fontes abyssi magnae, omnes scaturigines abyssorum multarum: nam sub terra sunt multæ abyssi, id est voragines, & conceptacula aquarum. Vocantur autem una abyssus, quia aquæ illæ inter se per venas saltem aliquas communicant. Cataractae caeli apertae sunt. Sacra Sriptura dicit cælum aperiri quando pluit, claudi quando negat imbrem. Luc. iv. 25. *In diebus Eliæ quando clausum est cælum*. Sensus ergo est: a media regione aeris, quam cælum vocat, tanto impetu vis aquarum maxima in terras effusa est, ut aquæ quasi subductis cataractis in fluviorum morem descendere viderentur.

Vers. 13. Ingressus est, ultimate scilicet, & complete.

V. 14. Universae aves, omnesque volucres. Aves sunt quæ pennas habent, volucres quæ alas sive pennis instructas, sive ex membranis formatas, ut vespertilio.

V. 16. Inclusit eum Dominus deforis, extrinsecus ostium arcæ contra aquas, quod Noe arca inclusus facere non poterat: unde Hebræa habent: *Clausit Dominus pro eo*.

V. 19. Aquae praevaluerunt, ita ut domos, urbes, &c. obruerent, & solo sternerent.

V. 20. Quindecim cubitis, mensura idonea ut nec gigantes, nec ullum animal in vertice montium servari posset, utque vasta arcæ moles inoffensa in aquis fluitaret.

TIRINI.

Vers. 2. Ex omnibus animantibus mundis tolle septena et septena: nam ex mundis debebant plura adservari non solum ad speciei propagationem, sed etiam ad sacrificium, & ad esum post diluvium.

Nota, hinc patere, distinctionem mundorum animalium ab immundis non fuisse a Mose primum invectam, Levitici xi. sed fuisse etiam in lege naturæ, ab ipso verosimiliter Adamo, qui a Deo acceperat, filiis traditam, non tam ad esum (quia probabile est, saltem pios non edisse carnes ante diluvium) quam ad sacrificium. Ita S. Chrysost. Didymus, & alii.

Nota secundo, terrestrium animalium species ab Aria, Gesnero, & Ulysse Aldrovando enumerari 150. exceptis serpentibus, & reptilibus, quorum Pererius numerat species 25. Ergo universim fuissent in arca 175. species terrestrium: inter quæ tantum sunt sex species maiores equo, paucæ æquales, multæ minores ove, ut facile potuerint omnia in uno arcæ tabulato stabulare. Amphibia, & quæ ex putrefactione, & hybrides, id est quæ ex diversarum specierum commixtione gignuntur, non fuerunt in arca.

V. 11. Rupti sunt omnes fontes abyssi magnae, id est omnia ostia voraginis illius subterraneæ profundissimæ, & aquis initio mundi in ea a Deo reconditis *a* plenissimæ, unde & maria quædam, & flumina omnia, & fontes scaturiunt. Ita ex S. Hieron. Basilio, Damasceno, Philone, Platone, Plinio, S. Bernardo, Isidoro, S. Thoma docent Conimbricenses *b* & Franciscus Valesius *c*. Triplex hic designatur causa diluvii. Prima infera, nempe eruptio, & inundatio tum maris, tum abyssi, quæ non amplius coercita rivis, venis, alveis suis, ripas, littora, aggeres, aliaque obstacula omnia undique perrumpentia, obruebant totam terram. Cessante vero diluvio, aquis iterum in suas cavernas, & abyssum reductis, ibique reclusis, dicuntur cap. viii. vers. 2. *clausi fontes* huius *abyssi*. Secunda causa diluvii supera fuit: Et cataractae caeli apertae sunt. *Ianuas cæli* vocat David Psalmo lxxvii. Est catachresis, qua significatur, ex media regione aeris (qui cælum in Scripturis vocatur) tanto impetu, & fragore maximam aquarum vim in terras deiectam, ut totus aer per vastissimas scissuras quodammodo hiare videretur, & iam non guttatim aut stillatim, sed more torrentium flumina, & fluctus effundere. Ita S. Chrysost. Rupertus & alii. Tertia causa etiam supera fuit, duratio pluviæ, & imbrium per quadraginta continuos dies, Deo vapores, & aerem in aquas assidue convertente, vel etiam aliquas de novo producente: donec consumptis omnibus & hominibus, & animantibus

bus terrestribus, & volucribus, altius quindecim cubitis omnes montes, etiam Olympum, etiam Atlantem, aquæ transcenderent.

Petes an omnes homines ut corpore, ita & anima perierint in diluvio? Respondeo ex epistola I. S. Petri cap. III. ubi dicit, Christum a morte, cum anima ad inferos descenderet *prædicasse* (seu lætum redemptionis, & eductionis e limbo nuntium attulisse) etiam *his spiritibus qui increduli fuerant aliquando in diebus Noe, cum fabricaretur arca*; certum videri, resipuisse non paucos, qui irruente diluvio, & per quadraginta dies paulatim ingravescente, cum viderent iam factis ipsis impleri quæ Noe divino iussu prædixerat, animo ad Deum converso pœnituere serio, & veniam impetravere. Ita Lyranus, Caietanus, Sa, Serarius *d*, Bellarminus *e*, Turrianus *f*, Henriquez *g*, Suarez *h*, Torniellus, Salianus.

V. 16. INCLUSIT EUM DOMINUS DEFORIS. Hebraice, *clausit pro eo*; quasi dicat: Cum Noe arcæ inclusus non posset solide contra aquas obstruere ostium pensile, per quod tam ipse quam omnia animalia ingressa fuerant, Deus curavit per Angelum extrinsecus illud obstrui, & bitumine spargi.

(*a*) Genes. I. vers. 9.
(*b*) Conimb. tract. IX. in Meteora cap. IV.
(*c*) Vales. Sacræ Philosophiæ cap. LXIII.
(*d*) In I. Petr. III. vers. 28.
(*e*) Bellarmin. Lib. IV. de Christo cap. XIII.
(*f*) Turr. pro Epist. Pon. cap. XII.
(*g*) Henr. Lib. ult. cap. XIX.
(*h*) Suarez tom. II. in III. p. disp. XLIII. sect. I.

GORDONI.

Vers. I. DEscribitur hoc capite ingressus in arcam, & inundatio terram occupans. In qua re moram trahere, necesse non est. Cataractæ hic per catachresin sunt nubes, infra vers. II. Tempus inundationis descripsi in opere Chronologico Qq. cap. V. num. I. & notum est ex huius cap. VII. vers. II. Notet hic Novator, Noe vocari iustum.

V. 2. EX OMNIBUS ANIMANTIBUS MUNDIS, &c. Vide quæ dicentur Levit. cap. XI. & Deut. cap. XII. vers. 15. de duplici hoc genere animalium, quæ ibi Moses distinxit, ut sic Deus in exercitio divinarum legum populum excoleret.

Sed vocabantur ne hoc tempore, & ante Mosen animalia munda? Fuisse quidem etiam in lege naturæ hanc distinctionem, opinatur recte Chrysostomus, quem hic sequitur Pererius; sed ex consuetudine iam: postea ex lege.

At quorsum SEPTENA ET SEPTENA? Hoc est, quatuordecim ex mundis, & quatuor ex immundis, ut aliqui exponunt. Verum non potuisset tantum capere numerum arca. Rectius sic: septem ex qualibet specie mundorum; quatuor mascula, & tres feminas: nempe ex his par unum ad speciem propagandam; reliqua quinque ad esum, & sacrificium offerendum a Noe post diluvium. Similiter ex immundis duo & duo; ad speciem propagandam scilicet, duo ex quavis specie. Rem magis explicat vers. 8. & 9. pauciora sunt immunda, quia tantum ad speciem servabantur. Vide August. Lib. XV. de Civit. cap. XXVII.

V. 4. OMNEM SUBSTANTIAM, scilicet viventem, & quæ stare potest, seu in pedes erigi. Hunc significatum dat vox יקום *iekum*, a radice קום *kum*. Idem apud LXX. signat ἀνάστημα: & hoc ipsum docet Moses hic vers. 21.

V. 7. Tantum octo animæ ingressæ. I. Pet. III. vers. 20. Nam Mathusalem paulo ante diluvium obiit. Enochum vero Deus qui eum transtulit, potuit alibi servare.

V. 8. Non erant ubique omnia animalia: quomodo ergo adducta ex insulis (ubi tantum sunt aliqua) & ex altero orbe? Sane hoc opus Dei erat, ac proinde putandum est opera Angelorum pleraque fuisse asportata, & forte etiam reportata. De Phœnice dicam cum Plinio Lib. X. cap. II. esse imaginariam avem.

V. 9. DUO ET DUO; bina seu per paria.

Moveri solet quæstio de vulture, & quibusdam aliis animalibus, quod omnia sint feminæ, & quod ex vento imprægnentur. Sed fabulosum est hoc. Et finge in his tantum esse unicum sexum, certe servatum est præceptum, quantum naturæ rerum patiebantur. Hippocentauri, si aliqui fuerunt, censentur monstra. Faunos, & Satyros recipiunt aliqui esse certæ speciei, & fuisse in arca.

V. II. MENSE SECUNDO. Hic Hebræorum mensis secundus זיו *ziu* respondet nostro Maio ex parte. CATARACTAE CAELI. Fingunt aliqui cum Eugubino,

perforatis cælis a Deo, descendisse aquas quæ supra cælos erant. Dicendum est cataractas esse nubes; his ruptis, & rarefactis aquis, sequuta est inundatio. RUPTI FONTES. De his fontibus aliqui hic prolixe satis philosophantur. Illud sane hinc habemus, etiam e visceribus terræ, ubi latet aquarum copia, voluisse Deum erumpere aquas ad augendum diluvium, præter cæli cataractas, seu (ut hic interpretor) nubes resolutas in aquas magno fragore, ut solet esse ad cataractas Nili, aut cum decurrit e montibus aqua ingens. Ergo metaphora est. Nec difficile fuit Deo, ut e variis mundi locis accerseretur hæc pluviæ materia.

V. 13. IN ARTICULO DIEI ILLIUS. Heb. *In corpore diei illius.*

V. 17. Dies intellige naturales. Sept. *Et noctibus.*

V. 20. QUINDECIM CUBITIS. Nihil ergo ne quidem in vertice montium servari potuit.

V. 24. Permanserunt aquæ 150. diebus. De hoc spatio, & quot mensibus, & diebus duraverit diluvium, dicunt recentiores & certant Scaliger, noster Salianus, Torniellus, & alii. Ego rem attingo cap. VIII.

CAPUT VIII.

Imminutis paulatim aquis diluvii, post corvi, ac columbæ emissionem, Noe cum universis qui in arca continebantur, egreditur; & altari extructo, offert holocausta.

1 RECORDATUS autem Deus Noe, cunctorumque animantium, &
omnium iumentorum quæ erant cum eo in arca, adduxit spiritum super terram, & imminutæ sunt aquæ. 2. Et clausi sunt
fontes abyssi, & cataractæ cæli, & prohibitæ sunt pluviæ de
cælo. 3. Reversæque sunt aquæ de terra euntes & redeuntes;
& cœperunt minui post centum quinquaginta dies. 4. Requie-
vitque arca mense septimo, vigesimo septimo die mensis, super montes Arme-
niæ. 5. At vero aquæ ibant, & decrescebant usque ad decimum mensem: deci-
mo enim mense, prima die mensis, apparuerunt cacumina montium. 6. Cum-
que transissent quadraginta dies, aperiens Noe fenestram arcæ, quam fecerat,
dimisit corvum: 7. * qui egrediebatur, & non revertebatur, donec siccaren-
tur aquæ super terram. 8. Emisit quoque columbam post eum, ut videret si
iam cessassent aquæ super faciem terræ. 9. Quæ cum non invenisset ubi requie-
sceret pes eius, reversa est ad eum in arcam: aquæ enim erant super univer-
sam terram: extenditque manum, & apprehensam intulit in arcam. 10. Expe-
ctatis autem ultra septem diebus aliis, rursum dimisit columbam ex arca. 11.
At illa venit ad eum ad vesperam, portans ramum olivæ virentibus foliis in
ore suo. Intellexit ergo Noe quod cessassent aquæ super terram; 12. expecta-
vitque nihilominus septem alios dies, & emisit columbam, quæ non est reversa
ultra ad eum. 13. Igitur sexcentesimo primo anno, primo mense, prima die
mensis, imminutæ sunt aquæ super terram: & aperiens Noe tectum arcæ, aspe-
xit, viditque quod exsiccata esset superficies terræ. 14. Mense secundo, septimo
& vigesimo die mensis, arefacta est terra. 15. Locutus est autem Deus ad
Noe, dicens: 16. Egredere de arca tu, & uxor tua, filii tui, & uxores fi-
liorum tuorum tecum. 17. Cuncta animantia quæ sunt apud te, ex omni car-
ne, tam in volatilibus quam in bestiis, & universis reptilibus quæ reptant su-

per

per terram, educ tecum, & ingredimini super terram: (a) crescite, & multiplicamini super eam. 18. Egressus est ergo Noe, & filii eius, uxor illius, & uxores filiorum eius cum eo. 19. Sed & omnia animantia, iumenta, & reptilia quæ reptant super terram, secundum genus suum, egressa sunt de arca. 20. Ædificavit autem Noe altare Domino: & tollens de cunctis pecoribus, & volucribus mundis, obtulit holocaustum super altare. 21. Odoratusque est Dominus odorem suavitatis, * & ait: Nequaquam ultra maledicam terræ propter homines: (b) sensus enim, & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua: non igitur ultra percutiam * omnem animam viventem sicut feci. 22. Cunctis diebus terræ, sementis, & messis, frigus, & æstus, æstas, & hiems, nox, & dies, non requiescent.

(a) Sup. 1. 28. Inf. ix. 1. (b) Sup. vi. 5. Matth. xv. 19.

BURGENSIS

Romanae Correctiones.

Vers. 7. *Qui egrediebatur, & non revertebatur.* Non iudicarunt Romani Correctores omittendam negationem, forte ob rationes Notationibus nostris in varias Bibliorum lectiones indicatas. *

Vers. 21. *Et ait: Nequaquam.* Non interponas *ad eum.*

Ibid. Omnem animam viventem. Non deleas *τὸ viventem.*

Notatio.

Vers. 7. Magna est de loci istius lectione contentio. Hebræi namque libri habent: *Et emisit corvum, & exiit egrediendo, & redeundo, donec arescerent aquæ desuper terram.* Græci vero codices legunt: *Et emisit corvum ad videndum, si cessavit aqua, & egressus non est reversus usque siccari aquam a facie terræ.* Quæritur, utri sequendi sint, Hebræi an Græci codices: videntur enim inter se pugnare. Multi exclamare nihil dubitant, Hebræos libros, qui hodie sunt, Iudæorum perfidia vitiatos esse, Græcos autem integros; ideoque hos sequendos, illos minime. Verum quid Iudæos movisse potuerit ut hunc perverterent locum, ut corvum in arcam reversum dicerent, qui reversus non sit? An ulli Christianæ fidei mysterio sua hac corruptela illudere conati sunt? At dicet aliquis: Ut multis in locis Hebræus textus de industria corruptus est, (a) ita contigit hoc loco corrumpi. Quid? An non præterendi codices Græci, quos omnes sequuntur Patres? Sed hunc vicissim interrogatum volo, an reiiciendi codices Hebræi, quos nulli reiiciunt Patrum? Patres namque editionem LXX. Interpretum, qua tunc omnes utebantur, secuti, Hebræa aut non consuluerunt, aut consulta non reiecerunt. Hieronymus, qui in Dialogo contra Luciferianos (circa medium dialogi) iuxta Interpretes LXX. emissum de arca corvum dicit non rediisse, in Hebraicis Quæstionibus aliter in Hebræo de corvo dici notat. Procopius Gazæus, Græcus auctor, causis cur columba redierit expositis: „ Sic etiam, inquit, ut habet Hebraicus textus, & corvus in arcam revolavit. " An id semper præferendum est, quod LXX. transtulerunt, & translatione eorum Patres usi legerunt? Quod si sic, cur SS. Synodus Tridentina vulgatam Latinorum editionem, quæ ab illa innumeris locis discrepat, & Hebræo longe conformior est, sequendam omnibus proposuit? Sed hoc nos confodere telo existimant, quod & Latina editio, quæ a Catholica Ecclesia recepta est, de corvo legat: *Qui egrediebatur, & non revertebatur.* Quid dicant, si huius editionis exemplaria, quæ inter se putant consonare, qui qua oportuit diligentia ea scrutati non sunt, varia esse ostendantur? Exemplaria S. Germani latum, & oblongum, S. Dionysii oblongum, & Complutense cum Regio, *Qui egrediebatur & revertebatur*, sine negatione legunt. At forte ad Hebræos codices hæc exemplaria mutata sunt? Minime vero. Est nobis a M. N. Augustino Hunnæo antiquum Bibliorum correctorium mutuo datum, multis annis scriptum, & pluribus forte compositum, quod & ad hunc modum legit, & hanc antiquorum codicum lectionem esse asserit. Verba eius adscribemus: „ Item „ 6. *Dimisit corvum, qui egrediebatur & revertebatur, donec siccarentur aquæ super terram,* „ Cer-

(a) Melchior Canus Lib. II. cap. xvi. multa congessit Patrum loca.

„ Certissime tene, quod nec Hebræi, sicut „ dicit Hieronymus, nec antiqui Latini (co„ dices) habent *non*; sed est sensus, quod ibat „ & redibat extra arcam circuiendo, & pro„ pter hoc utitur Interpres præterito, non „ perfecto, sed imperfecto: licet Græcus ha„ beat, puto de LXX. Sed sequendi sunt He„ bræi, & antiqui, & Hieronymus. " Hæc ibi. Ad quæ quid dici possit? An quod libro fidendum non sit? Non hoc dicet qui evolverit: quæ namque a nostri sæculi scriptoribus ex manuscriptis codicibus collectæ sunt variæ lectiones, omnes propemodum in eo comperimus, & ad fontes fideliter examinatos deprehendimus. Neque dici potest, eius libri auctorem ex iis esse qui ad Hebræos codices Latinos mutare student: non semel enim Hebræos sui temporis corruptos asserit, & sequendos Latinos antiquos docet, eosque qui ad Hebræa Latina mutarunt exemplaria arguit. Hæc sit libri, qui sæpe a nobis citandus erit, descriptio. In vetustissimo codice Abbatiæ Tosanæ iuxta Brugas legi vidimus, *Et non revertebatur*; sed recentiori manu scriptas voculas *&* *non*, ita ut altera omnino omissa ab initio fuisse videatur, vel *&*, vel *non*. In margine annotatum erat: „ Hieronymus, *Qui egrediebatur & revertebatur*. " Porro quod dicit Hunnæi correctorium, atque huius codicis margo, ab Hieronymo negationem non legi, verosimile est ex Hebraicis super Genesin Quæstionibus sumptum: atque hinc colligere licet, locum illum aliquando absque negatione lectum, quam & ipsa Hieronymi verba reiiciunt, quamvis in eis quæ a nobis consulta sunt, Hieronymi exemplaribus legatur. Similis est corruptela in Frobeniana Iosephi Historiographi editione Latina. Nam & Iosephi verbis ibi addita est negatio: „ Qui (de corvo est sermo) cuncta re„ periens inundantia, non regressus est ad „ Noe. " Omittendam negationem, & proxime præcedens ratio loquitur, & aliæ editiones cum Græcis exemplaribus testantur. Sic enim habet Iosephus: *ὁ δὲ πᾶσαν εὑρὼν ἔτι λιμαζομένην, πρὸς νῶχον ἐπάνηλθε*. Onkelos, qui paulo post Christi tempora Chaldaica paraphrasi Pentateuchum illustravit, sine negatione reddidit: *Et misit corvum, & exivit exiens & revertens, donec siccarentur aquæ desuper terram*. Atque his ostensum sit, falsitatis non esse arguendos Hebræos codices; & inter varia Latinæ editionis exemplaria, nec ea contemnenda quæ negationem Græcis conformiter legunt, nec illa reiicienda quæ Hebræis similiter tollunt. Neque vero hæc, si recte intelligantur, inter se pugnant: corvus enim dimissus in arcam reversus non est, sed ad arcæ tectum regressus, inde ad escam evolavit, eoque rediit, donec siccarentur aquæ super terram. Fortassis enim avis illa dimissa vidit hominum aut brutorum cadavera, præsertim cum montium revelata essent cacumina, atque ad ea, uti est immunda, invento sibi congruo cibo, perrexit, & rediit. Columba vero, cui extra arcam non fuit esca conveniens (cadavera namque abominatur, & non nisi seminibus pascitur) in arcam redire voluit, extenditque manum suam Noe, & apprehensam intulit in arcam. Aliud enim de corvo, aliud de columba Moysis narratio insinuat. Quod forte Interpretes LXX. considerantes ad eum modum quo dictum est transtulerunt.

COMMENTARIA

SA.

Verf. 1. SPIRITUM, id est ventum, scilicet desiccantem.

V. 3. EUNTES ET REDEUNTES, pro, eundo redeuntes, seu subinde decrescentes: itaque infra dicitur: *Ibant, & decrescebant*. *Redeuntes*, scilicet ad mare per occultas venas. Hieron. in Genes.

V. 4. VIGESIMO SEPTIMO. Sic LXX. at Hebr. & Chald. *decimo septimo*.

V. 7. EGREDIEBATUR, ET NON REVERTEBATUR, scilicet in arcam. Hebr. *ibat, & redibat*, scilicet ultro citroque volitans circa arcam. Nota, quod nostra lectio ex LXX. sumpta est.

V. 8. CESSASSENT; id est, essent imminutæ.

V. 13. PRIMO, scilicet Nisan, qui respondet Martio. IMMINUTAE, id est exsiccatæ.

V. 21. ODORATUS EST DOMINUS ODOREM SUAVITATIS; id est, acceptavit tamquam rem suavem. Chald. *Suscepit Dominus cum beneplacito*.

V. 22. CUNCTIS DIEBUS TERRAE, pro, quamdiu terra erit. REQUIESCENT, id est cessabunt, scilicet ut tempore diluvii.

ESTII.

ESTII.

Vers. 3. REVERSAEQUE SUNT AQUAE DE TERRA EUNTES ET REDEUNTES. Hieron. in Trad. *Nota*, inquit, *secundum Ecclesiasten*, *quod omnes aquae*, *atque torrentes per occultas venas ad matricem abyssum revertantur*. Abyssum intelligit mare. Sic enim Ecclesiastes loquitur cap. IV. *Omnia flumina intrant in mare*. Verum cum & ipsum mare exundaverit (alioqui aqua super terram tam alta non constitisset) forte significatur tantum, aquas paulatim imminutas, sicut & nunc aquas quae pratum aliquod inundarunt, abire dicimus non abscessu in aliquam fossam, sed saepe etiam sola desiccatione, quae fit a calore solis & aeris.

V. 4. REQUIEVITQUE ARCA SUPER MONTES ARMENIAE. Hebraice est *Ararath*, quod nomen habetur & Isaiae XXXVII. ubi dicuntur filii Sennacherib, occiso patre, fugisse in terram *Ararath*. Item Ieremiae LI. His enim locis Interpres noster retinuit vocem Hebraeam. Sed IV. Reg. XIX. ubi eadem quae apud Isaiam historia narratur, vertit *in terram Armeniorum*. Alioqui videri posset Armeniam potius significari voce Hebraea *Aram*, quam Interpretes nostri fere intelligunt, & interpretantur *Mesopotamiam*. Interim Armenia Mesopotamiae confinis est.

V. 7. DIMISIT CORVUM, QUI EGREDIEBATUR, ET NON REVERTEBATUR. *Non rediit*, ait Sulpitius Lib. I. sacrae Historiae, *cadaveribus intentus*, *ut ego coniicio*. Et Prudentius in Ench. *Corvus enim ingluvie per foeda cadavera captus*, *haeserat*. Sciendum tamen, in Hebraeis, quae nundum extant, non esse negationem, sed legi hoc modo: *Qui egrediebatur exiens*, *&* *revertebatur*, *donec siccarentur aquae*. Quomodo etiam habent quaedam Latina manuscripta, teste Lyrano. Et sic legit Hieron. in Lib. Quaest. Heb. Id autem exponunt sic: *Egrediebatur exiens*, *&* *revertens*; id est, egressus ultro citroque volitabat circum arcam. Septuaginta tamen habent negationem, ut nos. Hieron. quoque in Dialog. cont. Lucif. addit negationem, si codex non est mendosus. Vide de hoc prolixe F. Lucam in Notationibus.

V. 17. CRESCITE, ET MULTIPLICAMINI. Hoc communiter hic dicitur hominibus & bestiis. Quod quorsum annotemus, vide supra ad cap. I. vers. 22.

V. 21. ODORATUSQUE EST DOMINUS ODOREM SUAVITATIS. Sensus est: gratum & acceptum fuit Deo sacrificium. Unde constat, sacrificia quae fiebant ex animalibus occisis, non fuisse inventa daemonum, aut idololatrarum, sed vel inventa piorum hominum, vel a Deo instituta, ac piis hominibus ad placandum Deum praescripta. Nam & Abel ipse huiusmodi sacrificium obtulit, ante quem sane non fuit idololatria; immo sunt qui putent, ante diluvium idololatriam non extitisse.

MARIANAE.

Vers. I. RECORDATUS AUTEM DEUS. Pleraque ex humano more ponuntur, ut recordari, poenitere, dolere, ad significandum, non internos affectus, qui in Deum non cadunt, sed opera externa, quae faciunt homines iis incitati affectibus. Ergo *recordatus est Deus*, perinde est ac si diceret, opem tulit. ADDUXIT SPIRITUM, ventum scilicet siccantem.

V. 3. EUNTES, ET REDEUNTES, aquae scilicet. Hebr. *eundo & redeundo*, id est fluctuantes.

V. 4. VIGESIMO SEPTIMO DIE MENSIS. Sic LXX. qui cap. superiori vers. II. dixerant, die 27. mensis secundi coepisse diluvium, hic coacti sunt dicere 27. mensis septimi, ut constaret numerus 150. dierum, quibus aquae tenuerunt. Hebr. tamen, & Chald. ponitur utrobique *septimodecimo die*. Atque ita legatur. Porro mensis septimus Nisan est Martio, aut Aprili respondens. SUPER MONTES ARMENIAE. Hebr. *Ararat*: quam vocem Sept. intactam reliquere. Chald. *Super montes Cardu*. Vox nihilo notior. Cordaei seu Gordiaei montes in Q. Curtio sunt Lib. IV.

V. 5. DECIMO ENIM MENSE, PRIMA DIE MENSIS. In Hebr. *In decimo in una mensis*. Ita loquitur vers. 13. *In primo in una mensis imminutae sunt aquae*. Ubi vides duo, nempe *unum* pro *primo* dici ab Hebraeis, deinde *mensis* nomen saepe supplendum: quomodo Ezechielis initio: *Et factum est in trigesimo anno*, *in quarto*, *in quinta mensis*, nempe *in quarto mense*: quod ver-

verbum Gotthicus codex habet expressum, expressere LXX. ibi in Ezech.

Vers. 7. QUI EGREDIEBATUR, ET NON REVERTEBATUR. Sic Codices plerique Latini, & Romani. Codices Complutenses, Regii, & Gotthici antiquissimi sine negatione. Hebraici etiam variabant: nam cum modo affirmative legant, *Et abiit eundo, & revertendo*; Hieron. in Trad. legi ait, *Eundo, & non revertendo*. Sept. constanter legunt, *Qui exiens non est reversus*. Fortassis sententia non discrepat in varia lectione: nam ita corvus egressus est eundo, & revertendo (sic Hebraica verba sonant) ut volitaret circum arcam, neque intro ingrederetur, neque se capi permitteret, ut columba.

V. 8. EMISIT QUOQUE COLUMBAM POST EUM, scilicet post corvum: sic Sept. at Hebraice, *Emisit columbam a se*: sic Pagn. & alii vertunt vocem מאתו *Meitho*.

V. 11. RAMUM OLIVAE VIRENTIBUS FOLIIS. Sept. *Folium olivæ festucam in ore suo*. Vox טרף *taraph* Hebraica variis interpretationibus occasionem dedit: cum enim id verbum *rapere* significet, hoc loco positum plerique credunt esse nomen adiectivum, & significare *raptum*, locumque reddunt in hunc modum: *Folium olivæ raptum ore suo*. At Sept. eam vocem sumpsere in significatione *rami*, seu *festucæ*, & fortassis id significat; indeque Hispanis *Atarpha*, quod solis ramis constet, sine ullo fructu. Latine ea arbor myrica est. At Hieron. eam vocem sumpsit in significatione *folii*, quod certe mutatis punctis significat, tum vocem עלה *haleh* sumpsit pro ramo; ac si diceret, *ramum olivæ cum foliis*, quæ occasio extitit addendi de suo *virentibus*: nam cum siccantur, utique decidunt.

V. 13. PRIMO MENSE. Hic erat Tisri, Octobri fere respondens, non Nisan, qui nondum erat initium anni. EXSICCATA ESSET SUPERFICIES TERRAE. Non prorsus exsiccata erat, id enim proximo mense accidit; sed concreta in lutum, ut Hebræus quidam explicat.

V. 14. MENSE SECUNDO, SEPTIMO ET VIGESIMO DIE MENSIS. Vides diluvii durationem, & Noe in arca fuisse annum integrum & undecim dies: ex quanto tempore, scilicet undecim diebus, annus solaris lunarem superat. Mansit ergo intra arcam integrum annum solarem. Iuxta Septuaginta, decem aut undecim minus diebus. In Seder Holam magis minuta dierum horum & mensium computatio extat cap. IV.

V. 21. ODORATUSQUE EST DOMINUS ODOREM SUAVITATIS. Hebraice *odorem quietis*, quod Deum ab iracundia quiescere faciat. Accepit libenti animo. ET AIT. Vox Hebraica לבו *libo* ambigua est. Potest significare *ad cor eius*, nempe Noe: hoc secutus est Hieron. cum dixit: *Et ait ad eum*, nempe ad Noe. Potest etiam significare *ad cor suum*, nempe Dei; ac si dicat, statuit penes se. Hoc secuti Sept. posuerunt: *Et ait Dominus Deus recogitans*. Et Chaldæus: *Et dixit Dominus in verbo suo*. PROPTER HOMINES. Propter hominum peccata non maledicam terræ: sic Chald. SENSUS ENIM, ET COGITATIO, יצר est proprie *formatio*, atque hoc nomine Hebræi vocant peccati fomitem. HUMANI CORDIS. Hebr. *cordis hominis*. Sept. & Gotthicus, *cogitatio hominis* nude dixere; sed eodem omnia redeunt.

Deucalionis & Pirrhæ inundatio mutatis nominibus Noemi diluvium est; quando Plutar. in disputatione, *Terrestria animalia prudentiora, an aquatica sint*, testatur proditum, Deucalionem per columbam didicisse tempestatem cum remearet, cessationem cum evolaret. Tum Cyrillus Lib. I. contra Iulianum ex Abydeno, & Alexandro Polyhistore affert, Xisuthrum Dei monitu in arcam se cum animalibus, & avibus recepisse, atque inundationem cessasse emissis volucribus didicisse. Erant etiam qui uxorem Noe Pyrrham vocarent, auctor Epiphan. Hæresi 26. Plinius quin etiam Lib. V. capite XIII. & Lucianus in Dea Syria, Diodorus Lib. VI. cap. XI. XIII. XVI. de hac terrarum inundatione non obscure meminerunt.

V. 22. CUNCTIS DIEBUS TERRAE; id est, quamdiu mundus stabit.

MALVENDAE.

Vers. 1. RECORDATUS EST AUTEM DEUS NOE; id est, pro eo quod mundi oblitus esse, aut curam abiecisse illius videbatur, statuit hoc demum tempore præstare promissionem factam ex fœdere, supra cap. VI. vers. 18. ut Noach & reliqui intelligerent, ipsum suorum non obli-

oblivisci. Sic infra IX. verf. 15. & Exodi VI. verf. 4. & alibi passim.

V.3. EUNTES ET REDEUNTES. Heb. infinitiva, *ambulare*, *& reverti*; seu *ambulando*, *& revertendo*. Sic Hispanice loquimur, per infinitiva pro gerundiis, & passim Latini Scriptores elegantiæ causa pro præteritis. Livius Lib. I. cap. XL. *Primo uterque vociferari*, *& certatim alter alteri obstrepere*: & ita frequentissime alias. Quasi dicat: Huc illuc fluctuantes, & dilabentes cœperunt decrescere & imminui.

Verf. 4. VIGESIMO SEPTIMO DIE. Constanter Hebræa habent, *decimo septimo die*. Ingens hic pugna certantium pro Nostro, aliis contra nitentibus. Nos abstinebimus, lectoribus ad Expositores amandatis. Tantum notabimus, Hebraicam hic lectionem cum verf. 11. & 24. præcedentis capitis congruere. MONTES ARMENIAE. אררט *ararat*, Cedrenus pag. 8. *Montes Ararat scimus in Parthia Armeniæ esse: quidam aiunt apud Cælonas Phrygiæ oppidum*. Aiunt montem esse maioris Armeniæ caspio mari iunctæ, quæ imminet Assyriæ & Mesopotamiæ, ut colligi potest ex II. Reg. XIX. verf. 37. Isaiæ XXXVII. 38. & Ierem. LI. 27. quibus tantum locis hæc vox occurrit. Armeniam quidem dictam post modum Aram ab Aram filio Sem, Genes. X. 22. docent nonnulli. Et si etymolgiam spectaverimus, a situs altitudine nomen habere videtur: nam omnium in toto orbe terrarum Armeniam celsissimam esse, vel hoc Scripturæ testimonio evinci potest, quod hic Moses testetur in montanis Ararat, quæ pars eius existit, exacto diluvio, arcam Noe consedisse.

De loco ubi arca consedit hæc scribit Iosephus Lib. I. Antiquitatum, cap. IV. *Apobaterion*, *id est*, *egressorium loco nomen Armeni fecerunt*. *Huius autem diluvii*, *& arcæ meminerunt omnes barbaricæ historiæ scriptores*; *& in his Berosus Chaldæus*: *narrans enim de hoc diluvio sic ferme scribit*: *Fertur autem navigii huius pars in Armenia apud montem Cordyæorum superesse*; *& quosdam bitumen inde abrasum secum reportare*, *quo vice amuleti loci eius homines uti solent*. *Meminit horum & Hieronymus Ægyptius*, *qui antiquitates Phœnicum scripsit*, *& Mnaseas*, *& alii plures*. *Quin & Nicolaus Damascenus Lib. XCVI. de his rebus narrat in hæc verba*: *Est super regionem Myniarum magnus mons in Armenia*, *nomine Baris*, *in quo multos profugos diluvii tempore servatos ferunt*: *& quemdam arca vectum in huius vertice hæsisse*, *ac reliquias lignorum eius longo tempore duravisse*: *qui fortasse is fuit*, *de quo etiam Moses scribit Iudæorum legislator*. Eadem Eusebius, & S. Hieronymus in locis Hebraicis. S. Epiphanius initio operis sui: *Post diluvium*, *cum consedisset arca Noe in montibus Ararat*, *inter Armenios & Cardyæos*, *nempe in monte quodam Lubar vocato*; *ibi primum habitatio hominum post diluvium fieri cœpta est*.

Quem Berosus vocat montem *Cordyæorum*, & Epiphanius *Cardyæorum*, S. Hieronymus, *Carduenorum*. Ptolemæus appellat *Gordiæum* montem Armeniæ maioris, supra Mynith. vel Myniada; & Curtius Lib. IV. rerum Alexandri, *Gordyaos* montes, inter quos & Tigrim exercitus Alexandri erat. *Gordene* Armeniæ maioris regio Ptolemæo, quæ Straboni & Plutarcho in Lucullo, est *Gordyæna*, Dioni Cassio, *Corduena*, quæ est circa Hircanum mare, Adiabenis connexa, *Corduchi* dicta, teste Plinio. Xenophon & Stephanus *Corduchos* vocant; & Diodorus Siculus *Corduchos* montes inter Mediam & Armeniam collocat.

Quod ad nomen *Lubar* attinet, quod ait S. Epiphanius esse montis, in quo arca Noe consedit, Ioannes Tzetzes annotat, & Chaldæis & Armenis Lubar dici montem illum Armeniæ, ubi Noe vitium culturam instituit. Nimbarum quidam hodieque appellant. Nec desunt qui observent, Lubar, sive Lubaris nomen a situ, forte etiam ab eventu huius historiæ fuisse impositum: nam Lubar sive Lubaris sermone Armenio atque AEgyptio esse ἀποβάτηριον, sive ἀποβατήριον, ut loquitur Iosephus, id est locum editissimum, ex quo descenditur, ex verbo labar, id est descendere: unde labra AEgyptiis dicitur tota parœcia quæ uni synagogæ subest, inquit Epiphanius adversus Arianos; & lubra synagoga loco editiore sita: atque exinde Lubratenu, vel Lubratenum ad synagogam AEgyptiorum pertinentes, quæ synagoga Libertinorum dicitur Actorum VI. 10. Hinc quoque nomen labarum signum pensile, quod præferebatur regibus & imperatoribus ex Armeniorum, & Persarum usu, dictum existimant; quia exemptile erat, & de conto suo, ut ita dicamus, descendebat, amovebaturque commode. Sed

de

de labaro Lib. IX. de Antichristo, cap XXVII. nos plura. Obiter quoque emendant in verbis Nicolai Damasceni apud Iosephum, lubaris, pro Baris, ex Epiphanio. Ita quidem illi; quamvis alii Barim, Paropamisum Tauri partem putent. Barin montem Armeniæ memorat Plinius Lib. V. cap XXXI. Scaliger sic dictum opinatur ab arca Noe, quod prægrandes naves antiqui Barides appellarent. Vide ipsum in Notis ad Fragmenta Berosi. Sed de labaro sane nihil potuit fingi frigidius.

Beniamin Tudelensis in Itinerario, pag. 57. *Ex Nisibi duobus itineribus peractis in Ghezir-Ben-Ghamar venitur, quæ urbs intra ripas continetur Hidekel amnis, quem Occidentales Tigridem vocant, ad radices montium Ararat sive Tauri, quatuor milliaribus fere distans a loco in quo Noe arca quievérat. Illam autem arcam Ghamar-Ben-Achetab ex montis dorso sublatam, in Ismaelitarum Moscheæ usum translatam adaptavit: cui satis proxima Esdræ synagoga usque ad hodiernum diem est, ad quam Iudæi ex urbe egressi festis diebus precationis causa conveniunt.* Vide Haithonum Armenum de Tartaris, cap. IX.

Vers. 7. QUI EGREDIEBATUR, ET NON REVERTEBATUR. Magna hic altercatio eruditorum, quod negatio absit a fonte. Hebræa enim constanter ea carent. Latini codices Complutenses, & Gotthici, & alii eam non habent; sed frequentiores retinent: & hæc receptior Nostri lectio. Facile conciliant, corvum exeundo exivisse, & revertisse ad arcam, id quod Hebræa asserunt; sed non in arcam, quod Noster scripsit: & utrumque verum. Siquidem corvus volitabat circum arcam; intro tamen non ingrediebatur, nec se a Noe capi patiebatur, ut columba. Omitto alia. Quidam Hebræa exponunt: *Et exivit eundo, & recedendo*, vel *discedendo*, aut *avertendo se*. Nam verbum שוב *schob*, id quoque significat; & hoc esse Nostri, *Et non revertebatur:* nam recedere, seu discedere, vel averti est *non reverti*. Sed ii nesciunt vim Hebraismi: nam *schob* non significat recedere, nisi quando construitur cum præpositione מ *mem:* quæ tamen syntaxis hic non est. Alii: *Et exivit eundo & revertendo*; id est, ultro citroque volitabat, nec in arcam ad Noe redibat, nec se capi sinebat: qui sensus simplicissimus est. Lectio Hebræa melior. Nonnulli: *Qui indesinenter ibat & redibat*, ad arcam, quamvis ad Noachum in arcam minime. Notant, corvum præ alia volucri emissum a Noacho, quod cicuratus non facile obliviscatur stationis suæ, sed eam solet repetere. DONEC SICCARENTUR AQUAE. יבושת *ieboschcth* & formam infinitivi, & nominis infiniti habet, ut יכולת *iccoleth*, Numer. XIV. 16. *posse*, *vel potentia*. Hic possit reddi: *Donec siccitas, ariditas aquarum* fuit; vel *donec aridari, exsiccari aquas super terra*; quasi dicat: Corvus emissus exivit revera, & magna vi nisus est ultra volare, si alicubi posset consistere (id enim significat geminatio verbi, *exivit exire*) sed cum omnia reperisset vel aqua, vel cœno & uvore fluitantia, se in arcam recepit, nondum enim siccatæ fuerant aquæ.

V. 8. EMISIT COLUMBAM, die septimo, ex quo emissus fuerat corvus, ut colligitur ex vers. 10. Columbam autem emisit Noach, quia non leviter fallit fidem coniugii, sed mature studioseque ad nidum & communem domum revertitur. Hanc historiam Gentiles more suo inter fabulas deformarunt. Ovid. Lib. I. Metamorpho. Plutarchus de Solertia Animalium: *Sane qui fabulas narrant, ii columbam aiunt ex arca emissam Deucalioni certum indicium detulisse tempestatis, quum rursus ingrederetur; serenitatis, cum avolasset.*

V. 12. EXPECTAVITQUE NIHILOMINUS. Futurum verbi יחל *iachal* in Niphal, ייחל *iiachel*, volunt habere hanc vim, quasi *expectationem*, seu *moram tulit*, *sustinuit*, *moram fecit*, *sese continuit expectans*, *nisu & anxietate expectavit*. Notabis, quod eiusdem verbi futurum ponitur supra vers. 10. sed defectivum יחל *iachel*, pro ייחל *iiachel*, ut indicaret, tunc nondum fuisse tam anxiam & sollicitam expectationem seu moram, ut hic, ubi iam post tot expectationes & moras, vix moram patiebatur, & sibi maiorem vim inferebat expectando. Quidam Hebræorum volunt hic *iiachel* non esse ex Niphal, sed ex Hithpahel, quod maiorem vim habet. Nonnulli hic vertunt: *Et protractus, prolongatus, remoratus fuit*, maximo animi desiderio, anxietate, ægritudine, dolore, optans, & expectans, & veluti languescens mora & expectatione rei exoptatæ: conferunt enim cum חול *chol*, & חלל *chalal*, & חלה *chalah*, & אחל *achal*.

V. 13.

V. 13. TECTUM ARCAE. מכסה *miecseh*, Noster Exod. XXVI. 14. cap. X. 19. Num. IV. 11. *operimentum* dixit. Exod. XXXVI. 19. Num. IV. 25. *opertorium*, Exodi XXXVI. 19. *velamentum*, Num. IV. 25. *velamen*, hic *tectum*, aiunt esse operimentum, opertorium, operculum, tegmen, tectorium, tegumentum. Forsan erat in tecto arcæ aliquod velamentum ex pellibus, vel alia materia bene compacta, & adversus imbres durabili, quod foramen aliquod seu fenestram tecti arcæ operiret; quod facile potuit Noe amovere: nam totum tectum, quod erat longissimum, & ex crassissimis tabulis, clavis, & asseribus, bitumineque commissum & valide compactum, non puto potuisse revellere: nisi dicamus tectum totum non nisi unico cubito patuisse, e cap. VI. præcedenti, vers. 6.

V. 21. ODOREM SUAVITATIS. ניחוח *nichoach*, *quietis*, *recreationis*, *refrigerii*, *refocillationis*, *suavitatis*; id est gratus, & acceptus Deo, qui eum facit ab ira sua requiescere, quo Deus videtur quasi recreari, ac refocillari, & refrigerari. Græci εὐωδίας reddidere, id est *odorem suavitatis*, seu *bonæ fragrantiæ*; quod Paulus imitatus est Epes. V. 2. *Et tradidit semetipsum pro nobis oblationem & victimam Deo in odorem suavitatis*, seu *bonæ fragrantiæ*. II. Corinth. II. 15. *Christi bonus odor*, seu *bona fragrantia sumus Deo*. Philip. IV. 18. *Repletus sum, acceptis ab Epaphrodito, quæ misistis, odorem suavitatis*, vel *bonæ fragrantiæ*, *hostiam acceptam*, *placentem Deo*. Notant in nomine *nichoach* duplicari litteram radicalem ח *Cheth*, ad geminationem, & intensionem significatus, ut denotet magnam suavitatem, refocillationem, recreationem capere Deum ex eiusmodi odore holocausti. Loquitur de Deo more humano; ac si dixisset, gratum & placitum habuit Deus holocaustum Noe. ET AIT AD EUM. Heb. *Et dixit* IHVH ad לִבּוֹ *libbo*, quod potest verti, *ad cor suum*, & *ad cor eius*; & si *eius* non est reciprocum, potest referri ad cor Noe: eritque quod Vulgatus dixit, *ad eum*. ULTRA MALEDICAM. קלל *kalal* in Pihel, aiunt esse levifacere, levigare, levem facere, vilipendere, detrahere, male dicere, blasphemare; nec procul abludere ab ista significatione Latinam acceptionem illam verbi *elevare*, qua significatur verbis aliquid extenuare & deprimere. Noster per *male dicere* solet vertere: est proprie *alleviare*, *levem facere*, *levem reputare honore & existimatione*, *spernere*, *contemnere*, *execrari*, *despicere*. Quidam hic: *Non addam alleviare terram amplius*, scilicet hominibus & iumentis, quæ cum delentur, dicitur terra iis levari vel alleviari. Melius: *Non amplius terram levifaciam*, *vilipendam*, *despiciam*, *execrabor*: non mihi amplius terra erunt leves aut viles animæ. SENSUS ENIM ET COGITATIO HUMANI CORDIS IN MALUM PRONA SUNT, &c. Veraci & fida paraphrasi reddidit ista Hebræa: *quia formatio*, imaginatio, figmentum, intentio *cordis hominis malum*, &c. Vide cap. VI. vers. 5.

V. 22. CUNCTIS DIEBUS, &c. Sensum huius versus esse volunt, *cunctis diebus terræ*; id est, quamdiu terra erit in rerum natura, vel quamdiu durabit mundus hic corruptibilis, durabunt quoque vicissitudines tempestatum anni, ut erant ante diluvium; quasi dicat: Perpetuo mundus deinceps suum tenorem servabit, qui tempore diluvii interturbatus fuit.

MENOCHII.

Vers. 1. ADDUXIT SPIRITUM, ventum vehementem, pollentem vi ad disiiciendum, exsiccandumque, quem sacra Scriptura solet vocare urentem. Exod. XIV. 21. *Cumque extendisset Moyses manum super mare, abstulit illud Dominus flante vento vehementi, & urente tota nocte, & vertit in siccum*. Tribuitur ista potestas aquilonibus. Prov. XXV. 23. *Ventus Aquilo dissipat pluvias*.

V. 2. CLAUSI SUNT FONTES, desierunt erumpere, illi nimirum qui ad vindictam fuerant reclusi; non autem qui ad terræ irrigationem, & potum animalium desiderabantur. Sed cataractæ cæli omnes clausæ, ut cælum serenum esset.

V. 3. EUNTES ET REDEUNTES, fluctuantes, & huc illuc dilabentes, & ad subterraneam abyssum se recipientes. COEPERUNT MINUI: in fine centum & quinquaginta dierum adeo notanter imminutæ sunt, ut intuentibus palam esset illas decrescere, & deficere.

V. 4. REQUIEVIT ARCA: iam circa montium capita deficiente aqua, immota arca consedit. MENSE SEPTIMO, non

S ab

ab initio diluvii, sed anni, ut patet ex vers. 13. & seqq. huius capitis. MONTES ARMENIAE. Hebraice est, *Montes Ararat*, quod Chaldæus vertit, *Montes Cordu*, quos Iosephus, & Curtius *Cordiæos* vocant; & iuxta quorumdam sententiam, sunt pars montis Tauri.

V. 5. DECIMUM MENSEM, non a cœpto diluvio, sed a cœpto anno 600. vitæ Noe, ut patet cap. præc. vers. 11. & hic vers. 13. & 14. APPARUERUNT CACUMINA. Prius arca sedit in montibus suo pondere depressa, quam montium cacumina aquis decrescentibus existerent.

Vers. 7. EGREDIEBATUR, ET NON REVERTEBATUR. In Hebræo est: *Corvus egrediebatur, & revertebatur*. Sensus est, corvum reversum a cadaveribus ad arcæ culmen, non autem ad Noe, vel egrediebatur, & revertebatur ad loca, in quibus degere prius consueverat, iam liber revolans quo libuit. Aliqui ad verbum ex Hebræo: *Corvus egressus est egrediendo, & recedendo, donec siccarentur aquæ super terram*: & sententia est, egressum, & magis semper magisque recessisse, quod expressit noster Interpres cum dixit: *Et non revertebatur*; hoc est porro, semper recedendo pergebat. DONEC SICCARENTUR AQUAE. Non significatur siccatis aquis corvum reversum; sed est Scripturæ phrasis; sic Matth. 1. vers. ult. dicitur: *Non cognoscebat eam donec peperit*.

V. 9. UBI REQUIESCERET: quia omnia adhuc limo erant oblita. SUPER UNIVERSAM TERRAM. Extabant cacumina montium; campestria, & planities obrutæ erant aquis.

V. 11. AD VESPERAM: toto pasta die ad comparem in hospitium notum redit, nocturno frigori vitando. RAMUM. LXX. *folium*: rami surculum supremum tenuiorem, quem scilicet columba rostro potuerit defringere.

V. 13. IMMINUTAEQUE SUNT AQUAE, usque ad terram, ita ut terra sicca appareret. APERIENS NOE TECTUM, non totum, sed partem, tot tabulis remotis quot ad explorandum terræ statum erant necessariæ. Ex fenestra, quæ ad latus, non poterat, ut ex tecto, omnia late circumspicere.

V. 17. CRESCITE ET MULTIPLICAMINI: est benedictio, & proprie ad bruta dirigitur, nam de hominibus sequenti capite.

V. 19. SECUNDUM GENUS SUUM, secundum speciem suam; hoc est, quilibet masculus cum femella suæ speciei.

V. 20. AEDIFICAVIT AUTEM NOE ALTARE. Primum hoc est altare quod legitur in Scriptura; tamen dubium non est alia prius extitisse, ut illud in quo sacrificavit Abel, cap. IV. HOLOCAUSTA, ex septimo illo mundorum animalium cælibe, seu solitario masculo, de quo supra cap. VII. vers. 2.

V. 21. ODORATUSQUE EST DOMINUS. De Deo loquitur more humano, delectantur enim homines nidore assarum carnium. Sensus est, placuisse Domino sacrificium; itaque Chaldæus habet: *Suscepit Dominus cum beneplacito oblationem eius*. AIT AD EUM. Hebraice est: *Locutus est ad cor suum*, id est ad Noe, quem amabat quasi cor suum. Theodotio etiam vertit: *Dixit Dominus ad cor suum*, εἶπε κύριος πρὸς τὴν καρδίαν αὐτοῦ. Sic accipitur ab aliquibus illud Cant. v. 2. *Ego dormio, & cor meum vigilat*. Vel certe *locutus est ad cor eius*; hoc est, consolatus est Noe: hoc enim significat *loqui ad cor* in sacris Litteris, ut alibi dicetur. MALEDICAM, malefaciam terræ diluvio, ut iam feci. PROPTER HOMINES, propter peccata hominum. SENSUS, ET COGITATIO HUMANI CORDIS. Hebraice: *Figmentum humani cordis*, seu *formatio humani cordis, prona sunt ad malum*; id est, figulina cordis humani valde prona est ad malum, atque ideo humanæ infirmitatis miserebor. AB ADOLESCENTIA SUA: ex illa enim ætate (ait S. Ambros.) crescit malitia.

V. 22. CUNCTIS DIEBUS TERRAE, non quamdiu terra durabit (hæc enim stat in æternum) sed quamdiu in terra erit generatio, & corruptio, eruntque homines, & animalia, propter quæ hæc temporum varietas inducta est. NON REQUIESCENT, non desinent sibi mutuo succedere.

TIRINI.

Vers. 1. ADDUXIT DOMINUS SPIRITUM SUPER TERRAM. Non dicit, *spiritum suum*, vel *spiritum Dei*, ut Genes. 1. vers. 2. sed in genere *spiritum*, id est ventum, puta validum & urentem, qua-

qualem emisit cum aperuit mare rubrum filiis Israel, Exodi 14. qui una nocte tam vastum maris spatium vertit in siccum. Sed hic ventus non tam naturali, quam divina vi siccavit, & absumpsit aquas diluvii. Adde, magnam aquarum partem, ut inchoante diluvio de novo producta fuerat a Deo, sive ex aere, sive ex alia materia (ut facillimum est Deo quidvis in quodvis commutare) ita nunc cessante diluvio rursus in aerem, & primævam materiam conversam fuisse. Reliquæ rursus inclusæ & conclusæ in abysso sua subterranea, & littora posita mari, & ripæ fluviis, ne transiliant fines suos.

V. 13. SEXCENTESIMO PRIMO ANNO, scilicet vitæ Noe, usque eo IMMINUTAE SUNT AQUAE, ut appareret EXSICCATA SUPERFICIES TERRAE, id est nudata iam aquis. Quia tamen limosa adhuc erat, neque pedibus pervia, post alios demum 56. dies dicitur versu sequenti prorsus *arefacta*, & siccata; & Noe cum suis iussus *egredi*, *& super terram ingredi*. Nota. Diluvium cœpit anno sexcentesimo vitæ Noe, mensis secundi die septimodecimo *a*. Finitur vero cum egressu Noe ex arca anno eiusdem 601. mensis secundi die vigesimo septimo *b*. Ergo duravit annum integrum solarem *c*, lunarem vero annum integrum, & insuper decem dies.

V. 21. SENSUS, ET COGITATIO HUMANI CORDIS IN MALUM PRONA SUNT. Hebraice est: *figmentum cordis humani malum est*. Infert Lutherus & Calvinus: Ergo ipsa natura seu essentia hominis, puta ratio, & voluntas, mala est, neque aliud potest quam peccare. Sed quam inepte, nemo non videt. Nam ratio, & voluntas hominis, seu essentia, non est *figmentum cordis humani*, sed Dei ipsius. Figmentum vero, seu quod fingitur & producitur a corde humano, est *sensatio*, *& cogitatio*, ut Noster cum LXX. ex Rabbinis optime vertit. Quæ mala sunt non necessario, aut aliqua necessitate, sed libere, ex libero cordis seu voluntatis humanæ decreto, ut dixit supra cap. IV. vers. 7. Quia tamen cor, seu voluntas, etsi libera, pronior tamen in malum erat quam in bonum, & sæpius mala fingebat quam bona; hinc Noster bene vertit, *Prona in malum*.

(*a*) Cap. VII. Genes. vers. II.
(*b*) Hic vers. 14. & Chron. cap. XI.
(*c*) Chronici cap. IV. & V.

GORDONI.

Vers. 1. SPIRITUS ille super terram, ventus est exsiccans; sed quem Deus plusquam ordinario iuvabat concursu.

V. 3. EUNTES ET REDEUNTES: fluctuantes.

Vers. 4. VIGESIMO SEPTIMO DIE, &c. Ita Vulgata Editio, Septuag. & Patres legunt: nam aquæ manserunt in plena inundatione diebus 150. seu ab initio diluvii (ut alii putant, & loquuntur) usque ad diem 17. mensis septimi. Dandi autem sunt dies 10. ut sufficienter decrescerent, & ut quiesceret arca: quievit ergo die 27. Male quidem Caiet. & Lipom. dicunt textum Latinum esse corruptum. Potius immutatus est textus Heb. habens 17. & restituendus est, ut pro divisis vocibus עשר יום *bhawar iom*, decimo die, legendum sit unica voce עשרים *bheƿrim*, vigesimo die: & sic pro septimo decimo, erit septimus vigesimus. SUPER MONTES ARMENIAE. Heb. *Montes Ararat*. Eamdem vocem retinent LXX. Omnes Armeniam intelligunt cum Vulgato.

V. 5. USQUE AD DECIMUM MENSEM: non quidem, ut vult Caietanus, a cœpto diluvio; sed ab inchoato anno 600. vitæ Noe, ut aliqui colligunt Interpretes ex cap. VII. vers. II. & hic vers. 13. vel, ut alii, a die mundi creati, nempe qui volunt conditum fuisse in autumno, quomodo accipiunt mensem septimum vers. 4. De qua re suo loco.

Vers. 7. EGREDIEBATUR, ET NON REVERTEBATUR. Ita cum negatione Latinus codex vulgatus. Immo Hieronymus in Traditionibus ait, Hebræum etiam legi cum negatione. Et ita Septuaginta. Heb. nunc ושב *vaƿob*, redeundo. Varia certe est lectio. Et inepte Calvinus hic more suo reprehendit Latinum Codicem. Patres omnes legunt sub negatione. Vide Gordonum Huntlæum. controversia I. cap. XIX. Certe שוב *ƿub*, significat etiam non redire. Ac demum potius LXX. Viris credendum, quam Hebraico codici. DONEC SICCARENTUR: Hoc est, ante siccatam terram non est reversus. Vide Matth. cap. I. vers. ult. Ubi de hac particula *donec*.

V. 11. RAMUM OLIVAE. Heb. *folium olivæ raptum*. Noster Interpres geminum

ſenſum dedit, ponens ramum. Olea viret foliis ſemper. Plinius Lib. XVI. cap. xx.

V. 13. APERIENS TECTUM. Non ſufficiebat aperta feneſtra, quod tantum eſſet ad latus; ſed ex aperto tecto licebat omnia circumſpicere, & undequaque.

Duravit diluvium ſaltem annum unum, dies decem. Paucis ita ſe res habet. Ab initio diluvii ſeu quadraginta dierum pluviæ (Gen. VII. verſ. 11. & 12.) uſque ad areſactam terram, & egreſſum ex arca (Geneſ. VIII. verſ. 13. & 14.) eſt ſpatium anni ſolaris integri, & decem dierum.

40	Per hos dies 40. pluebat.
150	Per hos dies ſtat plenum diluvium.
129	His diebus minuuntur aquæ, poſt quos terra apparet, ſed lutoſa.
56	Per hos dies Noe perſeverat in arca, poſt quos terra arrida eſt.
375	

Hic dies ultimus, putatur a multis 27. menſis ſecundi, complens annum ſolarem, & decem dies ab initio diluvii; ut conſtat ex diebus hic enumeratis, & hunc numerum conficientibus. Habebant quidem Hebræi menſes lunares; ſed anno etiam utebantur ſolari per emboliſmum. Incipit ergo diluvium anno 600. vitæ Noe; finitur ad annum 601. & collecti numeri dant durationem diluvii per dies.

Alii numerant dies ab ingreſſu in arcam ante pluviam. In fine etiam dando varii ſunt. Nec porro ſine probabilitate, ut ſubiicio.

46	Ante diluvium.	Annus ſolaris tantum.
40	Pluviæ.	
150	Status Aquarum.	
129	Imminutionis dies.	
365	Sic quidem non redundant decem dies, & exit ſolaris annus ex menſibus lunaribus per emboliſmum.	

V. 17. CRESCITE. Hæc benedictio ad bruta refertur: nam de hominibus dicet cap. ſequenti.

Quæſtio non ignobilis eſt, qua ratione, exacto diluvio, pervenerunt ſive homines, ſive feræ ad inſulas, & novum orbem; præſertim cum poſt conditum mundum, nihil ſit a Deo creatum. Difficultatem diſcutit a Coſta Lib. I. de Novo Orbe, cap. XXI. Certe exiſtimandum eſt feras natando eo pervenire potuiſſe; ut de America, Americæ inſpector ſcribit idem auctor. Acceſſit ad hoc navigatio: ſic boves, canes, equos, & vaccas primi deportarunt in inſulas Cubam, Margaritam, & Dominicam, Hiſpani. Nec ſunt adhuc ibi leones, urſi, aut tigrides. Denique non ſatis exploratum eſt, an America verſus polum arcticum, & per Floridam ſit continenti coniuncta. Ac demum nec omnis fert omnia tellus; nec eſt neceſſe omnes ubique reperiri, aut eſſe feras.

V. 19. SECUNDUM GENUS SUUM; hoc eſt maſculus cum femella ſuæ ſpeciei.

V. 20. Nunc primum in Scriptura exprimitur altare; prius tamen fuiſſe, & tempore Abeli videtur certum.

V. 21. ODORATUSQUE EST DOMINUS ODOREM SUAVITATIS: accepit libenter. Heb. *odorem* quietis. Non eſt hoc Deucalionis diluvium, de quo ad an.2469. SENSUS, ET COGITATIO HUMANI CORDIS IN MALUM PRONA SUNT AB ADOLESCENTIA SUA. Ab hac quidem apparet clarius, & creſcit malitia.

Inepte Calvinus omnia hic invertit. יצר *ietſer*, in Hebræo habetur, hoc eſt, fictio, figmentum, cogitatio nempe cordis, a radice יצר finxit, formavit. Eſt ergo cor hominis, quod effingit ſibi cogitationes, & velut alter figulus figmenta dat ſua, ſeu imaginationes, & motus propenſiores in malum; non eſt ipſa natura hominis, & voluntas in ſe mala; ſed voluntatis illud, & cordis figmentum eſt malum. Imperite ergo Novator ille refert ad naturam quod eſt ſolius actus, aut propenſionis. Hinc Septuaginta vertunt ἔγκειται, incumbit cogitatio in mala. Et hunc habent ſenſum verba יצר לב האדם *ietſer leb haadam*, fictio, ſeu cogitatio cordis humani.

V. 22. CUNCTIS DIEBUS TERRAE; quamdiu ſcilicet in terra erunt homines.

CA-

CAPUT IX.

Deus Noe, ac filiis eius benedicit, cunctaque animantia una cum piscibus in cibum tribuit, prohibito tamen illis sanguine: fœdus inter Deum & homines de non inducendis amplius aquis diluvii, iride firmatur. Noe ebrium ridens filius Cham, in Chanaan filio maledicitur; Sem vero & Iapheth benedicuntur.

1 BEnedixitque Deus Noe, & filiis eius, & dixit ad eos: (*a*) Crescite, & multiplicamini, & replete terram. 2. Et terror vester ac tremor sit super cuncta animalia terræ, & super omnes volucres cæli, cum universis quæ moventur super terram: omnes pisces maris manui vestræ traditi sunt: 3. (*b*) & omne quod movetur, & vivit, erit vobis in cibum: quasi olera virentia tradidi vobis omnia; 4. (*c*) excepto quod carnem cum sanguine non comedetis. 5. Sanguinem enim animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum; & de manu hominis, * de manu viri, & fratris eius, requiram animam hominis. 6. Quicumque (*d*) effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius: (*e*) ad imaginem quippe Dei factus est homo. 7. (*f*) Vos autem crescite, & multiplicamini, & ingredimini super terram, & implete eam. 8. Hæc quoque dixit Deus ad Noe, & ad filios eius cum eo: 9. Ecce ego statuam pactum meum vobiscum, & cum semine vestro post vos: 10. & ad omnem animam viventem, quæ est vobiscum, tam in volucribus, quam in iumentis, & pecudibus terræ cunctis, quæ egressa sunt de arca, & universis bestiis terræ. 11. (*g*) Statuam pactum meum vobiscum, & nequaquam ultra interficietur omnis caro aquis diluvii, neque erit deinceps diluvium dissipans terram. 12. Dixitque Deus: Hoc signum fœderis quod do inter me & vos, & ad omnem animam viventem, quæ est vobiscum in generationes sempiternas: 13. arcum meum ponam in nubibus, & erit signum fœderis inter me & inter terram. 14. (*h*) Cumque obduxero nubibus cælum, apparebit arcus meus in nubibus; 15. & recordabor fęderis mei vobiscum, & cum omni anima vivente quæ carnem vegetat; & non erunt ultra aquæ diluvii ad delendum universam carnem. 16. * Eritque arcus in nubibus, & videbo illum, & recordabor fęderis sempiterni quod pactum est inter Deum & omnem animam viventem universæ carnis quæ est super terram. 17. Dixitque Deus ad Noe: Hoc erit signum fęderis quod constitui inter me & omnem carnem super terram. 18. Erant ergo filii Noe, qui egressi sunt de arca, Sem, Cham, & Iapheh: porro Cham ipse est pater Chanaan. 19. Tres isti filii sunt Noe; & ab his disseminatum est omne genus hominum super universam terram. 20. Cępitque Noe vir agricola exercere terram, & plantavit vineam. 21. Bibensque vinum * inebriatus est, & nudatus iacuit in tabernaculo suo. 22. Quod cum vidisset Cham pater Chanaan, verenda scilicet patris sui esse nudata, nuntiavit duobus fratribus suis foras. 23. At vero Sem, & Iapheth pallium imposuerunt humeris suis, & incedentes retrorsum, operuerunt

veren-

verenda patris sui ; faciesque eorum aversæ erant , & patris virilia non viderunt . 24. Evigilans autem Noe ex vino , cum didicisset quæ fecerat ei filius suus minor , 25. ait : * Maledictus Chanaan , servus servorum erit fratribus suis . 26. Dixitque : Benedictus Dominus Deus Sem , sit Chanaan servus eius . 27. Dilatet Deus Iapheth , & habitet in tabernaculis Sem , sitque Chanaan servus eius . 28. Vixit autem Noe post diluvium trecentis quinquaginta annis . 29. Et impleti sunt omnes dies eius nongentorum quinquaginta annorum : & mortuus est.

(*a*) Sup. I. 22. VIII. 17. (*b*) Sup. I. 29. (*c*) Ierem. XVII. 24. (*d*) Matth. XXVI. 52. (*e*) Apoc. XIII. 19. (*f*) Sup. I. 28. VIII. 17. (*g*) Isa. LIV. 9. Eccli. XLIII. 12.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 5. *De manu viri , & fratris eius.* Quidam codices repetunt τὸ *de manu* hoc modo: *De manu viri , & de manu fratris eius* : superflue.

V. 16. *Eritque arcus in nubibus.* Sixtina Biblia non addunt nomini *arcus* pronomen *meus*.

V. 21. *Inebriatus est , & nudatus.* Superfluit quod in quibusdam libris sequitur *iacuit*.

V. 25. *Maledictus Chanaan.* Redundat vox *puer*, quam interponunt quidam.

COMMENTARIA

SA.

Vers. 1. BENEDIXIT, scilicet dans fecunditatem.

V. 3. QUASI OLERA; quasi dicat, ut olim olera tradideram. Notat Tertull. Lib. de Cib. Iudaicis, concessum nunc carnis usum ad maiores vires propter culturam.

V. 4. CUM SANGUINE; id est, nisi effuso prius sanguine.

V. 5. SANGUINEM ENIM, &c. quasi dicat : Nec vero putetis licere hominem occidere : *sanguinem enim* , &c. Vel est ordo inversus , & redditur ratio eius quod proxime sequitur , scilicet *quicumque effuderit*, &c. quamquam si *enim* pro *autem* Scripturæ more positum est , facilis est sensus loci alioqui difficilis. ANIMARUM, id est quo animæ in corpore vivunt. REQUIRAM, scilicet ulciscens . BESTIARUM . Vide Exod. XXI. Num. XXVIII. 29. FRATRIS; quasi dicat, etiam si frater sit. HOMINIS, scilicet occisi a supradictis.

V. 6. FUNDETUR , scilicet per iudicem . Chald. *Fundetur ex sententia iudicis*.

V. 11. TERRAM , id est terræ habitatores.

V. 12. SEMPITERNAS, id est omnes.

V. 13. TERRAM , id est terram inhabitantia.

V. 16. ERITQUE. Erat quidem etiam antea , sed non in id signum in quod nunc destinatur a Deo. SEMPITERNI, id est perpetuo a me servandi.

V. 23. RETRORSUM, id est gradu retrogrado, scilicet aversa facie.

V. 25. CHANAAN, pro Cham, secundum quosdam ; at Chrysost. hom. 29. ait, non maledixisse patrem, quod a Deo fuisset benedictus, sed filium, unde pater cruciaretur. SERVUS SERVORUM; id est, omnino servus, vel infimus servus.

V. 27. HABITET IN TABERNACULIS SEM. Videtur prædicere conversionem Gentilium , qui a Iapheth : nam Judæi a Sem.

V. 29. NONGENTORUM. Vixit usque ad 58. annum Abrahæ, secundum Hebræos ; at secundum Eusebium, usque ad 69.

ESTII.

Vers. 4. & 5. EXCEPTO QUOD CARNEM CUM SANGUINE NON COMEDETIS ; id est, ne non contenti carne, quam vobis ad edendum concedo,

etiam

etiam sanguinem comedere velitis. SANGUINEM ENIM ANIMARUM VESTRARUM REQUIRAM DE MANU CUNCTARUM BESTIARUM. Ita Scriptura.

Sed quaeritur quomodo valeat haec ratio; aut si valet, cur non nos similiter obliget, maxime quod & Act. xv. lex haec videatur repetita. Resp. Necessarium fuit apud primos feroces illos homines illud praecipi, ne gustata acrimonia sanguinis bestiarum, ferociores redderentur, tandemque forte anthropophagi efficerentur, aut saltem passim homicidae: quod scelus sibi Deus intantum displicere ostendit ut etiam bestiam quae hominem occiderit (etsi alioqui praecepti non capacem) velit occidi: & bos cornupeta in lege iubetur occidi.

V. 13. ARCUM MEUM PONAM IN NUBIBUS, ET ERIT SIGNUM FOEDERIS INTER ME ET INTER TERRAM. Quaeritur quomodo iris est signum foederis, cum proveniat ex causa naturali, ex qua etiam ante diluvium provenire potuerit. Respondent aliqui, ante diluvium arcum illum seviridem (quae signum pluviae est) non fuisse; alioqui enim non recte hic dici, *Arcum meum ponam*, in futuro. Alii dicunt, esto quod iris prius apparuerit; sed iam primum constituitur ex voluntate Dei signum talis foederis, eo pacto ut si lapis qui antea nihil significabat, iam incipiat ex voluntate hominum aliquid significare. Neque multum refert quam sententiam hic quis sequatur.

V. 20. & 21. ET PLANTAVIT VINEAM, BIBENSQUE VINUM INEBRIATUS EST. Ex hoc loco quidam conantur ostendere non fuisse repertum usum vini ante Noe, nec ante diluvium: non enim Noe, qui sexcentorum erat annorum, & proinde tantam habebat rerum experientiam, ignarus fuisset virtutis vini, nec, si cognitam eius virtutem habuisset vir sanctus, usque ad pudendam ebrietatem se ingurgitasset. Nihilominus cum Ecclesiasticus dicat cap. XXXI. *Vinum ab initio ad iucunditatem, non ad ebrietatem creatum*, cum Iansenio in illum locum, omnino videtur, vitem creatam ab initio cum ceteris arboribus. Itaque Noe plantasse vineam, non alio sensu, quam quo dicitur coepisse exercere terram; rursum scilicet replantans quae erant disiecta per diluvium: neque obstare illa quae allata sunt de pudenda eius ebrietate: potuit enim sic nudus inveniri inter dormiendum, etsi non omnino potu obrutus: quomodo etiam pro largiori qualibet potatione, aliquando ebrietas nominatur, ut infra cap. XLIII. & alibi.

V. 24. QUAE FECERAT EI FILIUS SUUS MINOR. Septuaginta legunt, νεώτερος. Primum nota, haec non contigisse nisi diu satis post diluvium. Nam in arca non fuerunt nisi octo animae, teste Apostolo. Itaque oportuit prius nasci Chanaan filium Cham, qui hic maledicitur. Addunt etiam nonnulli ipsum Chanaan puerum, patri Cham indicasse nudatum iacere avum Noe, simulque irrisisse. Non enim ullam fingi posse aliam causam cur Cham specialiter hic exprimatur pater Chanaan, cum Cham plures, & quidem maiores natu habuerit filios, ut patet cap. seq. Itaque quod hic dicitur, *filius suus minor*, non de Cham intelligendum esse, qui semper medius in Scriptura numeratur (immo a Hieron. bis vocatur maior, in Psal. VIII. & cont. Lucif.) sed Chanaan, qui filius minor dicatur, quia filius filii: sicut & Iudicum I. Othoniel dicitur frater Caleb minor, scilicet quia filius fratris.

V. 25. MALEDICTUS CHANAAN, SERVUS SERVORUM ERIT FRATRIBUS SUIS. Quaeritur, cum Cham plures habuerit filios (quatuor in cap. seq. nominantur) cur specialiter Chanaan maledicatur? Respondet August. Noe hac imprecatione prophetasse, filios Israel qui venirent de semine Sem occupaturos terram Chanaan. Aliam etiam solutionem proxime diximus.

V. 27. DILATET DEUS IAPHETH, ET HABITET IN TABERNACULIS SEM. Quidam intelligunt, *Et habitet Deus*; sed melius, *Habitet ipse Iapheth*. Etenim in Sem intelligitur populus Iudaicus, in Cham gentiles reprobi, in Iapheth gentiles electi, ex quibus Ecclesia colligenda erat, & qui habitaturi erant in tabernaculis Sem; id est, possessuri salutem per Christum, reprobatis Iudaeis; ex quibus tamen tandem fiet unum ovile.

MARIANAE.

Vers. 1. BENEDIXIT. Benedictio pro fecunditate, sicut maledictio pro sterilitate. CRESCITE ET MULTI-

PLI-

PLICAMINI. Eadem verba cap. I. verf. 22. de pifcibus, & VIII. 17. de brutis dicta, non habent vim præcepti; fed imperativum fumitur pro futuro, crefcetis & multiplicabimini. Quid ergo hoc loco & cap. I. de homine ufurpata non eamdem vim habeant? Aut cur non liceret ei qui vellet, cælibem agere vitam; cum Noe ad annum quingentefimum ab uxore abftinuerit? Plura eodem cap. I. verf. 22.

V. 2. TERROR VESTER AC TREMOR. Melius Hieronymus expreffit verba Hebraica, quorum pofterius fupra prius auget, quam Sept. cum dixerunt, *Tremor vefter ac timor*. Nempe homini dominium reftituit, quod initio Adamo dederat. Verum homini integro fponte obedirent animantes, nunc terrore obfequium exprimitur.

V. 3. OMNE QUOD MOVETUR, ERIT VOBIS IN CIBUM. Ecce conceffum efum carnium tum ob terræ fterilitatem, tum ob debilitatem hominum, & ad fuftinendum culturæ labores. Tertull. Lib. de Cib. Iud.

Verf. 4. EXCEPTO QUOD CARNEM CUM SANGUINE NON COMEDETIS. Hebr. tantum: *Carnem in anima eius fanguine eius*, pro cum anima & fanguine. Per animam & fanguinem idem intelligit: nam fanguis eft animæ vehiculum. Hieron. verba non numeravit, expreffit tamen fententiam. Vides cæremoniam legis fancitam ante legem.

V. 5. SANGUINEM ENIM, pro fanguinem autem; quafi dicat: Videte ne dum concedo animalia cædi, putetis humani etiam fanguinis effufionem permitti. Vel fi oratio eft caufalis, ordo erit inverfus, redderturque ratio eius quod fequitur: *Quicumque effuderit humanum fanguinem*. DE MANU HOMINIS, ET DE MANU VIRI, ET FRATRIS EIUS. Hebr. *De manu Adam*, id eft plebeii, *& de manu viri*, id eft principis, fratris eius, aut fratrem eius. Poffumus etiam *de manu hominis, & de manu viri* interpretari, de manu cuiufque fratrem fuum vindicabo. REQUIRAM, ulcifcar.

Verf. 6. FUNDETUR SANGUIS ILLIUS. Hebr. *Effundens fanguinem hominis, in homine fanguis illius effundetur*. *In homine*, id eft per hominem; *per iudicem*, Chald.

V. II. ET NEQUAQUAM, pro quod nequaquam. Statuam pactum, quod nequaquam erit diluvium. DISSIPANS TERRAM, habitantes in terra.

V. 12. HOC SIGNUM FOEDERIS. Solebant fœdera aliquo figno confirmari, uti fœdus cum Abrahamo, circumcifione. Eft autem hoc fignum non inftitutum de novo, fed ad memoriam excitandam. IN GENERATIONES SEMPITERNAS, id eft omnes: fine fine erit fœdus.

V. 20. COEPITQUE NOE VIR AGRICOLA EXERCERE TERRAM, ET PLANTAVIT VINEAM. Hebraice: *Cœpitque Noe vir terræ, & plantavit vineam*.

V. 21. BIBENSQUE VINUM. Noe in Græcorum fabulis idem Saturnus eft, deorum pater, cui ebrio filium abfcidiffe genitalia mentiuntur. Lact. Lib. I. cap. XII. contra Saturnum patri Cælo abfcidiffe genitalia ait. Ianus item qui & Noe, fortaffis ab Hebraica voce *iain*, quæ *vinum* fignificat; quafi vinifer, ob inventum fcilicet vinum. Bifrons fingitur ob duo tempora, ante, & poft diluvium, quæ vidit.

V. 22. VERENDA. Hebr. *nuditatem*.

V. 23. RETRORSUM; id eft, averfa facie. Sic incedebant, ne viderent verenda patris fui.

V. 24. QUAE FECERAT EI FILIUS SUUS MINOR. Hinc conftat, Cham non fuiffe primum Noe filium. Quod fi Sem non fuit primogenitus, reliquum eft ut Iapheth fit maior ceteris duobus, atque ita proximo cap. eius pofteritas primo loco ponitur.

V. 25. MALEDICTUS CHANAAN. Hebræi putant, certe Levi Bem Gherfon in hunc locum, Chanaan primum vidiffe avi nuditatem, eamque indicaffe patri; eoque Noe iram in eum potiffimum vertiffe.

V. 27. HABITET IN TABERNACULIS SEM. Vel Iapheth habitet, de quo proxime erat fermo; idque factum multis ex Ethnicis ad Chriftum converfis, ut Hieron. in Traditionibus, etiam Indis, qui a Sem funt, & ab Hifpanis Iaphethi pofteris his temporibus funt converfi. Iudæi etiam a Sem venerunt, in quorum locum fucceffere Gentes, Iaphethi pofteri, cum ad Chriftum venere, Iudæis eiectis. Vel *Deus habitet in tabernaculis Sem*, fermone ad eum de novo revocato.

V. 29. NONGENTORUM. Vixit Noe fecun-

ſecundum Hebræos uſque ad annum Abrahæ 58. ſecundum Euſebium uſque ad 69. eiuſdem annum.

MALVENDAE.

Verſ. 3. OMNE QUOD MOVETUR. Heb. *omne calcatile*. Reptile hic appellatur omne animantium genus, præter hominem, cuius cauſa facta eſt hæc acceſſio. ET VIVIT. Quidam reddunt, quod quidem vivum eſt; id eſt, excepto morticinio, & conſimilibus. QUASI OLERA VIRENTIA TRADIDI VOBIS. Aliqui exponunt: *Ut viridem herbam illis, ſic illa omnia dedi vobis*; quaſi dicat: Illis tam libere veſci poteritis, quam illa ſuo veſcuntur gramine: ſupra cap. 1. 30. & ex eodem loco ſupplevimus.

V. 4. CARNEM CUM SANGUINE. Heb. *Carnem cum anima ſua, ſanguine ſuo*, id eſt cum anima ſua, quæ eſt ſanguis eius. Non quod ſanguis ſit anima vel vita carnis, ſeu animalis; ſed quod ſanguis ſit ſedes & vehiculum animæ, & in eo potiſſimum vigeant ſpiritus vitales, & ſit quaſi quædam teſſera vitæ, in quo vita conſiſtit. Hinc Maro II. AEneidos:

. . . . *vitam cum ſanguine fudit.*

Et alibi IX.

Purpuream vomit ille animam . . . .

Sangnis enim animæ poſſeſſio eſt. Rationem huius præcepti eam omnes aſſignant quod voluerit Deus homines manſuetudini aſſuefacere, ne facile ſanguinarii eſſent & in cædes ruerent. Vide Levitici XVII. 14.

V. 5. REQUIRAM. Alii, *repoſcam*; id eſt, perſequar, ac puniam ſanguinarium. ut Pſalm. IX. 3. DE MANU CUNCTARUM BESTIARUM. Hebr. *A manu omnis beſtiæ*, pro *ab omni beſtia*, catachreſis, *repoſcam illum*; quaſi dicat: Adeo mihi cara eſt humana vita, ut ne brutis quidem parci velim, ſi quando hominem occiderint. Sic Exod. XXI. 28. ET FRATRIS EIUS. Heb. *De manu cuiuſque fratris eius repoſcam animam hominis*. Exaggeratio, qua omnes homines ſine ulla exceptione abſterret ab homicidio, ſubiuncta cauſa æquiſſima, quod omnes inter ſe fratres ſint; & nefas ſit eos qui tam arcto vinculo inter ſe coniuncti ſunt, mutuis cædibus ſe conficere.

Verſ. 6. QUICUMQUE EFFUDERIT HUMANUM SANGUINEM, FUNDETUR SANGUIS ILLIUS. Heb. *Effundens ſanguinem hominis in homine, ſanguis eius effundetur*. Illud *in homine*, varie exponunt. I. *Per hominem*, ſcilicet per iudicem, vel alium; ut iungatur cum ſequentibus, ſanguis eius effundetur per hominem. II. *Propter hominem*; id eſt, propterea quod ſanguinem hominis effuderit, interficietur ipſe. III. *In homine*; id eſt, effundens ſanguinem hominis, qui eſt in homine, nempe ipſum ſanguine proprio perfundens, & cruentans. IV. *Inter homines*, id eſt publice ac palam, in conſpectu omnium, videntibus cunctis, fundetur ſanguis illius, ſeu interficietur publice a magiſtratu. V. *In hominem*, id eſt in iniuriam generis humani. Vide Matth. XXVI. verſ. 52. AD IMAGINEM QUIPPE DEI FACTUS EST; ac ſi dicat: Merito pœnas capite luet, eo quod imaginem ipſam Dei extinxit; quaſi crimen læſæ maieſtatis divinæ commiſerit. Quanto in honore & religione Romani ſtatuas & imagines principum habuerint, notum eſt. Svetonius in Tiberio cap. LVIII. *Ut hæc quoque capitalia eſſent, circa Auguſti ſimulacrum ſervum cæcidiſſe, veſtimenta mutaſſe, nummo vel annulo effigiem impreſſam, latrinæ aut lupanari intuliſſe. Exercente iudicia maieſtatis Tiberio, Falanio obiiciebat accuſator* (inquit Tacitus Annali. I.) *quod venditis hortis ſtatuam Auguſti ſimul mancipaſſet*. Quanto ergo graviora merebitur qui imaginem ipſam Dei vivam cruentaverit, ac morte aboleverit? Quidam, Hæc ratio, inquiunt, ad utrumque pertinet: nempe oportere ut de homicida ſumatur ultio; & ut homo ſumat eam auctoritate Dei, nimirum iudex.

V. 12. IN GENERATIONES SEMPITERNAS. Hebr. *in ætates ſæculi* vel *æterni*, ſeu *ad omnes ætates olim*; quaſi dicat, quod perpetuo per omnes ætates ſervaturus ſum, uſque ad ſæculi finem.

V. 13. ARCUM MEUM PONAM IN NUBIBUS. Hebræa per præteritum: *Arcum meum dedi, poſui in nube*, ſcilicet roridâ, in qua exprimitur arcus ille cæleſtis, nempe iris, averſi ſolis radiis illuſtrata, tot coloribus inſignis. Virgilius IV. AEneidos:

Ergo iris croceis per cælum roſcida pennis,
Mille trahens varios adverſo ſole colores.

Ubi Servius: *Iris roscida, quia cum nubibus sit pluvialibus, quæ rore non carent:* Adverso sole. *Bene rem naturalem expressit. Iris enim nisi e regione solis non fit, cui ille varios colores dat: quia aqua tenuis, aer lucidus, & nubes caligantes irradiante isto varios creant colores.*

Ex hoc versu, uti exprimitur in fonte, facile colligitur, iam ante diluvium arcum cælestem fuisse signum tantum futuræ pluviæ; nunc vero post diluvium esse signum fœderis inter Deum & mundum, quod non sit amplius Deus mundum diluvio perditurus; quasi dicat: Iam ante dederam ac posueram arcum meum in nubibus; nunc deinceps erit signum, seu obsignatio pacti fœderis, &c. *Veluti si cogites* (inquit Cœlius Lib. X. Antiquar. lect. cap. XXIV.) *lapidem immobilem diu, & neglectum, mox factum distinctionis alicuius signum*, sive terminum.

V. 14. CUMQUE OBDUXERO NUBIBUS. Ex ענן *ghanan* nubes, eleganter finxit Moses verbum in Piel ענן *ghinan*, cuius infinitivus hic ponitur, nec alibi in Scriptura verbum id extat: quod omnes vertunt, *nubilare*, *obnubilare*, *obnubere*, *nubem obducere*, proprie *nubificare*, *in nubificando me*, *quum nubificabo nubem*, id est quum congregabo nubes super terram in aere, quum obduxero nubibus cælum.

V. 17. CONSTITUI. Verbum קום *kum* in Hiphil proprie est *surgere facere*, *erigere*, *statuere*, *constituere*, *suscitare*, *exsuscitare*, *stabilire*, *confirmare*, *ratificare*, *stare facere*. Notant Paulum hoc verbum reddidisse, per ἱςάω, *statuo*, *stabilio*, *facio ut aliquid stet*, alioqui vacillans aut cadens: & opponi verbo καταργέω, *aboleo*, *antiquo*, *irritum facio*. Romanor. III. 31. *Legem igitur abolemus per fidem? Absit; immo legem stabilimus.*

V. 18. PATER CHANAAN, id est, generis Chananæorum; pro, auctor, a quo Chananæi orti sunt; qui destruendi erant, & terra eorum Israelitis, hoc est semini Sem, in possessionem tradenda. Posuit istud hic Moses ut sterneret sibi viam ad narrandam maledictionem Chanaan, infra vers. 25. & ad promissionem, historiamque diffusam terræ Chanaan, populo Dei obventuræ.

V. 19. ET AB IIS DISSEMINATUM EST OMNE GENUS HOMINUM. Paraphrasi exposuit sensum Fontis: *Et de istis sparsa est omnis terra*. Metonymice; quasi dicat: Ex istis nati sunt qui per universam terram dispersi sunt, quotquot terram inhabitant. Quidam notant, ita eleganter dictum: *Dispersa fuit omnis terra*; quasi prius collecta esset in unum, quod non coleretur. Alii, *Sparsa fuit*, quod deinceps quasi habitatoribus aspersa fuerit. Nonnulli vertunt: *Divisa est omnis terra*. Alii, *Dissipata fuit*. Verbum נפץ *naphatz*, in Kal sexies tantum occurrit. Noster Isaiæ XI. 12. XXXIII. 3. *dispergere*; Iudicum VII. 19. *complodere*; I. Samuel. XIII. 11. *dilabi*; Ierem. XXII. 28. *conterere*; hic *disseminare*, dixit. Nec aliene reddes: *Et de istis complosa*, *contrita*, *fracta*, id est culta, & inhabitata fuit omnis terra.

V. 20. COEPITQUE. חלל *chalal* hic in Hiphil mirabilem puto habere significationem, *profanavit*, *violavit*, *publicavit*, *communem fecit*. Quæ tamen notio frequentior est in Piel, ut indicet, Noach exorsum tunc quamdam actionem seu opus profanationis, violationis, publicationis, incipiendo proscindere, violare, ac profanare, & communem facere terram, quæ a tempore diluvii intacta, & integra erat. Nos Valentinismo recte exprimimus per *encetar*, quando rem integram & intactam primum aggredimur, & incipimus scindere, dividere, violare, profanare, communem facere, & in usum vertere, & cum quis aliquem primum vulnere violavit, dicimus, *al encetat*. Terra autem cum primum aratro, vel sarculo, aut alio instrumento proscinditur, subigitur, ac versatur, videtur violari, profanari, publicari, communis fieri, & ut ita dicam, *encetari*, atque veluti ad humanos usus profanari. Et utitur quidem hoc verbo Moses de vinea, quæ primum vindemiatur, Deuteron. XX. 6. *Et quis vir qui plantavit vineam, & non violavit, profanavit, communem fecit eam?* id est, non primum vindemiavit eam: *nola enceto*, non incepit eam. *Ambulet, & revertatur in domum suam, ne quando moriatur in bello, & vir alius violabit eam*; id est, vindemiabit eam, incipiet eam: *encetarla a*. Ergo hic apte reddemus, *& incepit*, *violavit*, *profanavit*, *communem fecit*, subaudi, terram, *encetola*, *publice orsus est*, *primum publicavit*, scilicet culturam, violationem agrorum. Quod Noster sensum mirifice exprimens, dixit, *cœpit exercere terram*.

ram. VIR AGRICOLA. Hebr. *vir humi*, seu *telluris*. אדמה *adamah* plerisque est terra culta, in qua sunt arva, agri, horti, arbores, aliique fructus, & fruges ad victum utiles. In quo differt ab ארץ *eretz*, quæ universe quamlibet terram significat. Quidam notant, non hic significari, tunc primum agris colendis operam dedisse Noe; sed potius ipsum, collecto animo, quantumvis esset senex, rediisse ad agrorum culturam, & pristinos labores. Hebræi tradunt, Noe aratra, vomeres, & iuga animalium ad arandum invenisse, atque alia instrumenta ad terræ culturam, quibus aptius & commodius terra coleretur; cum tamen Adam, & alii ante Noe terram quoque coluerint; sed laboriosius & incommodius, cum multis instrumentis caruerint. Vide cap. v. vers. 29.

V. 21. ET NUDATUS IACUIT IN TABERNACULO SUO. Varie reddunt. I. *Et apertus fuit in medio tentorii sui*. II. *Et nudavit se, discooperuit se in medio tabernaculi sui*. III. *Et revelavit se ipsum in medio tabernaculi sui*. Possis reddere. IV. *Et migravit se ipsum in medio*, &c. quod mente & iudicio migraverat, vino captus. V. *Et involvit se, revolvit se in medio*, &c. quod vestibus sese involverat, ac revolverat, ut parum honeste iaceret, vel volutabatur in medio tabernaculi vino distentus. Noster verbum גלה *galah*, quod bis tantum in Hithpahel legitur, Proverb. XVIII. 2. *versari* exponit: unde hic VI. *Et versavit se ipsum in medio*, &c. id est, volutabat se, & corpus in varias partes versabat. Coniugatio Hithpahel magnam & fœdam denudationem, volutationem, iudicii migrationem significat. Iacebat ergo vino somnoque sepultus.

V. 22. VERENDA. ערוה *ghervah*, *nuditas*: sed quia nuditas turpis est, & dedecorosa, cuius nos pudet maxime in corpore, membri genitalis, quod natura ipsa & publica honestas tegendum docet; ideo hoc nomen etiam pro parte illa corporis pudenda seu verenda sumitur, Exodi XXVIII. 42. Levit. XVIII. 6. & alias. Vel appellavit *nuditatem* per antiphrasin, quod illæ partes quas natura tectas & occultas esse voluit, non debeant denudari: nuditas enim corporis humani propalam turpis & pudenda censetur maxime partium genitalium.

V. 25. MALEDICTUS CHANAAN. Quidam hic subaudiunt *pater*, e versu XVIII. 22. Maledictus Cham pater Chanaan. Sed melius alii de filio Cham, nempe ipso Chanaan intelligunt, quod in Chananæis, & in terra Chanaan implenda erat hæc maledictio. Unde hic maledicitur patri in filio, & in posteritate. Notum est quid fecerit Deus Chananæis, & quid ipsi passi fuerint ab Israelitis, excisi penitus, & exturbati a patriis sedibus. Quidam observant, maledixisse Noe posteritati Cham; sed, omissis reliquis filiis Cham, singulariter de Chanaan expressisse Mosen, quia tantum ea commemorasse voluit, quæ Israelitas confirmare, & alacriores reddere possent ad capessendam promissam terram Chanaan, quibus ista scribebat. SERVUS SERVORUM ERIT, &c. Phrasis hæc indicat vilissimum genus servitutis; quasi dicat: Postremus & infimus inter servos erit; non tantum servilis erit eius conditio, sed vulgari servitute deterior; nedum fratribus, sed etiam eorum servis serviet. Alii exponunt: *Maxima, vilissimaque servitute addictus suis fratribus erit*. Sic Hebræorum idiotismo, *Sanctum sanctorum*, pro sanctissimo, Exod. XXVI. vers. 33. *Rex regum*, & *Dominus dominorum*, pro summo rege, dominoque ponitur, Hezræ VII. vers. 12. Deuteron. x. vers. 17. & alibi. Sic Ierem. VI. vers. 28. *perversi perversorum*, id est perversissimi.

V. 26. SERVUS EIUS. למו *lamo*, *eis*, nempe fratribus, e versu præcedenti, vel posteris Sem. Invenitur למו *lamo*, singulare Psalm. XXVII. 8. Isaiæ LIII. 8. *Servus ei*, scilicet Semo. Hoc quidam impletum autumant in Gabaonitis Chananæis, Iosuæ IX. 27.

V. 27. DILATET DEUS IAPHETH. Hebræis pulchra paranomasia. יפת אלהים ליפת *iaphth Elohim leiepheth*. Varie exponunt. I. *Venustabit, condecorabit, pulchrescere faciet Deus ipsum Iepheth*; id est, ipsum pulchrum, decorum, venustum. II. *Condecoretur, aut venustum se ferat, pulchrescat Dominus ipsi Iephet*, a יפה *iaphah*. Sed id grammatica non patitur: unde enim ת *Tau* in יפה *iaphah*? III. *Dilatabit Deus ipsum Iepheth*. Hæc est receptior interpretatio. Sed פתה *pathah* Hebræis alibi numquam fere significat *dilatare*, sed Chaldæis tantum: quamquam non desint, qui Hebræis *dilatare* & *extendere* primaria significatione importare contendant; sed sunt fu-

tiles & ridiculi etymologici. Ergo hic elucidant: *Dilatabit*, aut *dilatet Deus ipsi Iapheth*; id est, propaget Deus genus ipsi Iepheth; faciat Deus ut semen Iapheth amplissimas regiones occupet: vel ut numerosa sit progenies Iapheth. Qua ratione Iepheth exponemus *Dilatatum*. IV. Alii, quia verbum פתה *pathah* significat etiam *lactare blandis verbis*, vel *allicere in hanc vel illam partem*, etiam propter continuo sequentia verba, malunt vertere: *Blande reducet*, vel *inclinabit Deus ipsum Iepheth*. Nam temporale fore dissidium inter Sem, & Iepheth prædicit Noe: & postea futurum ut posteaquam dissiti fuissent posteri ipsius Iapheth, cui erant gentiles, & a tabernaculis Sem (ex cuius progenie Deus Ecclesiam tum sibi delegerat) remoti, propius tandem accederent, & simul habitarent, quasi in communi domicilio: quod factum fuit blanda & suavi Dei voce, quam in Evangelio protulit: & quotidie adhuc impletur vaticinium hoc, cum dispersas oves invitat Deus ad suum gregem. V. Nonnulli in eamdem ferme sententiam reddunt: *Persuadebit*, *alliciet*, *persuasibilem faciet Deus ipsum Iepheth*: seu deprecative: *Persuasibile faciat Deus ipsi Iepheth, ut habitet in tabernaculis Sem*, &c. rogat ut Deus eum amanter persuadeat, ne invideat fratri Sem iuniori natu honorem primogenituræ, & quod ex illo nasciturus sit Christus; hancque prærogativam sibi ademptam esse & translatam in fratrem: ac ipsius posteritas quoque persuadeatur prædicatione Evangelii, ut ipsa quoque se coniungat Ecclesiæ ex Iudæis collectæ, &c. scilicet, ut suo tempore ad cultum Dei, & tentoria Sem, id est Ecclesiam accedat. Hinc dictus Iepheth, quasi *Persuasibilis* passive. Hic enim, & tota ipsius posteritas persuasa est voce Evangelii, ut habitaret in tabernaculis Sem, cui promissus erat Christus, & veniret etiam in societatem spiritualium & æternorum bonorum, quæ Filius Dei attulit in hunc mundum, remissionem peccatorum, donationem Spiritus sancti, & vitam æternam. Probant hanc interpretationem Forsterus, Avenarius, Tremellius, Iunius, Schindlerus, Buxtorfius. Mercero, & Drusio arguta, sed aliena, ac proinde expl denda videtur: forsan ob zelotypiam, quod eam ipsi primi non viderint: nam ego in ea non nisi vim verbi genuinam, & plurimam pietatem aspicio. E quidem פתה *pathah*, in Hiphil, in *dilatandi* significatu exemplo caret: non quod hunc improbem; sed quod *persuadendi* frequentiorem & usitatiorem agnoscam. Quidam reddunt: *Blandus sit Deus ipsi Iapheth*.

Observavi id verbum varie a Nostro exponi. In Kal, Deuteronomii XI. 16. *decipi*, Iob XXXI. 27. *lætari*, Iob V. 2. *parvulum esse*, Prov. XX. 19. *dilatare*, Oseæ VII. 11. *seduci*. In Niphal, Iob XXXI. 9. *decipi*. Ierem. XX. 7. *seduci*. In Pihel, Iudic. XIV. 15. *blandiri*, Exodi XXII. 15. Ieremiæ XX. 7. *seducere*, II. Samuel. III. 25. I. Reg. XXII. vers. 21. 22. II. Paralipom. XVIII. vers. 20. 21. Ezechiel. XIV. 9. *excipere*, Psalm. LXXVII. 36. *diligere*, Proverb. XVI. 29. Proverb. XXIV. 28. Oseæ II. 14. Prov. I. 10. *lactare*. In Pual, Prov. XXV. 15. *leniri*, Ier. XX. 10. *decipi*, Ezech. XIV. 9. *errare*. In Hiphil, hoc loco Genesis, *dilatare*, Proverb. XXIV. 28. *lactare*; quamquam id futurum potius Piel, vel ad פתה *patat* alii referant.

Notant, verbum *pathah* de sermone venusto & eleganti & abblandiente dici, quo quis per aliquem subito pellicitur, ac in voluntatem, seu animi sententiam pertrahitur. Ex eo aiunt Græcos suum mutuasse πείθω, quod est, *blandis verbis suadeo*, seu *persuadeo*. Et ut Hebræos, ita Græcos suum verbum non solum suadenti, aut persuadenti, verum etiam obtemperanti tribuere; quasi sit hoc verbum, illicientem, aut suadentem sequi, obtemperare, flecti, abduci: ac sumi active & passive in eodem significato. Præterea esse πείθειν, atque tam in bonam, quam in malam partem accipi, & cum in malam partem accipitur, idem esse quod blanditiis, phaleratis verbis fallere, seu decipere. Ergo exponunt *suadere*, *persuadere*, *allicere*, *pellicere*, *lactare*, *inducere*, *adducere*, *pertrahere*, *blandiri*, *flectere*, *inclinare*, *adulari*, *allubescere*. Unde hic verti potest: *Persuadere faciet*, *allici faciet*, *blandiri*, *lactare faciet*, *allubescere faciet ipsi Iepheth*. Insigne vaticinium de gentium vocatione ad Ecclesiam. Vide S. Hieronymum hic in Traditionibus Hebraicis. Nec omiserim, defectivum esse futurum יפת *iaphth*, per apocopen, littera ה *He*, ut indicaret quam ægre ac difficile potuerit persuaderi gentibus ut ad Ecclesiam accederent, quæ crucem stultitiam reputabant. Hunc Iepheth existimant eum esse quem postea gentiles Iape-

Iapethum dixerunt. Gigantem fuisse Virgilius & Svidas memorant. Saturno, qui Noe creditur, æqualem fuisse, docet Lucianus in Saturnalibus. Ad vetustatem eius respexit Aristophanes in Nubibus:

Nec oportet te patrem Iapetum vocare.

Svidas delirum, stultum interpretatur: forsan ab Hebraico פתי *peti*, *fatuus*. Et habitet. Quidam intelligunt, Deus: sed plures, & melius, Iapheth; ut ex præcedenti Annotatione. In tabernaculis Sem: quia ex Iudæis, & Gentibus una est conflata Ecclesia. Forsan vaticinio indicavit Noe virtutem & felicitatem posterorum Iapheti, qui armis, religione subiugaturi erant magnam orientis partem, quam incoluerunt posteri Sem, ad ultimos usque Sinas & Iaponios: quod factum videmus, & quotidie fit felicibus Hispanorum navigationibus & expeditionibus ad profundum usque orientem.

MENOCHII.

Verf. 1. Crescite, et multiplicamini. Eadem verba cap. 1. verf. 22. de piscibus, & viii. 7. de brutis, non habent vim præcepti; sed imperativum sumitur pro futuro: crescetis, & multiplicabimini.

V. 2. Terror vester. Timent hominem feræ naturaliter; hic tamen aliquod, & quasi semiplenum in bestias dominium, quod per peccatum homines amiserant, restituit, & confirmat Deus.

V. 3. Omne quod movetur. Ante diluvium religiosiores saltem, quales Sethi filii carnibus abstinuerant. fructibus, oleribusque contenti. Iam cunctis potestatem facit Deus ut vescantur carnibus, quæ plenius nutriunt, cum præsertim terræ vis eluvione. & infusa maris salsedine facta esset hebetior.

Verf. 4. Carnem cum sanguine non comedetis. Animal ergo iugulandum, effundendus sanguis, atque ita demum coctis carnibus vesci licebat. Præceptum hoc non iuris naturalis est, sed positivi. Ita vero imperatum est ut homines quam maxime absterreret ab effusione sanguinis humani, quem aliquos mortalium etiam potasse scimus: abstinere ergo voluit a sanguine bestiarum, ne ad hominis sanguinem sitiendum gradus fieret. II. quia voluit Deus sanguinem, qui est quasi vita animalis, sibi soli auctori vitæ offerri in sacrificiis pro vita peccatoris, ut patet Lev. xvii. 11. III. quia sanguis brutorum est gravis, terrestris, & multarum ægritudinum causa.

V. 5. Sanguinem enim animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum: adeo volo humano sanguini parci, ut etiam bestias, quæ illum effuderint, sim puniturus: patet ex lege Exodi xxi. 28. ubi Deus iubet bovem homicidam lapidari. De manu hominis, de manu viri, et fratris eius. Tria inculcat. *Hominis*, quem nomen, & natura humanitatis memorem esse iubet; *viri*, quem decet iræ dominari, & robore, ac potentia non abuti; *fratris*, cui frater amandus, non perdendus erat.

Verf. 6. Fundetur sanguis illius; id est, æquum est ut fundatur. Ad imaginem; quasi dicat: Si non movet te natura communis, imago mea permoveat, ne cælestis Regis vivum simulacrum demoliaris.

V. 7. Vos autem crescite; quasi dicat: Videtis me hac prohibitione velle consulere generis humani propagationi; quin ergo illi incumbitis? Ingredimini super terram: multiplicamini, ut quam citissime per universam terram ingredi, eamque occupare, & replere possitis.

V. 9. Statuam. Hebraice est *statuens*; id est, statuo fœdus, promissionem scilicet de non inducendo amplius diluvio, cuius mox signum itidem statuit.

V. 11. Neque erit deinceps diluvium, puta universale: unde sequitur: dissipans terram, scilicet universam.

V. 12. In generationes sempiternas, in æternum. In Hebræo est pro generationes, *in peregrinationes*, quia vita hominis est peregrinatio super terram. Genes. xlvii. 9. *Dies peregrinationis meæ centum triginta annorum sunt.*

V. 13. Arcum meum. Arcus hic est iris: vocat suum, quia iris pulcherrima, & Dei rerum opificis magnificentiam repræsentat: quare dicitur in Eccli. xliii. 12. *Vide arcum meum, & benedic eum qui fecit illum: valde speciosus est in splendore suo.*

suo. Gyravit cælum in circuitu gloriæ suæ, manus Excelsi aperuerunt illum. Fuit iris ante diluvium signum naturale nubium roridarum, & consequenter pluviæ, post diluvium vero, & pactum hoc Dei cum Noe, instituta est in signum supernaturale huius fœderis de non futuro deinceps diluvio.

V. 16. RECORDABOR FOEDERIS. Par est etiam homines conspecta iride diluvii recordari. & causæ eius meminisse, peccatorum scilicet.

Verf. 20. EXERCERE TERRAM. Adam, aliique mortales ante diluvium terram coluerant, sarculo fortasse, ac ligone, aut alio laborioso instrumento. Noe primus aratra excogitasse videtur, & facilius boum, ac iumentorum auxilio solum proscidisse. PLANTAVIT VINEAM. Vites, quæ ante erant, & ex quibus vinum non exprimebant, in ordines digessit, vineta constituit, succum expressit.

V. 21. INEBRIATUS EST, citra peccatum, saltem lethale, quia vini vis adhuc illi ignota. NUDATUS EST IN TABERNACULO SUO, ut solent dormientes, & ebrii, qui præ æstu tegumenta disiiciunt.

V. 23. OPERUERUNT VERENDA PATRIS SUI. Sic Patrum spiritualium, & Ecclesiasticorum peccata tegenda docet S. Greg. XXV. Mor. cap. XXII.

V. 24. CUM DIDICISSET QUAE FECERAT EI FILIUS SUUS MINOR. Vidit se alieno pallio tectum, quid factum esset quæsivit, & ex filiis cognovit.

V. 25. MALEDICTUS CHANAAN. Chanaan filius fuit Cham hoc cap. num. 18. hic primus fertur vidisse avi nuditatem, & patri Cham indicasse: itaque in eum fertur maledictio, non odio personæ, sed spiritu prophetico, quid futurum esset prænuntiante. Hæc autem a Mose dicuntur propter Chananæos a Iudæis suis sedibus expellendos. Punitur autem Cham, & Chanaan in suis posteris, qui maiorum suorum impietatis fuerunt imitatores, & heredes. SERVUS SERVORUM, id est servus infimus, & vilissimus.

V. 27. DILATET. Iaphet significat dilatatum: est ergo in Hebræo allusio ad etymon Iapheti. Precatur Noe ut posteri Iaphet late spargantur, & crescant, & amplas regiones occupent. ET HABITET IN TABERNACULIS SEM, Deus scilicet, a quo bona omnia proficiscuntur.

TIRINI.

Verf. 4. & 5. CARNEM CUM SANGUINE NON COMEDETIS; sed neque sanguinem seorsim. Prohibet enim omnem esum, seu sumptionem sanguinis, sive liquidus is sit, & potabilis, sive fartus, & coagulatus, ut est in farciminibus; sive adhuc in animali existat, ut in morticiniis, & suffocatis. Ita Eucherius, Lyranus, Tostatus & alii *a*. Rationem dat S. Chrysostomus *b*: ut nempe etiam post diluvium mortales intelligerent habere se Dominum, qui pro arbitrio iubere & vetare possit quod lubeat. Deinde ut comprimat perversum impetum & propensionem ad homicidia, ne scilicet assuescendo sanguini bestiarum, tandem nec humano parcerent. Denique ut ostendat Deus quam sibi cordi sit sanguis, & vita hominis, subdit: SANGUINEM ANIMARUM VESTRARUM REQUIRAM DE MANU CUNCTARUM BESTIARUM; id est, puniri volo etiam bestiam, si illa hominem occiderit *c*. Ita iussit etiam Exodi XXI. 28. & Levit. XVII. 11. ubi & duas alias causas vetiti esus sanguinis exponit Deus.

V. 13. ARCUM MEUM PONAM IN NUBIBUS, id est iridem: non quod illa ante diluvium in nubibus non apparuerit *d*, cum naturaliter radii solis reverberentur in nube rorida, unde iris exsurgit, quando sol, oculus, & centrum iridis in eamdem lineam rectam concurrunt; sed quia non apparuit tamquam signum fœderis divini. Nam ante tantum erat naturale signum pluviæ, præsertim si matutino tempore appareret; post diluvium vero assumpta est a Deo in signum ex beneplacito numquam amplius futuri diluvii *e*. Hoc vero signum Deus aptissime posuit in nubibus, quia e nubibus aquæ delapsæ fuerant, & inde rursus metuendum erat diluvium.

V. 25. MALEDICTUS CHANAAN. In filio sceleris conscio, forsan & auctore, & indice (ut volunt Hebræi & Theodoretus) punitur parens; sed maxime in posteris illius Chananæis, qui a Iosue, & Israelitis expulsi, & excisi sunt. Nam propter hos maxime scripsit hæc Moses, ut doceat iuste expulsos fuisse. ERIT SERVUS SERVORUM, id est infimus & vilissimus servus fratrum suorum. Id impletum

tum partim Iosue IX. cum, excisis Chananæis, Gabaonitæ, qui dolo mortem evaserant, perpetuo servitio Iudæorum tamquam mancipia addicti fuerunt, partim II. Paral. VIII. vers. 7. & 8. ubi Salomon reliquias Chananæorum Iudæis tributarios & servos fecit.

V. 27. IAPHETH HABITET IN TABERNACULIS SEM. Benedictio hæc Iapheti & temporalis fuit, & spiritalis. Nam posteri Iapheti, puta Gentiles Europæi, & maxime Romani, imperium temporale suum extenderunt in Iudæos posteros & filios Sem, & in omnia loca quæ tam ipsi incoluerunt, quam reliqui filii & posteri Sem, & Chanaan, fere ad Indiam usque. Spirituale quoque imperium, cum ad Christum illi conversi sunt, & veram religionem, & Ecclesiam (e qua isti exciderunt) amplexi, per primatum Ecclesiæ & sedem Pontificiam longe latius extenderunt *f*.

Vers. 28. VIXIT NOE POST DILUVIUM TRECENTIS QUINQUAGINTA ANNIS. Vidit ergo turrim Babel; vidit posteros suos numero immenso auctos per orbem dispergi; vidit invalescente idololatria pene omnes a vero Dei cultu deflectere; vidit denique cum prima Assyriorum monarchia filiorum & nepotum suorum assidua, & horrenda bella, eductis subinde a Nino in aciem, *g* equitum ducentis millibus, peditum decies septies centenis millibus, adversus Zoroastrem regem Bactrianorum, qui & ipse supra quadringenta millia sub signis habebat. Neque id mirum, cum plurium simul uxorum esset usus; & omnes, & toti vacarent generationi: uno tamen excepto Noe, qui insigni continentiæ exemplo totis his 350. annis quibus a diluvio supervixit, & verosimillime etiam aliis centum immediate ante diluvium, quibus fabrica arcæ occupabatur, nullos prorsus liberos suscepit. Nam ex nullis aliis quam ex *Sem*, *Cham* & *Iaphet* (ut hic vers. 19. dicit Scriptura) *disseminatum est omne genus hominum super universam terram*. Hi vero tres nati fuerunt centum circiter annis ante diluvium, ut dicitur cap. v. vers. ult.

(*a*) Carthusianus, a Lapide.
(*b*) Homil. XXVII.
(*c*) Ita Abulensis, Oleaster, & alii.
(*d*) Ut vult Alcuinus, & Glossa.
(*e*) Vide Valesium cap. IX.
(*f*) Vide S. Hieron. Chrys. hom. XXIX. & Rupertum Lib. IV. cap. XXXIX. a Lapide & Bonfrerium.
(*g*) Ita ex Ctesia Diodorus III.

GORDONI.

Vers. 1. CRESCITE. De piscibus cap. I. vers. 22. de brutis cap. VIII. vers. 17. nunc de hominibus. Non est præceptum, sed imperativum positum pro futuro, Multiplicabimini. Vide cap. I. vers. 22.

V. 2. TERROR. Bestiæ hominem timent naturaliter. Plenum tamen dominium in bestias amiserunt homines per peccatum.

V. 3. QUOD MOVETUR, ET VIVIT, ERIT VOBIS IN CIBUM. Non præcipitur hic post diluvium, sed permittitur variarum rerum esus, quamvis fortassis ante diluvium non usurpabatur. Non ergo peccant religiosi ordinis homines (quicquid dicant Novatores) si quando a tali esu abstineant. Itaque quod hic permittitur hominibus, est ut qui ante habebant pro esca olera virentia, nunc assumant carnes in escam, si velint.

V. 4. Prohibet Deus comedere carnem simul cum sanguine. Ex quo videri alicui potest, non prohiberi esum sanguinis separati. Erat tamen sub Mose amplior prohibitio sanguinis. Prohibitio denique esus sanguinis sub Apostolis fuit tantum ad tempus, donec unirentur duæ Ecclesiæ.

V. 5. Subditur ratio, ut hinc intelligant abstinendum esse ab effundendo sanguine humano, & homicidio; quasi dicat: Concessa cæde animalium, ne putetis concessam cædem hominum.

V. 6. FUNDETUR. Chal. *per iudicem*, seu ex sententia iudicis.

V. 9. STATUAM PACTUM. Et nunc statuo pactum de non inducendo iterum diluvio. Pacti signum dabit vers. 13.

Qua ratione pactum cum bestiis, cum pactum sit inter naturas intellectuales? Sane cum bestiis, interposito homine bestiarum domino, præsertim in lucrum & bonum bestiarum. Erit vero in generationes sempiternas, seu usque ad finem mundi.

V. 12. IN GENERATIONES SEMPITERNAS; hoc est, omnes.

V. 13. ARCUM MEUM PONAM. Iridem esse interpretantur Patres. In Heb. est *posui*, נתתי. Fuit quidem iris ante diluvium; sed hic destinatur in signum fœderis, & non futuri diluvii.

V. 16. Fit mentio Chanaan, qui tamen

natus

natus est post diluvium. Vide Iosue x. vers. 3.

V. 19. Si ab his tribus propagatum est genus humanum: ergo Noe tota reliqua vita 300. annorum non suscepit liberos.

Vers. 20. PLANTAVIT VINEAM. יין *iain*, vinum. Noe esse Ianum habet Berosus Anianus: quem etiam bifrontem aliqui faciunt, quod Noe utramque viderit ætatem, ante, & post diluvium. Et cur non etiam filii bifrontes? Fides de Iano sit penes auctorem. Excusatur Noe ab ebrietate, quod vini vim ignoraverit.

V. 21. VERENDA. Heb. *nuditatem*.

V. 22. RETRORSUM: facie a Noe aversa.

V. 25. MALEDICTUS CHANAAN. At cur non Cham pater qui deliquit? Sane in filio maledicitur pater: ac proinde dum hoc accidit Noemo, videtur iam natus Chanaan. Est factum postea ut Chananæos delerent Israelitæ. Immo & recte servus dicitur, ut vides Iosue IX. de Gabaonitis Chananæis.

V. 27. Hæc benedictio obscuram habet interpretationem; & quomodo Iaphet habitaverit in tabernaculis Sem. Latere hic videtur vaticinium de vocatione gentium. Iudæi quidem erant ex posteritate Sem. Aliqui vero per Iaphet accipiunt vel Gentiles, vel Romanos. Sane Romani occupaverunt tabernacula Iudæorum. Vel alio sensu Gentiles venerunt in tabernacula Sem, & ad Ecclesiam Christi inchoatam in Iudæis. Chanaan vero servivit Iapheto adducto ad tabernacula Sem, quando sub iugum Christianorum Imperatorum, & Ecclesiæ venerunt Idololatræ, & reliquiæ Chananæorum.



CAPUT X.

Genealogia filiorum Noe, a quibus divisæ sunt gentes post diluvium.



1 * HAE sunt generationes filiorum Noe, Sem, Cham, & Ia-
pheth: natique sunt eis filii post diluvium. 2. (*a*) Filii
Iapheth: Gomer, & Magog, & Madai, & Iavan, &
Thubal, & Mosoch, & Thiras. 3. Porro filii Gomer:
Ascenez, & Riphath, & Thogorma. 4. Filii autem Ia-
van: Elisa, & Tharsis, Cetthim, & Dodanim. 5. Ab
his divisæ sunt insulæ gentium in regionibus suis, unus-
quisque secundum linguam suam, & familias suas in nationibus suis. 6. Filii au-
tem Cham: Chus, & Mesraim, & Phuth, & Chanaan. 7. Filii Chus: Saba,
& Hevila, & Sabatha, & Regma, & Sabatacha. Filii Regma: Saba, & Da-
dan. 8. Porro Chus genuit Nemrod: ipse cœpit esse potens in terra, 9. & erat
robustus venator coram Domino. * Ob hoc exivit proverbium: Quasi Nemrod
robustus venator coram Domino. 10. Fuit autem principium regni eius Baby-
lon, & Arach, & Achad, & Chalanne, in terra Sennaar. 11. De terra illa
egressus est Assur, & ædificavit Niniven, & plateas civitatis, & Chale. 12. Re-
sen quoque inter Niniven & Chale: hæc est civitas magna. 13. At vero Me-
sraim genuit Ludim, & Anamim, & Laabim, & Nephtuim, 14. & Phetrusim,
& Chasluim: de quibus egressi sunt Philisthiim, & Caphtorim. 15. Chanaan
autem genuit Sidonem primogenitum suum, Hethæum, 16. & Iebusæum, & Amor-
rhæum, Gergesæum, 17. Hevæum, & Aracæum: Sinæum, 18. & Aradium, Sa-
maræum, & Amathæum: * & post hæc disseminati sunt populi Chananæorum.
19. Factique sunt termini Chanaan venientibus a Sidone Geraram usque Ga-
zam,

zam, donec ingrediaris Sodomam, & Gomorrham, & Adamam, & Seboim usque Lesa. 20. Hi sunt filii Cham in cognationibus, & linguis, & generationibus, terrisque & gentibus suis. 21. De Sem quoque nati sunt, patre omnium filiorum Heber, fratre Iapheth maiore. 22. (*b*) Filii Sem: AElam & Assur, & Arphaxad, & Lud, & Aram. 23. Filii Aram: Us, & Hul, & Gether, & Mes. 24. At vero Arphaxad genuit Sale, de quo ortus est Heber. 25. Natique sunt Heber filii duo: nomen uni Phaleg, eo quod in diebus eius divisa sit terra: & nomen fratris eius Iectan. 26. Qui Iectan genuit Elmodad, & Saleph, & Asarmoth, Iare, 27. & Aduram, & Uzal, & Decla, 28. & Ebal, & Abimael, Saba, 29. & Ophir, & Hevila, & Iobab, omnes isti, filii Iectan. 30. Et facta est habitatio eorum de Messa pergentibus usque Sephar montem orientalem. 31. Isti filii Sem, secundum cogitationes, & linguas, & regiones, in gentibus suis. 32. Hæ familiæ Noe iuxta populos & nationes suas. Ab his divisæ sunt gentes in terra post diluvium.

(*a*) I. Par. I. 5. (*b*) I. Par. I. 17.

BURGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 1. *Hæ sunt generationes filiorum Noe*. Iniuria delent quidam vocem *filiorum*.

V. 9. *Ob hoc exivit proverbium*. Cave mutes *ob*, quod est propter, cum *ab*; id est vocalem quartam cum prima.

V. 18. *Et post hæc disseminati sunt*. Legendum est *post hæc*, non *per hos*.

COMMENTARIA

SA.

Vers. 1. HAE SUNT GENERATIONES; pro, hi quos genuerunt. NATIQUE, pro nati enim.

V. 2. GOMER. Nota, a GOMER Galatas ortos; a MAGOG, Scythas; a MADAI, Medos; a IAVAN, Iones, seu Græcos; a THUBAL, Iberos; a MOSOCH Cappadoces; a THIRAS, Thraces.

V. 3. ASCENEZ: ab hoc Rhegini; a RIPHATH, Paphlagones; a THOGORMA, Phryges.

Vers. 4. ELISA: ab hoc AEolides; a THARSIS, Cilices; a CETTHIM, Citii, seu Cyprii; a DODANIM, Rhodii. Vide Hieron. in Gen.

V. 5. DIVISAE INSULAE; id est, nati qui varias tenuerunt insulas, scilicet maris mediterranei.

Vers. 6. CHUS: ab eo AEthiophes; a MESRAIM, AEgyptii; a PHUTH, Libyi; a CHANAAN, Chananæi.

V. 7. SABA: ab hoc Sabæi; ab HEVILA, Getuli; a SABATHA, Sabatheni, qui & Astabari; a SABA, Arabes. Nota, hunc Saba per ש scribi, superiorem per ס: a DADAN, AEthiopiæ populi. Vide Hieron.

V. 8. POTENS, id est fortis, vel tyrannus.

V. 9. VENATOR, id est oppressor innocentum, ut quidam interpretantur. CORAM DOMINO; quasi dicat, Deo inspiciente, & ferente: vel Deo iudice; quasi dicat, vere.

V. 10. ARACH, quæ Edessa; ACHAD, quæ Nisibis; CHALANNE, quæ Seleucia, vel Ctisiphon. Hieron. SENAAR, id est Babylonis.

V. 11. ILLA, scilicet Babylonis; ASSUR, scilicet filius Sem. Quidam tamen Ninum intelligunt, qui dicatur Assur, quod Assyriis imperaverit, vel etiam Assur vocabatur. CIVITATIS, scilicet Ninive. Hieron.

V. 12. HAEC, scilicet Ninive.

V *V.* 14.

V. 14. CAPHTORIM, id est Cappadoces.

Verſ. 19. LESA, quæ nunc Callirrhoe. Hieron.

V. 20. FILII, id eſt poſteri. COGNATIONIBUS, id eſt familiis. LINGUIS, id eſt idiomatis, ſcilicet variis. GENERATIONIBUS: id non eſt Hebr. nec Chald. nec apud LXX.

Verſ. 21. FILIORUM HEBER, id eſt Hebræorum. Ab hoc quidam putant Hebræos dictos. Alii ab Abraham, qui primus dictus eſt Hebræus, id eſt tranſitor, quod ſcilicet Euphratem tranſiſſet, cum venit in terram Chanaan: videntur enim Chananæi ita illum cœpiſſe vocare ob cauſam dictam, ſicuti nunc dicimus Germanos, & Gallos Tranſmontanos.

V. 22. FILII, id eſt poſteri. AELAM, a quo AElamitæ in Perſide; ARPHAXAD, a quo Chaldæi; LUD, a quo Lydii; ARAM, a quo Syri, quorum metropolis Damaſcus. Hieron.

V. 23. US, a quo condita Trachonitis, & Damaſcus, quam regionem LXX. in Iob Auſitidem vocant, quaſi Uſitidem. HUL, a quo Armeni; GETHER, a quo Carii; MES, a quo Mæones. Hieron.

V. 25. DIVISA SIT TERRA; id eſt, variis linguis uſi ſint habitatores terræ.

E S T I I.

Verſ. 5. AB HIS DIVISÆ SUNT GENTES IN TERRA POST DILUVIUM. Repugnant hæc iis qui iuxta Pſeudoberoſum ponunt adhuc alios filios Noe, quos genuiſſet poſt diluvium, inter quos & Nauclerus gener. III. qui ponit a Tuiſcone filio Noe Germanos oriundos. Sed cum ab enumeratis tantum dicat Scriptura gentes eſſe diviſas, non temere alii fingendi ſunt, tum maxime quod Noe tempore diluvii totis centum annis ceſſaverat a gignendis liberis. Nam, ut patet cap. V. genuit Sem, Cham & Iaphet cum eſſet quingentorum annorum, & diluvium venit cum eſſet ſexcentorum annorum, cap. VII. Atque ita credibile non eſt, eum tunc iterum ad gignendos liberos ſe convertiſſe. Quod vero pro ſe illi adferunt cap. IX. tam Noe quam filiis dictum eſſe: *Creſcite & multiplicamini*: ſenſus eſt, quod pater etiam cenſeatur creſcere & multiplicari, cum filii eius alios filios generant.

V. 8. De Nemrod: IPSE COEPIT ESSE POTENS IN TERRA. Nemrod, auctore Ioſepho in Antiq. poſt diluvium primus regni cupiditate tyrannidem arripuit, & cœpit dominari in gente ſua: quem etiam putant auctorem fuiſſe ædificandæ turris Babylonicæ, ita ut per anticipationem hic dicatur: *Fuit autem principium regni eius Babylon.*

V. 9. Porro vocatur ROBUSTUS VENATOR CORAM DOMINO, hoc eſt potentiſſimus hominum oppreſſor, inter omnes qui ſub cælo erant: ſicut enim venator feras perſequitur, compellit, mactat; ſic & tyrannus homines. Vel *coram Domino*; id eſt, etiam nihil reveritus Dominum.

V. 15. CHANAAN AUTEM GENUIT SIDONEM PRIMOGENITUM SUUM, HETHAEUM.... ET IEBUSAEUM.... ARACAEUM.... ARADIUM. Ex eo quod Sidon primogenitus fuerit Chanaan, forte Sidonii ſpecialiter intelliguntur infra cap. XV. & deinceps ſæpiſſime, quando abſolute eſt mentio Chananæorum, vel certe illi imprimis ea acceptione comprehendendi videntur.

Ad hoc quæri poteſt, quare hic nulla mentio fiat Pherezæorum, quos tamen ſatis conſtat ex genere Chanaan fuiſſe, & ex ſeptem populis terræ Chananæorum poſtea exterminandis, de quibus dicitur cap. XIII. *Eo autem tempore Chananæus, & Pherezæus habitabant in terra illa.* An ſcilicet hic alii intelligantur Chananæi, & alii Pherezæi; an potius iidem ſint cum aliis populis hic nominatis, videlicet cum Aracæis. Cauſa hoc ſuſpicandi eſt, quia ſubiungitur hoc loco: *Poſt hæc diſſeminati ſunt populi Chananæorum.* Certe conſtat ex variis Scripturæ locis, Pherezæos inter Chananæos fuiſſe computatos. Quare cum deinceps non fiat mentio Aracæi, niſi I. Paralipom. I. ubi Aracæus iterum inter filios Chanaan numeratur. (ſed tunc rurſum reticetur Pherezæus) omnino ſuſpicari licet, eum qui hoc loco, & I. Paralip. I. vocatur Aracæus, fuiſſe principem primum illius populi, qui poſtea vocatus eſt Pherezæus: forte quia Pherezæus vocatus fuerit præcipuus Aracæi filius.

Verſ. 21. DE SEM QUOQUE NATI SUNT.... FRATRE IAPHET MAIORE.

RE. Ex Hebræo verti poteſt: *Frater Iaphet maior*. Arias tamen, & Septuaginta adſtipulantur noſtræ verſioni. Incertum enim eſt quis ordo nativitatis fuerit filiorum Noe, eo quod confuſe de omnibus tribus dicatur cap. v. *Noe vero cum quingentorum eſſet annorum, genuit Sem, Cham, & Iaphet*: non quod omnes ſimul genuerit, quod pugnaret cum iſto quod hic dicitur, *Fratre Iaphet maiore*; ſed quod circa iſtam ætatem, unus prius, deinde alius fuerit generatus.

Si quæras, quo ordine; reſpondeo (quamdiu certius aliquid forte eruetur ex Scriptura) veriſimiliter illo ordine, quo ſemel atque iterum numerantur, primo Sem, deinde Cham, & poſtremo Iaphet. Quo etiam ſpectare videtur quod ſpecialiter dicitur de Sem, quod *genuit Arphaxad biennio poſt diluvium*. At vero cum filii Noe in ipſo diluvio fuerint circiter annorum centum (nam nati ſunt anno Noe quingenteſimo, & venit diluvium anno eiuſdem ſexcenteſimo) an poſtea prius gignere cœperint; an vero filii eorum impii ſimul diluvio perierint: Scriptura non exprimit. Quidam ſuſpicantur, hactenus ſteriles fuiſſe, aut ipſorum uxores; ideoque non ſuffeciſſe cap. VIII. dixiſſe, *Creſcite & multiplicamini*; ſed quod pro hac ſterilitate tollenda, Deus iterum cap. IX. dixerit, *Creſcite & multiplicamini*. Sed in huiuſmodi quæſtiunculis, qui velint, ſinguli in ſuo ſenſu abundent.

V. 24. AT VERO ARPHAXAD GENUIT SALE. Septuaginta Interpretes hic interponunt Cainan: de quo vide Annotat. I. Paralip. I. & Lucæ III.

MARIANAE.

Verſ. I. HAE SUNT GENERATIONES; pro, hi filii ſunt, & poſteri. NATIQUE SUNT; pro, nati enim ſunt.

V. 2. FILII IAPHETH. Hic Græcis fortaſſis Iapetus fuit, cæli, & terræ filius. Cæli quidem, quoniam quorum virtutes miramur, e cælo lapſos credimus; terræ autem, quoniam ignotis parentibus orti ſic vocantur. GOMER, ab hoc Gomeritæ, id eſt Galli, Ioſephus; dicti Galatæ a lactis candore, Iſidorus. MAGOG. Plinius in Cœleſyria Bambycem, alio nomine Hierapolim, a Syris ait Magog vocari: contra quam Ezechiel vaticinatur. MADAI, a quo Medi ultra Tigrim. IAVAN. Ab hoc Græci, unde fortaſſis Iones dicti, & Iovis nomen fluxit. THUBAL, a quo Iberi ſive Hiſpani. MOSOCH. Ab hoc non Cappadoces, ut Ioſephus credidit, ſed Moſchi prope Tybarenos apud Herodotum Lib. III. & longo intervallo ab his fortaſſe Moſcovitæ. THIRAS, a quo Tyrus eſt condita, ut quidam putant, mater urbium aliarum, & gentium.

Verſ. 3. PORRO FILII GOMER: ASCENEZ. Ab hoc Germani; ſic ea natio paſſim ab Hebræis vulgo vocatur. Pro *Aſcenez*, Hebraice *Aſchenaz*. RIPHATH, a quo Riphæi, qui & Paphlagones: Ioſephus. Inde fortaſſis in Sarmatia Riphæis montibus nomen, unde Ruſſi ſeu Slavi. THOGORMA. Tygranei, qui & Phryges, ab hoc, teſte Ioſepho.

V. 4. FILII AUTEM IAVAN: ELISA. Ab hoc Aeoli Helleſponto adiacentes, & Aeoliæ, ſeu Vulcaniæ ſeptem Inſulæ, prope Siciliam. De quibus Ezech. cap. XXVII. verſ. 7. THARSIS, a quo Tarſus in Cilicia, & Tharſis, quæ & Tunetum, prope Carthaginem. CETTHIM. Ab hoc Cyprus, ubi urbs Cithion olim dicta. Tum & Macedones, qui & Macetes ab Auſonio vocantur, & Alexander in Machabæorum Libris de Cethim exiiſſe dicitur. Fortaſſis & Itali hoc nomine vocantur in Num. cap. XXIV. verſ. 24. ſic eam vocem eo loco reddit Hieron. cum dixit: *Venient in trieribus de Italia*. DODANIM, ſeu forte *Rhodanim*, facili unius litteræ permutatione, quoniam ab hoc Rhodios deducunt Hieron. & Iſidorus. Itaque Sept. hoc loco pro *Dodanim* poſuerunt *Rhodii*.

V. 6. FILII AUTEM CHAM: CHUS. Ab hoc duplex AEthiopia, in Africa, & in Aſia, unde Moyſis uxor Madianitis AEthiopiſſa vocatur. MESRAIM, a quo AEgyptii, hodie etiam Arabum, & Turcarum lingua dicti Meſri, tum Ioſephi ætate eodem vocabantur nomine. PHUTH. Occiduam condidit Mauritaniam, ubi Phuth urbs, hodie Fez. CHANAAN, ab hoc Palæſtina Chananæa dicta eſt. Porro decem eius filii verſ. 15. variis in ea provincia gentibus nomen dederunt. *Sidon* primus urbem Sidonem de ſuo nomine conſtituit. *Hethæus* ſecundus condidit Hebron. *Cinæus* octavus, a quo Cinæa gens, una e ſeptem quæ deletæ ſunt in Palæſtina; nam Cinæi poſteri Ie-

V 2 thro,

thro, de quibus Iudic. IV. 11. & I. Reg. XV. verſ. 6. inter Amalecitas vivebant, hoc etiam diſcrepantes a prioribus, quod hi per Coph initio, illi per Samech ſcribuntur. Sequitur nonus *Amathæus*, a quo Emath, quæ poſtea Reblatha. ac tandem ab Antiocho Syriæ Rege dicta eſt Antiochia. At IV. Reg. XXV. verſ. 21. Reblatha in terra Emath ponitur, ſcilicet illi vicina, non eadem.

V. 7. FILII CHUS: SABA. Ab hoc in Arabia Felici Saba & Sabæi. HEVILA, a quo gens eo nomine AEgyptum inter & Palæſtinam, de qua Geneſ. XXV. verſ. 18. FILII REGMA: SABA, ET DADAN. A Saba, altera Saba in AEthiopia, unde Regina Saba hoc diſcrepans a priori Saba, quod illa per Samech ſcribitur, hæc per Sin. A *Dadan* ſuſpicor Dedan provinciam prope Palæſtinam, & Dodonæos in Epiro fluxiſſe.

V. 8. NEMROD, fuiſſe Zoroaſtrem Bactrianorum Regem magicæ artis inventorem, putarunt Græci, putavit Epiphanius initio ſui Operis. Illud conſtat, occupaſſe tyrannidem poſt diluvium mortalium primum: id ſignificant ea verba, IPSE COEPIT ESSE POTENS IN TERRA.

V. 9. ERAT ROBUSTUS VENATOR, id eſt aſtutus, ſicut cap. XXV. verſ. 27. Venatores ſolent eſſe aſtuti. CORAM DOMINO, id eſt vehementer, vel ſub cælo. Fortis inter omnes qui ſub cælo erant, & aſtutus.

V. 10. IN TERRA SENAAR. Chald. *Babylonis*.

V. 11. DE TERRA ILLA, ſcilicet Babylonis.

Verſ. 13. AT VERO MESRAIM GENUIT LUDIM. Ab hoc Lydii ludorum Inventores primi, teſte Herodoto Lib. I. Unde quibuſdam ludi vox. ANAMIM, hoc eſt fons aquarum; ab hoc Cyrene, ubi fons mirus meridie frigidus, per noctem fervidus. LAABIM, a quo Libya.

V. 14. CAPHTORIM: ſic Hebræi, Cappadoces.

V. 20. HI SUNT FILII CHAM. *Sunt* non eſt in Hebr. neque in Gotthicis: item ET GENERATIONIBUS non eſt in Hebr. neque in Sept. neque in Chald.

Verſ. 21. DE SEM QUOQUE NATI SUNT. Ex illis verbis FRATRE IAPHETH MAIORE, colligas, Sem non minimum fuiſſe inter filios Noe, ſed maiorem. Verum vox Hebraica הגדול *bagadol* ambigua eſt, quam Hieron. in ablativo reddidit. Sept. in genitivo, *fratre Iapheth maioris*. Quod ſi Latinam verſionem Græcæ præferas, licebit Sem maiorem dignitate interpretari, non annis, præſertim cum vox Hebraica *magnum* proprie, non *maiorem* ſignificet. Hebraica ſic verto: *De Sem natus etiam ipſe pater omnium filiorum Heber* (id eſt Hebræorum) *fratre Iapheth maioris*, vel *maiore*. Iudæi Hebræi ſunt dicti ab hoc Heber, Iſraelitæ a Iacob, Iudæi a Iuda filio Iacob; ſed non antequam in captivitatem ductæ ſunt decem tribus: ſic Elias in Thiſbi.

V. 22. FILII SEM: AELAM. Ab hoc AElamis in Perſide. ASSUR. Aſſyriorum hic pater; ſic a beatitudine dicti, & rerum copia. ARPHAXAD. Chaldæorum hic pater, a quo Heber, & Abraham. LUD. Ab hoc Lydios Ioſephus deducit. ARAM. Syriam hic coluit, a quo & Aram Hebraice dicta eſt.

V. 23. FILII ARAM: Us. Hic provinciam Palæſtinam inter & Cœleſyriam, dictam Trachonitidem, conſtituit, quam Sept. in Iob vocant Auſitidem, quaſi Uſitidem, ubi Job principatum tenuit. GETHER, a quo Getæ prope Thraciam ab his in Scandiam tranſgreſſis Gotthi. Maſſagetas a Getis deducit Iſidorus, quaſi graves Getas dixeris.

Verſ. 29. ET OPHIR. Hic ad auream Cherſoneſum habitavit, quo Salomon claſſem mittebat auri comportandi cauſa. Pegu eſſe creditur in ſinu Bengalæ. ET HEVILA. Hic Hevilam alteram condidit, quæ flumine Phiſon, id eſt Gange alluitur, Gen. II. verſ. II.

V. 32. AB HIS DIVISAE SUNT GENTES IN TERRA POST DILUVIUM. Quæ ergo de Ionito quidam ex Methodii Revelationibus tradunt, genitum a Noe poſt diluvium, & multis prærogativis prælatum ceteris, commentitia ſunt; quando a tribus Noe filiis & eorum poſteris diviſas per orbem gentes hoc loco Moyſes teſtatur.

MALVENDAE.

Verſ. 2. GOMER. Ab iſto ſunt Galli, Gallogræci, Galatæ, Comari, Cimmerii, & aliæ gentes Scythis finitimæ. De Comaris Mela Lib. I. cap. II. Vide Antichriſtum noſtrum Lib. VI. cap. XXV.

xxv. MAGOG. Scythæ, Maſſagetæ, Tartari. Vide Lib. VI. de Antichriſto, cap. xxxi. MADAI. Medi. IAVAN. Iones, ſeu Ionia, ſeu Græci. THUBAL. Iberes Pontici, & Hiſpani, & Itali. Vide Antichriſtum Lib. VI. cap. xxii. & xxiv. MESCHEC. Cappadoces Pontici, ubi Mazaca urbs, & tota orientalis Ponti Euxini ora, item littus orientale Mæotidis, & Scythiæ, ſeu Tartariæ pars ad Tanaim, atque ipſa etiam Moſchovia. Vide Antichriſtum Lib. VI. cap. xxi. THIRAS. Thraces.

V. 3. ASCHENAZ. Germani. Quibuſdam, Sarmatæ. Aliis, Pontici, & Bythini, ubi lacus, & fluvius Aſcanius; Plinio, & Ptolemæo; & regio Aſcania Straboni. Aſiam exponunt apte ex Ierem. LI. 27. RIPHATH. Paphlagones, olim Riphatæi. Aliis, Riphates, Melæ: vel Riphæi montes. I. Paralipom. I. verſ. 6. *Diphath* ſcribitur. THOGHORMAH. Phryges. Aliis, Germani: Aliis, Turcæ. Aliis, Armenia minor, in qua reges Tygranes. & urbes Tygranocertæ. Vide Antichriſtum. Lib. VI. cap. xxv.

Verſ. 4. ELISA. *AEoles*. Aliis, Siculi. THARSIS. Cilices, ubi Tarſus Ciliciæ. Vide Antichriſtum Lib. VI. cap. xxix. §. I. & 2. CETHIM. Cretes, Cyprii, Macedones, Græci. Itali. Vide Antichriſtum Lib. VI. cap. II. DODANIM. Rhodii a ודד *dod* Hebræo, quod idem eſt quod ῥόδον Græce, id eſt *roſa*. Conſtat Rhodios monetam roſa ſignaſſe, extantque hodieque eiuſmodi nummi. Niſi dicamus, ſimilitudine litterarum Hebraicarum pro ד poſitum ר. Certe I. Paralipomen. I. verſ. 7. *Rodanim* ſcribitur. Vide Antichriſtum ibidem.

V. 5. AB HIS DIVISAE SUNT INSULAE GENTIUM. Intelligunt, filios Iaphet partitos inter ſe transmarinas regiones. Nam Græcia, & Italia aliæque terræ continentes, Hebræis, non minus quam Rhodus, aut Cyprus, inſulæ dicuntur, propter interpoſitum mare: Hebræi ſiquidem inſulas appellabant quaſcumque terras ad quas non niſi per mare communis erat tranſitus, nondum luſtratis ex omni parte regionibus, an mari undique cingerentur: unde factum ut loca etiam continentia, mari tamen mediterraneo proxima, & ab eius inſulis haud procul diſſita, ad quæ ex Iudæa non niſi per mare ſolerent transmeare, inſulæ appellarentur. Sic capiunt illud Ierem. xxv. 22. *Regibus terræ inſularum, quæ ſunt trans mare*. Et Sophoniæ II. II. *Adorabunt eum viri de loco ſuo, omnes inſulæ gentium*. Vide Antichriſtum Lib. VI. cap. II. Sed veriſimilius eſt, Eliſah, Tharſis, Cithim, Dodanin, occupaſſe & incoluiſſe omnes inſulas AEgæi, Ionii, & Carpathii maris, quæ ſunt innumeræ.

V. 6. CHUS. AEthiopes Africani ſub AEgypto, & magnum illud Abyſſinorum imperium. Vide Antichriſtum Lib. VI. cap. xvIII. MESRAIM. AEgyptii, omnium conſenſu. Vide Antichriſtum Lib. VI. cap. xvI. PHUT. Libya, ſeu utraque Mauritania Tingitana, & Cæſarienſis, Getulia, Numidia. Veteris nominis veſtigium extat in regno Feſſenſi. Vide Antichriſtum Lib. VI. cap. xvI. Aliis *Phut* ſunt Troglodytæ.

V. 7. SABA. Hebr. *Seba* cum *Samech*. AEthiopia Abyſſinorum, ubi regia Saba. Aliis regio Sabæa Arabiæ, propior ſinui Arabico. Vide Antichriſtum Lib. VI. cap. xxvII. HEVILA. Arabiæ pars, quam incoluerunt Iſmaelitæ & Amalecitæ. Geneſ. xxv. 18. & I. Samuel. xv. 7. Aliis Getulia in Africa. Quidam *Suſianem*, putantque eam eſſe Geneſ. II. verſ. II. de qua Vide Paradiſum noſtrum, cap. XLI. SABATHA. Divinant eſſe imam regionem Arabiæ Felicis proximam ſinui Arabico, ubi urbs Sabathra, de qua Plinius Lib. VI. cap xxvIII. Ioſephus Aſtabarros vocat. Si ſunt ad flumen Aſtaboram habitantes, erunt in AEthiopia. Quidam Stabæos Ptolemæi ſuper ſinum Perſicum putant. REGMA. Populos Arabiæ Felicis volunt eſſe ad ſinum Perſicum, ubi Regamam urbem ponit Ptolemæus. Alii hariolantur Carmaniam. SABATHACHA. Regionem ſomniant Arabiæ Felicis ſub ſinum Perſicum, ubi ſunt Sachelitæ Ptolemæo. SABA. Hebr. *Scheba*, cum *Scin* dextro. Sabæa regio Arabiæ Felicis thurifera & myrrhifera ſinui Perſico propior. Aliis AEthyopia ſub AEgypto, ſeu Abyſſinorum. Vide Antichriſtum Lib. VI. cap. xxvII. DEDAN. Quidam Palmyrinam regionem, in qua Alſadanus, vel Aladanus mons. Aliis eſt ſuperior tractus Arabiæ Felicis, propinquus Regmæ. Ex variis Scripturæ locis conſtat, populos eſſe Arabiæ Deſertæ, vel Petrææ in Idumæa, vel prope Idumæam, Ammonitis, Moabitis, Iſmaelitis, Cedarenis ſeu Agarenis

renis vicinos, & confines. Vide Antichristum Lib. VI. cap. XXVIII.

V. 8. NEMROD, *defectorem*, *apostatam*, *rebellem*, *desertorem*. Alii *amarum dominatorem*, id est tyrannum, interpretantur. POTENS. גבור *gibbor*, *fortis*, *potens*, *prævalidus*, *strenuus*, *herus*, *heros*, *gigas*, *superior*. Gigas Græcis, teste Hesychio, non semper significat hominem inusitatæ magnitudinis. sed interdum dynastem, fortem. Omnes intelligunt, Nemrod fuisse primum qui in mundo tyrannidem arripuit: nam antea hominum status mediocris erat, ut si qui aliis præessent, non tamen dominarentur, nec sibi imperium sumerent; sed dignitate aliqua contenti, civilem in modum regerent alios, & plus in eos auctoritatis haberent quam potentiæ. At Nemrod *cœpit esse potens in terra*; id est, cœpit usurpare imperium, & dominari in alios, affectavit tyrannidem. Non aliene hic reddes: *Ipse violentavit*, *violavit*, *profanavit*, *vim intulit*, *ad esse prævalidus*, *superior*, *herus in terra*; id est, violato iure naturæ, vi arripuit tyrannidem, miscuit sacra profanis, ut imperaret; omnia polluit, contaminavit ut rex esset. Sic ponitur verbum חלל *chalal* in Hiphil, Ezechiel. XXXIX. 7. Vide supra cap. IV. vers. 26. & cap. IX. vers. 20. Aut aliter: *Ipse fistulavit*, *perforavit ad esse superior*, *herus*, *prævalidus in terra*; quasi dicat: Omnia fistulavit, corrupit, pertudit, perrupit, perterebravit, ut rerum potiretur. Quidam reddunt: *Hic cœpit esse heros violentus in terra*. Vide supra cap. IX. vers. 20. notionem verbi *chalal*.

V. 9. ET ERAT ROBUSTUS VENATOR CORAM DOMINO. Ex verbo: *Ipse fuit prævalidus venatione*, seu *venationis*, *faciebus* IHVH. Quidam, *prævalidum venationis* exponunt, gnarum venandi, astutum, probe callentem artem venandi: sic cap. XXV. vers. 27. Communiter intelligunt, metaphorice significari, fuisse Nemrod truculentum, raptorem, latronem, insidiatorem, captorem, & oppressorem hominum; qui homines ut feras capiebat, & opprimebat. Possis exponere, *prævalidus latrocinio*: quod magno satellitio, & militibus mercede conductis succinctus incederet, stipatus coborte quasi prætoriana; quos antiqui latrones, quasi laterones, quod circum latera regibus obambularent, dixerunt. Recte quoque vertes, *fortis latro*. Venatorem latronem appellat Maro XII. AEneidos:

> .... *fixumque latronis*
> *Impavidus frangit telum*.

Verbum צוד *tzud latrocinari*, a *latere*, *insidiari*, *venari*, significat. Sed Nemrod latro, grassator, insidiator erat, qui latrocinia exercebat, & manifestam tyrannidem profitebatur. CORAM DOMINO: *faciebus*, seu *ad facies Essentii*. I. Per summam impudentiam & Dei contemptum. Hispanice: *Alas barbas de Dios*. Vide cap. XVI. vers. II. II. Dei prætextu, & obtentu, seu specie, &, ut ita dicam, facie religionis, inducebat Nemrod suæ tyrannidi Dei faciem, quasi id Deus vellet, iuberet: multa Nemrod ad stabiliendum suum principatum constituebat, hominibus persuadens, quod ea grata & accepta Deo essent; ut Numa faciebat. Nihil æque continet atque cohærere facit cœtus humanos uti religio. III. *Coram Domino*, id est sub cælo, ut sit hyperbole, atque per excellentiam fortissimus fuerit omnium hominum qui sub cælo erant, ut nullus ei opibus, potentia, robore esset æqualis. IV. Ut illud *coram Domino*, indicet, quod Nemrod superbia ac vecordia se voluerit supra omnes efferre, & reliquos omnes quasi ex nubibus despicere: ut sit simile illud Maronis Ecloga V.

> *Sub pedibusque videt nubes & sidera Daphnis*.

V. Exile est quod quidam exponunt, *vere*, *revera*: quod Deus æstimet res ex vero & solido. Hos duos versus fuse exposuimus in Antichristo Lib. VI. cap. VI. OB HOC EXIVIT PROVERBIUM. Hebr. *Super sic dicetur*. Quidam ita resolvunt: Nemrod potens, & imperiosus fuit, ut dicere liceat, quemlibet violentum tyrannum, esse alterum Nemrod. Melius Noster intellexit: inde factum tritum sermone proverbium de tyrannis & oppressoribus, aut de fortissimis quibuscumque heroibus, eos esse similes Nemrod. Neque dubitandum quin Deus primum tyrannidis auctorem odiose & invidiose per omnium ora traduci voluerit.

V. 10. PRINCIPIUM REGNI EIUS. Sedes imperii, seu caput regni eius Babylon: cui etiam quatuor urbes subiectas memorat Moses, sive quod Nemrod eas condiderit, sive quod iustis earum dominis pulsis eas occuparit. Existimo post ædificatam turrem & urbem Babel, & post linguarum confusionem, quam describet cap. sequenti,

ti, Nemrod sedem constituisse imperii sui in Babylone; sed Mosen hic per prolepsin narrasse regnum Nemrod, quod de eo obiter incidisset sermo. ARACH, Edessa, urbs Mesopotamiæ. Aliis Cyrresthica regio Cœles Syriæ, Polybio, Plinio, Ptolemæo. ACHAD, Nisibis, nota & famosa urbs, *statuam*, seu *stationem militarem* Hebraice sonat. Aliis Achabene, seu Achadene regio Mesopotamiæ Ptolemæo. Vide S. Hieronymum in Traditionibus, & in locis Hebraicis, & Eusebiana Scaligeri, pag. 236. CHALANNE, Seleucia, seu Ctesiphon. Aliis Calcitis regio super Edessam Ptolemæo. Tremellius, & Iunius. *Oppidum Callinisum, munimentum robustum, & commercandi opimitate gratissimum*, inquit *Ammianus Lib. XXIII. cap.* VI. *a commoditate & perfectione habitationis dictum hic, & Amos* VI. *vers.* 2. *Alii Agrani esse putant, oppidum magnum Euphrati impositum, quod diruere Persæ, ut ait Plinius Lib. VI. Naturalis Historiæ, cap.* XXVI. *Seleuciam Hieronymus, Ctesiphontem Ierosolymitanus Paraphrastes vertit. Sed oppidum hoc Transtigritanum est, quod huic loco non satis convenit.* SENNAAR. Singara urbs Mesopotamiæ, a qua pars campestrium Mesopotamiæ dicta Singarena Sexto Rufo in Breviario imperii cap. XXVI. Ex hac putant quidam ortos errones illos, quos Itali *Singaros*, nos *Oitanos* vocamus. De Sennaar plura habes in Antichristo Lib. IV. cap. XVII. & Lib. VI. cap. VII.

V. 11. DE TERRA ILLA EGRESSUS EST ASSUR. Nescio cur hunc Assur alium faciant ab Assur filio Sem, infra vers. 22. Ille enim est qui condidit Assyriam. Sed Moses usus est hic prolepsi, occasione novi imperii Babylonii, loquendi de Assyrio, quod inde ortum. Unde exponunt I. per occasionem hic verba fieri de Assur filio Sem, quod, cum habitaret in vicinia Nemrod, violenter inde expulsus fuerit, ut hoc modo barbaram ferociam Nemrod notaret Moses. Alii volunt, non violenter fuisse expulsum; sed cum esset Assur vir pius, ne cum homine impio habitaret, cessisse illi, cum videret eum affectare tyrannidem. Vide Michææ v. 6. II. Alii legunt: *Ex hac regione egressus est* (scilicet Nemrod) *in Assyriam*. ut eam scilicet subiugaret, & imperii sui fines propagaret. Ut hic Assur non sit nomen proprium viri, sed regionis sic ab ipso denominatæ, & Assur sit accusandi casus, pro *Assurah* cum *He* locali; vel *Le Assur*. Ita sensus erit, Nemrod amplo & opulento regno non contentum, longius sua cupiditate vagatum esse, & protulisse imperii sui fines usque in Assyriam, & illic quoque novas condidisse urbes. Cave probes hanc interpretationem, quæ tibicine fulciente indiget.

Notant, hic *exire*, vel *egredi*, esse vel in expeditionem, vel ad quærendas novas sedes, & colonias deducendas. De bello, Zachariæ XIV. 3. *Egressus est Dominus & pugnavit in gentes*. Habacuc III. 17. *Egressus es ad salutem populi tui*. II. Samuel. XI. I. *Quo tempore egrediuntur reges*, scilicet in expeditionem. Isaiæ XLII. 13. *Dominus ut robustus miles egreditur*. Psal. LIX. 12. *Non egredieris Deus in exercitibus nostris*.

ET PLATEAS CIVITATIS. Hebr. & רחובות עיר *rechoboth ghir*, putant esse nomen proprium urbis, vel *Rechoboth* urbem. Voluntque esse Orobam ad Tigrim, cuius meminit Ptolemæus. Noster pro appellativo cepit, & singulariter *plateas* nominavit, quod urbi Niniveh amplissimas & latissimas plateas extruxerit. Alii reddunt: *Et latitudines, amplitudines civitatis*, quod Niniveh amplissima urbs supra modum fuerit, ut versu sequenti dicet. CHALE, putant esse Calacinam Assyriæ regionem apud Ptolemæum, quam Strabo appellat Chalachanam.

V. 12. RESEN, urbem esse aiunt Adiabenes, Besaram fortasse: Bassora hoc tempore notissima. Gehiagam appellat Beniamin Tudelensis in suo itinerario. HAEC EST CIVITAS MAGNA. De Niniveh intelligunt omnes. Et profani, & sacri scriptores magnitudinem & amplitudinem Niniveh mirifice prædicant. Vide Ionæ III. 3. Alii ad Resen referunt; quasi dicat: Etsi Resen sita esset inter Niniveh & Chala ingentes & populosas urbes, non tamen aut exigua, aut infrequens; sed magna etiam, & populo plena fuit.

V. 13. LUDIM. Nominibus his pluralibus filiorum Misraim, non tam filios ipsos Misraim recensere voluit, quam provincias, populosque qui a filiis illis propagati, & denominati sunt; perinde ac si dixisset: Genuit Lud, a quo denominati sunt Ludim: & sic de aliis. Opportune hic subiicio verba S. Hieronymi: *Exceptis Laabim, a quo Libyes postea nominati sunt, qui prius Phutei voca-*

vocabantur, & *Chasleim*, *qui deinceps Philistim appellati sunt*, *quos nos corrupte Palæstinos dicimus*: *ceteræ sex gentes ignotæ sunt nobis*: *quia bello AEthiopico subversæ*, *usque ad oblivionem præteritorum nominum pervenere*. *Possederunt autem terram a Gaza usque ad extremos fines AEgypti*. Sed conantur aliqui prisca nomina recentioribus restituere. *Ludim*, Ludæos vocant ad discrimen Lydorum, ubi regnavit Crœsus: infra vers. 22. Cyrenæos exponunt. Alii Libyes proprie dictos, a quibus Libya regio. Nonnulli Mareoticæ præfecturæ incolas in AEgypto. Veteres, Lydos Asiæ. Plurali forma tantum occurrit hic, & Ierem. XLVI. 9. ubi AEthiopibus & Libyis coniunguntur, & a sagittandi peritia commendantur. ANAMIM, quidam Troglodytas. Alii, Metammones, qui postea Nasamones Plinio, Ptolemæo, & aliis. Nonnulli Pentapolitas, sive Cyrenæos, ubi Ammonis Iovis oraculum. ענמים *ghanamim*, *oculum*, seu *fontem aquarum* interpretantur, quod in Cyrene fit fons ille solis admirandus, qui media nocte fervet, & meridie riget, quem describunt Mela Lib. I. cap. VIII. Plinius Lib. II. cap. CIII. Solinus cap. XXX. Nec desunt qui putent Ammonios, seu Hammanientes Plinii, & Solini. Veteres, *Pamphylios*. LEHABIM. Libyam, quæ continet Cyrenaicam & Marmaricam, AEgypto proximam. Vide Antichristum nostrum Lib. VI. cap. XVII. NEPHTUIM, quidam Africam minorem, & Numidiam. Alii, AEthiopes AEgypto conterminos, ubi urbs Naphata, seu Napata, Straboni, Plinio, Ptolemæo. Veteres, Figabios intelligunt, quos ego nescio.

V. 14. PHETRUSIM. Non dubito huius singulare esse פתרוס *Pethros*, quod extat Isaiæ XI. 11. Ierem. XLIV. 1. Ezechiel. XXIX. 14. & XXXIX. 14. Hic quidam Pelusianos exponunt, alii Phaurusios, seu Pharusios, Libyæ, seu AEthiopiæ populos, Straboni, Melæ, Plinio, Ptolemæo. Nonnulli, Parthos: plures, Arabes Petræos, seu Arabiam Petræam, cuius metropolis Petra. Plinius Lib. VI. cap. XXIX. Phthurim oppidum Candacis reginæ AEthiopum, expugnatum a Pub. Petronio AEgypti Præfecto sub Augusto, memorat. Et cap. XXVIII. Parthusos supra Susianos in Perside collocat. Veteres, Lydos hic putant. Vide Antichristum Lib. IV. cap. XVII. CHASLUIM. Cassiotidem regionem in introitu AEgypti, apud Ptolemæum volunt. Alii Saracenos existimant. DE QUIBUS EGRESSI SUNT PHILISTHIIM; id est, ex quibus orti, vel ducti in colonias Palæstini. Istud non ad antecedens Chasluim, sed ad subsequentes Caphtorim retulerim propter diserta loca Ierem. XLVII. 4. & Amos, IX. 7. ubi dicitur Philisthiim esse colonias deductas ex Caphtorim. Heb. *Et Casluchim*, *qui exierunt de ibi Philisthiim*, & *Caphthorim*; id est, & Caphthorim, ex quibus exierunt Philisthiim. Videntur verba traiecta. Quidam פלשתים *Pelisthim* dictos putant, quasi involutos in cineribus, id est implicitos curis huius sæculi. Annotant, tenuisse Philisthæos regionem maritimam ad occidentem Iudææ, quæ ab illis *Peleseth* est dicta: in qua ut quinque fuerunt satrapiæ, ita iuxta numerum earum, quinque etiam metropoles fuisse, Azotum, Gazam, Askalonem, Geth, & Accaronem; ubi satrapæ seu reguli ipsorum sederunt: Iosue XIII. 3. Vide Palæstinam descriptam a Plinio Lib. V. cap. XIII. Ptolemæo Lib V. cap. XVI. CAPHTORIM. Cappadoces, & Cappadociam interpretatur Noster, Deuter. II. 23. Ierem. XLVII. 4. Amos IX. 7. & id omnes amplectuntur. Ut distinguant a Mesech, Cappadocibus Ponticis, de quibus vers. 2. hic Cappadoces Tauricos, sive ad Taurum accipiunt. Vide de duplici Cappadocia Strabonem Lib. XII. pag. 368. & me in Antichristo Lib. VI. cap. XXI. Veteres hic Cilices exponunt. Quidam hariolantur Sethroiten nomon, seu præfecturam AEgypti, cum finitimis, de qua Strabo, Plinius, Stephanus, Tremellius, & Iunius hunc locum ita accipiunt: *Et Chasluchæos*, *unde egressi sunt Pelischthæi*, & *Caphthoræi*, *Casluchæos*, *Cassiotidis ad ingressum AEgypti incolas*. *Unde egressi sunt Pelischthæi*, id est, *a quibus coloni in tractum propinquum migraverunt*, *qui vulgo Palæstina dicitur*. *Atque hic quidem traiectionem antea esse putavimus ex Deuteron.* II. 23. *Ierem.* XLVII. 4. & *Amos* IX. 7. *sed illa mihi nunc videtur durior*, & *ad locorum istorum interpretationem minime necessaria*: *hæc enim dicuntur synecdochice iudicio meo*, *in hanc sententiam*: *Caphthoræos ad Casluchæos*, id est, *Cassiotas venisse*: *nam illac iter est petentibus Palæstinam*: *inde utrosque coniunctis viribus*, *sed principibus auctoribusque Caphthoræis in Palæstinam irrupisse*. *Et Caphtho-*

thræos, *Sethroitidis præfecturæ incolas*, *eorumque finitimos Ierosolymitanus*, & *Hieronymus quare exponunt Cappadoces*, *non video*. At nos recte videmus. Vide Ierem. XLVII. 4.

Verf. 15. HETHAEUM. Occurrunt hic decem nomina gentium posterorum Chanaan, quæ terram Chanaan, quæ postea terra promissa & sancta nuncupata fuit, incoluerunt: quarum frequentissima mentio in Sacra Historia præsertim in libro Iosue. Sed hic, quia prima earum incidit mentio, breviter dicentur. *Hethæi* tenuerunt partem terræ Chanaan versus ortum Sidoniis proximam, usque ad montem Gelboe. Iuxta Hebron & Bersabee, eos fuisse putant alii. Vide Iosue I. 4.

V. 16. IEBUSAEUM. Ierusalem, & loca proxima insedit, Iosue XVIII. 28. AMORRHAEUM. Magis ad austrum, & mediterranea loca proxima Arnon, & Moabitarum finibus, seu Arabiæ coluit, Numer. XXI. 13. GERGESAEUM. Hos Matthæus cap. VIII. 28. Gerasenos, seu Gergesenos vocat. Iuxta stagnum Tiberiadis, seu mare Galilææ fuisse, Eusebius, & S. Hieronymus autumant: qui rursum hæc de illa: *Cargasi civitas trans Iordanem iuncta monti Galaad*, *quam tenuit tribus Manasse*. *Et hæc esse nunc dicitur Gerasa urbs insignis Arabiæ*. *Quidam autem ipsam esse Gadaram existimant*. *Sed & Evangelium meminit Gerasenorum*.

V. 17. HEVAEUM. Horum metropolim & regalem urbem fuisse Gabaon, Eusebius & S. Hieronymus annotant. Non procul ab Ierosolymis aberat Gabaon, auctore Iosepho Originum Lib. V. cap. I. ARACAEUM. Iosephus: *Arcen urbem in Libano sitam obtinuit*. Ex quo & S. Hieronymus: *Qui Arcas condidit oppidum contra Tripolim in radicibus Libani situm*. SINAEUM. Hieronymus: *Ab oppido Arcas haud procul alia civitas fuit nomine Sin*, *quæ postea vario eventu subversa bellorum*, *nomen tantummodo loco pristinum reservavit*. Quidam Caparorsæ incolam exponunt, quæ urbs Ptolemæo in Idumæa non procul a Iebus, meridiem versus. Nonnulli habitasse tradunt in Septentrionali Arabiæ Desertæ parte, & Ierosolymæ versus meridiem. Alii somniant, Sinæum Hethæo ulteriorem versus ortum fuisse ad Iordanem fere. Huius nullibi alibi extat mentio nisi Isaiæ XLIX. 12. ubi plurale *Sinim*, legitur. Per febrem delirant qui hic Sinos populos extremi orientis intelligunt; cum hic diserte Scriptura dicat esse populos Chananæorum.

V. 18. ARADIUM. Iosephus: *Aradum insulam obtinuit*. S. Hieronymus: *Aradii sunt qui Aradum insulam possederunt angusto freto*, *a Phœnices littore separatam*. Addunt alii & Antaradum Syriæ urbem Plinio, Ptolemæo, & aliis. Nonnulli divinant, Aradium ultra Hevæum & Amorrhæum vastæ solitudinis Cades vicinam regionem incoluisse. Ezechiel. XXVII. 8. Sidoniis coniunguntur, & insulares esse videntur: *Habitatores Sidonis & Aradii fuerunt remiges tui*. SAMARAEUM. S. Hieronymus: *Samaræi*, *quibus Edessa nobilis Syriæ-Cœles civitas*. Quidam hariolantur, Samaræum conscendisse geminos montes Sanir inter Gergasæos, Sinæos, Hethæos. צמרים, *Tzemaraim*, urbis in Tribu Beniamin fit mentio Iosue XVIII. 22. & montis in Ephraim II. Paralipom. XIII. 4. Nomen habet a lanicio, seu lanificio, quod forte in ea regione exercerent, quasi dicas Lanarios. AMATHAEUM. Iosephus: *Amathus vero Amathen habitavit*, *quæ adhuc extat*, & *ab accolis Amathe vocatur*: *tametsi hanc Macedones Epiphaniam ab uno e regum successoribus denominaverunt*. S. Hieronymus: *Amath usque ad nostrum tempus tam a Syris*, *quam ab Hebræis*, *ita ut apud veteres dicta fuerat*, *appellatur*. *Hanc Macedones*, *qui post Alexandrum in Oriente regnarunt*, *Epiphaniam nuncupaverunt*. Et in IX. Zachariæ: *Emath ipsa est quæ ab Antiocho Epiphane condita*, *ex eo nomen accipiens*, *dicta est Epiphania*; & *nunc Syriæ-Cœles est civitas*. De qua Plinius Lib. V. cap. XXIII. XXIV. Ptolemæus Lib. V. cap. XV. Beniamin Tudelensis in Itinerario: *Anath ingressus sum*, *antiquum nomen retinentem*, *sub Libano monte sitam*, *secundum fluvium Iabok*. Quidam hic Amathæum, regionem a Libano ad Arabiam usque porrectam accipiunt. De Emath disserui in Antichristo Lib. IV. cap XVII.

V. 19. A SIDONE. Vide infra cap. XLIX. verf. 19. GERARAM. Eusebius, & S. Hieronymus: *Gerara*, *ex cuius nomine nunc Geraritica vocatur regio trans Daroma*, *procul ab Eleutheropoli viginti millibus & quinque*, *ad meridiem*. *Erat autem olim terminus Chananæorum ad Australem plagam*, & *civitas metropolis Palestinæ*. *Scriptura commemorat*, *fuisse eam inter Cades & Sur*; hoc est, *duas*

solitudines, quarum una AEgypto iungitur, ad quam populus trans fretum rubri maris pervenit: altera vero Cades usque ad Saracenorum eremum extenditur. Vide cap. XX. vers. I. GAZAM. Eusebius, & S. Hieronymus: *Gaza civitas Hevæorum in qua habitavere Cappadoces, primis cultoribus interfectis. Apud veteres autem erat terminus Chananæorum, iuxta AEgyptum, & est usque hodie insignis civitas Palæstinæ.* Vide Deuteronom. II. 23. urbs sacris & profanis auctoribus celebrata, Alexandri Magni præsertim obsidione. Curtius Lib. IV. Vide Iosue x. vers. 41. LESA. S. Hieronymus: *Lasa ipsa est, quæ nunc Callirhoe dicitur, ubi aquæ calidæ prorumpentes, in mare mortuum defluunt.* Callirhoem ultra Iordanem esse, diserte affirmat Iosephus Lib. XVII. Originum, cap. VIII. & I. Belli, cap. XXI. De qua vide Plinium Lib. V. cap. XVI. 24. Solinum cap. XXXVIII. Ptolemæum Lib. III. cap. XVI. Quidam *pulchras aquas* interpretantur.

Vers. 21. DE SEM QUOQUE NATI SUNT, &c. Turbatum & traiectum ordinem huius versus in Hebraico, ut alii concinnent, apud ipsos videre libeat: ego sic exprimo: Et ipsi Semo fratri Iapheth maiori, vel maioris, natus est is ipse qui fuit pater omnium filiorum Heber. Nimirum natus est Heber, qui fuit pater omnium eorum, qui dicti sunt Hebræi: ut pater omnium filiorum Heber non Sem sed Heber dicatur: ut hæc illustris appellatio ei potius competat qui nomen posteritati indidit: & illud, *natus est*, de abnepote dicatur, ut vers. 24. dicitur de nepote: nam Sela fuit nepos Arphacsad ex filio Kainan, uti dicemus cap. XI. vers. 12. PATRE OMNIUM FILIORUM HEBER. Ingens pugna doctorum, unde dicti sint Hebræi. Primus hoc nomine dictus reperitur Abraham, infra cap. XIV. vers. 13. Quidam existimant sic vocatum initio a Chananæis & Phœnicibus, quod ex Mesopotamia, ubi habitaverat, traiecto Euphrate in Chananæam commigrasset; quasi dicas, Transitorem, Traiectorem, Peratem, Transfluvialem, Transeuphratensem, uti dicimus Transpadanum, Transrhenanum: atque hanc appellationem posteris hæsisse, ut nominarentur Hebræi, id est Transitores, Transfluviales, quo nomine etiam AEgyptii, & alii gentiles eos nuncupant. Vide Iosue XXIV. 2. Alii nomen gentilitium ab ipso Heber abnepote Sem ductum arbitrantur: quam sententiam potiorem duximus in Antichristo Lib. VI. cap. III. FRATRE IAPHETH MAIORE. Non levis quæstio, quis maior natu fuerit Sem, an Iapheth. Hebræa ambigua sunt, & hic æque reddi possunt, *maiore*, ut ad Sem referatur, vel *maioris*, ut ad Iapheth. Consulto nos in re incerta ambiguitatem in nostra Translatione retinuimus. Sed rationem accentuum Hebraicorum, & fidem propemodum historiæ sequuti, imus magis in sententiam LXX. veterum Patrum, & Hebræorum, qui Iapheth maiorem faciunt. Noe 500. anno vitæ suæ incipit gignere, cap. V. 31. Sem biennio post diluvium erat 100. annorum, cap. XI. 10. est is annus vitæ Noe 602. cap. VII. 6. non ergo Sem primus, aut natu maximus. Cham primus aut maximus esse non potuit, cap. IX. 24. iam igitur Iapheth natu maximus. Scio ut hæc eludant alii, sed hoc est simplicius; nec abludit ab iis Noster, qui possit exponi, *fratre Iapheth maiore*, existente, ut sit ablativus absolutus.

V. 22. AELAM. Elymæi, præcipui Persarum, quorum metropolis Susa, Daniel. VIII. 2. Elamitas Lucas appellat, Act. II. 9. quos Parthis, Medis, & Mesopotamiis coniungit. Vide Antichristum Lib. IV. cap. XVII. Aiunt esse intus in superiore parte Persidis versus Mediam. Vide in Ierem. XLIX. 34. ASSUR. Assyria, sic a conditore dicta, supra vers. II. Vide Lib. III. de Antichristo, cap. XII. ARPHAXAD. Chaldæi, Iosepho, S. Hieronymo, & aliis. Quidam Susianos, & Susianam regionem volunt. LUD. Lydia, Asiæ minoris regio, in qua quondam imperavit Crœsus. ARAM. Syria, Iosepho, & Sancto Hieronymo, atque aliis. Quidam Armeniam Maiorem interpretantur, sumpto argumento & a similitudine vocabuli, & ab etymo: nam Aram *celsam* significat: Armeniam autem celsissimam terrarum esse, illud evincit, quod in montibus eius subsidente diluvio, arca Noe consederit. Vide cap. VIII. vers. 4. Porro annotant, Amos IX. 7. referri, translatos populos ex Kir in Aram, seu Armeniam; quæ Kir, si non est illa in Assyria, sed quæ in Moab sita est, in qua est provincia Sur; sequi certo ex illo eventu postea appellatam Sur, sive Syriam, eam quæ prius Aram, sive Armenia dicebatur; quamquam adhuc aliqua pars Armeniæ primævum nomen

men retinuerit. Aliis ista sunt incerta. Ceterum Aram esse Syriam non Armeniam, præter Scripturæ irrefragabilem auctoritatem, docet & Strabo Lib. XIII. qui ait Syros suo tempore Aramæos vocari. Et in calce Lib. XVI. annotat, Possidonium tradere Syros ab Homero Arimos appellari. Verba Strabonis sunt, Lib. I. pag. 42 *Qui enim a nobis Syri, ii ab ipsis Syris Aramæi dicuntur*. Et Lib.XIII. pag.627 *Syri, qui nunc Arami dicuntur*. Et Lib. XVI. pag. 784. *Nominat etiam Arimos Homerus, quos Possidonius docet esse accipiendos non locum aliquem Syriæ*, vel *Ciliciæ*, vel *alius terræ; sed Syriam ipsam: Arimæi enim sunt, qui in ea habitant; & fortasse Græci eos Aramæos*, vel *Arimos vocabant*. Syriam sane a Sur, ut Assyriam ab Assur credibile esse appellatam postea. Nec desunt qui ab Aram nepote Nachor fratris Abrahæ, Syriam denominatam velint: Genes. XXII. 21. Aram in Scriptura Syriam esse, non est dubium. De variis Aram, seu Syriæ nominibus & regionibus, suis locis, uti occurrent, dicemus. *Syria*, inquit Plinius, Lib. V. cap. XII. *quondam terrarum maxima, & pluribus distincta nominibus*.

V. 23. Us. Iosephus: *Uses habitator Trachonitidis fuit, Damascique conditor: ea sita est Palæstinam inter & Syriam agnomine Cœlen*. S. Hieronymus: *Huz Trachonitidis & Damasci conditor, inter Palæstinam & Cœlen-Syriam tenuit principatum: a quo LXX. Interpretes in libro Iob, ubi in Hebræo scribitur terra Huz, regionem Ausitidem, quasi Husitidem transtulerunt*. Quidam Trachonitidem Ausanitidem. Alii Armeniam minorem, ridicule. Hul. Iosephus: *Hulus Armeniam tenuit*. S.Hieronymus: *Hul, a quo Armeni*. Aliis est Acolis Asiæ minoris regio. Quibusdam Palmyrene ad Euphratem usque, ubi oppidum Cholle Ptolemæo. Gether. Iosephus: *Gheteris Bactrianos tenuit*. S. Hieronymus: *Gheter, a quo Acarnanii, sive Carii*, aut *Cares*. Excerpta Latino-barbara Africani & Eusebii, Gosphinios exponunt, quam gentem nescio. Quidam AEtholios putant, Achaiæ regionem, & prope Gargaram AEtolorum Coloniam, Melæ Lib. I. cap. XVIII. Alii Apamenen, ubi Atargatis culta. Vide Plinium Lib. V. cap. XXIII. Nonnulli Getas prope Thraciam, seu Gothos. Mes. Iosephus: *Mesas vero Mesanæos tenuit; nunc Pasini castrum vocatur*. Susianæ oppidum Ptolemæo, Pasines, seu Spasine Plinio, Pasine Arriano. S. Hieronymus: *Porro Mes, nunc vocantur Mœnes*. Mœnia Asiæ regio Straboni, Plinio, Ptolemæo, & aliis. Quidam Mysiam, seu Mœsiam. Aliis Mes est superior tractus Syriæ inter Ciliciam & Mesopotamiam, ad partem usque Amani montis, quem Masium vocant. Sunt & Masii Persiæ populi, apud Herodotum. Sunt & Massianæ gentes inter Cophen & Indum flumina, Straboni. Est Mes fluvius Corasenæ regionis in oriente, quem nemo præter Alexandrum adiit, ubi adamas reperitur, teste Serapione. Sed hoc est in vocum similitudine divinare.

V. 24. Arphaxad genuit Sale, per interiectum Kainam. Vide cap. sequens, vers. 12.

Vers. 25. Phaleg: eo quod in diebus eius divisa sit terra. Vide cap. sequens, vers. 1. 7. & seqq. videtur Phaleg natus eo tempore quo terra dispertita in varias linguas, & habitationes. Vel Heber vir pius, vaticinio indidit filio nomen, a re quæ ætate eius eventura erat.

Vers. 26. Iectan genuit Elmodad. De quatuordecim his gentibus, quæ hic subiiciuntur, Iosephus: *Hi a Cophene fluvio Indiæ ad Assyriam usque habitant*. S. Hieronymus in Traditionibus: *Harum gentium posteriora nomina invenire non potui; sed usque in præsens, quia procul a nobis sunt*, vel *ita vocantur ut primum*, vel *quæ immutata sunt, ignorantur. Possederunt autem a Cophene fluvio omnem Indiæ regionem, quæ vocatur Ieria*. Et in locis Hebraicis: *Fuit autem unus de posteris Heber, nomine Ophir, ex cuius stirpe venientes a fluvio Cophene usque ad regionem Indiæ, quæ vocatur Ieria, habitasse refert Iosephus: a quo puto regionem vocabulum consequutam*. Et in eisdem locis: (*Sed & unus de minoribus Noe, Evilah dictus est: quem Iosephus refert cum fratribus suis a flumine Cophene, & regionem Indiæ, usque ad eum locum, qui appellatur Ieria, possedisse*.) In Antichristo Lib.IV.cap.XXXV. in Iosepho pro *Assyriam*, & in S. Hieronymo, pro *Ieriam*, emendavimus Seriam, vel Sericam, unde Seres populi Indiæ orientalis geographis notissimi. Nam alioqui Ieria est nihili vocabulum, nec apud ullum Auctorem inter Indiæ regiones numeratur. Vide etiam Paradisum nostrum, cap. XLI. Certumque est Semi filios, ac posteros hic

X 2 enume-

enumeratos, incoluiſſe Aſiam orientemque ab Euphrate uſque ad Indicum Oceanum. Ioſephus: *Semæ vero filii Aſiam uſque ad Indicum Oceanum incoluerunt: ab Euphrate propagandæ ditionis initio facto*. Hoc ipſum docent S. Hieronymus in Traditionibus, & S. Epiphanius in Anchorato, pag. 1022. Excerpta Euſebiana, & Africana: *Eſt autem habitatio filiorum Sem, in longitudine, India uſque Rhinocoruram. Latitudo a Perſide & Bactris uſque in inferiorem Indiam*, nempe Arabiam Felicem. Sed vide quo progreſſa eſt quorumdam vanitas, in affingendis vetuſtiſſimis & obſcuriſſimis hiſce gentibus, novis nominibus. *Iectan* putant eſſe novi orbis Colonii ingentem peninſulam, ſeu promontorium Iucatan, oppoſitum Floridæ, nullo alio indicio niſi ſimilitudine vocis. ELMODAD. Themeothas, ſeu Thethmontas exponunt Sarmatiæ Aſiaticæ Pomponio, & Ptolemæo. Alii Emodios montes Ptolemæo. SALEPH, Selebios volunt. Excerpta, Bactrianos. ASARMOTH, Sarmatas, ſeu Sauromathas putant. Alii Carmaniam. IARE, Ariam, & Arachoſiam, Melæ, Ptolemæo: vel Zarathas Ptolemæi.

Verſ. 27. ADURAM, Hircaniam exiſtimant. UZAL, Oziam Bactrianam, vel Oxianos Sogdianæ regionis Ptolemæo. DECLA, Scythiam intra Imaum. Excerpta, Gedroſiam.

*V.*28. EBAL, Bolitas, ſive Obelitas intra Caucaſum & Paropanyſum montes, Ptolemæo. Excerpta, Scythas. ABIMAEL, Imaenſes ſive Imaos quorum eſt mons inſignis Imaus in India ad mare Eonm. Excerpta, Hircanos. SABA, Sacas, Pomponii. & Ptolemæi, Strabonis, Plinii. & Diodori.

V. 29. OPHIR, volunt eſſe *Peru*, ſeu *Peruniam*, ingentem novi orbis regionem. Quam ſententiam improbavimus in Antichriſto Lib.IV.a cap.XXIX uſque ad XXXVII. incluſive, ubi docuimus Ophir eſſe ampliſſima regna Peguſia, Malachiam, Somatram, & immenſam illam oram maritimam & Orientalem Sinus Gangetici. HEVILA, longe hic diverſus ab illo de quo verſ. 7. Hunc incoluiſſe volunt Indiam orientalem, & Gangeticas regiones, fortaſſe Bengalam, & totam occidentalem oram Sinus Gangetici. Quidam exiſtimant, Hevilah eſſe Indiam intra Gangem, & Ophir Indiam extra Gangem. Vide Paradiſum noſtrum, cap. XLI. & Lib. IV. de Antichriſto, cap. XXXV. Ridicule quidam hanc diſtinguunt ab ea de qua ſupra cap. II. verſ. II. & *Suſianem* illam faciunt. IOBAB, hariolantur eſſe novi orbis occidui eam partem, quæ Parias dicitur, Peruanæ regioni fere obverſam, auro, margaritiſque abundantem; ſeu oram illam vaſtam Novi orbis, ab urbe Nominis Dei ad fretum Magellanicum, magno oceano quem *del Norte* vocant, adiacentem.

*V.*30. MESSA. Euſebius, & S. Hieronymus in locis Hebraicis: *Meſſa, regio Indiæ, in qua habitaverunt filii Iectan, filii Heber*. Meſæ ſunt Indiæ populi circa Indum Fluvium Plinio Lib. VI. cap. XX. Quidam hic Meſſa, montem Maſium, Amani partem intelligunt. SEPHAR MONTEM ORIENTALEM. Euſebius, & S. Hieronymus in locis: *Sephar mons Orientis in India, iuxta quem habitaverunt filii Iectan, filii Heber: quos Ioſephus refert a Cophene flumine, & Indiæ regionibus uſque ad id locorum perveniſſe, ubi appellatur regio Ieiria* (lege Seria, aut Serica.) *Sed & claſſis Salomonis per triennium hinc quædam commercia deportabat*. Quidam exiſtimant, Sepher hic eſſe Sipharam Ptolemæo, ad Euphratem ſitam coniunctam montibus Chaldææ: nam hos dici hoc loco montes orientis, ut Numer. XXIII. II. Vide II. Reg. XVII. verſ. 24. Alii Imaum montem potius putant. Recentiores nonnulli ſomniant, eſſe longiſſimum & altiſſimum tractum illum omnium montium qui hactenus in orbe viſi ſunt, a noſtris Andes dictum in novo orbe occiduo, qui a nova Hiſpania per anguſtias Panamaticas totam regionem Peruanam traiicit, ad fretum uſque Magellanicum.

In exprimendis nominibus gentium & regionum, quas hoc capite deſcripſit Moſes, certiores quos ſequeremur auctores, non habuimus, Ioſepho, Euſebio, S. Epiphanio, S. Hieronymo, & aliis hos ſequutis; adhibuimus quoque Excerpta quædam Latino-barbara ex Lib. I. Chronicor. Euſebii; & ex Iulio Africano, quæ publicavit Ioſephus Scaliger: item Collectionem quamdam ex Chronico vetuſtiſſimo ſub Alexandro Severo, quam edidit Henricus Caniſius, quæ quoque videtur ex Africano deſumpta. Recentiores, qui his addiderunt, aut mutarunt, ſuo tantum iudicio, levibus & incertis coniecturis divinaſſe non eſt dubium.

Hæc

Hæc nobis commentantibus, obiit Philippus III. Hispaniarum rex, pridie Kalend. Aprilis, M.DC.XXI. qui natus fuerat Idibus Aprilis, M.D.LXXVIII. vixit XLIII. annos, XIII. minus dies.

MENOCHII.

Verf. 1. HOc cap. filiorum Noe generationes describuntur, & quæ ex quibusque gentes ortæ sint. Difficultas est quæ nationes nunc respondeant nominibus quæ hoc capite habentur. Sectabimur probabiliora ab aliis tradita, nam certi nihil habemus.

V. 2. GOMER: ab hoc nati perhibentur Gomari, seu Cimbri, & Cimmerii. MAGOG: ab hoc Getæ, & Masagetæ Scythicæ gentes, & Tartari, de quibus Ezech. XXXVIII. & XXXIX. MADAI: hinc Medi. IAVAN: Iones. THUBAL: Hispani, Iberi, tam qui in Europa, quam qui ad Pontum Euxinum, sive hi ex illis, sive illi ex his oriundi sint. MOSOCH: Moschovitæ. THIRAZ: Thraces.

V. 3. ASCENEZ: Germani. Hebræi Germaniam Hebraice vocant Askenez. RIPHATH: Paphlagones. THOGORMA: Turcæ.

V. 4. ELISA: Itali, vel Fortunatarum insularum incolæ, nam insulæ Elisiæ dictæ. THARSIS: Tharsenses. CETTHIM: Citii, Cretenses, Cyprii. DODANIM, quasi Rodanim: Rhodii.

V. 5. INSULAE GENTIUM. Hebræi omnes regiones, ad quas ex Iudæa navibus itur, vocant *insulas*, sive vere sint insulæ, sive non. Ierem. XXV. 22. Sophon. II. II.

V. 6. CHUS: AEthyopes. MESRAIM: AEgyptii. PHUTH: Libyes, & Mauritani. CHANAAN: Chananæi.

V. 7. SABA: Abyssini, sive Arabes Sabæi. HEVILA: Getuli in Africa, vel gentes quædam iuxta sinum Persicum, & iuxta Amalecitas. I. Reg. XV. 7.

V. 8. NEMROD. Vox *Nemrod* rebellem significat, & filio huic Chus apte convenit: nam Dei contemptor fuit, & hominum tyrannus. ISTE COEPIT ESSE POTENS IN TERRA. LXX. vertunt: *Iste erat gigas*, mole corporis, robore, audacia, superbia, crudelitate. Scholia Græca *βίαιος*, *violentus*.

V. 9. ROBUSTUS VENATOR: non tam ferarum, quam hominum, quia vi, & insidiis homines captabat, opprimebat, necabat. Itaque venator, idem est ac latro. CORAM DOMINO: revera talis, & eximie talis fuit. Ita Ioannes Baptista magnus coram Domino, iudicio Domini, qui falli non potest.

V. 10. PRINCIPIUM REGNI EIUS BABYLON. Sensus esse potest duplex: vel caput regni ipsius fuisse Babylonem; vel ab ea initium regnandi captum, inde ad alia occupanda gradum factum fuisse. Nemrod iste fuisse videtur Belus Nini pater, auctor idololatriæ. ARACH, Edessa. ACHAD, Nisibis in Mesopotamia. CHALANNE, Seleucia, sive Ctesiphon regia Persarum. SENNAAR. Sic vocatur ager Babyloni circumiectus.

V. 11. ASSUR, Ninus filius Nemrod, qui vocatur Assur per anticipationem, quia postea fuit rex Assyriorum. NINIVE, civitas Assyriorum, cuius frequens mentio in Libris Tobiæ, & Ionæ. PLATEAS CIVITATIS. In Hebræo est רחבת עיר *Rechoboth, civitatem*, ut vertit Pagninus; sed vox hæc Hebræa significat etiam latitudines: itaque bene Vulgatus *plateas civitatis* interpretatus est.

V. 12. HAEC EST CIVITAS MAGNA: non Chale, sed Ninive est civitas magna. Itaque est hysteron proteron, & ita ordinanda sunt verba: *Rhesen quoque inter Chale, & Niniven: hæc est civitas magna.*

V. 13. LUDIM, Lydi, non illi quibus Crœsus imperavit, sed alii iuxta AEgyptum, de quibus Isa. LXVI. 9. Ezech. XXX. 5. LAABIM, Libyes in Africa. NEPTHUIM, Numidæ.

V. 14. PHETRUSIM, Arabes Petræi. CASLUIM, Philisthiim, cum quibus Iudæis perpetuum bellum. CAPHTORIM, Cappadoces.

V. 16. HETHAEUM, IEBUSAEUM, &c. nomina populorum qui a filiis Chanaan prognati sunt. Hi sedes habuerunt in terra promissionis. SINAEUM: incolæ deserti, & montis Sina.

V. 18. ARADIUM. Hinc urbes Aradus, & Antaradus iuxta Sidonem, de quibus Ezechiel. XXVII. 8. SAMARAEUM: incolæ urbis, & regionis Samariæ. Samaritani. HAMATHAEUM: incolæ urbis Emath, quæ in Scriptura est duplex, scilicet

licet Emath maior, quæ est Antiochia, & Emath minor, quæ est Epiphania.

V. 21. FRATRE IAPHETH MAIORE. Sensus est: de Sem, qui fuit frater maior Iapheto. AELAM: unde Elamitæ, id est Persæ. ASSUR: Assyrii. LUD: Lydii. ARPHAXAD: a quo Chaldæi. ARAM: a quo Armæi, sive Syri.

V. 24. HEBER: a quo Hebræi.

V. 25. PHALEG, EO QUOD IN DIEBUS EIUS DIVISA SIT TERRA: *Phaleg* enim Hebraice idem est quod *divisio*.

V. 29. OPHIR, HEVILA: hinc Indi, & variæ Indorum gentes.

V. 31. SECUNDUM COGNATIONES, ET LINGUAS: dicitur per anticipationem: nam varietas linguarum nondum inducta, sed tunc terra erat labii unius.

TIRINI.

Vers. 8. NEMROD COEPIT ESSE POTENS, scilicet tam mole corporis, quam robore, audacia, crudelitate. Unde LXX. pro *potens* legunt *gigas*.

V. 9. Hic ERAT ROBUSTUS VENATOR, non tantum ferarum, sed & hominum, quos instar prædonis, & tyranni partim vi & armis, partim insidiis & dolo captabat, spoliabat, sibi subiiciebat, & servire cogebat. Et quidem CORAM DOMINO erat talis, id est revera, & eximie, utpote etiam iudicio Dei, qui falli non potest.

Petes: Quis hic Nemrod? Respondeo fuisse Iovem, seu Belum Saturni filium, patrem Nini: nam in utrumque quadrant quæ de tempore, quæ de loco, quæ de tyrannide, & imperio, quæ de pravis moribus utriusque Euseb. Hieron. August. *a* & alii Scriptores tradidere. Utrumque faciunt primum Monarchiæ Assyriacæ auctorem; utrumque primum regem, & conditorem turris, & urbis Babel, seu Babylonis; utrumque primum auctorem idololatriæ; utrumque regnasse 65. annis. Huic in imperio, & tyrannide successit filius Ninus, qui patrem suum Belum, seu Bel & Baal (nam hæc erant Nemrodis, & Iovis cognomina; quasi dicas, dominum, & dominatorem) constructo illi templo, & sepulcro magnificentissimo, iussit publice pro deo coli; & morum ferocia, ac gentium devictarum fama etiam superavit, teste Iustino, Strabone, Diodoro Siculo & aliis. Hic Ninus infra vers. 11. vocatur *Assur*, quia dominus & monarcha Assyriorum, in quorum a se subactorum finibus, sibi cognominem condidit Niniven, seu Ninam, regia sua, & sede imperii in eam translata. Et *plateas* in ea construxit, scilicet illas latas & longas Ionæ III. *itineris trium dierum*. Ita S. Hieron. *b* & Diodorus Siculus, qui addit, ambitum murorum Ninives fuisse 480. stadiorum, hoc est 60. milliarum Italicorum *c*. Probabilius tamen putarim, *plateas* hic accipi pro nomine proprio urbis: nam in Hebræo, Chaldæo, Græco, & Arabico legimus, *Plateas civitatem*. Et I. Paralip. I. vers. 48. etiam Hebræum nomen *Rechoboth* retinetur in Latino textu, uti & Genes. XXXVI. vers. 37. & pro civitate ponitur.

V. 14. CAPHTORIM. Hebræum nomen Deuter. II. vers. XXIII. vertitur a Nostro Vulgato *Cappadoces*. Qui quales fuerint, ibidem exponam.

Reliqua huius capitis vide I. Paral. I. & Chronici nostri cap. XLVI. ubi ponitur arbor genealogiæ omnium Patriarcharum veteris testamenti.

(*a*) Euseb. in Chron. Hieron. in Qq. Hebr. Aug. Lib. XVI. de Civ. cap. VII.
(*b*) S. Hier. supra Diod. Lib. II.
(*c*) Vide Pererium, a Lapide, Bonfretium.

GORDONI.

Vers. 1. TRibus his filiis sic orbem divisit Hieronymus in Quæstion. Hebr. Sem data est Asia, sed valde orientalis; Iapheto septentrionalis Asia versus Taurum montem, & Europa tota. Cham occupavit Africam totam, & a Tauro monte usque ad Arabicum Oceanum; ac proinde Babylonem, Euphratem, & Tygrim. De horum progenie vide Iosephum Lib. I. Antiquit. Moses hic capita familiarum recenset, & aliquas inde profectas nationes. Sed quis nationes omnes (quod aliqui facere conantur) ad hæc capita pro certo reducet? Variarum gentium originem attingere conati sunt historici, partim etiam geographi, & ubi locus aliquis Scripturæ postulabat (quod satis est) etiam Bibliorum prolixi Interpretes. Vide

Vide Torniellum in Annal. & hic Emanuel.

V. 2. De Magog, vide Plin. in Cælesyria, & apud Ezechiel. cap. XXXVIII. vers. 2. Hinc Scythæ fluxerunt.

V. 8. & 9. Nemrod ex filiis Chus. Cum vocatur venator robustus, designat tyrannidem. Septuaginta gigantem vocant. Sic Psal. xc. vers. 3. venatoris nomen usurpari videtur: de laqueis, inquit, venantium liberavit Deus.

V. 10. & 11. De Babylone, Assyriis, Ninive, & horum origine, dixi abunde in Opere Chronologico, & ibidem in Compendio Geographico.

V. 19. En terminos Chananæorum a quatuor ventis, seu mundi plagis designatos.

V. 24. Ab Heber dicti sunt Hebræi, in cuius familia remansit, & conservata est lingua Hebraica.



CAPUT XI.

In turris Babel ædificatione, superborum fastus, ac lingua confunditur. Sem genealogia usque ad Abram texitur.

1 ERat autem terra labii unius, & sermonum eorumdem. 2. Cumque (*a*) proficiscerentur de oriente, invenerunt campum in terra Sennaar, & habitaverunt in eo. 3. Dixitque alter ad proximum suum: Venite, faciamus lateres, & coquamus eos igni. Habueruntque lateres pro saxis, & bitumen pro cæmento: 4. & dixerunt: Venite, faciamus nobis civitatem, & turrim, cuius culmen pertingat ad cælum; & celebremus nomen nostrum antequam dividamur in universas terras. 5. Descendit autem Dominus ut videret civitatem, & turrim quam ædificabant filii Adam; 6. & dixit: Ecce, unus est populus, & unum labium omnibus: cœperuntque hoc facere, nec desistent a cogitationibus suis, donec eas opere compleant. 7. Venite igitur, descendamus, & confundamus ibi linguam eorum, ut non audiat unusquisque vocem proximi sui. 8. Atque ita divisit eos Dominus ex illo loco in universas terras, & cessaverunt ædificare civitatem. 9. Et idcirco vocatum est nomen eius Babel, quia ibi confusum est labium universæ terræ: & inde dispersit eos Dominus super faciem cunctarum regionum. 10. Hæ sunt generationes Sem: (*b*) Sem erat centum annorum quando genuit Arphaxad, biennio post diluvium. 11. Vixitque Sem postquam genuit Arphaxad, quingentis annis, & genuit filios & filias. 12. Porro Arphaxad vixit triginta quinque annis, & genuit Sale. 13. * Vixitque Arphaxad postquam genuit Sale, trecentis tribus annis, & genuit filios & filias. 14. Sale quoque vixit triginta annis, & genuit Heber. 15. Vixitque Sale postquam genuit Heber, quadringentis tribus annis, & genuit filios & filias. 16. Vixit autem Heber triginta quatuor annis, & genuit Phaleg. 17. Et vixit Heber postquam genuit Phaleg, quadringentis triginta annis, & genuit filios & filias. 18. Vixit quoque Phaleg triginta annis, & genuit Reu. 19. (*c*) Vixitque Phaleg postquam genuit Reu, ducentis novem annis, & genuit filios & filias. 20. Vixit autem Reu triginta duobus annis, & genuit Sarug. 21. Vixit quoque Reu postquam genuit Sarug, ducentis septem annis, & genuit filios & filias. 22. Vixit vero Sarug triginta annis, & ge-

nuit

nuit Nachor. 23. Vixitque Sarug postquam genuit Nachor, ducentis annis, & genuit filios & filias. 24. Vixit autem Nachor viginti novem annis, & genuit Thare. 25. Vixitque Nachor postquam genuit Thare, centum decem & novem annis, & genuit filios & filias. 26. Vixitque Thare septuaginta (*d*) annis, & genuit Abram, & Nachor, & Aran. 27. Hæ sunt autem generationes Thare: Thare genuit Abram, Nachor, & Aran. Porro Aran genuit Lot. 28. Mortuusque est Aran ante Thare patrem suum, in terra nativitatis suæ in Ur Chaldæorum. 29. Duxerunt autem Abram, & Nachor uxores: nomen uxoris Abram, Sarai; & nomen uxoris Nachor, Melcha filia Aran, patris Melchæ, & patris Ieschæ. 30. Erat autem Sarai sterilis, nec habebat liberos. 31. (*e*) Tulit itaque Thare Abram filium suum, & Lot filium Aran, filium filii sui, & Sarai nurum suam, uxorem Abram filii sui, & eduxit eos de Ur Chaldæorum, ut irent in terram Chanaan: veneruntque usque Haran, & habitaverunt ibi. 32. (*f*) Et facti sunt dies Thare ducentorum quinque annorum, & mortuus est in Haran.

(*a*) Sap. x. 5. (*b*) I. Par. I. 17. (*c*) I. Par. I. 19. (*d*) I. Par. I. 28. Ios. xxiv. 2. (*e*) Ios. xxiv. 2. Nehem. ix. 7. Iudith v. 6. (*f*) Act. vii. 2.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

Vers. 13. *Vixitque Arphaxad, postquam genuit Sale, trecentis tribus annis.* Alii libri, consentanei Hebræo, & Chaldæo, scribunt *quadringentis* pro *trecentis*, hoc est augent numerum uno centenario.

NOTATIO.

Vers. 12. Hoc loco interiicit editio Interpretum lxx. generationem unam, idque ad hunc modum: *Et vixit Arphaxad annos* 135. *& genuit Cainam*: *& vixit Arphaxad postquam genuit ipse Cainam, annos* 430. (aut, ut quidam legunt, 330.) *& genuit filios & filias, & mortuus est. Et vixit Cainam annos* 130. *& genuit Sala*: *& vixit Cainam postquam genuit ipse Sala, annos* 330. *& genuit filios ac filias, & mortuus est. Et vixit Sala annos* 130. *& genuit Heber*. Hanc editionem S. Lucas tertio Evangelii sui capite (vers. 35. & 36.) ubi Christi genealogiam scribit, sequitur: *Qui fuit Heber, qui fuit Sale, qui fuit Cainam, qui fuit Arphaxad*. Hæc Cainam generatio in Hebræis, Chaldæis, & Latinis veteris testamenti codicibus non invenitur; sed ab Arphaxad Sale, a Sale Heber genitus legitur: quibus Philonis, & Iosephi Iudaicæ antiquitates consonant. Procopius Gazeus, „ Hebraica, inquit, „ veritas habet, Salem genitum esse ab Arphaxad: quæ enim in medio ponuntur, „ obelisco signata visuntur. " Merito autem existimandum est, generationem hanc, nec sine causa a lxxii. Interpretibus additam, nec sine mysterio a Moyse prætermissam; utrumque vere, utrumque prudenter factum esse; alterum & vere, & prudenter Lucam secutum esse. Recensetur conformiter ab omnibus Genes. v. 9. alius Cainam, filius Enos, pater Malaleel, quem & Lucas suo loco numeravit. Genuit autem Arphaxad secundum Hebræos, Chaldæos, & Latinos codices anno ætatis suæ 35. Sale: vixitque post genitum Sale, 403. annis. Et Sale genuit anno ætatis 30. Heber.

COMMENTARIA

SA.

Vers. 1. LABII UNIUS; scilicet, omnes Hebræa lingua loquebantur.

V. 2. ORIENTE, scilicet Armenia, ubi Arca substiterat.

V. 3. VENITE, pro agite dum.

V. 5. FILII ADAM, idest homines: sic filius hominis, idest homo. *Adam* autem positum pro hominum.

V. 7. VE-

7. VENITE. Angelis dictum, per quos Deus descendebat, & operabatur. August. XVI. de Civ. cap. v.

V. 9. BABEL, idest confusio, vel venit confusio.

V. 10. GENERATIONES; id est, qui originem duxerunt, seu posteri.

V. 11. FILIOS ET FILIAS. Non nominantur, quia Christus non ex iis nasciturus.

V. 12. GENUIT SALE. Nota, quod LXX. inter Arphaxad & Sale ponunt Cainan, magnumque annorum numerum. Vide Luc. III. Itaque cogimur dicere, deesse aliquid in nostra Editione: quod mirum non est, cum Matthæus in Christi genealogia aliquos omiserit. Quamquam dici potest, Hieronymum, cuius est nostra Editio, secutum Hebræa; quæ hic diminuta, ut alibi etiam. Vide Exod. XII.

V. 28. ANTE, idest coram, scilicet adhuc Thare vivente. UR, ita dicta, quia in valle posita. *Ur* enim *vallis*. Vide Isa. XXIV.

V. 29. DUXERUNT, pro duxerant. IESCHAE, scilicet sororis Melchæ. Hier. ait, Sarai dictam esse Iescham, scilicet fuisse binominem. Nota, oportere secundum hanc opinionem dicere, Aran fuisse maiorem natu quam Abraham.

V. 31. HARAN, Hebr. *Charan*, a fluvio Syriæ sic dicta.

ESTII.

Vers. 4. CIVITATEM, ET TURRIM, CUIUS CULMEN PERTINGAT AD CAELUM. Hic si proprie cælum intelligatur, facinus stultum, & insaniæ plenum fuit. Sed satis certum est hyperbolice significatum, voluisse eos ædificare civitatem, & turrim, cuius cacumen in immensam altitudinem erigeretur. Causam huius conatus reddunt quidam, ut veniente rursus diluvio haberent quo confugerent. Sed obstat, quod pauci in cacumine possint servari; tum maxime quod ipsi subdunt: ANTEQUAM DIVIDAMUR IN UNIVERSAS TERRAS: scilicet parum profuisset talis turris longe posita. Causam tertiam & indubitatam ipsi exprimunt, cum dicunt: ET CELEBREMUS NOMEN NOSTRUM. Causa igitur erat superbia, & gloriæ appetitus. Atque id etiam optime convenit cum ea re quæ mystice significatur: causa enim omnium hæreseon, & confusionis spiritualis Babylonis præcipua est superbia; ac tandem quoque hæreticos sequitur, ut nec sibi ipsis, nec veritati consona loquantur. Neque iuvat sententiam primam, neque etiam aliam adhuc stultiorem, quasi voluissent Deum cælo deturbare, id quod subiungitur: *Nec desistent a cogitationibus suis. Venite igitur, confundamus ibi linguam eorum:* nam nihil aliud significatur iis verbis, quam Deum odisse superbiam.

V. 7. VENITE, DESCENDAMUS. Non male hinc statuitur pluralitas, immo Trinitas personarum: unus enim loquitur, & ut minimum pluraliter (*Venite*) duos alloquitur. At dices, Deum loqui ad Angelos. Respondeo, nusquam reperitur sic ad Angelos locutus Deus ut dicat, Faciamus hoc aut illud; sed præcipit illis ut faciant. Et de personis Trinitatis hæc accipienda esse, convincit etiam illud Genes. I. *Faciamus hominem*, quod sane nullo modo potest de Angelis intelligi. Descendere autem dicitur Dominus, quia peculiare quoddam operaturus erat in terra, nempe linguarum confusionem. Vide nostra in I. Sent. dist. VIII. CONFUNDAMUS IBI LINGUAM ILLORUM. Origenes in Glos. ord. sup. num. 18. *Putandum est*, inquit, *quod diversi Angeli diversas in hominibus linguas & loquelas operati sunt. Verbi gratia, unus uni homini linguam impressit Babylonicam, alius Ægyptiam, alius Græcam, & sic fortasse diversarum gentium ipsi principes fuerunt, qui linguæ & loquelæ videbantur auctores. Mansit autem lingua per Adam primitus data, id est Hebræa, in ea parte hominum, qui non Angeli, aut principis, sed Dei ipsius erant portio.* Sic ille. Fuit ergo hic miraculosa operatio, sed & simul punitio, ut plerique scilicet subito prioris linguæ simul obliviscerentur. Et nota, quod non obstat his quæ hoc cap. narrantur, id quod cap. præced. in fine dicitur: *Isti filii Sem secundum cognationes, & linguas*: nam id per anticipationem narratur, sicuti multa alia alibi, & illo eodem capite etiam illud de Phaleg, quod *in diebus eius divisa sit terra*.

V. 14. ET GENUIT HEBER. Male quidam putant, ab isto Heber, Abraham,

 & po-

& posteros eius fuisse vocatos Hebræos. Vide infra Annot. cap. XIV. & I. Paral. I.

V. 26. VIXITQUE THARE SEPTUAGINTA ANNIS, & GENUIT ABRAM, ET NACHOR, ET ARAN. Etsi ex hoc ordine consequens non sit Abraham fuisse maiorem natu omnium (nam & Moyses semper Aaroni præponitur, etsi maiori natu) tamen mysterium dignitatis significari, dubium non est: & quidem Aran fuisse maximum natu, satis ex hoc ipso capite, de filiabus eius, & filio Lot indicatur, nisi forte quis dicat de diversis Aran, hoc eodem capite agi; quod tamen verisimile non est.

V. 31. ET EDUXIT EOS DE UR CHALDAEORUM. August. Quæst. XXV. in Genes. dicit Abraham in ignem a Chaldæis missum (quod eum colere nollet) inde liberatum esse. Hieronymo tamen magis videtur nomen loci significari, ex quo egressus sit Abraham, Thare, & reliqui. Neque tamen hæc pugnant: locus enim ab igne dictus videtur, videlicet quod ignis a Chaldæis solemnius coleretur.

MARIANAE.

Vers. I. ERAT AUTEM TERRA LABII UNIUS. Ex hac turris Babylonicæ ædificatione, ut Philaster ait, fabula Græcorum traxit originem, gigantes, ut bellum inferrent Iovi, montes montibus imposuisse in Macedoniæ campo Phlegra. Noti sunt Ovidii versus. Sed & tyrannorum ingenium exprimitur, qui ut se muniant adversus omnes casus, arces similes extruunt, subditis arte deceptis, eorumque sudore, & sumptu. *Labii unius*. Hæc erat Hebraica lingua.

V. 2. DE ORIENTE, id est ab Armenia, ubi constitit arca. IN TERRA SENNAAR. Chald. semper pro *Sennaar Babylonem* ponit.

V. 3. BITUMEN PRO CAEMENTO. Dicerem, pro calce, seu luto, quod היּמר *homer* proprie significat: nam *cæmentum* parietem e rudi lapide significat, non calcem, aut lutum quo lapides iunguntur.

V. 4. ANTEQUAM DIVIDAMUR IN UNIVERSAS TERRAS. Sic posuere Sept. Vox Hebraica, *Ne forte dispergamur*: nempe ut se munirent adversus externam vim, eam turrim constituere volebant: vel ut possent redire cum vellent, relicta ibi arce.

V. 5. AEDIFICABANT FILII ADAM. Hebr. *filii hominis*: nam *Adam* est appellativum; quasi dicat, homines.

V. 7. CONFUNDAMUS IBI LINGUAM EORUM. Ex una lingua septuaginta duæ evaserunt, ut magni Auctores testantur, iuxta numerum generationum Noe. Nam Iapheth quindecim generationes numerantur, Cham viginti septem, Sem triginta: unde totidem gentes fluxerunt. NON AUDIAT; idest, non intelligat.

V. 9. VOCATUM EST NOMEN EIUS BABEL, id est confusio, aut venit confusio.

V. 10. SEM ERAT CENTUM ANNORUM QUANDO GENUIT ARPHAXAD, BIENNIO POST DILUVIUM. Ex hoc loco fere colligunt, Sem non fuisse inter fratres Noe filios maiorem natu. Nam anno ætatis quingentesimo Noe cœpit generare, sexcentesimo eius fuit diluvium. Ergo filius maior eo anno fuit centum annorum, non biennio post.

V. 11. FILIOS ET FILIAS. Non ponuntur nomina, quia ex ea stirpe non fuit Christus.

V. 12. PORRO ARPHAXAD VIXIT TRIGINTA QUINQUE ANNIS, ET GENUIT SALE. *Vixit annos centum triginta quinque*, *& genuit Cainan*. Hoc sequitur Lucas cap. III. argumento certissimo, codices Hebraicos hac quidem parte esse vitiosos.

V. 16. GENUIT PHALEG. Hæc vox significat divisionem, quod tempore, quo natus est Phaleg, divisio linguarum est facta, anno centesimo primo post diluvium iuxta codices Hebraicos: nam Sept. multo plures annos numerant more suo.

V. 28. MORTUUSQUE EST ARAN ANTE THARE; id est *coram Thare*: sic Hebr. & Sept.

V. 29. DUXERUNT, pro duxerant. NOMEN UXORIS ABRAM, SARAI. Hæc alio nomine est Iescha filia Aran, Hieron. in Traditionibus, estque communis Expositorum sententia.

V. 31. UR sic dicta, quod in valle esset. *Ur* enim vallis est, Isaiæ XXIV. vers. 15. Hebraice est etiam UR, *lux*, seu *flamma*; quasi dicat, de flamma Chaldæorum: unde multa fabulandi occasio. HARAN est

est Syria absolute posita: nam pro Mesopotamia, vocatur Haran fluviorum.

V. 32. ET FACTI SUNT DIES THARE DUCENTORUM QUINQUE ANNORUM, ET MORTUUS EST IN HARAN. Sept. dicunt *Charan*: nam, ut docet Hieron. in Trad. solent semper pro Hebraica aspiratione ח substituere χ, nempe ad indicandam eius aspirationis duplicis asperitatem. Porro hi ducenti quinque anni possunt intelligi aut totius vitæ, quod verius puto, aut post migrationem in Haran, quod Hebræi quidam cogitarunt. Utroque modo locus cum Actis cap. VII. pugnare videtur, ubi Stephanus ait, Abram post Thare mortem profectum ex Haran. Cum capite proximo dicatur Abraham septuaginta quinque annorum fuisse, cum profectus est, Hieron. se discruciat, discruciant alii, & de suo multa fingunt, ut ea loca concilient. Nobis nec placet responsio, si demus Stephanum qui loquitur, lapsum memoria, ut Melchior Canus de Locis Theolog. ait: neque enim Evangelista id, ut ille ait, suis verbis ponit, cui falsum tribuere nefas est. Si qua commodior ratio sit, eam sequamur: de quo cap. proximo vers. 4.

MALVENDAE.

Vers. 1. ERAT AUTEM TERRA LABII UNIUS, &c. Quidam reddunt: *Fuerat enim universa terra, &c.* Notant, Mosen per hysterosin, usque ad vers. 10. exclusive, causas & initium explicasse historiæ originis gentium, & stationum earum, quæ superiore capite continetur: unde hoc caput usque ad vers. 10. perpetuum esse hyperbaton inserendum ante cap. x. deinde post cap. x. subnectendam historiam posterorum Semi, quæ hic a vers. 10. inchoatur. Quod genus hysteroseon in antegressarum causarum narrationibus frequentissimum esse observant, ut infra cap. XII. vers. 1. & I. Samuel. 1. 17. Matthæi 1. vers. 18. & cap. XIV. vers. 3. vide Iosue 11. vers. 5. LABII UNIUS, ET SERMONUM EORUMDEM: unica lingua, idiomate, ac sermone omnes loquebantur, audiebantur, intelligebantur; una lingua & loquela communis omnibus erat; nec ulla erat linguarum & idiomatum diversitas. Lingua autem qua tum omnes utebantur erat hæc pura, puta Hebraica, quæ nunc extat in sacris tantummodo Scripturis, qua Deus, primi parentes, Noe, Abraham, Moses, & Prophetæ loquuti sunt, ac sacra oracula condiderunt: quæ tum Syra & Chaldæa vocabatur, quod Noe, Abraham, & alii Patres, qui in Syria & Mesopotamia, seu Chaldæa habitarunt, ea uterentur: nam quæ nunc Syriaca & Chaldaica dicuntur, luxationes, dialecti, & veluti divergia sunt puræ illius & primigeniæ Hebraicæ: quam certe primævam fuisse, manifesto argumento sunt etymologiæ nominum propriorum primorum hominum, & aliarum rerum, quæ tum ita appellabantur, quas Scriptura illis assignat, quæ tantum in Hebraica lingua vim & rationem proprie habent, ut Adam, Heva, Kain, Seth, Noach, Phaleg, Abraham, Isaac, Iacob, Israel, &c. Item Babel, Ierusalem, &c. quæ passim in sacris litteris occurrent. Quidam hic distinguunt, ut verba sint eadem, labium tamen, id est modum ac sonum proferendi & pronuntiandi interdum esse diversum. In Hispania eamdem linguam aliter pronuntiant Bætici, aliter Castellani. Sic nunc in Italia; sic tempore Christi Ierosolymitani & Galilæi. Alii labium, linguam, seu loquelam intelligunt; sermones vero, vel verba, phrasi Hebraica, res ipsas, actiones, negotia, ut tunc homines, ut unius linguæ, sic earumdem rerum fuerint, & inter ipsos maxima morum ac negotiorum simplicitas, & concordia extiterit.

V. 2. AB ORIENTE. Heb. *de anterioritate*, quia oriens est anterior mundi pars, in Scripturis, Psalm. CXXXVIII. 5. hoc est, ex Ararat, seu Armenia, quæ Chaldææ, seu Mesopotamiæ, ubi Babel, orientalis est. Verisimile enim est, exacto diluvio, Noe, eiusque posteros in illis Armeniæ locis, ubi arca substitit, hæsisse: indeque crescente multitudine hominum, coactos plurimos novas sedes & colonias quærere. Ridicule quidam, *Ad orientem*: hoc enim est nescire situs locorum. CAMPUM. בִקְעָה *bikghah* proprie *discissionem*, *dissectionem*, *hiatum*, *vallem*, *convallem*, *planitiem*, interpretantur: quod sit velut discissa, & dissecta utrimque a montibus. Quidam Hebræorum ait esse quod vulgo dicimus, *campagna*. Noster *campum* reddere solet, Deuteron. XI. 11. *campestria*, Isaiæ XL. 4. *planum*.

Herodotus Lib. I. *Oppidum situm est in planitie ingenti*. Strabo Lib. XVI. *Babylon ipsa in campo iacet*. S. Hieronym. in XIV. Isaiæ: *Babylonem in campestribus per quadrum sitam*. Orosius Lib. II. cap. VI. *Hæc campi planitie undique conspicua*. SENNAAR. Vide Notas supra cap. X. verf. 10. Etymon vocis varie enucleant. Quidam a שער *sagbar*, inserto נ Nun, id est *horruit*: quod totus ille tractus terrarum a Mesopotamia orientem versus hominibus natura & moribus horridis incolatur. Alii a ש *se*, & נער *nagbar*, *excussit*: quod illuc homines post diluvium propter humilitatem & depressionem loci, veluti deiecti fuerint. Nonnulli, quod inde posteri Noe, ob linguarum confusionem, inviti exclusi & excussi fuerint. S. Hieronymus *dentium excussionem* interpretatur; quod apte divisioni linguarum, quæ dentibus veluti instrumentis peragitur, congruit.

V. 3. PROXIMUM SUUM. רעה *regheb*, proprie *amicus*, *socius*, *sodalis*, *familiaris*, *coniunctus*. In Novo Testamento redditur πλήσιος, id est *proximus*. Ex vi vocis, *compascens*, quod simul vesci soleat, Psal. LIV. 15. *Qui dulces mecum capiebas cibos*. Hispanice *camarada*. VENITE. הבה *babah* notant cognationem habere cum verbis אהב *ahab*, *diligere*, *amare*, אבה *abah*, *desiderare*, *avere*, & בוא *bo*, *venire*: reperirique tantum in imperativo: atque esse non tam imperantis, quam desiderantis, & amice compellantis, & efflagitantis ut aliquid fiat; quasi per hoc verbum velimus nobis adhiberi ea quæ cupide diligimus, & avide desideramus. Unde quidam hic reddunt: *Adhibe*, *laterabimus lateres*. Alii: *Affer*, *laterizabimus lateres*; ut Prov. XXX. 15. Insuper observant, quando id verbum construitur cum alio verbo mox sequente, inducere tunc naturam adverbii obsecrantis, seu amice adhortantis, & compellantis, seu invitantis, aut incitantis; exponuntque hic: *Agedum*, *Agetedum*, *Eia*, *Sodes*, *Euge*, *laterificabimus lateres*. Noster alibi sæpe verbo *dandi* exprimere solet; quod est geminum: unde hic proprie: *Da*, *cedo*, *laterificabimus lateres*. Estque Hebraismus quam simillimus Hispanismo nostro, quo cum aliquid facere aggredimur, quod & materia, & opera externa indigeat; vel cum quippiam celeriter & sedulo agere volumus, aut opus urgemus, dicere solemus, *daca*, *bagamos esto*. Frigide quidam Hebræorum explicat, *da*, subaudi auxilium; vel consilium *laterificabimus lateres*. FACIAMUS LATERES. לבנה *lebenah*, *later*, sic dictus ab albedine, quod lateres cocti in fornace albefiant: seu quod in Chaldæa, Mesopotamia, & AEgypto, lateres ex argilla, seu terra subalba fierent. Inde conflatum est verbum לבן. *laban*, quod ter tantum legitur in Scripturis, hic, & Exodi v. 13. proprieque est *lateravit*, *laterizavit*, *laterificavit*, *lateres formavit*, aut *confecit*. Congruit cum verbis בין *bin*, & בנה *banah*, *construere*, *ædificare*. Quidam Latine, *Ducamus lateres*, id est fingamus. ET COQUAMUS EOS IGNI. Heb. *Et concremabimus concremationi*, vel *in concremationem*. Alii: *Et incendamus incendium*. Quidam: *Et comburemus in combustione*, id est ustrina. LATERES PRO SAXIS. Qui scribunt, istos penuria saxorum adhibuisse lateres, nec naturam locorum, nec quæ Herodotus, Diodorus, & alii de extructione Babylonis tradunt, scisse videntur. Ad firmitudinem & stabilitatem operis, & quia forte inter ipsos mundi conflagrationem iam fama vulgaverat, lateribus coctilibus usos potius existimamus. ET BITUMEN PRO CAEMENTO. Sunt hic duæ voces eisdem litteris, sed punctis diversis. Prior חמר *chemar*, ter tantum reperitur, hic, & cap. x. & Exodi II. 3. Aiunt esse *lutum turbidum*, *seu conturbatum*, *bitumen*, *lutum tenax & bituminosum*, *limum*, *argillam*, *vel terram quamdam tenacem ac lentam*, *pici persimilem*. Quidam *lutum quod fit ex calce & arena ad ædificandum*, *compingendum*, & *complanandum*. Alii *cæmentum*, *quod calce fit*, sic dictum forsan a turbatione, & mixtione aquæ & calcis: vel simpliciter *argillam*, quasi terram conturbatam. Nec desunt qui *terram*, seu *lutum rubrum*, nempe *cretam*, quam Hispanice *gredam* dicimus. Noster semper *bitumen* convertit. Posterior vox חומר *chomer* octodecies tantum occurrit, & semper Noster *lutum* exponit, nisi hic, ubi perite *cæmentum* dixit. Volunt esse lutum turbidum, terram tenacem ac bituminosam, cæmentum, vel ex argilla, vel ex calce, & arena constans: interdum esse cæmentum non calce & arena duratum, sed lutum ex terra quavis, & aqua maceratum & temperatum, seu subactum, ad ædificandum, obtegendum interlinendum, quod erat antiquæ structuræ genus; ac si dicas,

dicas, illitum, intritum, turbatione, & mixtione terræ & aquæ confusum. Quidam reddunt: *Et lutum fuit illis in cæmentum*. Alii: *Et argilla fuit illis in cæmentum*, vel *pro cæmento*, seu *vice cæmenti*. Nonnulli: *Et bitumen fuit illis ad bituminandum, obliniendum*, חומר *chomer*, capientes pro infinitivo, absurde. Melius: *Et bitumen, asphaltus, fuit illis pro luto*, seu *cæmento*. Inepte quidam: *Et cæmentum, argilla, fuit illis pro luto*. Iosephus Lib. I. Originum, cap. v. *Struebant autem lateribus coctis ad firmitatem bitumine ferruminatie*.

Quibusdam videtur absurdum quonam modo potuerint lateres coctiles bitumine committi & ferruminari: unde mallent hic calcem, argillam, lutum pro חמר *chemar* reponere. Sed nihil frequentius est apud externos scriptores, quam in extructione Babylonis adhibitos coctos lateres bitumine conglutinatos, quod bitumen illis locis ædificiis ad omnem firmitatem fit aptissimum. Mireque congruunt in explicanda materia & extructione urbis & turris Babel, iis quæ hic Scriptura memorat. Herodotus Lib. I. *Quidquid terræ in deprimenda fossa efferebant, ex eo lateres ducebant, quorum postquam magnam vim duxissent, eos in fornacibus coquebant: postea cœno utentes, asphalto ferventi per trigesimum quemque laterum ordinem summitates arundinum instipatas conglutinabant*. Et post alia: *Babylone octo dierum itinere abest is fluvius haud magnus, qui una cum aqua permultos reddit asphalti bituminis grumos: quæ asphaltus ad murum Babylonis comportabatur*. Diodorus Lib. I. *Murum lateribus bitumine conglutinatis coagmentavit*. Et de Beli templo: *Totum opus ex lateribus & bitumine magno sumptu & ingenio fabricatum erat*. Arrianus Lib. VII. *Beli templum in media Babyloniorum urbe situm erat, magnitudine atque opere ex lapide cocti li & bituminato præclarum*. Curtius Lib. V. *Murus instructus laterculo coctili, bitumine interlitus*. Et postea: *Coctili laterculo structi sunt, totumque opus bitumine astringitur*. Iustinus Lib. I. *Murumque urbis cocto latere circumdedit, arena, pice, bitumine instrato, quæ materia illis locis passim a terra exæstuat*. Ammianus Marcellinus Lib. XXIII. cap. x. *Babylon, cuius mœnia bitumine Semiramis struxit: arcem enim antiquissimus rex condidit Belus*. Orosius Lib. II. cap. vi. *Murus coctili latere, atque interfuso bitumine compactus*. Vide etiam Philostratum in Vita Apollonii Lib. I. cap. xviii. Strabo Lib. XVI. *Nascitur in Babylone copiosum bitumen, de quo memoriæ prodidit Eratosthenes, duo eius inveniri genera: alterum lentum atque humidum; alterum siccum: & lentum quidem, quod ab incolis naphtha vocatur, in agro Susarum tradit gigni; at siccum, quod & condensari potest, in Babylonia, cuius fons non procul ab Euphrate fit: siquidem exundante per nivium liquationem Euphrate, ad eius incrementum fons quoque augescit; atque tunc altissimæ glebæ constipantur, lateritiis ædificiis idoneæ*. Plinius Lib. XXXV. cap. xv, *Est vero liquidum bitumen, & quod a Babylone invehitur. Calcis quoque usum præbuit, ita ferruminatis, Babylonis muris*. Svidas in voce, Adiabene: *Hæc regio sita est ante Mesopotamiam fere orientem versus, ultra Tigridem. In ea vero est etiam bitumen, quæ Naphtha dicitur. Tantam vero firmitatem ædificiis habet hoc bitumen, ut cum coctis lateribus, parvisque lapidibus commixtum, quovis ferro fit robustius ac firmius*.

Vers. 4. FACIAMUS NOBIS CIVITATEM, ET TURRIM. Miranda plane funt quæ de Babylonis magnitudine & amplitudine scriptores prisci tradidere, quæ nos in Antichristo Lib. III. cap. xiii. xiv. xv. late descripsimus. Huius tam insanæ molis auctorem primarium fuisse Nemrodum, quem plerique Belum Nini patrem existimant, Iosephus Lib. I. Originum, cap. v. Eusebius & S. Hieronymus in locis Hebraicis, S. Augustinus Lib. XVI. de Civitate Dei, cap. iv. Orosius Lib. II. cap. vi. diserte affirmant: & Genes. x. 10. Michææ v. 6. hoc ipsum satis innuitur. De turri hac vastæ & immanis magnitudinis S. Hieronymus in xiv. Isaiæ hæc annotat: *Arx autem, id est capitolium illius urbis, est turris, quæ ædificata est post diluvium, in altitudine quatuor millia dicitur tenere passuum, paulatim de lato in angustias coarctata. Describunt ibi templa marmorea, aureas statuas, plateas lapidibus, auroque fulgentes, & multa alia, quæ pene videntur incredibilia*. Et sane omnem fidem excesserint, quæ Herodotus, Diodorus, Strabo, Arrianus, Curtius, & alii de ea turri, seu arce, seu capitolio, quod ipsi Beli templum, seu sepulcrum appellant, memoriæ prodidere; nempe de infinita eius magnitudine, altitudine, opibus, divitiis immensis. Strabo in modum pyramidis extructam

ctam

ctam refert. Nos ea omnia in Antichristo recensuimus. Templi quoque Beli meminere Plinius, Solinus, Ammianus, & alii. De urna vitrea, in qua iacebat in oleo Beli corpus, miranda tradunt Ctesias Gnidius in Persicis Excerptis apud Photium, & AElianus Lib. XIII. variæ Historiæ cap. III. De turri Herodotus Lib. XI. *In medio civitatis Iovis Beli templum æreis portis, id quod mea etiam nunc ætate existit, duorum undecumque stadiorum amplitudine, figura quadrata. In templi medio turris solida crassitudine, simul & altitudine stadii, cui alia rursus super imposita turris, & huic subinde alia, ad octavam usque*. Diodorus Lib. I. *In media deinceps urbe, Iovi, quem Belum Babylonii vocitant, templum ædificavit: de quo cum & scriptores discrepent, & opus vetustate collapsum sit, nihil est quod certo asseratur. Summæ tamen altitudinis fuisse, & huius adiumento Chaldæos siderum illic contemplationi vacantes, ortus & occasus exacte notasse constat*. Strabo Lib. XVI. *Ibi etiam Beli sepultura est, nunc eversa, quod fecisse Xerxes fertur, pyramis quædam erat quadrata, ex latere coctili extructa, stadii altitudine, cuius quoque latus stadium obtinebat*. Eadem alii.

Turris & civitatis Babel condendæ duplicem Explanatores causam assignant. Unam famæ propagandæ gloriam, immortali illo post se relicto monumento, quam & textus exprimit: *Et faciemus nobis nomen*: alteram ut haberent munitissimum locum ad arcendam vim externam, aut certissimum perfugium, si forte inde dispersis, eo redire liceret.

Celebremus nomen, &c. Hebr. *Et faciemus nobis nomen*. Hispanice, *Haremono de nombrar*; ac si dicant: Fieri non poterit ut, crescente multitudine, omnes nos regio ista capiat: ideo extruamus insanam hanc molem, ac ædificium, quod veluti quoddam ingens mundi miraculum, æternum famam nominis nostri conservet, quamvis in diversas plagas dispergamur.

V. 5. Descendit autem Dominus. More humano de Deo loquitur: non enim Deus mutat locum. Effectu, non substantia Deus descendit; hoc est, re ipsa ostendit sibi non esse ignotum Babyloniorum conatum, & molimen. Notant quidam, quando Scriptura indicare vult Deum lento gradu procedere ad sumendam vindictam de hominibus, dicere eum descendere, ut Genes. XVIII. 21. Michææ I. 3. sed interdum favoris est, ut Exod. XIX. 11. atque id ex loci circumstantia discernendum est. Aptius observant alii, quod quemadmodum tunc Deus ascendere ab aliquo dicitur, quando disparet, nec amplius quidquam cum eo agit; ita rursus Deus descendere dicitur quando apparet, aut sese revelat, vel re aliqua visibili, vel verbo, vel voce, vel facto, & opere: ut hoc loco. Filii Adam, vel *filii hominum*, id est homines. Vide supra cap. VI. vers. 2. Ego hic colluviem hominum plebeiorum, vulgarium, viliorum acceperim; aut certe Chamitas asseclas Nemrodi, a vera religione & cultu Dei alienos, quasi homines carnis & sanguinis sine spiritu Dei.

V. 6. Nec desistent. Varie hunc locum reddunt: *Et nunc non prohibebitur ab eis: & nunc non adimetur ab eis: & nunc non decerpetur ab eis: & nunc non præcidetur ab eis: & nunc non abrumpetur ab eis: & nunc non colligetur ab eis: & nunc non avertetur, cohibebitur, ab eis: & nunc non breviabitur ab eis*. Proprie: *Et nunc non vindemiabitur ab eis*. Notant verbum בצר *batzar* proprie esse *decerpere*, *abrumpere*, *præcidere*, seu *adimere rem aliquam*; sed præcipue dici de uvis, seu botris, colligendo in vas, quod est *vindemiare*. Habere tamen interdum contrariam significationem priori, esseque *munire ne fiat irruptio*, *aut direptio*, *seu decerptio*. Sed alii volunt eas duas significationes nec contrarias, nec dissimiles esse: nam quod munitur, prohibetur, adimitur, præciditur ab iniuria hostium, ne direptioni pateat, vel ne quis eo perveniat. Nonnulli existimant verbum proprie esse *includere*: unde reddunt: *Et nunc non includetur ab eis*; id est, non prohibebitur, patebit eis, facile assequentur, voti compotes erunt. Quidam aiunt, collatis Scripturæ testimoniis, tantum dici de collectione fructuum, & uvarum, & de civitatibus, quæ muris includuntur, ut uvæ in cophino, &c. Dici etiam de ipsis muris, qui ædes civitatum cingunt, coarctant, includunt, & veluti collectas habent. A cogitationibus suis. יזמו *iazam*, idem est quod זמם *zamam*: exponunt *tacite cogitare*, *animo concipere*, *moliri*. Quidam *sumere in animum*, *assumere*, *præsumere*, *in animum inducere*. Inde enim Latina sumo, assumo, facta volunt: unde hic vertunt: *Quod præ-*

præsumpserunt: Alii : *Quod moliti fuerunt*.

V. 7. DESCENDAMUS. Mysterium Sacræ Triadis innui, consentiunt omnes. CONFUNDAMUS. נבלה *nabelah* aiunt esse vocem anomalam, & valde irregularem: nam debuerat esse נבולה *nabollah*: posseque esse præteritum Niphal, & *confundetur*; vel futurum plurale Kal, & *confundemus*: ut indicet maximam, & perturbatam, atque vere anomam confusionem. UT NON AUDIAT. Notant, verbum שמע *schamagh* constructum cum accusativo, ut hic, plerumque sumi, pro *percipere animo*, & *intelligere*. Unde hic vertunt: *Non percipient*, *non intelligent*: ut alter alterius sermonem non intelligat. Vide Deut. XXVIII. vers. 49.

V. 8. DIVISIT EOS. Verbum Hebraicum פוץ *putz* in Hiphil, *dispersit*, *dissipavit*, significatum intendit, magnamque dispersionem, dissipationem indicat. ET CESSAVERUNT. Proprie, & *desierunt*, *destiterunt*, *abstinuerunt*, *defecerunt*, *omiserunt*.

V. 9. VOCATUM EST. Heb. *vocavit*, subaudi Deus: vel impersonaliter, *vocatum fuit*. Vide Genes. II. vers. 20. Vel sit singulare pro plurali: *vocaverunt*, scilicet homines. Notant, quod Latini in multis loquutionibus dicere solent per tertiam personam pluralem, subaudientes dictionem, *homines*, aut similem: Hebræi efferunt per tertiam singularem; ut hic, vocavit, pro vocaverunt homines. Semel id annotatum esto: nam sæpius occurrent eiusmodi loquutiones. NOMEN EIUS BABEL. Quidam Hebræorum compositum faciunt ex בא *ba*, *venit*, & בל *bel*, *confusio*; id est, *venit confusio*: inepte. Alii ineptius, *In confusione*. Quidam, quasi Balbel, uno Lamed eliso, a Belbel Chaldaico, id est *confundere*. Diserte Moses etymon enucleat, *quia ibi* בלל יהוה *balal, ihuh*, *labium*, id est linguam, sermonem, loquelam, *omnis terræ*. *Balal*, proprie est *miscuit*, *permiscuit*, *fudit*, *perfudit*, *confudit*. Pronomen *eius* femineum est, & ad urbem referendum, quæ est Hebræis feminei generis; non ad turrim, quæ est masculei. Mansit cunctis gentibus celebre Babylonis nomen. DISPERSIT EOS. Est quoque idem verbum in Hiphil, quod vers. 8. vehementemque dispersionem & dissipationem significat.

V. 10. HAE SUNT GENERATIONES SEM. Solius Sem Moses texit generationem; quod ex ipsius progenie per Abraham nasciturus erat Christus, finis & scopus legis, & Scripturarum, ac semen benedictum, ac promissum.

V. 12. ARPHACSAD GENUIT SALE. Ingens quæstio. Hic LXX. Interpretes inserunt unam generationem; nempe, *Arphacsad genuit Cainan*, *Cainan genuit Sale*, *Sale genuit Heber*: quam etiam generationem Cainan S. Lucas suo Evangelio cap. III. vers. 36. nimirum ex LXX. Interpretibus acceptam interposuit: quam tamen Hebraici codices, & Vulgata Editio, neque hic, neque I. Paralipomenon 1. vers. 18. & 24. agnoscunt. Esse inserendam, propter æternam Evangelii veritatem, nemo cordatus ambigat: nam qui dicunt, vitio scriptorum in LXX. & in Lucam inditam, non evadunt insignem temeritatis notam: cum Ecclesia & Lucam ita semper legerit, & approbaverit; nec ullus umquam vetustus aut sinceræ notæ ostensus aut repertus sit vel LXX. vel Lucæ codex qui ea caruerit: & qui contra pertendunt, sunt mere nugaces, & nihil nisi somnia narrant. Cur autem Moses eam emiserit (nam existimare eam ab Hebraicis codicibus excidisse, est ridiculum) Deus scit, sed nos latet. Vide quæ suse de his disseruimus Lib. XII. de Antichristo cap. X.

V. 13. TRECENTIS TRIBUS ANNIS. Hebræa: *Quadringentis tribus annis*: quæ lectio iudicio eruditorum præferenda, quam non est dubium plurima Editionis Vulgatæ exemplaria præferre. Sed cur a Correctoribus Romanis in novissimis Clementianis Bibliis hic locus non sit restitutus, divinare nescio. Iam ipsi in præfatione profitentur, *eam Romanam editionem omnibus numeris absolutam*, *pro humana imbecillitate affirmare*, *difficile esse*: & *multa*, *quæ mutanda videbantur*, *consulto immutata relicta fuisse*. Nobis tantum indicare, non mutare (quod id solius Ecclesiæ sit) permissum.

V. 26. GENUIT ABRAM. Notant, nominari primum Abram inter filios Thare, non quod natu maximus, aut primogenitus fuerit (nam ex subducta annorum ratione, minimum fuisse demonstrant) sed quod dignior, sanctior, & præcipuus primogenitorum Christi, cuiusque res narrandas ex professo susceperat Moses.

V. 28. ANTE THARE. Hebr. *Super facies*

cies Therach; id est, ipso Thare vel vidente & præsente, vel superstite & vivente. Quidam exponunt: *Et mortuus est Haran super facie patris sui*; id est, non est egressus patriam regionemque paternam. UR CHALDAEORUM. אור *ur*, Hebræis *focum*, *ignem*, significat inde Latinum, uro, uris. Sed consentiunt eruditissimi quique, hic proculdubio esse proprium nomen urbis in Chaldæa: quam tamen certum est ab igne habere appellationem, quem Chaldæi & Persæ pro Deo coluerunt: nam cum vidissent olim igne cælitus delapso patriarcharum sacrificia consumi, putarunt esse Deum. Ammianus Marcellinus Lib. XXIII. cap. XXII. *Feruntque, si iustum est credi, etiam ignem cælitus lapsum apud se sempiternis foculis custodiri; cuius portionem exiguam, ut faustam præisse quondam Asiaticis regibus dicunt*. Sed de Ur Iosephus Lib. I. Originum, cap. VII. *Aranes in regione Chaldæorum est mortuus, in urbe, quæ Ura Chaldæorum vocatur: & sepulcrum eius nunc usque ostenditur*. Eusebius, & S. Hieronymus in locis: *Ur Chaldæorum, ubi mortuus est Haran frater Abrahæ, cuius hodieque, sicut Iosephus refert, ibi tumulus ostenditur*. Volunt esse Orchoen Ptolemæi, vel Orchen Strabonis. Plinius Lib. V. cap. XXVI. *Orcheni*, vel Orchoena, *quoque tertia Chaldæorum doctrina*. Ur castellum Persicum habet Ammianus Lib. XXV. cap. XXVI. Uram locum ad Euphratem memorat Plinius Lib. V. cap. XXIV. extremo: & Urimam penes Euphratem Ptolemæus cap. XV. Lib. V. Eupolemus apud Eusebium IX. de Præparatione Evangelica, cap. IV. sic habet *In Camirene Babyloniæ urbe, quam alii Urien vocant, quod nomen Chaldæopolim significat*. Nec dubito, Camirenam dictam a כמר *camar*, quasi *Ustrinam*, *bustum*, *focum*, *ignem*, quod est Hebraicis *Ur*: & quam Eupolemus Camirenem, & Chaldæopolim appellat, a Mose dictam *Ur Chaldæorum*: forsan quod in ea æditui, seu sacerdotes, aut monachi, quos Hebræi, & Chaldæi *camarim* vocant, ignem perpetuum servarent, & colerent; qui etiam dicuntur Chaldæi, Daniel. II. 2. quos mathematicos astrologos, sideralis scientiæ peritos interpretantur. *De camarim* agemus II. Regum XXIII. vers. 5. Meminit Procopius II. Persicorum, *pyræi magni*, ubi ignem perpetuum custodiunt magi, qui iidem qui Chaldæi: aitque locum esse in Persameniis: quem Strabo XV. Pyratheia vocat. Vide Theodoretum V. Historiæ Ecclesiast. cap. XXXVIII. ubi de Pyræo. Nehemiæ IX. 7. Noster, *Ur Chaldæorum*, appellative exposuit, *Ignem Chaldæorum*; sed quod proculdubio pro nomine proprio accepit: solet enim nomina propria hominum & locorum tamquam appellativa Latine interpretari; cuius moris exempla passim occurrent. Nonnulli *Ur* dictam existimant, quod in valle sita esset: *Urim* enim valles significare aiunt, Isaiæ XXIV. 15. quod non probo. Alii אור *ur* hic exponunt *lustrationem ignis*, aut *per ignem*: quod in ea urbe forsan esset templum, ubi gentiles lustrarent filios suos, & traducerent per ignem: de quo ritu dicemus Deuter. XVIII. vers. 10. & II. Reg. XVI. vers. 3. Fuit Ur patria Abrahami, ortu tanti viri celeberrima.

V. 29. IESCHAE. Plerique putant, hanc esse Saram uxorem Abraham, quam binomiam existimant. Delirant plane, qui *Iescam* a סוך *soc*, sive *conspiciendo* dictam volunt, quoniam pulcritudine sua excitabat homines ad sui conspectum. Hinc illud Genes. XII. 15. *Et laudaverunt eam apud Pharaonem*. Vel etiam quia cernebat futura per propheticam facultatem, uti tradunt Hebræi. סכך *sacac*, vel סכה *sacah* verbum in ea significatione Hebræis nusquam legitur, cum Samech vel Sin sinistro, nisi Chaldæis. Alii quasi *picturatam*, *ingeniosam*, *industriam*. Imperite quidam *Iescam*, ab אשה *ischscabah* deducunt, ut indice fœminam præstantissimam & viraginem quamdam. Proprius, *fusam*, *unctam*, *obtectam*, *celatam*, quod domi se celaret, interpreteris.

V. 30 STERILIS. עקרה *ghakarah*, consentiente voce, *eruncata*, *eradicata*, *extirpata*, *enervata*, *evulsa*, *sterilis*, *infecunda*, *cui evulsa est radix*, id est vis & virtus generandi, quæ enervata est, ut concipere non possit.

V. 31. NURUM SUAM. כלה *callah*, notant, perinde Hebræis ancipitem esse vocem, ut Græcis nympham: nam si ad maritum referas, sponsam sonare, si vero ad parentes sponsi, nurum significare. Sic חתן *chatan*, *sponsus* proprie: qui & deinceps ita dicitur socero & socrui, hoc est gener, ob desponsationem suam, qua vere factus gener. Dici autem Hebræis *Callah novam nuptam*, seu *sponsam*, vel *nurum*, a כלל *calal*,

lal, nempe ab omnimoda & consummata pulcritudine, & ornatu seu cultu, quo diebus illis desponsationis, præ ceteris decorantur & præstant, & amantur; quasi dicas voce consentiente, *cultam*. Ut sponsa, ut nurus reddi debeat, loci circumstantia te docebit. HARAN. Eusebius, & S Hieronymus in locis Hebraicis: *Charran civitas Mesopotamiæ trans Edessam, quæ usque hodie Caroba dicitur; ubi Romanus cæsus est exercitus, & Crassus dux captus*. Plinius Lib. V. cap. XXIV. *Charras Clade Crassi nobiles*. Lucanus:

Assyrias Latio maculavit sanguine Carrhas.

Urbem Mesopotamiæ tradunt Ptolemæus, & alii. Plinius Arabiæ, sed conterminam Mesopotamiæ ad Euphratem. De ea Plutarchus in Crasso.

MENOCHII.

Vers. 1. LABII UNIUS: omnes eodem idiomate, ac sermone utebantur.

V. 2. DE ORIENTE, de Armenia, quæ Babyloni est orientalis. Inde proficiscebantur, vel quia iam illos terra non capiebat, vel quia melius solum quærebant.

V. 3. ALTER AD PROXIMUM. Hebraice, *vir ad virum*, id est alter ad alterum. VENITE. Hebræi utuntur imperativis pro notis adhortandi, qualis Græcorum nota, quæ hic est apud LXX. *δεῦτε*. LATERES PRO SAXIS. Pertinacia cum inopia luctatur: desunt lapides, coquuntur lateres: deest cæmentum, calci substituitur bitumen.

V. 4. PERTINGAT AD CAELUM: hyperbole. CELEBREMUS NOBIS NOMEN. Conatus causa fuit cupiditas nominis æternandi. Non possunt a peccato excusari qui insanam hanc molem excitare instituerunt, non solum quia structura hæc ad inanis gloriæ cupiditatem spectat, sed etiam quia Nemrod illam excitare voluisse credibile est, ut suæ tyrannidis, & impietatis arx esset.

V. 5. DESCENDIT AUTEM DOMINUS. Deus loco moveri nequit, qui implet omnia: nostri aspectu dicitur descendere, quando per aliquem effectum nobis experimur, seu sentimus quasi propinquiorem. FILII ADAM: terrigenæ, de limo creati. LXX. *filii hominum*. DONEC OPERE COMPLEANT: ironia.

V. 7. DESCENDAMUS, ET CONFUNDAMUS. Sunt verba Dei quasi consultantis, & pertinacem stoliditatem detestantis. Rabbini putant hæc a Deo dici Angelis; sed ista dicuntur ab una Trinitatis persona reliquis, ut potestate paribus. Quod hoc versiculo repetitur, *Descendamus*, ita intellige: versu 5. descenderat ut videret, nunc descendit ut nova operatione sua linguas confundat. UT NON AUDIAT: non intelligant invicem, non quidem singuli homines (sic enim nulla fuisset hominum societas) sed singulæ cognationes: tot enim fuerunt linguæ quot familiæ, sive cognationes.

V. 8. ATQUE ITA DIVISIT: ignoratio linguæ alterius cognationis eos deduxit, & varias regiones petere suasit.

V. 9. BABEL: quæ vox *confusionem* significat. LABIUM. Lingua, quæ fuerat omnibus communis in una Heber familia servata est, hinc Hebræa dicta.

V. 11. FILIOS, & FILIAS: quorum nomina tacentur, quia sunt extra lineam Messiæ.

V. 31. SARAI NURUM SUAM: erat neptis Thare ex filio Aran, & alio nomine Iescha vocabatur, ut patet ex hoc capite num. 29. EDUXIT EOS DE IGNE CHALDAEORUM. Ur Chaldæorum urbs ab igne, qui fortasse in ea colebatur, nomen invenit. Quod hic dicitur, Abram scilicet eductum ex igne Chaldæorum, habetur etiam II. Esd. IX. 7. *Deus, qui elegisti Abraham, & eduxisti eum de igne Chaldæorum*. Sensus est, eductum ex illa urbe, vel ex igne tribulationum, & afflictionum, quæ a Chaldæis idololatris Abrahamo fideli intentabantur; vel ex igne, & flammis: nam traditio Hebræorum est, Abrahamum rogo addictum a Chaldæis, & in ignem iniectum divino beneficio servatum esse; quam narrationem Hieronymus licet fabulosam reiicere videatur, tamen postea approbat. Potest etiam verti *de Ur Chaldæorum*, id est de doctrina, nam noster *urim* Exod. XXVIII. 31. *doctrinam* interpretatur.

TIRINI.

Verſ. 5. DESCENDIT DOMINUS, UT VIDERET CIVITATEM, ET TURRIM: anthropoſpathos, quia tunc primum Deus patefecit miraculo confuſionis linguarum, & pœna inflicta, ſe præſentem eſſe, & videre inſanam ſubſtructionem, qui diſſimulando hucuſque videri poterat quaſi abſens, & non videre quæ gerebantur. Ioſephus, & S. Auguſtinus Nemrodum faciunt auctorem huius fabricæ: nam, ut dicitur cap. præced. verſ. 10. principium regni eius fuit Babylon. Nempe voluit, æternum extare ſuperbiæ ſuæ monumentum, ſimulque illudere Deo, ut, ſi rurſus tentaret immittere terris diluvium, eſſet quo ſe impii ab aquis tutos reciperent. Hic Nemrod infana hac fabrica ſua typum geſſit Antichriſti, qui in Babylonia, forſan & eodem loco quo fuit hæc turris, primariam regni, monarchiæ, ac tyrannidis ſuæ ſedem figet, impiamque theomachiæ turrim eriget, ut inſinuatur in *a* Apocalypſi, & docent Ribera, Emmanuel Sa, Franciſcus Suarez & plures alii. Addit auctor operis de Antichriſto (apud S. Auguſtinum) S. Hieronymus, & Anſelmus, Antichriſtum etiam Babylone naſciturum.

Petes, an Noe, tum adhuc *b* ſuperſtes, non adfuerit fabricæ turris Babel. Reſpondeo: Adfuit veriſimillime, ut & alii viri pii, qui hanc fabricam iuverunt *c*, ſed bono fine, verbi gratia ut hæc turris omnibus undique conſpicua ſerviret pro ſpecula, pro loco publici commercii, pro communi memoria, ornatu, gloria. S. Hieronymus *d* ex traditione refert, turrim, iam tum cum opus intermiſſum eſt, evectam fuiſſe ad quatuor millia paſſuum, ſeu ad milliare Germanicum; & reliquias ad ſua utique tempora perduraſſe. Euſebius ex Abydeno, & Sybilla dicit, fabricam non ſolum confuſione linguarum interruptam; ſed etiam vi ventorum pro maiori parte everſam fuiſſe. Semiramis uxor Nini poſt centum annos urbem mira magnitudine & incredibili magnificentia inſtauravit: turrim non extulit quidem altius, ſed concinne ornavit, & templo Beli eiuſque ſepulcro adaptavit. S. Auguſtinus *e*, Origenes, & alii paſſim volunt, diſſectis linguis in quinquaginta quinque diverſas, (ut ex totidem familiis poſterorum Noe cap. x. Geneſeos colligit Cornelius a Lapide) in ſolo *Heber* eiuſque poſteris ab eo dictis *Hebræis*, cum vera fide, religione, & pietate manſiſſe primævam orbis linguam, indeque poſt nominatam Hebræam: in ceteris habitu illius linguæ prorſus deleto, & novo promptiſſimoque novæ linguæ, & cuique genti propriæ divinitus infuſo.

Quoto anno ætatis Thare ſit natus Abram, eiuſque fratres, vide in Chronico cap. XIV.

(*a*) Apoc. IX. verſ. 14. & cap. XVI. verſ. 12. &c. Rib. & Sa in Zach. V. verſ. ult. Suarez III. part. quæſt. 59. diſp. 54. art. 6. ſect. 5. Hier. in cap. XI. Dan. Anſ. in Elucidario.

(*b*) Gen. IX. verſ. 28.

(*c*) Abulenſis, Delrio, Pererius, a Lapide, Bonfr.

(*d*) Lib. V. in Iſaiam, ad cap. XIV.

(*e*) Lib. XVIII. de Civ. cap. XXXIX.

GORDONI.

Verſ. 1. LABII quidem unius erant, ſeu unius linguæ mortales tunc. Sed quæ fuerit lingua illa, certatur. Communiter putatur Hebraica, ut iam dicebam; quamvis ante confuſionem non vocaretur Hebraica, cum eſſet omnibus communis: poſtea ab Heber nomen hoc accepit. Immo ſatis probabile eſt etiam ante diluvium, unam tantum fuiſſe linguam, quicquid ſit de varietate dialectorum. Nec eſt cur aliquis neget tunc fuiſſe characteres, & uſum ſcribendi etiam libros. De libro Enoch alibi dixi. Vide de characteribus Montanum in Apparatu Biblico, libro de Siclo.

V. 2. DE ORIENTE. Arca in montibus Armeniæ hæſit, quæ terræ plaga eſt orientalis Babyloniis. SENNAAR eſt Babylon, ut paſſim vertit Chaldæus interpres.

V. 3. VENITE. Apud Hebræos poni ſolet vox imperandi pro nota exhortationis. PRO CAEMENTO, pro calce.

V. 4. ANTEQUAM DIVIDAMUR. Heb. *Ne forte dividamur*. Sic ſe munire volebant.

V. 5. Non movetur loco Deus, qui eſt ubique, ſed dicitur deſcendiſſe, quia ibi incipiebat ſe præſentem oſtendere, exercendo potentiam ſuam.

V. 6. DONEC COMPLEANT. Ironia eſt, notans vanitatem.

V. 7.

V. 7. Non audiat, idest non intelligat.

Hinc pluralitatem personarum agnoscunt, & asserunt Patres, contra Iudæos. Non est probabile in hac confusione tot fuisse linguas quot capita; sed tantum varias fuisse pro varietate familiarum concurrentium ad hoc opus: immo solent numerari 72. Quo anno acciderit hæc confusio linguarum, dixi suo loco. Mihi est annus mundi 1787.

V. 9. Babel, confusio; labium, lingua.

V. 10. Hae sunt generationes Sem, usque ad Abraham, quas dedi explicatas cap. VI. in pleno diagrammate. De Cainan cur inferatur in illo diagrammate, prolixe Chronologi: & sane quæstio hæc multum ventilata, illorum propria est, & de qua egi ex professo in opere Chronol. qq. cap. V. Inserendus ille post Arphaxad, ann. 1693.

V. 13. Trecentis tribus annis. Vide cap. VI. in diagrammate. Hic locus apud LXX. Interpretes putatur mendosus; sed sequi oportet Latinum Codicem, & iuxta initam temporis rationem, citato cap. VI. Dixi iam pro decima generatione post Arphaxad, inserendum esse Cainam minorem auctoribus Sept. & Lucæ. Nec obstat quod dicatur Arphaxad genuisse Sale, quod intelligo mediate, seu per Cainam; sicut apud Matthæum Ioram dicitur genuisse Oziam.

V. 26. Et genuit Abram. Non est levis quæstio chronologica de ætate Abrahæ, ac eius peregrinatione; quam, ne actum agam, & alieno loco, vide expensam in opere chronologico qq. cap. V. num. VIII. & IX. Aliqui natum putarunt anno Thare 130. quod passim propugnat noster Salianus, & sane diligenter: unde nascitur in annis chronologicis discrimen 60. annorum. Ego natum puto anno Thare 70. En mox breve diagramma, a quo, ob alibi firmatam iam a me Chronologiæ rationem, non discedo.

V. 28. Ante Thare; hoc est, coram, seu adhuc Thare vivente. Ur Chaldaeorum. An proprium loci sit, אור, discrepant Auctores; an vero appellativum, ignem significans. Septuaginta, & Latinus videntur accipere ut proprium, & urbis nomen. Verum est II. Esdræ IX. vers. 7. verti ignem. Sed solet aliquando Noster interpretari vocem propriam, ut observo Paralip. I. cap. II. & IV.

V. 29. Iescam hanc, multi putant esse Saram.

V. 31. Tulit itaque Thare Abraham filium suum... et eduxit eos de Ur Chaldaeorum, ut irent in terram Chanaan. Veneruntque usque Haran, et habitaverunt ibi. Vide Iosue cap. IV. vers. 3.

Anno ætatis Thare 70.		AEtas Abraham. Nascitur Abraham primogenitus.
145	75	Profectio Abrahæ ex Haran in Chanaan.
	60	Mora Abrahæ in Chanaan circiter an. 60.
205	135	Secunda profectio, seu reditus Abrahæ in Chanaan, de qua loquitur Steph. Act. VII.
	175	Obiit Abraham Genes. XXV.

Dissentiunt ergo ab hac Abrahæ Chronologia, qui unicam tantum agnoscunt profectionem Abrahæ in Chanaan; illam inquam, de qua Stephanus Act. VII. quæ incidit in Thare 205. annum, quo Thare etiam obiit. Negant ergo priorem profectionem in Chanaan, & moram ibi 60. fere annorum, ante mortem patris. Certe horum ratiocinatio nihil, ut puto, evincit. Abraham, inquiunt, anno 75. ætatis ex Haran venit in Chanaan, ut ait Scriptura. Sed hæc profectio fuit unica, & accidit tantum moriente patre, patris anno 205. Utraque pars huius minoris falsa est apud me; ac proinde male colligunt natum Abraham anno patris 130. Rectius sane natus ponitur Abraham anno patris 70. ut habet hic positum diagramma, & anno mundi 1978. ac demum Abraham vixisse, & obiisse, ut alterum hic diagramma capite XII. subiiciet. Et vero quid mi-

rum est de duplici profectione; cum sit probabilius Abraham, iubente Deo, cito ivisse in Chanaan, & excurrentibus 60. illis annis, sæpe invisisse patrem, & rediisse? At non est in Scriptura duplex hæc profectio? Argumentum negativum est. Et quot alia asseruntur probabiliter, quæ Scriptura non expressit? Quæ nemo vocabit falsa. Dedi rem explicatam locis supra vers. 26. citatis: quo etiam loco tractata est quæstio, an Abraham sit primogenitus; & de ætate Saræ, an genita sit anno octavo patris sui Aran. Quin etiam multi dubitant, an Sara sit Iescha filia Aran, ut dixi vers. 29. & verius apparet, ut hic cap. xx. 12. Eamdem Abrahæ profectionem duplicem confirmat citatis Auctoribus Magallanus cap. xxiv. ad vers. 3. num. 24.

V. 32. Perinde est Haran, seu Charam. Est Mesopotamiæ urbs ad Euphratem.

CAPUT XII.

Abram Dei mandato parens, promissaque accipiens, patria relicta, comitante Lot, Domino in Sichem sacrificavit. Inde propter famem AEgyptum ingressus, uxorem suam vocat sororem; quam in domum Regis sublatam, postea ditatus recipit.



1 Dixit autem Dominus ad Abram: (*a*) Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram quam monstrabo tibi. 2. Faciamque te in gentem magnam, & benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum, erisque benedictus. 3. Benedicam benedicentibus tibi, & maledicam maledicentibus tibi, atque (*b*) In te benedicentur universæ cognationes terræ. 4. Egressus est itaque Abram sicut præceperat ei Dominus, & ivit cum eo Lot. Septuaginta quinque annorum erat Abram cum egrederetur de Haran. 5. Tulitque Sarai uxorem suam, & Lot filium fratris sui, universamque substantiam quam possederant, & animas quas fecerant in Haran; & egressi sunt ut irent in terram Chanaan. Cumque venissent in eam, 6. pertransivit Abram terram usque ad locum Sichem, * usque ad convallem illustrem: Chananæus autem tunc erat in terra. 7. Apparuit autem Dominus Abram, & dixit ei: (*c*) Semini tuo dabo terram hanc. Qui ædificavit ibi altare Domino, * qui apparuerat ei. 8. Et inde transgrediens ad montem, qui erat contra orientem Bethel, tetendit ibi tabernaculum suum, ab occidente habens Bethel, & ab oriente Hai: ædificavit quoque ibi altare Domino, & invocavit nomen eius. 9. Perrexitque Abram vadens, & ultra progrediens ad meridiem. 10. Facta est autem fames in terra; descenditque Abram in AEgyptum, ut peregrinaretur ibi: prævaluerat enim fames in terra. 11. Cumque prope esset ut ingrederetur AEgyptum, dixit Sarai uxori suæ: Novi quod pulchra sis mulier, 12. & quod cum viderint te AEgyptii, dicturi sunt: Uxor ipsius est: & interficient me, & te reservabunt. 13. (*d*) Dic ergo, obsecro te, quod soror mea sis, ut bene sit mihi propter te, & vivat anima mea ob gratiam tui. 14. Cum itaque ingressus esset Abram AEgyptum, viderunt AEgyptii mulierem quod esset pulchra nimis. 15. Et nuntiaverunt principes Pharaoni, & laudaverunt eam apud illum: & sublata est mulier

mulier in domum Pharaonis. 16. Abram vero bene usi sunt propter illam: fueruntque ei oves, & boves, & asini, & servi, * & famulæ, & asinæ, & cameli. 17. Flagellavit autem Dominus Pharaonem plagis maximis, & domum eius, propter Sarai uxorem Abram. 18. Vocavitque Pharao Abram, & dixit ei: Quidnam est hoc quod fecisti mihi? * Quare non indicasti quod uxor tua esset? 19. Quam ob causam dixisti esse sororem tuam, ut tollerem eam mihi in uxorem? Nunc igitur ecce coniux tua, accipe eam, & vade. 20. Præcepitque Pharao super Abram viris; & deduxerunt eum, & uxorem illius, & omnia quæ habebat.

(*a*) Act. VII. 3. (*b*) Gal. III. 8. Inf. XVIII. 18. XXII. 17. Heb. XI. 8. (*c*) Inf. XIII. 14. XV. 18. XXVI. 2. Deut. XXXIV. 4. (*d*) Inf. XX. II.

BURGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 6. *Usque ad convallem*. Merito hic omissa est & coniunctio, quæ præponebatur.

V. 7. *Qui apparuerat ei*. Quod sequitur in quibusdam libris, & *invocavit ibi nomen eius*, consulto transfossum est.

V. 16. *Et famulæ, & asinæ*. Non est scribendum *familia* pro *famula*, quod est ancillæ; nec omittendum *asinæ* femininum, licet præcesserit masculinum *asini*.

V. 18. *Quare non indicasti?* Non addas pronomen *mihi*, sed subaudias.

COMMENTARIA

SA.

Vers. 1. DIXIT; pro, iam vero dixerat. Vide Act. VII.

V. 2. BENEDICAM TIBI; idest, *cumulabo te bonis*. Hebr. BENEDICTUS, idest fortunatus. Hebr. *benedictio*.

V. 3. MALEDICAM, idest puniam. IN TE, idest propter te, scilicet propter semen tuum, Christum. Vide cap. XLVIII. COGNATIONES, idest familiæ.

V. 4. EGRESSUS EST, scilicet multo ante quam pater moreretur. Aug. XVI. de Civ. cap. XV. Nota, quod ex Ur dicitur exisse anno ætatis 52. ex Haran autem 75. vivo patre, quem subinde invisebat: vixit enim pater postea 60. annis, quo mortuo numquam rediit in Haran.

V. 5. POSSEDERANT. Alii vertunt, *acquisierant*, & id significat verbum Hebræum. ANIMAS, idest homines. QUAS FECERANT, scilicet gignendo, vel emendo servos. Chald. *Quas legi subiecerant*.

V. 6. CONVALLEM ILLUSTREM, scilicet Mambre, secundum quosdam. Alii vertunt, *quercetum*, seu *planitiem Moreh*, scilicet sic dictam a Moreh Chananæo; LXX. *quercum excelsam*: Chald. *planitiem Moreh*. CHANANAEUS ERAT, pro, Chananæi erant.

V. 7. APPARUIT, ab hoc anno, quo Abram cœpit peregrinari in AEgyptum, usque ad exitum ex AEgypto, anni sunt 430. de quibus Exod. XII. Act. VII.

V. 8. CONTRA ORIENTEM, idest ad Orientem. INVOCAVIT, scilicet precando.

V. 10. IN TERRA, scilicet Palæstina.

V. 12. RESERVABUNT, scilicet vivam.

V. 13. SOROR. Vide infra cap. XX. vers. 12.

V. 16. BENE USI; pro, benefecerunt.

V. 19. CONIUX TUA, scilicet intacta. Chrys.

ESTII.

Vers. 1. EGREDERE DE TERRA TUA. Iam ante cum patre exierat de terra sua, id est regione Chaldæorum; sed sensus est: penitus exi, ita ut ad eam numquam sit animus redeundi.

V. 3. IN TE BENEDICENTUR UNIVERSAE COGNATIONES TERRAE. He-

Hebræi sic intelligunt: *Benedicent sibi invicem*, dicendo, Benedicat nobis Deus, sicut benedixit Abrahæ. Sed interpretante Paulo, sine dubio significatur quod in semine Abrahæ, quod est Christus, benedictionem salutis, & iustitiæ accipient omnes gentes. Si ergo active legatur cum Hebræis, sensus est: de hoc scilicet se benedicent, sibique gratulabuntur. Interim Chald. quoque habent passive: *Benedicentur propter te*.

V. 5. ET ANIMAS QUAS FECERANT IN HARAN. Abutebantur hac Scriptura inter alias, qui animam rationalem a parentibus trahi sentiebant. Sed anima synecdochice passim in Scriptura pro homine toto ponitur. Sic August. Quæst. CL. super Genesin. Dicitur autem homo hominem generare, seu facere, non quia per virtutem generativam forma essentialis, scilicet anima rationalis, introducitur in materiam, quasi educta e potentia materiæ; sed quia causa est unionis partium essentialium, in quantum dispositionem eam, quæ fit in materia, virtute generantis, infallibiliter, ex primæva Dei institutione sequitur unio animæ & corporis. Potest tamen hic locus generaliter etiam intelligi, tam de pecoribus, quam de hominibus, quæ una cum Abraham egressa sunt de Haran. Animam autem rationalem, non virtute generantis produci, sed extrinsecus advenire, etiam Aristoteles vidit Lib. II. de Generat. animalium cap. III. motus eo argumento quod cernebat in anima intellectiva operationem quamdam, quæ non esset alicuius corporis actus. Ceterum quomodo nihilominus trahatur peccatum originale a parentibus, vide Commentar. nostrum ad Rom. V. & in Librum II. Sent. dist. XVII.

V. 7. SEMINI TUO DABO TERRAM HANC. Epiphanius sub finem Ancorati dicit, Chananæos quondam terram illam occupasse per vim, eiectis posteris Sem; ideoque hæc Deum dicere: sequutique sunt olim etiam alii hanc sententiam, & nunc quoque Bannes in II. II. quæst. X. art. 10. Sed nobis ea traditio Iudaica magis videtur, quam Ecclesiastica, immo satis repugnare Scripturæ. Nam non dicitur, Restituam, sed *Dabo*. Deinde Abraham, Isaac & Iacob numquam sibi ius in illam terram vendicaverunt, sed fatebantur se peregrinos. Tertio nec Iephte in controversia quam habebat cum hostibus, aliud allegavit quam terram illam suo populo a Deo suo datam esse. Adde quod Dominus Deut. IX. & alibi suæ promissionis, & Chananæorum exterminationis causas non alias reddit quam suum amorem erga patres Israelitici populi, & peccata illarum nationum. De quo & infra cap. XV. *Necdum enim completæ sunt iniquitates Amorrhæorum &c.*

V. 12. INTERFICIENT ME, ET TE RESERVABUNT. Quæritur quomodo consistat hic metus cum fide promissionis ipsi hoc eodem cap. factæ. Respondeo: Poterat cogitare Deum impleturum sine dubio promissiones, non tamen sine opera, solicitudineque humana, de conservanda vita. Vide Annot. infra XXXII. Iud. XX. & Act. XXVII.

V. 13. DIC ERGO, OBSECRO, QUOD SOROR MEA SIS. Quomodo soror? Explicat plenius Abraham infra cap. XX. dicens: *Filia patris mei, & non filia matris meæ*. De quo vide nostra in IV. distinct. XLI. & Bellarminum de Matrimonio capite XXVIII.

V. 15. ET SUBLATA EST MULIER IN DOMUM PHARAONIS. Dubitant quidam num Pharao eam cognoverit. Sed cum narratio altera, cap. XX. de Abimelech, a quo tacta non est, sit huic similis, præsumendum, quod uno loco exprimitur, in altero quoque intelligendum. Quin & Pharaonem eam non tetigisse, ex eo quoque colligitur quod reges non statim tales ad se admitterent, sed prius purgatas, & præparatas, ut patet in Libro Ester. Itaque plagas a Deo immissas interea ardorem eius repressisse, demumque verisimiliter Deum eum admonuisse, ut ibi cap. XX. Abimelech. Vix enim alioqui cohæret quod sequitur (vers. 18.) *Vocavitque Pharao Abraham &c.*

MARIANAE.

Vers. 1. DIXIT; pro, iam vero dixerat Dominus ad Abram. EGREDERE DE TERRA TUA. Hebraice, *Abi tibi*: modus loquendi Hebræis usitatus sine alio mysterio. Hæc visio modo narratur, sed facta est in Mesopotamia: Actor. VII. nunc tamen plane executioni mandatur.

V. 2.

V. 2. ERISQUE BENEDICTUS. Hebraice, *Esto benedictio*, eadem sententia, ut præter Hieron. Chald. & Sept. verterunt: *Et eris benedictus*.

V. 3. IN TE BENEDICENTUR UNIVERSAE COGNATIONES TERRAE. Declaratio eius quod dixerat, *Eris benedictus*, seu *benedictio*. Nempe dicent: Faciat tibi Deus, sicut fecit cum Abraham. Sic cap. XLVIII. vers. 20. Iacob explicat benedictionem datam Iosephi filiis: *Faciat tibi Deus sicut Ephraim, & sicut Manasse*. Nos in Abrahæ semine benedictas gentes dicimus, quia per Christum sunt collata omnia bona. IN TE ergo, idest propter te, propter semen tuum.

V. 4. EGRESSUS EST. Antequam pater Thare moreretur: August. XVI. de Civit. Dei cap. XV. Ex Ur discessit anno ætatis 52. ex Haran anno 75. vivo patre. Nam vixit postea sexaginta annis; & fortassis eum invisebat frequenter. Quo modo quidam verba Stephani cum his locis conciliant. Discessisse ex Haran post mortem patris amplius non rediturus. Hoc sequamur potius quam Cani sententiam,

V. 5. QUAS FECERANT. Hebr. *acquisierant*, sive genitas, sive emptas pecunia, vel ad Deum adiunctas. Porro ANIMAS, id est homines. UT IRENT IN TERRAM CHANAAN. Quomodo ergo Paulus ad Hebræos XI. vers. 8. dixit, *Abraham exiit nesciens quo iret*? Nempe id sumpsit Paulus ex illis verbis, *Veni in terram, quam monstrabo tibi*: ergo licet iret in terram Chanaan, nesciebat quo iret, quia ignorabat qualis terra esset, quid facturus ibi.

V. 6. USQUE AD CONVALLEM ILLUSTREM. Sept. *Ad quercum excelsam* Chald. *Ad planitiem More*. Vox Hebr. אלון *elon* ambigua est. Quibusdam significat *quercum*, quam significationem se utus est alibi sæpe Hieron. aliis significat *planitiem*, seu *convallem*, perinde enim est. Ego suspicor hanc sive quercum dixeris, sive convallem, esse *Mambre*. de qua cap. XIII. vers. 18. & cap. XIV. vers. 13. nam & nomina *More*, & *Mambre* sunt affinia, & Scholiastes Græcus hoc loco legit: *Usque ad quercum Mambre*.

V. 7. APPARUIT AUTEM DOMINUS. Ab hac apparitione cum Abram cœpit peregrinari in AEgyptum, usque ad exitum ex AEgypto, numerantur anni 430. de quibus Exod. XII. Act. VII.

V. 8. MONTEM, QUI ERAT CONTRA ORIENTEM. Pro, ad orientem Bethel. AB OCCIDENTE HABENS BETHEL. Hebr. *a mari*, sic Sept. sed per *mare* occidens intelligitur, quia mare nostrum est ad occasum Terræ sanctæ. ET INVOCAVIT NOMEN EIUS. Hebr. *Et vocavit in nomine Domini*; nimirum, vel ipse invocavit nomen Domini, vel vocavit alios ad nomen Domini: sic quidam Hebræus. Et sic *vocavit* vox est orationis. Vel vocavit filios Adam ad Dei cultum.

V. 10. IN TERRA, intellige Palæstinæ, FACTA EST FAMES.

V. 15. ET NUNTIAVERUNT PRINCIPES PHARAONI. Ad verbum; *Et viderunt eam Principes Pharaonis*: sic Sept. verterunt, sic Chald. sed quoniam superiori versu dictum erat, *Viderunt AEgyptii mulierem*, nunc Hieron. idem videndi verbum mutavit in nuntiandi.

V. 16. BENE USI SUNT: bene fecerunt ei.

V. 17. PROPTER SARAI. Hebr. *Propter verbum Sarai*; sed vox *verbum* sæpe redundat.

V. 19. UT TOLLEREM EAM MIHI IN UXOREM. Sept. & Chald. *Et accepi eam mihi in uxorem, ad te culpa redit, qui dixisti esse sororem tuam*. Hic disputat Hieron. an Pharao eam cognoverit: excusat tandem ex tempore quo feminæ curabant corpora priusquam ingrederentur ad Regem. Accusant alii Abram, quod propter famem se & uxorem tali periculo obiecerit. Sed nimirum sanctorum facta aliquando Deo movente a communi lege exorbitant.

V. 20 DEDUXERUNT EUM. Sept. & Chald. *Comitati sunt eum*, nempe honoris, & præsidii causa. Et vide ingenium aulicorum, continuo vela vertunt quo inclinat regii favoris aura. Tametsi voces Hebraicæ וַיְשַׁלְּחוּ אֹתוֹ *iesallhu otho* proprie significant *dimiserunt eum*.

MALVENDAE.

Vers. I. DIXIT AUTEM DOMINUS. Fere annotant omnes, præteritum perfectum hic poni pro plusquam perfecto: iam vero dixerat Dominus, nempe

pe cum adhuc esset in Ur Chaldæorum, antequam migraret in Charan. Qua ratione hunc locum aiunt interpretatum Stephanum Actor. VII. 2. *Deus gloriæ apparuit patri nostro Abrahæ, quum esset in Mesopotamia, priusquam moraretur in Charan, & dixit ad illum: Exi de terra tua, & de cognatione tua, &c.* nempe ipsa verba quæ hic exponuntur. EGREDERE. Hebr. *Abi tibi*, vel *vade tibi*. Hebraismus, & Hispanismus, *Vete*. Inepte quidam, *tibi*, ad tuam utilitatem.

V. 2. FACIAMQUE TE IN GENTEM MAGNAM; hoc est, efficiam ut ex te oriatur gens maxima, celebris, inclyta, nempe populus Dei, Ecclesia, Christus, fideles, credentes:

... ex te toto surget gens aurea mundo:

ut mysterio respiciat nedum Iudaicum populum, sed Christianum, qui fide propagatus est ex Abrahamo. Notant quidam, ex isto loco, aliisque similibus, perspicuum esse, quod hæc appellatio gentis seu גוי *goi*, non solum gentibus, sed etiam Iudæis competat. Nisi quod postea Iudæi recentiores omnes populos, qui aliam quam Iudaicam sectarentur religionem & cultum, vocarunt גוים *goiim*, non aliter atque Christiani etiam reliquos omnes populos, extra, & præter Iudaismum, quos suo nomine vocant Iudæos, & Christianismum, vocant gentes, seu gentiles; cum tamen perinde nos Christiani gentes simus, atque alii infideles & ethnici. Sic Græci omnes alios a se barbaros appellant. Quare refutandos esse Iudæos, qui alias omnes gentes, quæ non sunt circumcisæ, per contemptum hoc nomine appellant. Et multo magis recentiores Iudæos ineptire, qui nedum nos Christianos *goiim* gentes, verum etiam singulos viros *goi* gentem appellant, qui non sunt ex semine Abrahæ, quasi unus vir gens sit, & gentem aliquam constituat. Ceterum in novo Testamento ἔθνος, quo Hebraicum nomen *goi* exprimitur, gens, aut gentilis vocatur populus, quicumque extra Hebraismum, seu Iudaismum, aut ex semine Abrahæ non est ortus: & *goim* τὰ ἔθνη, gentes, ceteri populi in Dei fœdere non comprehensi: qui tempore Apostolorum dicti sunt Ellenes, id est Græci; quod inter gentes Græci præcipui haberentur, & maxima pars orientis Græco sermone uteretur. Sic in Actis & in Paulo passim. ERISQUE BENEDICTUS: *& esto benedictio*. Latini quoque ita loquuntur: Non scelestus, sed ipsum scelus. Abstractum mire auget significatum; quasi dicat: Nedum benedictus, sed ipsa benedictio esto. Usus est imperativo ut certitudinem promissionis & benedictionis firmaret. Augebo te, & cumulabo ingentibus bonis: eris fortunatissimus, & felicissimus, ut ipsa felicitas videri queas: effundam in te largissime omnium bonorum cornucopiam. Hanc partem antecedentia, & sequentia declarant, in quibus enumerat Deus fortunas & felicitates seu bona quæ conferturus erat in Abrahamum. Nonnulli hunc locum ita reddunt, atque interpretantur: *Et magnificabo nomen tuum, ut sis benedictio*; id est, ut sis veluti exemplar & norma, ac formula quædam benedicendi, & bene precandi, usurpentque passim homines nomen tuum in solemnibus benedictionibus. Felicitatem tantum promittit, quæ omnes passim admiratione afficiat, ut sibi Abrahæ personam & nomen in formulis benedicendi tamquam exemplar sumant; quasi dicat: Reddam nomen tuum celebre & insigne, ita ut tibi omnes bene precentur: præterea, quum quis bene precabitur alteri posthac, sit precaturus ut illi eveniat sicut tibi evenit, dicetque: Utinam tibi benefaciat Deus sicut benefecit Abrahæ, ut Genes. XXVIII. 4. & cap. XLVIII. 16. Sic Romani in formula bene precandi suis principibus, optabant illis felicitatem Augusti, bonitatem Traiani.

Vers. 3 MALEDICENTIBUS TIBI. Hebr. *alleviantes te*, vel *levi facientes te*. Vide Notas Genesis VIII. vers. 21. quasi dicat: Favebo amicis tuis, eos augebo bonis; sed inimicos tuos puniam, & malis afficiam. ET BENEDICENTUR IN TE OMNES COGNATIONES TERRAE. Hebræorum quidam exponunt: Qui aliis bene precari volet, utetur hac formula: Feliciter tibi eveniat ut ipsi Abrahæ evenit. Verum genuina explanatio ut hæc promissio sit prorsus similis illi quæ infra cap. XXII. 18. clarius repetitur his verbis: *Et benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ*. Quod semen Paulus ad Galatas III. 16. Christum interpretatur: *Abrahæ dictæ sunt promissiones, & semini eius: non dicit, Et seminibus, quasi in multis; sed quasi in uno, Et semini tuo, qui est Christus*. Ergo hic *in te*,

te, id est in semine tuo; vel propter te, id est propter semen tuum Christum. Vide Actor. III. 25. 26. BENEDICENTUR. Prosperabuntur, fortunabuntur, felicitabuntur, bonis augebuntur. Quae bona Christus in mundum attulerit, nulli non notum.

Vers. 4. SEPTUAGINTA QUINQUE ANNORUM, &c. Chronologicas Quaestiones de hortu Abrahae, quoto anno patris sui Thare natus sit, Genes. XI. 26. & quomodo post mortem Thare egressus sit de Charan, fusius disputavimus in Antichristo Lib. II. cap. XI. In his Commentariis hanc, & alias, quae passim in Scripturis occurrent, vel omittemus, vel leviter tantum attingemus: quod tetricae, spinosae, ac molestae esse soleant; & quod affatim, & ad fastidium usque ab Explanatoribus excutiantur.

V. 5. UNIVERSAMQUE SUBSTANTIAM QUAM POSSEDERANT. רכוש *recusch*. Notant, cum seorsum ponitur absolute, significare generaliter omnem *substantiam mobilem*, *comparatam*, & *in unum comportatam*: ut sit affine verbo רגש *ragasch*: ut quando sibi habet adiuncta bona, tum exceptis illis, alia notare, quae ibi non sunt expressa. Alii generale nomen esse volunt ad omnia bona sive mobilia, sive immobilia, ut universe significet *substantiam*, *facultates*, *fortunas*, *res*, *supellectilem*, *opes*, *possessiones*, *divitias*. Hispanice, voce consimili, *riquezas*. Ex eo nomine conflatum est verbum רכש *racasch*, quod quater tantum in Scripturis ponitur. *Possidere* vertit Noster, cap. XXXI. 18. bis, *acquirere*, cap. XXXVI. 6. *habere*. Aiunt proprie esse *comportavit*, *collegit substantiam*, *congessit opes*, *ditatus est*, ex verbo *substantiavit*, vel *consubstantiavit*, *comparavit facultates*, *divitias*. ET ANIMAS QUAS FECERANT. Hebr. *Et animam quam fecerunt*: subaudiendum כל *col*, quod proxime antecessit: *Et omnem substantiam quam consubstantiaverunt*: & *omnem animam quam fecerunt*: נפש *nephesch*, *anima* hic pro persona, & synecdochice pro toto composito, a nobiliore eius parte appellatione sumpta; ut alibi passim in Scriptura ponitur. Vide infra Genes. XXXVI. 6. Sic Hispanice loquimur: *Havia mil animas*, id est homines. Quidam hic servos emptitios intelligunt, aut certe vernaculos domi suae natos. *Fecerant*; id est, paraverant, acquisierant, vel genuerant. Nonnulli intelligunt de personis fidelibus, quas secum legi Dei, & verae religioni acquisierant, & aggregaverant, atque in vero Dei cultu instituerant. Sed potius accipimus servitia Abrahami, & Loti, quae sibi vel pretio acquisierant, vel eis domi nata fuerant ex servis & ancillis; nempe servos & emptitios, & vernaculos.

V. 6. SICHEM, famosae urbis, & in Scripturis celebris hic primum mentio: de qua Eusebius, & S. Hieronymus in locis Hebraicis: *Sichem & Salem, quae Latine & Graece Sicima vocata est, civitas Iacob, nunc deserta est. Ostenditur autem locus in suburbanis Neapoleos, iuxta sepulcrum Ioseph, quam subvertit Abimelech, & seminavit in ea salem, sicut in libro Iudicum scriptum est. Postea vero instaurata est a Ieroboam, ut regnorum narrat historia, & sita est in finibus tribus Ephraim: sed & filius Emor appellabatur Sichem, a quo & locus nomen acceperat.* Idem S. Hieronymus in epitaphio Paulae: *Transivit Sichem quae nunc Neapolis appellatur, & ex latere montis Garizim.* Sicaminon Plinii Lib. V. cap. XIX. quidam existimant. Sed diserte Plinio, Ptolemaeo, aliisque Neapolis, quae Sichem, urbs Samariae, diversa a Sicamino Phoeniciae urbe statuitur. De Sichem vide in Deuteron. XI. vers. 29. & in Iosue XXIV. vers. 1. Prolepsi hic usus Moses, nam non nisi postea dicta est Sichem, tempore Iacob, a Sichem filio Emor. Genes. XXXIII. 19. Ioannis IV. 5. appellatur *Sichar*. USQUE AD CONVALLEM ILLUSTREM. אלון מורה *elon moreh*. Quia inter Sichem & convallem nulla intercedit Hebraica coniunctio, quidam existimant esse appositionem; id est, usque ad locum, qui hac tempestate dicitur Sechem, qui olim tempore Abrahae vocabatur *Elon moreh*; ut sit idem locus Sechem novo nomine, qui prisco appellatus sit *Elon moreh*: quod varie interpretantur. I. *Robur*, *quercum*, *ilicem*, vel *quercetum moreh*. II. *Pinum moreh*. III. *Alnum moreh*, ex vocis similitudine. IV. *Ulmum moreh*. V. *Terebinthum moreh*. VI. *Castaneam moreh*. VII. frequentius, *planitiem moreh*. Noster, quum bis tantum coniunctum reperiatur *Elon moreh*, hic *Convallem illustrem*, Deuteronom. XI. vers. 30. *Vallem tendentem & intrantem procul*, exposuit. Indubie מורה *moreh* a ראה *raah*, *vidit*, deduxit; ac si dicas, *Conspicuam, spectabilem, illustrem, extensam oculis*. Qui-

A a dam,

dam, quod in hoc loco Deus apparuerit, ac viſus fuerit Abrahæ. illique magnifice oſtentaverit promiſſionem eius terræ, verſu ſequente, & cap. XIII. verſ. 14. & 15. quaſi dicas, *Vallem*, ſeu planitiem Monſtratoris: *Moreh* enim monſtratorem ſignificare: & a tam illuſtri monſtratore Deo, Abramum id nomen loco impoſuiſſe. Alii exiſtimant, *Moreh* eſſe nomen proprium cuiuſdam viri Chananæi, qui tabernaculum ſuum, ut mos erat illorum temporum, ſub quercu, ſeu querceto, vel alia arbore in planitie illa habuerit. vel loci, de nomine poſſeſſoris Forſan dicta *Vallis*, ſeu *Quercus Moreh*. quod ibi eſſet ſtatio iaculatorum: nam ibi ſtationem aliquam fuiſſe, innuitur Iudic. IX verſ. 6. aut quod eſſet ſchola aliqua aut academia litterarum: ſiquidem Moreh a ירה *iarah*, *iaculatorem & doctorem* ſignificat, qui doctrinam in animos diſcipulorum eiaculatur. Non ſunt audiendi qui *convallem Moreh* & *convallem Mamre* unum & eumdem locum faciunt. Convallem illuſtrem fuſe deſcribunt ſacri topographi, quos adito. Eſſe vel ipſam Sechem, vel in agro Sechemetano. quod eſt veriſimilius, non eſt dubium. CHANANAEUS AUTEM TUNC ERAT IN TERRA; id eſt, nihil minus in ſpeciem videbat Abraham, quam quod ipſi fuerat a Deo promiſſum; & tamen certa id percipiebat fide, ut patrem credentium decuit.

V. 7. ALTARE. מזבח *mizbeach*, *ara*, *altare*, *a* זבח *zabach*, *mactare*, *ſacrificare*: quod in eo mactatæ ſeu iugulatæ pecudes ſacrificabantur; & ad illud fiebant vota, preces, gratiarum actiones, invocationes in nomine Domini, conciones ſacræ de futuro ſemine mulieris, deque rebus aliis divinis, & morum inſtitutione. Avenarius, ex *Mizbach*, deducit *Miſſæ* vocabulum.

V. 8. TRANSGREDIENS. עתק *ghathak*, in Hiphil varie hic exponunt. I. *Et tranſtulit*: ſubaudi, tabernaculum, aut domicilium, vel ſe. II. *Et avulſit*, *eradicavit ſe*. III. *Et provexit ſe*, vel *provectus eſt*. IV. *Et digreſſus eſt*, *amovit ſe*. V. *Et refixit tentorium Bethel*. Sic dicta per prolepſin: nam tunc Luza dicebatur. Vide infra cap XXVIII. verſ. 19. AB OCCIDENTE. Heb. *a mari*: quia enim mare magnum, ſeu mediterraneum, eſt terræ Chenahaneæ ad occidentem ſitum, ſæpe in Scriptura pro occidente ponitur: ſic Exod. X. verſ. 19. HAI. Euſebius, & S. Hieronymus de locis Hebraicis: עי *Ghai*, *iuxta Bethaven & Bethel*, *quam expugnavit Ieſus*, *rege illius interfecto*, *& habitavit in illa quondam citra Iordanem Amorrhæus: nunc deſertus tantum oſtenditur locus*. Et in littera, A; *Ai vero vix parvæ ruinæ reſident*, *& locus tantummodo monſtratur*. ET INVOCAVIT NOMEN EIUS. Heb. *Et vocavit in nomine Iehovah*. Vide ſupra verſ. 7. & cap. IV. verſ. 26. hoc eſt, profeſſus eſt verum ac legitimum Dei cultum, ſolemni ritu ſacrificans, & Deum invocans, ſuoſque ad pietatem & Dei unicam religionem inſtituens. Alii exponunt: *Et litavit*, ſeu *rite ſacrificavit*.

V. 9. PERREXITQUE, &c. Hebr. *Et movit Abram ambulando*, *& movendo ad meridiem*. Alii: *Deinde profectus eſt Abram eundo*, *& proficiſcendo*, vel *indeſinenter pergendo*, *in meridianum tractum*; id eſt, ex montanis illis inter Bethel & Hai perrexit verſus auſtralem plagam per multas manſiones. ſubinde tentoria movendo, & quaſi caſtrametando. Alii exponunt, quaſi ſenſim & pedetentim progrediendo. AD MERIDIEM, ſeu *ad meridianum tractum* Chenahaneæ, qui ſpectat AEgyptum: qua ratione factum eſt ut invadente fame. de qua verſu ſequente, in AEgyptum potius quam alio migraverit.

V. 10. UT PEREGRINARETUR IBI. Obſervant, verbum גור *ghur*, quando conſtruitur cum שם *ſcham*, *ibi*, ut hic, tum ſignificare, *ad locum*, aut *ad gentem aliquam extra patriam ſuam peregrinari*, *ſe*, *reſque ſuas*, vel *curru*, vel *alio vehiculo trahere*: nam verbum generali ſignificatione volunt eſſe *trahere*, quod fortaſſe extra patriam peregrinantes, quaſi inviti & ingratis trahantur in alieno ſolo. Quidam reddunt: *Ad commorandum*, *diverſandum*, *hoſpitandum*, *habitandum ibi*. Alii: *Ad contrahendum*, videlicet victum, & annonam: *ad comparandum ſibi commeatum*, *ibi*. Sed aptius eſt, *ad trahendum ibi*, & ſe, & res ſuas, ac ſuos, vel vitam, vel tempus, vel ætatem.

Verſ. 11. QUUMQUE PROPE ESSET. Heb. *Secundum quod appropinquavit*: & quia הקריב *hikrib*, eſt Hiphil, tranſitive quidam exponunt: *Quum appropinquare fecit*, vel *quum admovit*, ſubaudi, *tentorium ſuum ad ingrediendum in AEgyptum*. Forſan Hiphil indicat, *ſecundum quod quam maxime appro-*

propinquavit. Alii: *Appropinquare se fecit*. NOVI QUOD PULCHRA SIS. Noster duas particulas emphaticas omisit Heb. הן *hen*, *ecce*, & נא *na*, quod est *quæso, obsecro, euge, eia, age, agedum, nunc, iam*. Quidam hic vertunt: *Ecce nunc, iam quidem, sane, profecto*. Observant, *na*, significare affectum, impulsum seu motum animi, quo desiderium cordis nostri indicamus erga superiorem, ut eum flectamus: esseque obsecrantis; interdum vero esse adhortantis, quando scilicet non est inferioris ad superiorem, sed ad semetipsum, vel ad alium æqualem ad aliquid operis faciendum. Sed quando est ad æqualem, vel inferiorem, si eius opera indigemus, ne dum adhortantis, sed obsecrantis est, ut hic. Quidam, *Ecce nunc*; puta, quum meridianas istas feminas contemplor, & te cum illis comparo, *novi mulierem pulchram aspectu esse te*.

V. 13. UT. למען *lemaghan*, *Ut propter, propterea quod, quia, eo quod*, significare aiunt; quasi responsionem, seu redditionem causæ importet. Ego ex verbo, *Ad correspondentiam* dixi; quasi dicat: Si tu dixeris te meam esse sororem, huic tuo dicto correspondebit hoc quod est, bene mihi esse. PROPTER TE. בעבורך *baghaburec*, בעבור *baghabur*, docent, idem esse quod *pro ideo, eo quod, propter, propterea quod*: esseque dictionem consignificativam, significantem transitionem vel de causa ad effectum, vel e contra ab affectu ad causam, aut quando unum transire significatur pro alio. Ego ex verbo reddidi, *In transitione tua*; id est, si hoc transegeris. Hispanice, *si passare por esto*. Vel *in transitione tua*; id est, ad te transibit gratia huius facti. OB GRATIAM TUI. בגללך *biglalec*, exponunt, *causa tui, occasione tui, gratia tui, propter te*. Proprie *in revolutione tua*, hoc est occasione tui. Occasio facile volvitur: vel in devolvendo te in me id beneficium: aut si in me devolveris hanc gratiam. Alii exponunt, *In involutione tua*; id est, in secreto tuo, si tacueris te meam esse uxorem, aut in fictione, & dissimulatione tua, seu in hac arte involvendi rem, dum & veritatem tacebis, & mendacium vitabis.

V. 14. PULCHRA NIMIS, id est pulcherrima. Vide Genes. 1. vers. 31.

V. 15. SUBLATA EST. Heb. *Accepta fuit*. Forsan non tantum quia rapta, sed quod grata, & mire placuerit universæ domui Pharaonis. Quidam reddunt: *Et capta mulier illa in Pharaonis domum perducta est*. Metalepsis, ut Matth. IV. vers. 5. & 8. & cap. XXVII. vers. 27. nam *perducendi* verbum superiore includitur, ut peregrina syntaxis indicat: sic infra cap. XLIII. vers. 33. 34. Exod. XVIII. vers. 12. & cap. XXV. vers. 2. & cap. XXVII. vers. 20. & alibi passim est eclipsis verbi inclusi. Vide Præfationem Forsteri in suum Dictionarium Hebraicum, Regula 52. PHARAONI, פרעה *Pargboh*. Primum hic occurrit celebre istud nomen commune AEgyptiis regibus, de quo paucis hic inseram quæ aliqui observarunt. Ridiculum est quod quidam a Pharo insula vetustissima Alexandriæ obversa Pharaones dictos existimant. Nonnulli, quod liberi & alieni essent ab operibus Dei, & veræ religionis: nam verbum פרע *paragh*, *vacuum, otiosum, liberum, esse*, vel a laboribus, & operibus, vel a lege, vel a disciplina, seu obedientia, significare volunt. Sed hac ratione omnes reges impii & mali dicendi essent Pharaones. Alii, quod a populis tributa, opera, vectigalia exigerent, quasi dicas, exactores: nam *paragh*, *abstrahere* quoque denotare aiunt; itemque *nudare*, uti sint *nudatores* populi. Nec desunt qui ab ultione deducant, quasi *ultores*: nam & Romæ nomen erat Iovis ultoris. Quidam quia putant verbum *paragh*, significare *exuere impedimenta, expedire, & præparare se ad bellum*: inde Pharaones dictos pertendunt, quos Græci postea Ptolemæos appellarunt, id est bellatores, a πόλεμος, quod est *bellum*, inserto τ. Vanissimum commentum, quod nullum etymon fulciat. Nescio unde aliquis accepit, Pharaones dictos proprie quasi *victionarios*, quod reges AEgypti ab omni antiquitate fuerint in sua gente sacerdotes summi ac pontifices præcipui. Plerique Pharaones dictos arbitrantur, quod liberi, otiosi, vacui, immunes essent ab operibus, & oneribus, quibus alii in regno obnoxii sunt; quasi dicas, feriatos, privilegiatos, exemptos iure communi. Ex Hebraico *Phargboh*, volunt deducta Latina, feriatus, privilegiatus, privatus, baro, barones. Sed hæc sunt vanitate ipsa vaniora; ac si vero ea ratione non omnes nationum omnium reges possint dici Pharaones. Alii a cæsarie & coma quam nutrirent, quæ Hebraice dicitur פרע *peragh*,

Pharaones appellatos augurantur, ut forsan Romani Cæsares, a cæsarie, cum qua nascerentur, ut notat Festus. Mirum quod Parthorum reges non sint dicti Pharaones, quod capillati essent. In tanta etymologiarum divinatione, multo tutius ac certius est, quod Iosephus habet Lib. VIII. Originum cap. 11. pag. 269. Pharaonis nomen AEgyptium esse, regemque significare ea in lingua, & propriam esse appellationem regis ac potestatis; atque a primo AEgyptiorum rege, qui dictus sit Pharao, quod nomen regem sonat, reliquos omnes successores longissimo tempore Pharaones nuncupatos; quasi antonomasice reges dicas. Quod satis innuitur Genes. XLI. 44. cum Pharao dixit ad Ioseph: *Ego sum Pharao; sed absque te non levabit quisquam manum suam aut pedem suum, &c.* ac si dicat: Retineo mihi nomen & rem Pharaonis, volo mihi manere nomen regium, & dignitatem regiam; tibi tamen secundas a me tribuo, nempe officium & administrationem frumentorum. Herodotus Lib. II. numero 111. filium Sesostris Pheronem appellat AEgypti regem. Satis constat ex Scriptura, & ex Sanctis Patribus, Hieronymo, Augustino, aliisque, Pharaonis nomen commune fuisse multis regibus AEgyptiorum, ut Cæsaris Romanis principibus, Ptolemæi AEgyptiacis regibus, &c. Insititia & spuria esse aiunt, quæ in Eusebii Chronico numero 346. de Pharaonis etymo legebantur. Errat aperte Iosephus, qui temporibus Salomonis Pharaonum nomen defecisse scribit: cum tempore Iosiæ nominetur *Pharao Necho*, II. Reg. XXIII. 29. & Ieremiæ XLIV. 30. *Pharao Hophra*. De hoc Pharaone raptore Saræ, Iosephus Lib. VI. Belli, cap. XI. *Nechias* (Nechao) *qui iam erat rex AEgyptiorum, idemque Pharao vocabatur, cum infinita manu descendit, reginamque Saram materni nostri generis rapuit.*

V. 16. BENE USI SUNT. Hebr. *Benefecit*, nempe Pharao; id est, ingentibus beneficiis affecit Abrahamum, favore & gratia prosequutus est. OVES, ET BOVES. Vide Genes. IV. vers. 2. Videtur esse expositio eius quod dixerat, *Benigne fecit*; quasi greges, & armenta, servos & ancillas in multa copia ei dono dederit Pharao.

V. 17. PLAGIS MAGNIS. Large divinant. Quidam seminis fluxum, vel impotentiam coeundi. Alii pestem grassantem. Nonnulli morbos & dolores gravissimos, & acutissimos. Plures sterilitatem in viris & feminis. PROPTER SARAI. Heb. *Super verbo Sarai*. Notant דבר *dabar*, id est *verbum*, quando assumit ab initio על *ghal*, ut hic על-דבר *ghal-debar*, idem esse quod *super causa, super re*; idemque Hebræis valere, quod Latinis propter. Occurrit hæc phrasis aliquoties. Exod. VIII. 12. *Et clamavit Moses ad Dominum super verbum*. Numer. XVI. 49. *Præter morientes super verbo Corach*. Sed verbum Hebraicis idem est quod factum, res, materia, negotium, ut sunt passim exempla obvia. I. Reg. XV. 5. *Excepto verbo*, id est facto, *Uriæ Hethæi*. Sic Lucæ 11. *Videamus verbum hoc, quod factum est, &c.* Sic hic, *Super verbo Sarai*; id est, super facto, negotio, re Sarai. Hispania eleganter: *Sobre el echo, o caso de Sarai.*

V. 20. ET DEDUXERUNT EUM; id est, comitati sunt eum, dederunt ei commeatum. Vel honorifice, & humaniter deduxerunt eum. Notant quidam, Saram, quum rapta fuit a Pharaone, minimum fuisse sexaginta quinque annorum: nam Abraham tunc temporis erat minimum septuaginta quinque annorum, supra vers. 4. & Sara decennio tantum minor marito suo, cap. XVII. 17. ad hæc, peregrinationibus, & laboribus, mæstitiisque exercita; & tamen eius pulchritudo tanta, ut regibus & principibus admirationi esset.

MENOCHII.

Vers. 1. DIXIT AUTEM DOMINUS. Hæc Abram vocatio contigit in Ur Chaldæorum: est ergo hic prolepsis: *Dixit autem*, pro dixerat autem. D. Stephanus Act. VII. 2. asserit hanc vocationem contigisse in Mesopotamia, sed Mesopotamiam late sumit, ut comprehendit etiam proximam Chaldæam. TERRA TUA, Chaldæa, solo natali. COGNATIONE, idololatris, qui te cognatione attingunt. DOMO TUA: si malint manere, desere etiam domesticos tuos. QUAM MONSTRABO. Abrahæ fidem Paulus commendat, quod patriam reliquerit ignarus quo properaret. Heb. XI. 8.

V. 2. GENTEM MAGNAM, æquandam stel-

stellis cæli, & arenæ maris, opibus, & dignitate insignem, & ex qua Servator mundi nasciturus. BENEDICAM TIBI, congestis in te naturæ, gratiæ, externisque bonis. ERISQUE BENEDICTIO: nec te promissum meum frustrabitur. MAGNIFICABO NOMEN TUUM: ut cunctis sæculis, & orbe toto sit clarum, ac nobile.

V. 3. BENEDICAM BENEDICENTIBUS: benefaciam bene de te merentibus, malefacientes tibi mulctabo malis. IN TE BENEDICENTUR OMNES; id est, in semine tuo, quod semen (teste Paulo ad Galat. III. 16.) est Christus. Per hoc enim spirituale semen, Abraham factus est pater omnium credentium. LOT FILIUM FRATRIS SUI, filium Aran: erat ergo Lot frater Saræ uxoris Abrahæ. SUBSTANTIAM: sic vocant Hebræi opes, quæ in pecoribus potissimum tunc positæ erant. ANIMAS, personas, capita: pars dignior pro toto; sicut: *Da mihi animas, cetera tolle tibi*: infra cap. XIV. 21. & Ioan. XII. 25. *Qui amat animam suam, perdet eam*. QUAS FECERANT, scilicet suas; quas genuerant, educarant, aut etiam emerant, aut permutarant. Filios, servos, ancillas. CONVALLEM ILLUSTREM. LXX. *quercum excelsam*: vallem, ac planitiem robustis, ac proceris quercubus spectabilem. CHANANAEUS. Populus ille sic proprie dictus, ad distinctionem Hevæi, Pherezæi, Iebusæi, &c. qui & ipsi, latius sumpto vocabulo, Chananæi dicuntur.

V. 7. APPARUIT AUTEM DOMINUS ABRAM, per Angelum scilicet in corpore assumpto. SEMINI TUO, carnali, quod ex Isaac descendet.

V. 8. AD MONTEM. Aliqui putant esse Garizim, & Hebal, de quo Deut. cap. XXVII. BETHEL: per prolepsim, nam ita appellata est postea a Iacob infra cap. XXVIII. 19. cum prius diceretur Luza. Dicitur, CONTRA ORIENTEM, quia mons erat orientalis ipsi Bethel. AB OCCIDENTE HABENS BETHEL. Hebraice: *Amari habens Bethel*: mare enim mediterraneum respectu Iudææ, & Bethel est ab occasu.

V. 9. AD MERIDIEM. Hebraice, *ad austrum*, quod etiam solet explicari voce deserti, ut hic vertunt LXX. In Scriptura ergo meridies, auster, & desertum, quod ad situm attinet, idem significant.

V. 10. PEREGRINARETUR: non ut habitaret, spem enim promissæ sibi terræ numquam abiecit. DESCENDITQUE. Promissionis terra est altior AEgypto; ideo ad hanc ex illa proficiscentes descendere, ex AEgypto vero in Iudæam ascendere dicuntur. IN AEGYPTUM. Fortasse in AEgypto sola fames non grassabatur: vel in Mesopotamiam redire non licebat Deo prohibente.

V. 11. NOVI, &c. Noverat audaciam, & incontinentiam illius populi: quare non vana suspicio. PULCHRA. Ut minimum erat sexaginta quinque annorum; sed vel serius illo ævo senectus sentiebatur, vel divino beneficio vigor corporis, & decor servatus.

V. 13. DIC QUOD SOROR MEA SIS. Quo sensu Sarai Abrahami soror esset, explicat ipse Abrahamus Genes. XX. num. 12. UT BENE SIT MIHI, ne occidar. Non potest Abraham vocari in suspicionem proditæ pudicitiæ uxoris suæ. Sibi consuluit ne occideretur, nihil mentitus, reliqua providentiæ numinis, cui se curæ esse sciebat, permisit. Et fortasse ita fecit, ac locutus est, Dei instinctu, quod graves Auctores affirmant. Adde, Abrahamum potuisse multum confidere Saræ castitati, cuius pudicitiam, & animi constantiam perspectam habebat.

V. 15. IN DOMUM: non ad stuprum, sed ut esset uxor, saltem secundaria.

V. 16. BENE USI SUNT. Pharao multa in illum tamquam in sororium beneficia contulit.

V. 17. FLAGELLAVIT PHARAONEM: non ut adulterum, nam ignorabat coniugatam; sed ut tyrannum, quia invitam rapuisset. PLAGIS MAXIMIS. Quænam fuerint hæ plagæ non dicitur in Scriptura. Aliqui putant fuisse fluxum feminis, & impotentiam copulæ in Pharaone; alii pestilentiam, aut tumultum, seditionesque populares; alii morbos, doloresque gravissimos; alii sterilitatem tam hominum, quam animalium. Ex hoc patet quam verum sit quod dicitur in Psal. CXLV. *Dominus custodit advenam*; *pupillum*, & *viduam suscipiet*. ET DOMUM EIUS: aulicos, familiares, quorum indicio abducta Sara: hi enim ut participes sceleris, ita pœna vacuos esse non decuit.

V. 18.

V. 18. QUOD UXOR TUA ESSET. Vel ipse suspicatus est, &, ipsa Sara interrogata, veritatem cognovit; vel Deus Pharaoni plagarum causam aperuit.

V. 19. UT TOLLEREM: ut non dubitarem eam mihi tollere in uxorem.

TIRINI.

Vers. 1. IN TE BENEDICENTUR UNIVERSAE COGNATIONES TERRAE: quia ratione seminis tui, qui est Christus, ut explicat Apostolus ad Galatas cap. III. vers. 16. iustitia, & gloria, & salus, & omne bonum conferetur omnibus omnino gentibus. Hæc tertia apparitio, & promissio facta est Abrahamo non in Charan (urbe Mesopotamiæ, vulgo dicta Charræ, ubi Crassus cladem accepit) sed in Chanaanitide iam existenti, ut in Chronico probavi cap. XV. Primo ergo apparuit Deus Abrahamo in Ur civitate Chaldæorum, ut patet Actor. VII. vers. 2. & Iudith V. vers. 9. Secundo apparuit eidem in Charan, mortuo iam parente, & iussit pergere in Chanaanitidem, Genes. XII. vers. 1. Porro civitas illa Chaldæorum, unde primum excessit Abram, vocabatur Ur, quod Hebraice ignem significat, quia Chaldæi ignem ibi pro Deo colebant: sicut & vicini illis Persæ solebant in locis, quæ inde pyrea dicta vult Procopius, & alii. Hinc iubetur Abram inde abscedere, scilicet ad declinandam idololatriam, & forsan etiam persecutionem ea ipsa de causa a Chaldæis excitatam. Nam, ut demus, Abramum in pueritia sua prava parentum quorumdam & cognatorum instructione idola quoque *a* coluisse (ut de patre illius Thare, & fratre Nachor constare videtur *b*) verosimile tamen est, meliore mox avorum institutione (nam & Sem, & Sale, & Heber, & multi alii pii ac constantes viri etiam tum supererant) vel privata astrorum creaturarumque consideratione (ut vult Philo) & peculiari instinctu Dei, ad veram illius fidem cultumque traductum, multa hoc nomine tam ab amicis, quam hostibus pati coactum, forsan etiam supplicii ignis (quod Hebræi tradunt) periculum adiisse. Cui ut eriperetur, iussisse Deum ut inde in Chanaanitidem profugeret. Unde Esdræ Lib. II. cap. IX. vers. 7. dicitur Deus eduxisse Abramum de igne Chaldæorum.

V. 13. DIC QUOD SOROR MEA SIS. Ita vere poterat & licite: nam apud Hebræos nepotes, & qui eiusdem sanguinis sunt, vocantur fratres, & neptes sorores. Sic cap. XIII. vers. 8. & 11. vocat Lot suum fratrem, cum solum esset nepos illius, scilicet filius Aaran fratris Abrahæ, ut patet cap. XI. vers. 27. ergo poterat & Saram sororem Lot vocare suam quoque sororem. Ante coniugium vocabatur illa Iescha, cap. XI. vers. 29. sed post nuptias voluit illam Abraham vocari *Sarai*, id est domina mea, quia uxor: sicut illa Abrahamum vocabat dominum meum, cap. XVIII. vers. 12.

Petes an licuerit Abrahamo exponere Saram periculo adulterii. Respondeo: Formaliter id intendendo neque licuit, neque exposuit; materialiter, permittendo, si vis inferretur, potuit. Sed fidebat Deo, cui se suaque, dum prudenter cavet, curæ fore sciebat iuxta promissa sibi facta. Ita S. August. *c*. Fidebat etiam castitati, prudentiæ, & constantiæ uxoris suæ. Addit Pererius, etiam Dei instinctu ita fecisse.

V. 17. FLAGELLAVIT AUTEM DOMINUS PHARAONEM. AEgyptiaca lingua Pharao regem significat, inquit Iosephus *d*. Unde omnes AEgypti reges, usque ad imperium Græcorum dicti sunt Pharaones; sed exinde a Græcis Ptolemæi: ut hi apud Syros, omnes dicebantur Antiochi; apud Romanos, Cæsares, & Augusti; apud Parthos, Arsacidæ; apud Philistiim, Abimelech; nam omnia hæc dignitatis regiæ nomina sunt. Ita Eusebius *e*, Sanctus Hieronymus, & alii. FLAGELLAVIT AUTEM PLAGIS MAXIMIS, nempe peste, tumultu & seditione populari, inquit Iosephus. Morbis insolentibus, & horrendis cruciatibus, ait Philo. Alii, conclusione vulvæ, & sterilitate; ut ex simili casu cap. XX. vers. ult. colligi potest.

(*a*) Isaiæ XLIII. vers. 27.
(*b*) Ex Iosue ult. vers. 2. & Iudith. V. vers. 7. & Gen. cap. XXXI. & de Abrahamo idem affirmant Hebræi, Philo Lib. de Abrah. August. X. de Civit. cap. ult. Cyrill. Tom. III. contra Iulian. Lib. III. in fine. Genebrardus in Chronol. Masius & Serarius in Iosue ult. & alii.
(*c*) Aug. XXII. contra Faust. cap. XXXIII.
(*d*) Ioseph lib. VIII. Antiq. cap. II.
(*e*) Eusebius in Chronic. Hieron. in Isaiæ XXX. & Ezech. XXIX.

Gor-

GORDONI.

	Nascitur anno mundi.	Generat natus annos.	Vixit	Moritur
Abraham.	1978	100	175	2155
Isaac	2078	An.60. Gen. xxv. v. 26.	18	2258
Iacob	2138	91 Iosephum	147	2285
Ioseph	2229		110	2338
Servitus AEgypti incipit An. 2360. durat ad exodum usque.				
Moses	2403	Hinc ad exodum An 80.		

Ad annum nascentis Abrahæ ponitur regnum AEgyptiorum: de cuius tamen varia origine, vide Chronolog. qq. cap. IV. & VI. Semiramis imperat anno 1987. Circumcisio instruitur 2077. Argyvorum regnum, & Phoronei tempora, 2148. Ogygis diluvium 2207. Sparta condita 2298. Atheniensium regnum 2443. Iob floret 2444. Deucalionis diluvium 2469. Hæc obiter confer cum annis Patriarcharum, ut videas quæ sub Patriarchis acciderint.

Vers. I. POst narratam (quadam hysterologia, & anticipatione, cap. XI.) egressionem Abrahæ de Ur Chaldæorum, nunc vocationem narrat, & apparitionem antea factam, qua præceperat Deus Abrahæ egressum. Accesserunt itineris Comites, pater, & Lot filius fratris Abrahæ: educitur ad vitandam idololatriam. Et quamvis aliqui negent Abraham fuisse umquam idololatram, tamen plures affirmant cum Augustino Lib. X. de Civit. cap. ult. EGREDERE DE TERRA TUA. לך לך *lech*, *lecha*: vade tibi ab הלך ambulavit. De vocatione Abrahæ vide Actor. VII. & Hebr. XI. vers. 8. Primus e media infidelitate vocatur, typus & pater credentium vocatus; promissionem primus de Christo accepit. Et hic vers. 2. quod sit futurus in gentem magnam promittitur.

V. 3. IN TE BENEDICENTUR UNIVERSAE COGNATIONES TERRAE, hoc est in semine tuo, qui est Christus, ex Paulo ad Gal. cap. III. Iterum de hac re cap. XX.

V. 4. EGRESSUS. Vide cap. XI. vers. 31. Prima enim est profectio Abrahæ de Ur, qua per Haram ivit in Chanaan, sicut iussit Deus. Habitavit quidem Thare in Haram, sed Abraham sequutus oraculum progressus est. Habuit Abraham annos 75. in exitu ex Haran, ut hic vides, & in diagrammate cap. XI. estque hæc prima profectio.

V. 5. LOT FILIUM FRATRIS. Lot filius Aram: ergo frater Saræ uxoris Abraham. Sed vide infra cap. XX. vers. 12. & Levit. XVIII. vers. 9. ANIMAS QUAS FECERAT: homines, quos habuit, genuit vel emit. Nota Heb. cap. XI. vers. 8. *Nesciens quo iret*. Sciebat Abraham se ire in Chanaan; at nesciebat loci conditionem.

V. 6. Huius profectionis Abrahami in Chanaan. ac postea in AEgyptum, Chronologiam iam obiter indicavi cap. XI. Topographiam dat tabula geographica. Vide Iosue cap VI. & VIII. & Adrichomium fuse hæc loca describentem. AD LOCUM SICHEM, hoc est ad locum, ubi villa vocata postea est Sichem, a Sichem filio Hemor. Gen. XXXIV. fuit in tribu Ephraim, non longe a monte Garizim. CONVALLEM ILLUSTREM. Hebr. τὸ אלון *elon*. Latinus vertit *convallem*. Septuaginta *quercum excelsam*. Sane אלון Hebræis est arboris species; sed an quercus, ilex, vel pinus, dubium. Immo Hieronymus non unam arborem aut quercum, sed quercetum intelligit. Heb. מורה *more*, conspicuum significat. Noster illustrem vertit, forte ex proceritate arborum. Addit Moses Chananæum tunc incoluisse ea loca, ad quæ primum venit Abraham.

V. 7. Ab hac vocatione usque ad exodum, alibi numeravi annos 430. de quibus Act. VII. vide Exod. cap. XII.

V. 8 MONTEM, Garizim. BETHEL. Nondum locus ita vocabatur ex cap. XXVIII. vers. 19. sed est prolepsis.

V. 9. AD MERIDIEM. Septuag. habent *desertum*. Idem sonat; nam desertum erat ad meridiem.


V. 11. PULCHRA. Attigerat annum ætatis saltem sexagesimum quintum, tamen decor servatus, vel Deo providente, vel quem ævum illud patiebatur.

V. 13.

V. 13. Abraham sine mendacio ait Saram uxorem, esse sororem suam ex cap. xx. 12. erat enim filia Thare patris, sed ex alia matre, quam Abrahamus: aut quod probabilius est, neptis Thare, ut infra cap. xx. vers. 12. Vide in diagrammate supra ad annum 3. mundi. Inepte Calvinus accusat lenocinii Abrahamum, dum uxorem exponit periculo adulterii: nam acta res est divino instinctu (ut exitus declaravit) tantumque dicit Sara, quod verum erat, & tacet se uxorem esse, ad vitandum periculum vitæ Abrahami. Immo propter raptam invitam, flagellatur Rex a Deo, & sic servatur inviolata. Exitus hic monstrat divinum instinctum non defuisse: ac proinde conditio hic posita probat scientiam conditionalem. Ceterum quod vers. 8. *Contra orientem Bethel*, seu e regione ipsius Bethel, prius dicta est Luza. Vide Genes. XXVIII. 19. postea tempore Iacob vocata est Bethel. Est prolepsis. De urbe Hai, Iosue VIII.

V. 15. Pharao commune erat nomen regibus AEgypti, & mansit usque ad tempora captivitatis Babylonicæ. Cetera iam declarata sunt.

V. 19. IN UXOREM. Notat Hieronymus non fuisse cognitam Saram a Pharaone, ob tempus quo feminæ curant corpora ut ingrediantur ad Regem.



CAPUT XIII.

Abram, & Lot AEgyptum egressi, præ nimia opulentia separantur; & Lot Iordanis fines eligente, Abram habitat in terra Chanaan: ubi rursum Dei promissiones de multiplicando semine, terraque possidenda, accipit.

1 ASCENDIT ergo Abram de AEgypto, ipse, & uxor eius, & omnia quæ habebat, & Lot cum eo, ad australem plagam. 2. Erat autem dives valde in possessione auri & argenti. 3. Reversusque est per iter, quo venerat, a meridie in Bethel, usque ad locum ubi prius fixerat tabernaculum inter Bethel & Hai: 4. in loco altaris (*a*) quod fecerat prius, & invocavit ibi nomen Domini. 5. Sed & Lot, qui erat cum Abram, fuerunt greges ovium, & armenta, & tabernacula. 6. Nec poterat eos capere terra, ut habitarent simul: (*b*) erat quippe substantia eorum multa, & nequibant habitare communiter. 7. Unde & facta est rixa inter pastores gregum Abram & Lot. Eo autem tempore Chananæus, & Pherezæus habitabant in terra illa. 8. Dixit ergo Abram ad Lot: Ne quæso sit iurgium inter me & te, & inter pastores meos & pastores tuos: fratres enim sumus. 9. Ecce universa terra coram te est: recede a me, obsecro: si ad sinistram ieris, ego dexteram tenebo; si tu dexteram elegeris, ego ad sinistram pergam. 10. Elevatis itaque Lot oculis, vidit omnem circa regionem Iordanis, quæ universa irrigabatur antequam subverteret Dominus Sodomam, & Gomorrham, sicut paradisus Domini, & sicut AEgyptus venientibus in Segor. 11. Elegitque sibi Lot regionem circa Iordanem, & recessit ab oriente: divisique sunt alterutrum a fratre suo. 12. Abram habitavit in terra Chanaan; Lot vero moratus est in oppidis quæ erant circa Iordanem, & habitavit in Sodomis. 13. Homines autem Sodomitæ pessimi erant, & peccatores coram Domino nimis. 14. Dixitque Dominus ad Abram, postquam divisus est ab eo Lot:

(*c*) * Le-

(c) * Leva oculos tuos, & vide a loco, in quo nunc es, ad aquilonem, & meridiem, ad orientem, & occidentem. 15. Omnem terram, quam conspicis, tibi dabo, & semini tuo usque in sempiternum. 16. Faciamque semen tuum sicut pulverem terræ. Si quis potest hominum numerare pulverem terræ, semen quoque tuum numerare poterit. 17. * Surge, & perambula terram in longitudine, & in latitudine sua: quia tibi daturus sum eam. 18. Movens igitur tabernaculum suum Abram, venit, & habitavit iuxta convallem Mambre, quæ est in Hebron; ædificavitque ibi altare Domino.

(a) Sup. xii. 7. (b) Infr. xxxvi. 7. (c) Sup. xii. 7. Inf. xv. 18. xxvi. 4. Deut. xxxiv. 4.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 14. *Leva oculos tuos*. Non subiicias *in directum*, quod alii.

V. 17. *Surge, & perambula*. Coniunctio *ergo* superflue interponitur a quibusdam.

COMMENTARIA

SA.

Vers. 1. AUSTRALEM, scilicet respectu Palestinæ.

V. 3. A MERIDIE: coniunge cum *reversusque*.

V. 6. COMMUNITER, idest simul.

V. 9. CORAM TE, idest in tua electione. Vide cap. xxxiv. SINISTRAM, scilicet eunti ad orientem.

V. 10. VENIENTIBUS IN SEGOR; idest, qualis est AEgyptus ea parte qua itur in Segor; vel potius (sic enim coniungendum) universa usque ad Segor irrigabatur sicut paradisus Domini, & sicut AEgyptus. Chald. *Ad introitum Segor*. LXX. *Donec veniatur in Segor*.

V. 11. ALTERUTRUM A FRATRE SUO; idest, *alter ab altero*, Hebraice.

V. 13. CORAM DOMINO, idest Deo iudice, adeoque vere, seu Deo inspectante, & interim ferente.

V. 16. SICUT PULVEREM, scilicet multitudine.

V. 18. MAMBRE: sic dicta a viro Mambre. DOMINO, idest in honorem Domini.

ESTII.

Vers. 2. ERAT AUTEM DIVES VALDE IN POSSESSIONE AURI, ET ARGENTI. Hebr. plenius: *Erat autem gravis valde pecore, argento, & auro*. Et mirum, Hieronymum in vertendo omisisse (si tamen omisit, & non culpa librarii intercidit) id quod præcipuum erat, scilicet *pecoris*, quod nec a Septuaginta neglectum est. Constat enim præcipuas opes antiquorum fuisse pecora, atque oves imprimis. Unde etiamnum ovium custos, non ovilio, sed opilio, tamquam opum conservator scilicet, dici videtur. Dicitur autem Hebr. *gravis pecore*, id est onustus. De quo & mystice Hieronym. *Licet videantur esse divitiæ pecoris, auri, & argenti; tamen si AEgyptiæ sunt, viro sancto graves sunt*. Sic & Isaiæ I. *Populo gravi iniquitate*, scilicet pondere iniquitatum prægravato.

V. 8. NE, QUAESO, SIT IURGIUM INTER ME ET TE. Notanda hic insignis modestia tanti viri, & patrui erga nepotem, & e contra parum gratus animus Lot, quo non ipse patruo potius optionem reliquerit. Unde & pro cupiditate hac melioris portionis, verisimiliter Lot punitus fuit temporaliter: scilicet cap. seq. in captivitatem ductus, multaque in Sodomis videre indigna coactus.

V. 11. ELEGITQUE SIBI LOT REGIONEM CIRCA IORDANEM &c. Non videtur Lot omnino inculpabilis, quod propter terræ fertilitatem elegerit eam regionem, cuius habitatores erant pessimi. Inter quos proinde ipsius innocentia, & præ-

fertim familiæ eius, graviter esset periclitatura; nisi dicamus, Lot excusabiliter ignorasse, quod essent eius regionis incolæ tam mali. Fuerit igitur fortasse aliqua culpa, nisi forte etiam tum nondum fuerint tam mali.

MARIANAE.

Vers. 1. ASCENDIT ERGO ABRAM DE AEGYPTO: Nempe Terra promissionis sublimior AEgypto est. AD AUSTRALEM PLAGAM, non comparatione AEgypti, sed Palæstinæ, ad austrum consedit.

V. 2. ERAT AUTEM DIVES VALDE. Vox Hebraica כָּבֵד *Cabed gravem* significat, eadem *divitem*, quod dives ob multam familiam & opes difficulter movetur, vel quoniam sibi, & aliis molestus est. IN POSSESSIONE AURI, ET ARGENTI. Hebr. *In pecoribus, in argento, & in auro*: sic Sept. & Chald. verterunt. Sed *pecus* ab Hebræis מִקְנֶה *Mikneh* vocatur, id est *possessio* (ut vertit Hieron.) quod fere eo tempore bona & opes pecoribus constarent: unde & pecunia dicta, quod in pecorum locum succederet, idque indicat nota pecudis, qua primum signata est.

V. 6. COMMUNITER. Hebr. *Simul non poterant habitare*.

V. 7. UNDE ET FACTA EST RIXA. Divitiarum fructus, rixæ, & bella.

V. 9. ECCE UNIVERSA TERRA. Hebr. *An non universa terra?* Et vide, maioris esse dividere; minoris eligere. Vide symbolum amicitiæ. Amici, ut lineæ parallelæ, nec recedunt, nec concurrunt: sic Abram ita recedere voluit Lot, ut ipse tamen præsto esset. SI AD SINISTRAM. Sinistram septemtrionem vocat, dextram meridiem: sic Chald. *Si ad septemtrionem ieris*. Versa facie ad ortum, septemtrio ad lævam est.

V. 10. REGIONEM IORDANIS. Chald. *planitiem Iordanis*. Quidam Hebræus ait, vocem כִּכַּר *Chicar*, quæ hic ponitur, esse nomen proprium eius regionis & planitiei. SICUT PARADISUS DOMINI, in quo posuit Adamum. VENIENTIBUS IN SEGOR. Iunge non cum *sicut AEgyptus*, sed cum *irrigabatur*. Sept. *Donec veniatur in Segor*. Erat autem Segor oppidum Sodomorum prope Moab.

V. 11. RECESSIT AB ORIENTE. Lot ad plagam orientalem greges pascebat, Abram ad occasum: sic Lot ab oriente recessit Abræ comparatione, non Sodomæ quo ivit. Aut *oriens* sit nomen proprium tractus ubi Lot erat.

V. 12. IN OPPIDIS QUAE ERANT CIRCA IORDANEM. Hebr. *In urbibus planitiei, vel campestribus habitavit Lot*. Nulla Iordanis mentio neque in Sept. neque Chald.

V. 13. HOMINES AUTEM SODOMITAE. Ex abundantia fere iniquitas. Erant ergo mali & peccatores; mali erga homines, peccatores erga Deum, idque vehementer; hoc enim significant illa verba, CORAM DOMINO NIMIS: tametsi Hebr. non est *coram Domino*, sed *erant peccatores Domino nimis*.

V. 14. LEVA OCULOS TUOS. Hæc visio post discessum Lot, quia Deus pacificis apparet; vultque quemdam gustum dare eorum quæ pollicetur. Sic mandat Abramo ut videat oculis, & pedibus terat terram promissam. ET OCCIDENTEM. Hebr. *& mare*, sed perinde est: de quo cap. XII. vers. 8.

V. 18. MOVENS IGITUR TABERNACULUM. Sic Sept. posuere. Hebraica potius significant *tetendit tabernaculum*, ut vertit Chaldæus; sententia tamen est eadem; nempe, motis castris, quod fit tabernaculis iam sublatis iam fixis, venisse, & habitasse iuxta quercum, aut CONVALLEM MAMBRE. Nomen hoc est hominis Amorrhæi, ut sequenti cap. dicitur, a quo locus est vocatus. Sæpe Hieron. pro אֵלֹן *ælon* vertit *convallem*; alii *quercum*, aut *quercetum*. Sup. XII. 6.

MALVENDAE.

Vers. 1. AD AUSTRALEM PLAGAM: *ad meridiem*, vel *in meridianum tractum* Chenahanææ, a quo tractu antea descenderat, supra cap. XII. vers. 9.

V. 2. DIVES VALDE. Heb. *gravis valde*, id est rebus cum ante partis, supra cap. XII. vers. 5. tum donatis a rege, ibidem vers. 16. & certe gravant divitiæ, & sunt maximo oneri: tum gravitatem, gloriam, & honorem conciliant.

V. 3. PER ITER QUO VENERAT. Heb. *ad motiones*, seu *ad profectiones suas*. Qui-

Quidam, *suis itineribus*, id est sibi commodis & cognitis, quibus in AEgyptum ante descenderat; vel per easdem mansiones & castrametationes, quibus ante promoverat tentoria, supra cap. XII. vers. 9.

V. 5. ET TABERNACULA, seu *tentoria*, id est domestici multi: synecdoche. Hic vere confirmatur veritas illius promissionis Dei qua se dixerat amicum fore amicis Abrami, supra cap. XI. vers. 35. Nam huc spectant illa Mosis verba hoc versu: *Ipsi Loto ambulanti cum Abramo*.

V. 7. PHEREZAEUS. Heb. *Pherizaeus*. Huius gentis nulla mentio in prima nationum origine descripta Genes. X. vers. 15. & 16. inter gentes Chenahanaeae. Quidam ex variis Scripturae locis hunc sibi huius gentis situm ac descriptionem conflarunt. Aiunt ex Amorrhaeis Pherezaeos ortos, mari salis seu Asphaltide lacui finitimum spatium occupasse, illustri inter ceteros accolas sibi parato nomine, Geth regiam urbem, & Beth Gharaba aedificasse, & incoluisse; horumque ditionem secundum id mare per Aphekam usque ad Iericо pro ductam fuisse. Praeterea Amorrhaeos, & Pherezaeos praecipua inter Chenahanaeos nomina fuisse, qui populorum, gentiumque frequentia, atque rerum etiam copia, locorumque praestantia ceteras excelluerint familias; divisisque tractibus, in suam societatem, seu municipiorum iure conscriptas fortitos fuisse: Amorrhaeos enim loca montana, & proxima campestria circa Iordanem incoluisse; Chenahanaeos vero regionem quae ab Amorrhaeis ad mare mediterraneum producebatur; mediam inter hos partem, secundum mare mortuum Pherezaeos insedisse. Alii volunt, eos circa Samariam habitasse. Sed sunt haec in obscuro. Nonnulli putant, dictos *Therizim* (פרזי *perazi*) quasi villicos & paganos, qui plurimum villas & pagos sine muris incolerent, hominum genus agreste, procul urbibus degens: vel quasi irruptores, quod latrociniis, & irruptionibus essent infames, grassatores, & rapto vivere soliti. Sane ex hoc loco satis colligitur eos propinquos fuisse locis inter Bethel & Hai, ubi tunc Abram, & Lot sedes habebant.

Annotant, idcirco nunc inductam mentionem Chenahanaeorum & Pherizaeorum a Mose, ut redderet rationem, cur Abram, & Lot tam anguste habitarent, nec caperet eos terra, ut una simul degerent: Sustinuisset, inquiunt, utrosque terra illa, nisi etiam illi alii populi eamdem occupassent. qui meliorem pascuorum partem uti possessores terrae suo pecori retinebant: unde fiebat ut peregrini Abram, & Lot pascuorum penuria laborarent, atque arcte habitarent, ac pecuarii inter se contenderent. Vel ideo memorasse duas has gentes, ut innueret, eas magis quam alias fuisse finitimas & conterminas ei loco, in quo habitabant Abram, & Lot. Alii, ut indicaret, quanto in periculo res Abrami & Loti essent, inter barbaras & efferas illas gentes, maxime illis diffidentibus & inter se contendentibus, ne invaderentur a vicinis illis externis. Unde ne illis impiis praedae, aut scandalo essent, illico actum de concordia inter utrumque, ut separarentur.

V. 9. ECCE UNIVERSA TERRA CORAM TE EST. Heb. *Nonne omnis terra ad facies tuas?* Quidam: *Nonne universa haec terra est coram te?* id est, tibi est exposita. Notant, has interrogationes Hebraeas vehementissimam efficere affirmationem, tamquam si auditor coram in rem praesentem duceretur manu, & ad oculi iactum assensurus esset. Sic infra cap. XX. vers. 5. Exodi XIV. 12. Iosue I. 9. & alibi saepius. Vide Notas in Iosue I. 9. SI AD SINISTRAM IERIS, &c. Hunc versum ita ex Hebraeo exprimes: *Si sinistra*, subaudi, placuerit, vel *si sinistram* elegeris, petes, ieris, ego *& dextrabo*, id est ad dexteram cedam, ibo, pergam, tenebo, *& si dextera* placuerit, vel *si dexteram* elegeris, petes, ieris, ego *& sinistrabo*, id est ad sinistram cedam, pergam, tenebo. Hebraice eleganter a dextra effictum est verbum *dextrare*, & a sinistra, *sinistrare*. Quidam hic sinistram, septentrionalem partem, dexteram, australem interpretantur. Si duo vasim (duo vau) sunt hic conversivae, sic reddemus: *Et dextravi, & sinistravi*, ut praeterita indicent promptissimum ac paratissimum Abrami animum ad exequenda, quae proponebat; quasi dicat: Iam feci quae dico.

V. 10. CIRCA REGIONEM. ככר *ciccar*, aiunt esse *circularem*, seu *orbicularem aliquam portionem*, aut *regionem*, *quae sit veluti circumcisa*: & ut כור *cor* Hebraeis est *capacissima mensura aridorum*; ita *ciccar*,

prima littera geminata, (nam ad *cor* reducunt) esse *maximam rotunditatem*, vel in quantitate in plano, vel in pondere: generalique nomine *orbem* exponunt; hicque reddunt: *Et vidit omnem orbem Iordanis*. Quod Lucæ III. 3. versum putant: *Et venit in omnem regionem Iordanis*. Huic expositioni favet istud Nostri: *Et vidit omnem circa regionem Iordanis*. Alii *planitiem* reddunt. Nonnulli *frustum*, *portionem*, *partem*, *tractum*, quod sit veluti fossa, & circumcisa ex toto: *Et vidit omnem portionem*, *partem Iordanis*. Quidam: *Et vidit omnia æquora campi Iordanis*. AEquor consentit cum *cor*, & *ciccar*. Latinis dictum ab æqua planitie. IORDANIS. Hic primum occurrit inclyti amnis nomen in Scriptura celeberrimi, quem quidam dictum volunt quasi יאור דן *Ieor Dan*, id est, *fluvius Dan*, quod ex Dan fonte nascatur, seu quod ex duobus fontibus oriatur, quorum alteri Ior, alteri Dan sit nomen. Quidam, ac si esset יורד מן דן *iored min Dan*, hoc est fluens, vel descendens ex Dan fonte. Vide S. Hieronymum in Traditionibus Hebraicis, Genes. XIV. & in Locis; & quæ fuse de Iordanis ortu differuimus in Antichristo Lib. III. cap. VIII. Vide etiam Notas in Iosue I. vers. 2. IRRIGABATUR. משקה *maschkeh* quidam pro participio Hiphil capiunt, redduntque *irrigans*. Coniugationemque Hiphil volunt augere significatum, quasi quod ea regio maxime esset irrigua, aquisque ad cultum agrorum abundaret; sed cum sit participium masculeum, non recte cohæret cum nomine femineo *ciccar*. Unde melius alii, & ampliori significatu, pro nomine substantivo & abstracto sumunt, id est *irrigatio*; quasi dicat: Nedum irrigabatur, sed tota erat ipsa irrigatio. VENIENTIBUS IN SEGOR; id est, erat tota irrigua usque ad Segor. Intelligi volunt totam illam regionem Pentapoleos, quæ amœnissima, & fertilissima erat, quasi hortus, vel paradisus voluptatis ille plantatus a Deo, & quasi terra AEgypti, quam Nilus inundat, & fecundat: nam Iordanis quoque exundans tempore messis campos implebat, ut Nilus, Iosue III. 15. Eccli. XXIV. 36.

V. 11. ET RECESSIT AB ORIENTE: vel respectu loci, in quo tunc Abraham manebat, quod forsan eius loci, quem Abram & Lot occupabant partem orientalem Lot, occidentalem vero Abram teneret; & ab ea parte orientali tunc Lot recesserit. Quidam volunt hic, *de oriente* significare ad orientem. Dure, quod מן *min* iunctum verbis movendi, difficile admittat eiusmodi significatum. Alii volunt, id dici de Lot iam ingresso in Pentapolim, quod postquam ibi fuit, recesserit a parte Pentapolis magis orientali, ad Sodomam, quæ magis occidua erat in eadem Pentapoli; aiuntque esse hic hysteron proteron: nam prius separati sunt ab invicem, quam Lot ab oriente recederet. Satis vero constat, Pentapolim, nempe regionem quam petebat Lot, & toti Palæstinæ, & loco ubi tum Abram morabatur, orientalem esse.

V. 12. IN TERRA CHANAAN. Hinc, & e vers. 7. & e cap. XII. vers. 6. facile colligitur, Chanaan nedum esse nomen universale totius terræ promissæ, cuius termini describuntur Genes. X. 19. sed mansisse peculiariter parti cuidam eius regionis, eamque esse, quam Abraham incoluit cum primum e Charan in eam terram commigravit, in qua erant Sichem, Bethel, Convallis Moreh. Sacri topographi terminos huius Chananiticæ portionis describunt. Hinc in aliis Scripturæ locis Chananæi aliis Terræ promissæ populis coniunguntur. Numer. XIII. 30. *Chananæus vero moratur iuxta mare, & circa fluenta Iordanis*. ET HABITAVIT IN SODOMIS. Heb. *Et tabernaculavit, tentoriavit usque ad Sodomam*. Quidam exponunt: Figendo & refigendo tentoria, variis mansionibus, veluti promovendo castra, pervenit ad Sodomam, ubi sedem fixit tandem, infra cap. XIV. vers. 12. sic enim solent scenitæ, & pastores mutare tabernacula, pecoris pascundi gratia. Alii intelligunt, Lot variis tentoriis & tabernaculis, utpote divitem & opulentum, implesse loca usque ad Sodomam; tetendisse in campis Sodomæ vicinis.

V. 13. ET PECCATORES. Heb. *erratores*, *delictores*. Quidam, *errones*, *erroneos*, *errabundos*, *reos*, *culpabiles*, vel *culpandos*, reddunt. Sed Latinis *errones* sunt, qui incertis sedibus vagantur; etiamsi non sint in culpa, aut crimine. Quidam exponunt, scelerosos, sceleratos, qui sponte errant, & delinquunt, non casu, aut per imprudentiam. CORAM DOMINO. Heb. *ipsi*

Do-

Domino, vel *ad Dominum*. Quidam exponunt, *contra Dominum*. Alii, per ſummam impudentiam. Melius alii duas voces, *Domino*, & *valde*, exprimere, fuiſſe illos perditiſſimos & depravatiſſimos ſupra modum: nam vox Domini intendit ſignificatum, vel *Domino*, quod peccata eorum iugiter vindictam clamarent a Domino: Geneſ. XVIII. verſ. 20. 21.

V. 15. USQUE IN SEMPITERNUM, iis tamen conditionibus, quæ Deut. IV. verſ. 25. 26. 27. proponuntur.

V. 16. NUMERARE. מנה *manah* putant ſignificare *rem aliquam per partes* ſeu *numeros ſubducere*, &, ut arithmetici vocant, *ſubtrahere*, ut fit numerando, quando de ſumma & univerſitate ſingularum partium fit detractio: atque eſſe ſpeciem arithmeticæ, quam ſubtractionem, ſeu ſubductionem appellant. Forſan a particula, ſeu præpoſitione מן *min*, quæ detractionem importat. Alii e contra exiſtimant, id verbum proprie ſpeciem illam arithmeticæ deſignare, quam vocant *additionem*, & *in ſummam reductionem*, quaſi ſit ſummam colligere. Nonnulli exponunt, *in ſpecies*, *partes*, *portiones diſtribuere*; atque eſſe ſpecies a genere ſubtractas ſingulatim & ſeorſim numerare, partitive & numeratim diſtribuere, ut cognationem habeat cum præpoſitione מן *min*. & cum מן *min*, *ſpecie*. Noſter in Kal per *numerare* vertere ſolet.

V. 17. PERAMBULA. התהלך. *hithallec*, in Hithphael, ambulationem, ſeu perambulationem ſeriam, attentam, diligentem indicat.

V. 18. CONVALLEM MAMRE. אלוני ממרא *elone mamre*, iam dixi ad Cap. XII. verſ. 6. non ſatis conſtare quænam arbor Hebræis ſit *elon*, cuius hic plurale ponitur, nam varie reddunt, *quercum*, *robur*, *ilicem*, *alnum*, *elaten* *pinum*, *abietem*, *caſtaneam*, *ulmum*, *terebinthum*: Tanta eſt ignoratio nominis! Frequentiores *quercum*, ſeu *quercetum*, *robur*, vel *roboretum*, ſeu *ilicem*; aut *ilicetum* (nam pluralis numerus ſatis id indicat) exponunt. Burchardus de Monte Sion: *Ab Hebron ad dimidiam leucam fons eſt Abrahæ in convalle Mamre, & terebinthus, ſub qua comedit Dominus, Abraham miniſtrante. Verum eſt quod antiqua vetuſtate conſumpta eſt, ſed de radicibus eius alia nata eſt, de cuius fructu, & ligno tuli mecum. Et non eſt quercus, ſicut quidam opinantur: folia habens modica ſicut lentiſcus, ſed fructum ſicut quercus.* Vide, quæ paulo inferius de hac terebintho ſubiiciemus.

Mamre nomen proprium eſſe viri Amorrhæi diſerte dicitur cap. XIV. verſ. 13. Explodendi omnino, qui eumdem locum putant *elone moreh*, & *elone mamre*: nam ille erat in Sichem, aut prope, cap. XII. verſ. 6. hic erat in Hebron, aut iuxta, ut in hoc verſu affirmatur: & Abraham ex *elon moreh*, venit in *elone mamre*, ſupra, hoc cap. verſ. 3. & 4 & verſ. iſto 18. Noſter, cum hæc vox ter tantum occurat hic, & Geneſ. XIV. 13. & Geneſ. XVIII. 1. ſemper *convallem* dixit. Alii *planitiem*: nec eſt dubium locum fuiſſe arboribus conſitum.

QUAE EST IN HEBRON. Euſebius & S. Hieronymus in locis Hebraicis: *Hebron enim olim metropolis Philiſtinorum, & habitaculum gigantum, regnumque poſtea Davidis in tribu Iuda, civitas ſacerdotalis & fugitivorum. Diſtat ad meridianam plagam ab AElia millibus circiter viginti duobus. Quercus Abraham quæ & Mamre, uſque ad Conſtantii regis imperium monſtrabatur; & mauſoleum eius in præſentiarum cernitur. Cumque a nobis iam ibidem Eccleſia ædificata ſit, a cunctis in circuitu gentibus terebinthus ſuperſtitioſe colitur: eo quod ſub eo Angelos Abraham quondam hoſpitio ſuſceperat. Hæc ergo primum Arbee, poſtea a Chebron uno filiorum Caleb, ſortita vocabulum eſt.* Et in epitaphio Paulæ, de eius peregrinatione: *Intravit Saræ cellulas, videns incunabula Iſaac, & veſtigia quercus Abraham, ſub qua vidit diem Chriſti, & lætatus eſt.* Et poſtea: *Quercus Mamre iuxta Chebron, in qua uſque ad ætatem infantiæ meæ, & Conſtantii regis imperium terebinthus monſtrabatur pervetus, & annos magnitudine indicans, ſub qua habitavit Abraham. Miro autem cultu in Ethnicis habita eſt, & velut quodam inſigni nomine conſecrata.* Vide de hac terebintho Ioſephum Lib. V. Belli, cap. VII. De quercu ſeu terebintho Mamre, de ſuperſtitioſo ibi gentilium cultu, atque Eccleſia ibidem Conſtantini Magni iuſſu conſtructa, plura Euſebius Lib. III. vitæ Conſtantini, cap. L. LI. Socrates Lib. I. cap. XIV. Sozomenus Lib. II. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, cap. III. & alii poſteriores tradidere.

Si verum est quod S. Hieronymus affirmat, hanc urbem nomen sortitam ab Hebron filio Caleb, qui eam cepit, Iosue XIV. 13. & 14. (ut certe magnam habet probabilitatem) coniectant quidam, ipsum librum Genesis, ac reliquum Pentateuchon, ut modo extat, non esse ab ipso Mose conscriptum: siquidem cum Moses scribebat, nondum Hebron filius Caleb urbi nomen dederat: putantque Esdram, aut alium quempiam divinum scriptorem, longo post Mosen tempore, interiectis hic, illic, verborum clausulis, & sententiis, opus ipsum illustrasse, & explicatius reddidisse. Huiusce coniecturæ suspiciones haud leves deinceps in opere non semel se dabunt. Vide infra cap. XIV. vers. 14. satis constat ante Hebron vetustius ei nomen fuisse, nempe vel Mamre, Genes. XXIII. 19. vel Kiriath Arbagh, Genes. XXIII. 2. & Iosue XIV. 15. vetustissimæ urbis mentio non semel incidet aliis Scripturæ locis, in quibus plura de ea.

AEDIFICAVITQUE IBI ALTARE DOMINO. Singulariter Moses pietatem Abrami commendat, quod is, quocumque pergeret, veram religionem, cultu quoque externo profiteretur.

MENOCHII.

Vers. 1. AD AUSTRALEM PLAGAM. Rediit Abraham in Bethel unde exierat. Is. locus australis est respectu Iudææ, ad hanc enim semper plagas mundi accommodat Scriptura, utpote Iudæis scripta.

V. 2. DIVES. Hebr. *gravis*: nam divites multa secum trahunt onera, & impedimenta. AURO, ET ARGENTO: quibus a Pharaone locupletatus.

V. 4. IN LOCO ALTARIS: fortasse post discessum eius a Chaldæis destructis, vel ab ipsomet Abram, ne idololatræ illud contaminarent.

V. 5. TABERNACULA, tentoria, seu papiliones. *Casulas* vocat S. Paulus ad Heb. 1. 9. Lot individuus Abrahæ comes, ideoque illi benedixit Deus.

V. 6. NON POTERAT ILLOS CAPERE TERRA, propter gregum multitudinem.

V. 7. FACTA EST RIXA: quia sibi quilibet pascua uberiora, & meliores aquationes vendicabat. INTER PASTORES, non inter dominos. CHANANAEUS, ET PHEREZAEUS: ut intelligas tanto periculosiorem dissensionem fuisse, quod cincti essent impiis, & efferis hominibus, promptis ad iniuram inferendam, & coram quibus non decebat fideles rixari.

V. 8. NE, QUAESO, SIT IURGIUM INTER ME ET TE. Adhuc nullum inter illos iurgium fuerat; sed vix poterat evitari rixarum occasio, nisi separatione. FRATRES SUMUS, id est propinqui. Lot erat filius fratris Abram.

V. 9. UNIVERSA TERRA, ista Chananæorum, in qua sum iussus degere. CORAM TE EST. Habitatores parati sunt quam voles plagam habitandam vendere, vel locare.

V. 10. SICUT PARADISUS DOMINI. Heb. *Sicut hortus Domini*, quem scilicet Deus Adamo instruxerat, & adornaverat: Genes. 11. 8. SICUT AEGYPTUS VENIENTIBUS IN SEGOR. Sensus est: Tota Pentapolis ante subversionem, maxime a loco in quo tunc erat Abraham, eundo versus Segor, irrigua erat, & fertilissima sicut paradisus, & sicut AEgyptus, quam Nilus fecundat.

V. 11. ELEGITQUE SIBI. Vetus est consuetudo ut in familia maior dividat, minor optet; quod laudat divus Ambros. Lib. I. de Abraham cap. III. & D. August. de Civ. Lib. XVI. cap. XX. Permisit tamen Deus Lot decipi, ut bono exemplo Lothi Sodomitæ ad virtutem provocarentur, & promissio Abrahæ facta impleretur, & nos moneremur amœniora non præferre salutaribus. RECESSIT AB ORIENTE. Hysteron proteron. Prius digressi sunt quam Lot recederet ab oriente, hoc tamen prius narratur. Recessit autem ab oriente, nam perrexit Sodomam versus, quæ totius Pentapoleos maxime occidua fuit. A FRATRE SUO: propinquus a propinquo. Lot erat filius fratris Abram, ut dictum est.

V. 12. MORATUSQUE EST. Magna iusti Lot laus est mansisse incontaminatum inter scelestissimos, quo nomine laudatur II. Petri II. 7.

V. 13. SODOMITAE PESSIMI ERANT, ET PECCATORES CORAM DOMINO. Quid significet formula illa dicendi, *coram Domino*, dictum est supra cap.

cap. x. num. 9. Peccatorum horum originem explicat Ezechiel cap. xvi. num. 49.

V. 15. OMNEM TERRAM, QUAM CONSPICIS. Probabile est Deum, vel Angelum vice Dei, totius illius terræ, & partium illius speciem obiecisse Abrahamo, sicut ostendit eam Moysi a monte Phasga, Deuter. xxxiv. 1. & Christo tentator, Matth. iv. 8. TIBI DABO, ET SEMINI TUO. Particula *&* habet vim explicandi; & sensus est: dabo tibi in semine tuo: dabo tuis in tui gratiam. IN SEMPITERNUM, quamdiu durabit Hebræorum respublica: vel promissio conditionem habet, si officium fecerint, honestatem, iustitiamque coluerint: vel etiam ultra respexit Deus ad terram viventium, & spirituale semen Abrahæ. Vide Rom. iv. 16. & ix. 8.

V. 16. SICUT PULVEREM TERRAE. Est hyperbole; plurimus tamen fuit populus ille; longe vero plures qui spirituale semen Abrahæ sunt.

V. 17. PERAMBULA. Non præcipit, sed offert; quasi dicat: Si vis scire quanta sit hæc terra, & qualis, perambula eam, miraberis, & gaudebis,

V. 18. Convallis Mambre fuit planities roboreis silvis consita, similis convalli illustri: in hac fuit ilex, seu quercus illa nobilis, dicta *Quercus Mambre*. Nomen accepit vel ab urbe Hebron, quæ & Mambre dicta cap. xxiii. in fine, vel a viro quodam principe, de quo cap. xiv. IN HEBRON: in territorio Hebron, iuxta Hebron. AEDIFICAVIT ALTARE DOMINO. Abraham religiosus ubique Domino erigit altaria, dicitque Domino: A te principium, tibi desinet.

TIRINI.

Vers. 13. ERANT PECCATORES CORAM DOMINO; id est, eximii & maximi *a* peccatores; neque solum iudicio hominum tales, sed & ipsiusmet Dei, qui falli non potest. Ezech. xvi. vers. 49. *Ecce*, ait, *hæc fuit iniquitas Sodomæ, superbia, saturitas panis, & abundantia, & otium ... & manum egeno & pauperi non porrigebant ... & fecerunt abominationes coram me*, idest maximas.

V. 18. IUXTA CONVALLEM MAMBRE; id est, iuxta vallem quercubus consitam, quæ erat cuiusdam viri Amorrhæi, nomine Mambre, de quo cap. seq. vers. xiii. QUAE EST IN HEBRON, non in urbe, sed in vicinia, seu in agro, & ditione Hebron, quæ antea Arbee, vel Cariatharbe dicebatur. Vide Iosephum, *b* & S. Hieronymum. Quoto anno vitæ Abrahæ eversa fuerit Sodoma, dixi in Chronico cap. xv.

(*a*) Genes. x. vers. 8.
(*b*) Ioseph. Lib. V. Belli cap. vii. Hieron. de Locis Hebr. & Num. xiii. v. 23.

GORDONI.

Vers. 1. AD AUSTRALEM PLAGAM, scilicet Palæstinæ. Venit in Bethel, unde exierat. Plaga vocatur australis respectu Iudææ, vel Palæstinæ. Sic solet Scriptura designare plagas, utpote scripta Iudæis.

V. 5. TABERNACULA, papiliones, tentoria.

V. 8. FRATRES SUMUS. Erat Lot nepos ex fratre; sed Hebræi cognatos vocant fratres.

V. 9. UNIVERSA TERRA: pauci habitatores sunt; elige. Hic argumentum habes pro humana libertate.

V. 10. SICUT PARADISUS DOMINI; hoc est instar paradisi terrestris (designat amœnitatem) & sicut fertilis illa pars AEgypti, ex qua AEgypto venitur in Segor. Hæc regio Iordanis est Pentapolis. Segor oppidum Sodomorum, prope Moab.

V. 11. RECESSIT AB ORIENTE: nam Sodoma erat totius Pentapolis pars maxime occidua.

V. 12. Sane Pentapolis etiam Chananæorum erat, si late nomen Chanaan accipias. Verum hic, & aliquoties restringitur (in præsentia) ad certam, & arctiorem provinciam.

V. 14. LEVA OCULOS. Hoc est dictum Abrahæ, postquam discesserat Lot; & iubetur intueri terram promissam.

V. 15. IN SEMPITERNUM. Sæpe notatum est τὸ עלם, *bholam*, non designare semper æternum, sed longum tempus.

V. 17. PERAMBULA. Non præcepit ut corpore & pedibus perambulet; sed sic offert terram.

V. 18.

V. 18. IUXTA CONVALLEM MAMBRE. Vide cap. XII. ubi de convalle hac dictum est. Mambre nomen viri est, ex cap. XIV. verſ. 13. Erat locus iuxta Hebron: de qua urbe dicam Ioſue X.



CAPUT XIV.

Devictis quinque regibus, ac ſpoliatis Sodomis, Lot cum pleriſque aliis captivus ducitur a quatuor regibus victoribus: quos Abram perſecutus, omnes captivos, ſpoliaque reduxit; atque benedictione a Melchiſedech accepta, cuncta regi Sodomorum reddidit.

1 FActum eſt autem in illo tempore ut Amraphel rex Sennaar,
& Arioch rex Ponti, & Chodorlahomor rex Elamitarum, &
Thadal rex Gentium, 2. inirent bellum contra Bara regem
Sodomorum, & contra Berſa regem Gomorrhæ, & contra Sennaab regem Adamæ, & contra Semeber regem Seboim, contraque regem Balæ, ipſa eſt Segor. 3. Omnes hi convenerunt
in vallem Silveſtrem, quæ nunc eſt mare ſalis. 4. Duodecim enim annis ſervierant Chodorlahomor, & tertiodecimo anno receſſerunt ab eo. 5. Igitur
quartodecimo anno venit Chodorlahomor, & reges qui erant cum eo; percuſſeruntque Raphaim * in Aſtarothcarnaim, & Zuzim cum eis, & Emim in
Save Cariathaim, 6. & Chorræos in montibus Seir, uſque ad Campeſtria Pharan, quæ eſt in ſolitudine. 7. Reverſique ſunt, * & venerunt ad fontem Miſphat, ipſa eſt Cades; & percuſſerunt omnem regionem Amalecitarum, & Amorrhæum qui habitabat in Aſaſonthamar. 8. Et egreſſi ſunt rex Sodomorum,
& rex Gomorrhæ, rexque Adamæ, & rex Seboim, nec non & rex Balæ, quæ
eſt Segor; & direxerunt aciem contra eos in valle Silveſtri, 9. ſcilicet adverſus Chodorlahomor regem Elamitarum, & Thadal regem Gentium, & Amraphel regem Sennaar, & Arioch regem Ponti: quatuor reges adverſus quinque. 10. Vallis autem Silveſtris habebat puteos multos bituminis. Itaque rex
Sodomorum, & Gomorrhæ, terga verterunt, cecideruntque ibi: & qui remanſerant, fugerunt ad montem. 11. Tulerunt autem omnem ſubſtantiam Sodomorum, & Gomorrhæ, & univerſa quæ ad cibum pertinent, & abierunt;
12. necnon & Lot, & ſubſtantiam eius, filium fratris Abram, qui habitabat in Sodomis. 13. Et ecce unus qui evaſerat, nuntiavit Abram Hebræo,
qui habitabat in convalle Mambre Amorrhæi, fratris Eſcol, & fratris Aner:
hi enim pepigerant fœdus cum Abram. 14. Quod cum audiſſet Abram, captum videlicet Lot fratrem ſuum, numeravit expeditos vernaculos ſuos trecentos decem & octo, & perſecutus eſt uſque Dan. 15. Et diviſis ſociis, irruit ſuper eos nocte; percuſſitque eos, & perſecutus eſt eos * uſque Hoba,
quæ eſt ad lævam Damaſci. 16. Reduxitque omnem ſubſtantiam, & Lot fratrem ſuum cum ſubſtantia illius, mulieres quoque, & populum. 17. Egreſſus
eſt autem rex Sodomorum in occurſum eius, poſtquam reverſus eſt a cæde
Chodorlahomor, & regum qui cum eo erant in valle Save, quæ eſt vallis re-

gis,

gis. 18. (a) At vero Melchisedech rex Salem, proferens panem, & vinum, erat enim sacerdos Dei altissimi, 19. benedixit ei, & ait: Benedictus Abram Deo excelso, qui creavit cælum & terram: 20. & benedictus Deus excelsus, quo protegente, hostes in manibus tuis sunt. Et dedit ei decimas ex omnibus. 21. Dixit autem rex Sodomorum ad Abram: Da mihi animas, cetera tolle tibi. 22 Qui respondit ei: Levo manum meam ad Dominum Deum excelsum possessorem cæli & terræ, 23. quod a filo subtegminis usque ad corigiam caligæ, non accipiam ex omnibus quæ tua sunt, ne dicas: Ego ditavi Abram: 24. exceptis his, quæ comederunt iuvenes, & partibus virorum, qui venerunt mecum, Aner, Escol, & Mambre: isti accipient partes suas.

(a) Heb. VII. 3.

BURGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

Vers. 5. *In Astarothcarnaim*. Male quidam, interiecta coniunctione, scribunt *In Astaroth & Carnaim*.

V. 7. *Et venerunt ad fontem Misphat*. Merito hic omissum est adverbium *usque*.

V. 15. *Usque Hoba, quæ est ad levam Damasci*. Et hic merito omittitur, quod alii addunt, *& Phœnicem*, sic: *Usque Hoba & Phœnicem, quæ est &c.*

COMMENTARIA

SA.

Vers. 1. AMRAPHEL, scilicet Nemrod, secundum quosdam. SENNAAR, ideft Babylonis. PONTI. Hebr. Chald. & LXX. *Ellasar*. Forte Hieronymi tempore Pontus dicebatur. ELAMITARUM, scilicet Persarum. GENTIUM, Hebr. *Goim*, forte Provinciæ nomen, etsi alioqui Gentes significet.

V. 3. SILVESTREM. Hebr. *desertam*, seu *vastatam*.

V. 4. RECESSERUNT, scilicet tributum negaverant.

V. 5. RAPHAIM, scilicet gigantes. CARNAIM, iunge cum ASTAROTH. Est autem locus in Arabia. CUM EIS. Hebr. *in Ham*; & sic vertit Hieron. in Genes. ubi *Zuzim* & *Emim* interpretatur, *terribiles*. & *horrendos*. IN SAVE. Alii vertunt *in planitie*.

V. 7. AD FONTEM. Alii vertunt, ut est Hebr. *ad Hen*. MISPHAT, ideft iudicii. scilicet prope petram, ubi Deus populum iudicavit: dicitur enim id per anticipationem: Hieron. ASASONTHAMAR, ideft urbe palmarum, nunc dicitur Engaddi, ubi balsamum, & palmæ. Hieron.

V. 10. CECIDERUNT; scilicet, sese coniecerunt in puteos, nam postea fit mentio Regis Sodomorum; nisi intelligatur novus alius creatus.

V. 14. NUMERAVIT. Alii *armavit*, vel *duxit in prælium*. EXPEDITOS, ideft instructos, & assuetos militiæ. DAN est unus e fontibus Iordanis, alter enim Ior, non longe distans, unde Iordanis dictus. Hieron.

V. 15. SOCIIS. Alii, *copiis*.

V. 18. MELCHISEDECH. Hunc Hebræi dicunt esse Sem filium Noe, & vixisse usque ad Isaac. Hieron. in Genes. SALEM, ideft Ierusalem, quæ prius Salem dicta. Hieron. in Genes. Non Ierusalem, sed Salem, de qua Genes. XXXIII. Hieron. Epistola CXXVI. ERAT ENIM; quasi dicat, protulit, ut offerret in sacrificium Deo, tamquam eius sacerdos.

V. 19. DEO, ideft a Deo, vel apud Deum. Chald. *coram Deo*.

V. 20. DEDIT, scilicet Abram ipsi Melchisedech. OMNIBUS, scilicet hostium spoliis.

V. 21. ANIMAS, ideſt *homines*, Hebr.
V. 22. LEVO MANUM MEAM AD DOMINUM; ideſt, iuro per Dominum.
V. 23. CALIGAE, ideſt calceamenti.
V. 24. IUVENES, ideſt ſervi mei. ACCIPIENT, ſcilicet ſi volent.

EST II.

Verſ. 2. UT INIRENT BELLUM CONTRA BARA REGEM SODOMORUM. Severus Sulpit. Lib. I. ſacræ Hiſtoriæ putat hoc primum fuiſſe bellum inter mortales. Cui ego non facile aſſenſerim: nam ſi Cain fratrem occidit, quis putet in eius poſteritate ante diluvium, in tanta vitiorum licentia, non fuiſſe bella?

V. 10. TERGA VERTERUNT, CECIDERUNTQUE IBI. At paulo poſt verſ. 17. dicitur: *Egreſſus eſt autem rex Sodomorum in occurſum eius poſtquam reverſus eſt*. Quomodo ergo iam antea ceciderat? Reſpondeo: Ceciderunt, non ipſi Reges Sodomæ & Gomorrhæ, ſed eorum milites. Nempe hoc modo eſt oratio conſtruenda: ITAQUE REX SODOMORUM, ET REX GOMORRHAE TERGA VERTERUNT, CECIDERUNTQUE IBI, ſcilicet hi de quorum ſociis ſubiungitur: ET QUI REMANSERANT FUGERUNT AD MONTEM. Et ſimilis locus eſt II. Mach. I. verſ. 16. de Antiocho, & eius militibus.

V. 13. NUNTIAVIT ABRAM HEBRAEO. Quidam dicunt, vocatum Hebræum ab Heber, de quo cap. v. ſed falluntur. Gloſs. ord. huius loci exponit: *Hebræo*, id eſt tranſfluviali; & adducit locum Ioſue ult. Item Græce eſt περάτης; quod Chryſoſtomi interpres vertit tranſitorem, vel transfluvialem. Vide etiam I. Paralip. I.

V. 14. NUMERAVIT EXPEDITOS VERNACULOS TRECENTOS DECEM ET OCTO. Quæritur quare bellum hoc ex parte Abrahæ non fuerit iniuſtum, cum reges illi iure alios invaſiſſe videantur? Sic enim Scriptura dicit (verſ. 4.) *Duodecim annis ſervierant Chodorlahomor, & tertio decimo anno receſſerunt ab eo*. Sed reſpondetur, quod non erat iuſta ſervitus, ſed per tyrannidem impoſita. Alii reſpondent, eum vindicaſſe iniuriam nepotis Lot, maxime quod ipſe tantum advena eſſet in Sodomis, ut patet cap. XIX. Sed non ſatisfaciunt: nam Abraham non ſolum Lot, eiuſque familiam liberavit, ſed omnem omnino prædam reduxit, tamquam totius belli ſocius. Itaque tenenda prima reſponſio. De hoc numero vernaculorum 318. eiuſque myſterio, vide Paſchaſ. Diac. Lib. I. de Spiritu ſancto cap. I.

V. 18. AT VERO MELCHISEDECH REX SALEM. Auguſt. præfat. in Pſal. XXXIII. conc. II. *Salem*, inquit, *civitas fuit illa quæ poſtea* (*ſicut docti prodiderunt*) *Ieruſalem dicta eſt*. Unde convincitur quod Liber Quæſt. vet. & novi teſtam. non ſit S. Auguſtini, licet ipſi adſcribatur, quandoquidem ibi ponat hunc Melchiſedech fuiſſe Spiritum ſanctum, ſcilicet Deum; cum priore loco dixerit fuiſſe regem particularis civitatis. Hebræi volunt, Melchiſedech fuiſſe Sem filium Noe, quos & Genebrardus noſtro tempore ſecutus eſt: & Hieronym. Epiſt. CXXVI. ad Evagrium non omnino abhorrere videtur ab hac ſententia. Et quidem anni quos Scriptura tribuit Sem, patiuntur illum uſque ad hæc tempora vitam produxiſſe. Sed obſtat aperte huic ſententiæ, quod de Melchiſedech dicitur ad Hebr. VII. *Sine patre, ſine matre, ſine genealogia*: etenim genealogia Sem, in Scriptura eſt notiſſima. Et quid opus eſt quærere eum, cuius genealogiam, initium, & finem ob certum myſterium ibi Apoſtolus dicit eſſe incognita? Interim hominem Chananæum potius fuiſſe, quam vel ex poſteris Sem, vel ipſum Sem opinati ſunt apud Hieronym. dicto loco, Hippolytus, Irenæus, Euſebius Cæſarienſis, & alii. Nos malumus ignorare eius genealogiam cum Apoſtolo, quam temere eam aſſignare. PROFERENS PANEM, ET VINUM. Hebræi hæc prolata volunt, quibus recrearetur exercitus. Sed fruſtra id fuiſſet: nam ſupra verſ. II. dictum eſt de regibus: *Tulerunt omnem ſubſtantiam Sodomorum &c. & univerſa quæ ad cibum pertinent*; ac mox ſubiungitur de Abraham, quod excuſſerit eis omnem prædam; ac deinde quoque ſequitur, Abraham non voluiſſe quidquam de præda retinere, exceptis iis quæ iuvenes comederant. Non opus ergo erat exercitui neceſſaria ſuppeditare.

Hæretici noſtri urgent quod in Hebræo additur, *Illi*, ſcilicet Abrahæ, *panem & vinum*

vinum offerens, ſeu *proferens*. Reſpondeo, ita quidem, ſed prius oblata Deo, pro more ſolemnium epularum. Vide I. Reg. I. item cap. IX. & alibi. Et ita intelligendum eſſe patet ex eo quod ſubiungitur: ERAT ENIM SACERDOS DEI ALTISSIMI: quorſum enim illud alioqui adiungeretur? Replicant hæretici, in Hebræo non eſſe cauſalem *enim*, ſed ſimpliciter copulativam *&*. Sed frivola eſt evaſio. Nam paſſim in Scriptura *&* pro *enim* ſumitur. Sic Geneſ. XXI. *Nunc cognovi quod timeas Dominum*, *& non pepercisti*; id eſt, quia non pepercisti. Pſal. CXVII. *Laus mea Dominus*, *& factus eſt mihi in ſalutem*; ſcilicet, quia factus eſt. Eſaiæ LXIV. *Ecce tu iratus es*, *& peccavimus*; nempe, quia peccavimus. Vide etiam Pſal. LIX. & CVIII. & alibi.

V. 20. ET DEDIT EI DECIMAS EX OMNIBUS. Non Melchiſedech ipſi Abrahamo, quod ſomniant Iudæi: nam Abraham de omnibus recuperatis negat ſe accepturum uſque ad filum ſubtegminis; ſed Abrahamus Melchiſedecho, ſicut Apoſtolus ad Hebr. VII. clare dicit, Melchiſedechum quidem benedixiſſe Abrahamo; ſed e contra Abrahamum ei decimas de omnibus dediſſe: ſimulque explicat myſteria.

Si ulterius quæras, de quibus dederit Abrahamus decimas? Reſpondeo, non de recuperatis bonis ſociorum, ſed de ſpoliis hoſtium.

MARIANAE.

Verſ. 1. AMRAPHEL. Hunc quidam putant Nemrod. REX SENNAAR, *Babylonis Rex*, ſic Chald. ARIOCH REX PONTI. Hebr. *Rex Elaſar*, quam vocem intactam Sept. & Chaldæus reliquere. Aquila *Ponti* dixit, Symmachus *Scytharum*. Ego non credebam, ex locis tam remotis veniſſe eos reges. REX GENTIUM: provinciæ nomen.

V. 2. IPSA EST SEGOR. Per anticipationem dicitur ſic hoc loco: nam Gen. XIX. id nomen accepit, quando Lot ad eam confugit.

V. 3. IN VALLEM SILVESTREM. Hebr. *in vallem agrorum*, nempe agreſtem, quod *&* *ſilveſtrem* ſignificat, ſive campeſtrem. QUAE NUNC EST MARE SALIS: ſic lacus Aſphaltites, ſeu mare mortuum vocatur. Poſt Sodomæ incendium vallis operta eſt aquis Iordanis, eaque inundatione is lacus extitit.

V. 5. PERCUSSERUNTQUE RAPHAIM. Sept. & Chald. *Gigantes*, vocati Raphaim, a terrore quem viſi incutiebant, a verbo רָפָה *Raphah*, quod eſt *diſſolvere*, *debilitare*. Sed vere eſt nomen gentis cap. XV. verſ. 20. ZUZIM CUM EIS. Ubi noſtra Editio habet *cum eis*, Hebraice legitur בְּהָם *beham*, & Hieron. in Traditionibus legi ait cum ח *heth*, cum modo Hebraici codices legant cum ה *he*. Ita Hieron. eo loco dicit eſſe nomen loci: ſic Chald. *Qui erant in Ham*: & Hebræus Schol. שם מקון נקרא כן, *nomen loci ſic dicti*. Quo magis miror Hieron. in noſtra Editione poſuiſſe *cum eis*. Porro pro ZUZIM, Sept. & Chal. *viros fortes*, ſeu *robuſtos* poſuere. Hieron. putavit eſſe gentis nomen ſic dictæ.

V. 6. CHORRAEOS IN MONTIBUS SEIR. Per anticipationem ii montes ſic vocantur, qui ab Eſau id nomen accepere poſtmodum.

V. 7. ASASONTHAMAR. Hieron. in Traditionibus, eſſe Engaddi palmis & balſamo nobile oppidum, & nomen *Aſaſonthamar* ait ſignificare idem quod *civitas palmarum*.

V. 13. IN CONVALLE MAMBRE. Hic vides *Mambre* eſſe nomen viri, & quidem tunc viventis, & qui cum Abram ivit ad bellum, verſ. 24.

V. 14. NUMERAVIT EXPEDITOS. Hebraica proprie ſignificant *Armavit inſtitutos ſuos* (nempe in armis exercitos) domi natos, ſeu vernaculos. DAN, unus e fontibus Iordanis, alter Ior, unde Iordanis vocem quidam derivant. Eo uſque Abram hoſtes eſt perſecutus.

V. 18. AT VERO MELCHISEDECH REX SALEM. Hebræorum communis ſententia eſt, *Salem* eſſe Ieruſalem, & Melchiſedech *Sem*, qui ad hæc certe tempora longævam ætatem produxit. Erat autem ſacerdos, quia primogeniti per familias eo munere fungebantur. Quod ſi primogenitus non fuit, quia alii ob impios cultus eo honore exciderant; vel quia princeps in ſua urbe. Reges enim olim idem Sacerdotes erant. Nos de rege, & reg. Inſtit. Lib. I. cap. X. Quod vero Paulus ait ad

Hebr. VI. 3. fuisse sine patre & sine matre, nempe quoniam sub nomine Melchisedech nec maiores eius, nec posteri referuntur. Hieron. *Salem* putat esse exigum oppidum iuxta Scythopolim, ubi ostendebatur palatium Melchisedech. PROFERENS PANEM, ET VINUM. Ego ad verbum sic verterem: *Obtulit panem, & vinum*, nempe Deo, certissimum nostri sacrificii symbolum, ut inter alios Hieron. in Traditionibus ait. Tum Davidis verba eodem spectant: *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*. Eodem & Paulus ad Hebræos. Neque enim panem, & vinum obtulit Abraæ, quibus non egebat ditatus regum præda & annona omni, quam de victis urbibus rapuerant. Sed quæris exemplum ubi verbum הוציא *Hozi* in significatione sumatur offerendi sacrificium? Nempe Iudic. VI. vers. 18. *Nec recedas hinc, donec revertar ad te, portans sacrificium, & offerens tibi*. Hebraice legitur והצאתי את מנחתי והנחתי לפניך. Ad verbum: *Et offeram sacrificium meum, & ponam in conspectu tuo*. Porro Clemens Alexandr. Strom. IV. Chrysostomus Homil. in illud, *Cum ascendisset Iesus in templum*, aiunt, Melchisedech obtulisse sacrificium.

V. 19. BENEDICTUS ABRAM DEO EXCELSO. Hebr. *a Deo*, vel *apud Deum*, vel *coram Deo*; quasi dicat: Valde favet Deus Abræ, cui victoriam de hostibus dedit.

V. 20. QUO PROTEGENTE, HOSTES IN MANIBUS TUIS SUNT. Vocem Hebraicam מגן *maghen* Hieron. sumpsit in significatione *clypei*; ac si diceret: *Benedictus Deus, quo clypeo hostes*, &c. sed ea vox in significatione *tradendi* invenitur: sicque Sept. Chald. & Hebr. locum verrunt, & intelligunt, *Qui tradidit hostes*. ET DEDIT EI DECIMAS, nempe Melchisedecho, nam ad utrumque respexit, cum dixit, *Erat sacerdos*: & ad sacrificium quod ipse obtulit, & ad decimas quæ illi datæ sunt. Dantur enim Deo eiusque ministris in argumentum tum servitutis nostræ, tum beneficii divini. EX OMNIBUS, hostium spoliis.

V. 21. DA MIHI ANIMAS; pro, homines captivos. Sept. *Da mihi viros*.

V. 22. LEVO MANUM MEAM AD DOMINUM DEUM: sublata manu iuro. Nihil Abram vult accipere ex iis quæ Melchisedech erant.

V. 23. A FILO SUBTEGMINIS. Vox *subtegminis* adducta est ab interprete. Hebraice: *A filo usque ad corrigiam calceamenti*. Sed & Hieron. *caligam* pro *calceo* posuit, ut in Actis cap XII. vers. 8. *Calcea te caligas tuas*. Græce σανδάλια.

V. 24. IUVENES. Hebr. *pueri*, id est servi, COMEDERUNT.

MALVENDAE.

Vers. 1. AMRAPHEL. Delirium est credere hunc fuisse Nemrod. Quidam tertium, aut quartum, alii quintum Babyloniorum regem a Nemrod, coniectura temporum augurantur. Iam tum imperium Asiæ penes Assyrios erat, uti Iosephus annotat; quod est sane verissimum: constatque iam tunc Assyrios sibi Chaldæorum seu Babyloniorum dynastias coniunxisse, atque fide priscorum auctorum, totius orientis, præterquam Indorum, dominos fuisse. Quocirca haud levis coniectura est, quatuor hos, quos hoc versu Scriptura suo more reges appellat, præfectos, aut satrapas Assyriorum fuisse, iis provinciis, quæ hic nominantur, ab Assyrio impositos. Equidem Iosephus hoc bellum Assyriorum vocat, atque ab Assyriis, Pentapolitanis regibus illatum affirmat. Si Chronici Eusebiani rationes sequimur, imperitabat tunc Assyriis Ninyas Zames: si vero Iulii Africani, & aliorum, Sethus, quem Altadam Eusebius vocat. Hunc Amraphelem Iosephus Mapherdem appellat. E ratione temporum videtur gestum id bellum anno plus minusve octogesimo Abrami, quinquennio, postquam ingressus est terram Chanaan, quam adiit septuagesimo quinto ætatis suæ, cap. XII. vers. 5. PONTI. אלסר *Ellasar*. Alii, *Hellespontum*, Hebræorum nonnulli *metropolim Medorum, atque Persarum* divinant. Stephano in Cælesyria urbs *Ellas*. Ptolemæo *AEllesari*, Arabiæ Felicis gens. Iudith 1. 6. fit mentio *Arioch regis Elicorum*. Eusebius, & S. Hieronymus in locis nihil amplius quam *Ellesar civitas regis Arioch*. ELAMITARUM. עילם *ghelam* (vide Genes. X. vers. 22.) sunt Persæ. GENTIUM. גוים *gboim*. Quidam nomen proprium esse censent. Aliquis exposuit, *Scytharum*. Non nemo, *Pamphiliæ*. Alii, quod Tidal, apertis asylis, ut Romulus, colluviei variarum gentium

tium imperaret. Nonnulli *Galilæam gentium* putant Isaiæ IX. I. quam alii superiorem vocant. Nec desunt qui subaudiant, *aliarum gentium* a nominatis hic. Vide Iosue XII. vers. 23.

V. 2. IPSA EST SEGOR. Prolepsis: non enim vocata est Segor, nisi infra Genes. XIX. vers. 22. cum servatus est in ea Lot. Vide ibi.

V. 3. IN VALLEM SILVESTREM. עמק השדים *ghemek*, *hassiddim*, nomen proprium esse volunt alicuius loci. Alii exponunt, *planitiem camporum*. Nonnulli, *vallem arvorum*, seu *agrorum cultorum*. Quidam, *vallem agrorum occatorum*, id est aratro, seu verriculo proscissorum, & contusorum, a שדד *sadad*. Alii, *vallem glebarum*, id est habentem plurimas glebas; vel vallem agrorum quorum glebæ sunt contusæ. Nec desunt qui *vallem calcium* interpretentur, quod שיד *sid calcem* significet. Alii, *vallem carcerum*. Antiqui, *vallem salsam*, seu *vallem salinarum*. Sed *siddim* salsum, vel *salinas* nuspiam significat. Hæc vox in Scriptura ter tantum habetur, nempe vers. 3. 8. 10. huius Capitis, & Noster semper *vallem silvestrem* exposuit: de qua hæc S. Hieronymus in Traditionibus: *Vallem Siddim Aquila interpretatur τὸν περιπεδίνων, Theodotion, τὸν ἀλτῶν, amœna nemora significantes*. MARE SALIS. Ita vocabitur postea; postquam scilicet delebit Deus Pentapolim, emergente ibi stagno salso, infra cap. XIX. vers. 24. *Mare Salis* vocatus est lacus Asphaltites: quod Deus nedum igne & sulphure, sed etiam sale ardenti eas urbes extinxerit, Deut. XXIX. 23. vel quod ibi essent salinæ, seu salis fodinæ, Sophoniæ II. 9. seu potius quod aqua ipsa propter bitumen salsuginosa esset. Apposite dixit, *Mare salis*, quod alia stagna Chanaan dulcia essent, præter Asphaltiten.

V. 5. RAPHAIM. Quidam pro nomine proprio accipiunt gentis Chananiticæ, de qua infra cap. XV. vers. 20. Alii, gigantes interpretantur. רפאים *rephaim*, quidam deducunt a רפא *rapha* cum א *aleph*, quo nomine dictos volunt omnes gigantes, & tyrannos; quasi dicas, sanos, validos, potentes. Et quia gigantes propter tyrannidem male audiebant, quasi certo damnati, ideo sæpe pro mortuis, & infernalibus, aut manibus accipi. Vel per antiphrasin, quod mortui omni sanitate, medicina, & virtute careant, nec ullo remedio sanari possint. Alii *Rephaim* appellatos gigantes existimant, quod quasi inferi in antris & cavernis sub terra plerique eorum habitarent. Nec desunt qui nomen *Rephaim* ad infernales & manes traductum putant, quod semper specie immani & gigantea apparere soleant. Vel pro gigantibus mortuis capiunt. Verum plures a רפה *raphah*, cum ה *he* derivant, ab effectu, quod horrenda statura sua aliorum animos debilitarent, & remissos redderent: & quod ad eorum conspectum languescerent homines, & manus præ metu remitterent. Inde mortuos significare, in quibus omne robur, & vis naturæ elanguit, & omnis virtus vitalis defecit. IN ASTAROTH-KARNAIM. Consentiunt eruditiores nomen esse proprium loci, aut urbis: de quo Eusebius, & S. Hieronymus in Locis: *Astharoth-Karnaim terra gigantum, quondam in supercilio Sodomorum, quos interfecit Chodorlaomor. Suntque hodie duo castella in Batanea hoc vocabulo, novem inter se millibus separata inter Adaran, & Abilam civitatem*. Et inferius: *Astharoth antiqua civitas Og regis Basan, in qua habitaverunt gigantes, quæ postea cecidit in sortem tribus Manasse, regionis Bataneæ; & sex millibus ab Adar urbe Arabiæ separata est. Porro Adar ab Ostra* (Bosra) *viginti quinque millibus distat*. Et rursus: *Karnaim Astharoth nunc vicus est grandis in angulo Bataneæ, & appellatur Carnea trans fluenta Iordanis. Traduntque fuisse ibi domum Iob. Sed & supra meminimus Carneæ viculi in nono ab AElia milliario*.

Plerique distinguunt duas Astharoth: alteram hanc Karnaim in supercilio Sodomorum; alteram in regione Batanea, regiam Og regis Basan, in Edrai, de qua Deuter. I. vers. 4. Sed errant: nam Eusebius, & S. Hieronymus perspicue affirmant, Astharoth-Karnaim in Batanea fuisse, in eaque habitasse gigantes, ut hic dicitur, ibique regiam fuisse Og, qui & ipse gigas. Quocirca illud, *In supercilio Sodomorum*, vel lapsus memoriæ, vel assumentum erit.

Nominis rationem varie enucleant. Quidam locum sic dictum volunt, quod ibi essent greges, seu proles ovium insigniter, & eximie cornutæ. Alii, quod ibi essent plures caulæ gregum inter montem, aut collem bicornem. עשתרות *ghaschteroth* enim *oves* Hebræis significat: & קרנים *karnaim duo*, seu *gemina cornua*. Nonnulli, quod

in

in eo loco plura essent fana seu templa Iunonis, aut Lunæ, aut Veneris Multimammiæ, specie ovis cornutæ cultæ. Hæc est celebris Asthoreth, seu Astartes, dea Sidoniorum, de qua Iudicum I. vers. 15. & I. Regum XI. vers. 5. plura dicemus. Nec desunt qui ibi sacellis & aris adoratum Capricornum signum cæleste augurentur, vel Arcturum, quod Asthoreth, compositum putent, ex עש *ghasch*, id est, *arcturus*, & תור *tor*, id est, *ordo gyrans*. At de his copiosiora suo loco. Vide Deuter. VII. vers. 13.

Zuzim, proculdubio nomen gentis, quidam exponunt, quasi *postes*, vel quod præcipui essent, ac prævalidi: vel quod postes essent, & portæ regionis, per quos ad alias esset aditus. Alii *splendidos*, *gloriosos*, seu *delicatos* interpretantur. Nec desunt qui a velocitate, & agilitate dictos putant. Nescio unde aliqui *terribiles* exponant. Deuter. II. 20. putant appellari *Zomzomim*. Cum eis. S. Hieronymus בחם *becham* cum ח *cheth* legit, exponitque, *in Cham*. Exemplaria constanter habent cum ה *he*, בהם *bcham*, quod reddi potest, *in eis*, vel *cum eis*. Sed plerique, *in Ham*; voluntque nomen esse proprium loci: uti toto hoc versu describuntur loca, ubi istæ gentes percussæ. Emim, vocabulum Moabiticum, uti videtur Deuter. II. 11. exponunt, *formidabiles*, *terrificos*, *horrendos*. Vel abstracte, *formidines*, *terrores*, *horrores*: sic dictos gigantes, & tyrannos, quod subditis, & aliis vel ob inusitatam magnitudinem, vel ob sævitiam, & crudelitatem essent formidabiles, ac terrifici. Alii, quasi *turbulentos*, *turbatores*, *tumultuatores*, *frementes*, quod omnia tumultibus implerent, a cognatis verbis הום *hom*, המה *hamah*, המם *humam*. Nonnulli a מום *mum*, quod *vituperosi*, *maculosi*, *turpes*, *labes*, ac *maculæ generis humani* essent. S. Hieronymus: *Quatuor reges profecti de Babylone, interfecerunt gigantes, hoc est, Rephaim: robustos quoque Arabiæ, & Zuzim in Ham, & Emim in civitate Save, quæ usque hodie sic vocatur. Zuzim autem & Emim, terribiles & horrendi interpretantur: pro quo LXX. sensum magis, quam verbum ex verbo transferentes, gentes fortissimas posuerunt*. In Save. Usque ad tempora S. Hieronymi hanc urbem hoc ipsum retinuisse nomen S. Hieronymus nuper affirmabat; de qua idem in locis Hebraicis: *Save civitas antiqua, in qua habitaverunt Ommæi, gens valida, super regionem Sodomæ; quam excidit Chodorlaomor*. Cariathaim geminam urbem significat; de qua Eusebius, & Hieronymus in locis: *Cariathaim civitas, quam extruxerunt filii Ruben. Nunc autem est vicus Christianis omnibus florens, iuxta Medebam urbem Arabiæ, & appellatur Coriatha, in decimo milliario supradictæ urbis, contra occidentalem plagam, vicinus eius loci qui appellatur Bare*. Urbem fuisse Moabitarum, dicitur Ezechielis XXV. 9. Eam ædificasse, vel instaurasse Rubenitas, scribitur Numeror. XXXII. 37. forsan a Codorlaomor excisam.

V. 6. Et Chorræos. חורים, exponunt, quasi *candidos*, *candidatos*, *albos*, *claros*, *spectatos*, *illustres*, *nobiles*, *splendidos*, *liberos*, *ingenuos*, *claro genere natos*, *indutos albis*, *togatos toga candida*, *optimates*: quod albo colore uterentur nobiles & clari, isque color esset axioma, & insigne ingenuorum, præsertim in oriente, ut etiam Romanis toga candida: vel quod vultu candido, ingenuo, liberali, quasi spectabiles essent: a חור *chor albedine*, seu *candore*. S. Hieronymus in XXXVI. Genes. *liberos* interpretatur, quod forsan haberent rempublicam liberam sine rege aut principe. Quidam *heroes* explicant. Alii a חור *chor*, *foramine*, *caverna*, quasi dicas, Troglodytas, cavernas incolentes. Hevæis cognatam fuisse gentem, aliqui Hebræorum putant. Horum progeniem describet Moses infra cap. XXXVI. vers. 20. &c. Vide de his etiam Deuter. II. vers. 12. In montibus Seir. Montem Seir prius Chorræi, seu Horræi habitarunt: deinde, illis pulsis, aut deletis, Esau cum posteritate montem illum incoluit, Genesis XXXVI. vers. 8. & Deuter. II. 22. Montem esse Idumææ ab austro Chananeæ, nimis est ex Scripturis pervagatum. De hoc monte Eusebius, & S. Hieronymus in Locis: *Seir mons in terra Edom, in quo habitavit Esau in regione Gabalena; quæ, ex eo quod Esau pilosus esset & hispidus, Seir, id est pilosi, nomen accepit. In quibus locis prius habitavit Chorræus, quem interfecit Chodorlaomor. Meminit montis Seir & Isaias in visione Idumææ*. Regionem, quam hic Eusebius & S. Hieronymus vocant Gabalenam, Iosephus Lib. II. Originum, cap. 1. Gobolitem vocat,

Psalm.

Psalm. LXXXII. 8. *Ghebal* appellatur. Numquam existimaverim שעיר *segher* montem a pilis Esau accepisse nomen, uti cum Hieronymo plerique putant: nam ante Esau iam sub eo nomine incolebatur ab Chorræis, ut hic Moses ait, nec opus est prolepsi, quando antiquius aliud nomen non extat. Potius a Seir quodam, auctore generis Chorræorum, de quo Genes. XXXVI. vers. 20. & I. Paralipom. I. 37. nomen sortitum crediderim: vel quod silvis & rupibus, cautibusque asperis vagantibus, quos Isaias pilosos vocat, hirsutus esset & horridus. Quidam a Faunis petunt. USQUE AD CAMPESTRIA PHARAN. אל *el*, inserto י *iod* ab איל *aial*, plerique *planitiem* exponunt. Alii reddunt: *Usque ad arietem Pharan*. Notant enim *Aial* significare *arietem*: & metaphorice *frontem*, seu *prominentiam in ianua*, quam alii *superliminare*, alii *frontispicium* vocant: quod prominentias ædium oporteat esse & prævalidas; & quod formam arietinorum capitum interdum referant. Hic ergo arietem figurate poni existimant, explicantque: *Usque ad prominentiam, frontispicium*, seu *promontorium Pharan*. Alii vertunt: *Usque ad quercum Pharan*, aliene. Nonnulli: *Usque ad arborem Pharan*. Veteres: *Usque ad terebinthum Pharan*. Quidam *ulmarium*, *quercetum*, *silvam ex ulmis*, vel *quercubus*, interpretantur. *De Pharan* Eusebius & S. Hieronymus in Locis: *Pharan nunc oppidum trans Arabiam, iunctum Saracenis, qui in solitudine vagi errant. Per hoc iter fecerunt filii Israel cum de monte Sina castra movissent. Est ergo, ut diximus, trans Arabiam contra australem plagam, & distat ab Aula contra orientem, itinere trium dierum. In deserto autem Pharan Scriptura commemorat habitasse Ismaelem. Unde & Ismaelitæ, qui nunc Saraceni. Legimus quoque Chodorlaomor regem percussisse eos qui erant in deserto Pharan.*

V. 7. FONTEM MISPHAT. עינמשפט *ghen Misphat*, id est *fontem*, seu *oculum Iudicii*. S. Hieronymus: *Per anticipationem dicitur, quod postea sic vocatum est: significat autem locum apud petram, qui fons Iudicii nominatur, quia ibi Dominus populum iudicavit*. Idem locus dictus מי מריבה *me meribah*, *aquæ litigii*, quod ibi litigarint Israelitæ cum Deo; ibique Deus indicio miraculi litem diremerit. Vide Numer. XX. 13. IPSA EST CADES. Eusebius & Hieronymus in Locis: *Kades, ubi fons est Iudicii, & Kades-Barne in deserto, quæ coniungitur civitati Petræ in Arabia: ibi occubuit Maria, & Moses rupe percussa, aquam sitienti populo dedit. Monstratur ibidem usque in præsentem diem sepulcrum Mariæ. Sed & principes Amalech ibi a Chodorlaomor cæsi sunt*. Constat ad austrum maris salsi, confinem Petræ Arabiæ insigni urbi fuisse. Haud absurde putant fuisse *Kadytim* Herodoti, de qua ipse Lib. II. cap. CLIX. *Necus terrestri acie congressus cum Syris in Magdolo, victoria potitus est, & post prælium, Kadyti magna Syriæ urbe*. Et Lib. III. num. V. *Nam a Phœnice usque ad montes Kadytis, quæ est urbs eorum Assyriorum qui nunc Palæstini vocantur: ab urbe Kadyti non minore, ut mea fert opinio, quam Sardis, emporia secundum mare, &c.* Nisi quod eam maritimam facere videtur Herodotus, quod Cades non convenit. AMALECITARUM. Videtur prolepsis, qui postea dicti sunt Amalekitæ ab Amalek, filio Eliphaz, nepote Esau, Genes. XXXVI. 12. 16. Iosephus de filiis huius Eliphaz: *Nam Amalecus erat nothus, e Thamna concubina genitus. Hi habitaverunt Idumææ regionem, quæ Gobolitis dicitur, & eam quæ de Amaleci nomine Amalecitis est appellata. Quondam enim late patentem terram Idumææ nomen complectebatur: cuius partes a primis colonorum inductoribus denominatæ, appellationes eas postea retinuerunt*. Eusebius & S. Hieronymus in Locis: *Amalecites regio in deserto ad meridiem Iudææ, trans urbem Petræ euntibus Aulam; cuius & Scriptura recordatur dicens: Amalec habitat in terra, ad austrum: sed & iuxta eum alius Chananæus habitabat, qui & dimicavit contra filios Israel in deserto; de quibus ita scribitur: Amalec autem & Chananæus habitabant in valle*. Vide Numer. XIII. 30. cap. XIV. 25. Gens celebris in Scriptura, cuius sæpius mentio occurret. ASASON THAMAR. S. Hieronymus: *Hoc oppidum est, quod nunc vocatur Engaddi, balsami, & palmarum fertile. Porro Hazazon Thamar in lingua nostra resonat, Urbs palmarum*. De Engaddi Eusebius, & S. Hieronymus in Locis: *Engaddi in tribu Iuda, ubi absconditus est David in solitudine, quæ est in Aulone Hierichus*, hoc est *in regione illa campestri, de qua supra diximus* (in voce Aulon.) *Vocatur*

tur autem usque hodie vicus prægrandis Iudæorum Engaddi, iuxta mare mortuum: unde & opobalsamum venit; quas vineas Engaddi Salomon nuncupat. Plinius Lib. V. cap. XVII. Cum Essenos occidentalem partem Asphaltitis habitare tradit, inquit: *Gens socia palmarum. Infra hos Engadda oppidum fuit, secundum ab Ierosolymis, ferti litate, palmetorumque nemoribus; nunc alterum bustum*. De Engadda quoque Iosephus, Ptolemæus, Stephanus. Vide geographos sacros. II. Paralipomen. xx. 2. *Hasason-Thamar, quæ est Engaddi*. חצצון תמר *chatzazon thamar*, dictam volunt a *calculis*, seu *lapillis*, seu *ossibus dactylorum*. חצץ id significat, vel a sagitta, seu *iaculando*, & *penetrando*, quod ibi essent altissimæ palmæ,

Ubi vincere summum
Arboris haud ullæ iactu potuere sagittæ.
Fessæque prius rediere sagittæ,
Arboris ad summum quam pervenere cacumen.

uti poetæ loquuntur. *Thamar*, palmam significare notum est. Lusitani dactylos *tamaras* vocant. De Engaddi dicemus etiam in Iosue xv. 62.

V. 10. PUTEOS MULTOS BITUMINIS. Quidam reddunt: *Et vallis fiddim plena erat puteis cæmenti*. Alii: *Abundabat fossis argillosis*. Sunt qui existiment fuisse ibi plurimos furnos, quibus cæmentum, vel bitumen decoqueretur, & hos appellari puteos. De voce חמר *chemar* diximus cap. XI. vers. 3. ex verbo: *Et vallis fiddim putei putei*, vel *fossæ fossæ, bituminis*; id est, hinc inde plurimos habebat puteos, unde effodiebatur bitumen, vel lutum glutinosum, viscosum, bituminosum, vel argilla. Notant quidam in בארות בארות *beeroth, beeroth*, variatum in punctis præter morem: nam habent geminum segol, cum scribi soleant cum sceva, & zeri: ut distingueret puteos bituminis a puteis aquarum viventium & scaturientium; vel ut indicaret fossas potius fuisse, aut scrobes. Alii notant mutationem punctorum esse regimen, vertendumque, *Putei puteorum bituminis*. De his puteis Brochardus, qui terram sanctam invisit anno Domini 1283. *Hi putei usque in hodiernum diem cernuntur in littore lacus Asphaltitis, habentes singuli pyramides erectas: id quod sacis oculis vidi*. Existimant quidam idcirco inductam a Mose mentionem horum puteorum bituminis, ut indicaret ex composito a rege Sodomorum delectum certamini hunc locum, hostibus locorum ignaris iniquum propter foveas. Alii, ut ostenderet locum in quem multi eo prælio ceciderunt, nempe in fossas illas bituminis, ut mox subdit, CECIDERUNTQUE IBI. Melius reor, ut innueret, hunc locum postea versum in lacum Asphaltitem: quasi ii putei parasceves essent futuri laci. Iosephus: *Castrametati sunt in valle puteorum bituminis: tunc enim putei fuerant in eo loco; mox vero Sodomis deletis, lacus ibi, quem a scatenti bitumine Asphaltitem dixere, repente extitit*. ET CECIDERUNT IBI, plurimi. Quidam intelligunt cecidisse in puteos, quod verisimile non est, quum locorum non essent ignari. Alii dicunt, servandæ vitæ causa ut ibi delitescerent, illuc se deiecisse. Nonnullis videtur Mosen hoc dicere, tam formidabiles illis fuisse hostium gladios ut non dubitarent se præcipites in foveas iacere, ubi perierunt: nam statim subiicit, servatos fugisse in montes. Sed sunt hæc vana, & ridicula. Simplicius sumes *cadere* pro interfici, ut etiam Latinis familiare. Hebræi dicunt, *Cadere in gladio*.

V. 13. UNUS, QUI EVASERAT. פלים *palit, evasor*, id est qui fugiendo, ex cæde, & periculo evaserat. ABRAM HEBRAEO. Vide supra cap. x. vers. 21 IN CONVALLE MAMBRE Vide cap. XIII. vers. 18. HI ENIM PEPIGERANT FOEDUS CUM ABRAM. Heb. *Et ipsi heri, domini, superiores fæderis Abram*. Quidam exponunt, quod tamquam superiores & potentiores in terra illa icerant fœdus cum Abram. Alii: *Et ipsi potentiores, potissimi, præcipui fæderis cum Abram*; quasi ii essent præcipui fœderatorum Abrami. Quidam: *Et ipsi viri fæderis Abram*, id est confœderati Abrami. Plerique: *Et ipsi habentes pactum cum Abram*.

V. 14. NUMERAVIT. Verbum הריק *herik*, in Hiphil varie reddunt. 1. *Et armavit*; 2. *Et accinxit*, ad bellum; 3. *Et educere eos fecit* gladios e vagina; 4. *Et expedivit*; 5. *Et eduxit*; 6. *Et evacuavit*; id est, fecit expeditos, vacuos onere, & impedimentis; 7. *Ad evaginationem exercuit*. Quinquies alias plus minusve id verbum in Scriptura reperitur, & Noster diverse quoque interpretatur. Genes. XLII. 35.

15. Psal. xxxiv. 3. Eccles. xi. 3. Zachar. iv. 12. Malach. iii. 10. *effundere* dixit. Exod. xv. 9. Levit. xxvi. 33. Ezechiel. v. 12. & cap. xii. 14. *evaginare*. Ezechiel. xxviii. 7. & cap. v 2. *nudare*. Isaiæ xxxii. 6. *evacuare*. Ieremiæ xlviii. 12. *exhaurire*. Psal. xvii. 43. *delere*. Habacuc i. 17. *expandere*. Hoc vero loco, *numerare*: sensum fortasse magis quam verbum sequutus. Hic possis reddere: *Effudit*, *eruginavit*, *nudavit*, *evacuavit*, *expandit*; h.c est, eduxit, emisit leves, expeditos, nudatos, vacuos: instruxit aciem levis armaturæ. EXPEDITOS. חניכים *chanichim* omnia ista complectitur, *edoctos*, *imbutos*, *instructos*, *assuetos*, *domesticos*, *initiatos*, *catechumenos*, *novitios*, *tirones*, *dedicatos*. Intelligit adolescentes aut iuvenes domesticos Abrami, quos in religione, & in armis instruxerat. Quidam dixit *usitatos*. TRECENTOS DECEM ET OCTO. Iosphus Lib. VI. Belli cap. xi. *Atqui Abraham trecentos & decem & octo præfectos habebat, quorum singulis infinita multitudo parebat*. DAN. S. Hieronymus: *Et persecutus est eos usque Dan. Ad Phœnices oppidum, quod nunc Paneas dicitur. Dan autem unus de fontibus est Iordanis. Nam & alter vocatur Ior, quod interpretatur ῥεῖθρον, quod est rivus. Duobus ergo fontibus, qui haud procul a se distant, in unum rivulum fœderatis, Iordanis deinceps appellatur*. Et in Locis Hebraicis: *Dan viculus est in quarto a Paneade milliario euntibus Tyrum, qui usque hodie sic vocatur: terminus Iudææ provinciæ contra septemtrionem: de quo & Iordanis flumen erumpens, a loco sortitus est nomen, Ior quippe ῥεῖθρον*, id est *fluvium*, sive *rivum Hebræi vocant*. Hæc urbs primum appellata est Lesem, & Lais, deinde a Danitis occupata, & instaurata dicta est Dan. Iosue xix. 47. Iudicum xviii. 27. Hinc quidam suspicantur. Mosen non scripsisse librum Genesis eo modo quo nunc habetur, sed pauca in eo ab Ezdra, vel alio divino viro fuisse immutata: siquidem Mosis ætate hæc urbs non Dan, sed Lesem, vel Laisa vocabatur: nam Dan non est appellata nisi a Danitis post tempora Mosis uti nuper dicebamus. Esdram vero, vel alium divinum virum, pro vetustis & exoletis locorum vocabulis nova, quibus rerum gestarum memoria posset optime & percipi & conservari, reposuisse: ut hic appellarit Dan, quæ non nisi longe post mortem Mosis hoc nomen nacta fuerit. Vide quid simile supra cap. xiii. vers. 18. Nam, quod quidam aiunt, Mosen vaticinio nomen urbis prædixisse, ridiculum est. Fuit terminus aquilonaris terræ sanctæ, ut Beer-seba australis: unde illud frequens in sacris libris, *A Dan usque Bersabee*. De hac urbe plurima diximus in Antichristo, Lib. III. cap. viii.

V. 15. ET DIVISIS SOCIIS, IRRUIT SUPER EOS NOCTE. Hebraice: *Et divisus, dispertitus, distributus fuit super eos nocte*; hoc est, suis in ordines, seu in turmas, aut in cohortes distributis, nimirum instructa acie, invasit hostes. Alii exponunt: *Et divisit sese super eos*; id est, divisit suas copias in duas partes, & assumpta altera turma, irruit super eos. Nonnulli, *Et divisit se*; id est, subduxit, separavit se a sociis, nempe Mamre, Escol, Aner, & cum solis suis noctu adorsus est hostes: ut ipsi suisque in solidum victoria deferretur. Quem sensum verba illa firmant, *Ipse, & servi eius*. Unde illud Vulgati, *Et divisis sociis*, ita videtur capiendum, separatis, exclusis, subductis a se, vel relictis. HOBA. חובה *Chobah*, de qua Eusebius, & S. Hieronymus in Locis: *Choba ad lævam partem Damasci. Est autem Choba villa in eisdem regionibus, habens accolas Hebræos, qui credentes in Christum, omnia legis præcepta custodiunt, & a principe hæreseos Hebionitæ nuncupantur. Contra huiusmodi dogma Paulus Apostolus scribit ad Galatas*. Quidam *Opoton* Plinii Lib. V. cap. xviii. esse existimant. DAMASCI. דמשק *Dammesek*. Hic primum claræ cum primis urbis, sacris & humanis auctoribus celebratæ mentio occurrit. Eusebius & S. Hieronymus in Locis: *Damascus nobilis urbs Phœnices: eodem autem vocabulo, & Masek ancillæ Abram filius appellatus est Genes.* xv. 2. Et in Tradit. Hebraicis: *Ab hoc Damasco Eliezer aiunt Damascum conditam & nuncupatam*. Ceterum Iosephus, & S. Hieronymus ab Us filio Aram potius conditam existimant. Vide supra cap. x. vers. 23. Sunt qui putent Damascum dictam a דם *dam*, *sanguine*, & שק *sak*, *facco*, ut sonet, saccum sanguinis, id est rubri vini: nam & a vini copia Bacchum illic in sacco habitare finxerunt: quod magna fuerit in ea regione vini fertilitas, & abundantia: Græcos quoque pari verborum com-

positione, eam αἷμα, *sanguinem*. id est virum rubrum, σάκκος, id est *saccum*, appellatam existimasse. S. Hieronymus in XXVIII. Ezechielis a דם *dam*, *sanguine*, & שקה *schakah*, *bibere*, deduxit, quasi sanguinem bibens, quod ibi interfectus fuerit Abel a Kaino, & terra sanguinem eius biberit. Quidam annotant, terram Damasci esse rubram, flexibilem, tractabilem instar ceræ, ex qua formatus fuerit Adam: inde ipsa terra dicta sit *Adamah*; & Damascus, quasi saccus terræ rubræ, seu argillæ. Qua recedit intus a Phœnice, Syriam dictam Damascenam, Plinius Lib. V. cap. XII. prodit. Damascum Syriæ urbem fuisse, & ab ea partem Syriæ, Syriam Damascenam vocatam, auctores omnes affirmant. De Syria Damasci futurus est nobis sermo II. Samuelis VIII. 5. Descripsere Damascum accurate plurimi recentiores sacri topographi. Sed & Strabo Lib. XV. Beniamin Tudelensis Itinerarii pag. 52. *Urbs ipsa maxima, atque pulcherrima est, muris cincta; regio vero tota hortis & paradisis instructissima, ex singulis lateribus quindena continens milliaria. Numquam alias in tota terra, fructifera urbs huic similis visitur.*

V. 17. IN VALLE SAVE. Quidam hic reddunt, *Ad vallem plenam*: nam שוה *scavah*, *æquabile esse* significat. Possis vertere, *Ad vallem æquoris*, camporum. Vide supra vers. 5. Topographi sacri putant hanc esse *convallem illustrem*, de qua diximus cap. XII. vers. 6. atque eam quam describunt Eusebius, & S. Hieronymus in Locis Hebraicis, in hunc modum: *Aulon non Græcum, ut quidam putant, sed Hebræum vocabulum est. Appellatur autem vallis grandis atque campestris, in immensam longitudinem se extendens, quæ circumdatur ex utraque parte montibus, sibi invicem succedentibus, & cohærentibus, qui incipientes a Libano & ultra, usque ad desertum Pharan perveniunt. Suntque in ipso Aulone*, id est *Valle campestri, urbes nobiles, Scythopolis, Tiberias, stagnumque propter eam; sed & Iericho, mare mortuum, & regiones in circuitu, per quas medias Iordanis fluit, oriens de fontibus Paneadis, & in mare mortuum introiens.* Eadem ferme habet S. Beda Libello de Locis sanctis, cap. x. Hanc vallem hodieque a Palæstinis vocari Aulonem, recentiores terræ sanctæ descriptores affirmant. Pulcherrimam, amœnissimam, fertilissimam, hortis & paradisis felicem fuisse, omnes affirmant. Vide cap. XIII. vers. 10. & in Iosue XVII. vers. 11. & Iudith I. vers. 8. *Aulon* corruptum est vocabulum pro *Alon*, vel *Elon*, vel potius est Græcum, pro *valle*. VALLIS REGIS. Quidam existimant sic dictam, quod in ea habitaret Melchi-zedek rex; aut quod ibi prædia, & campos habuerit; vel quod ampla & magnifica, ac regia fuerit: unde Iosephus campum regium appellat. Qui augurantur, fuisse locum & stadium, ubi reges ludebant, & sese exercebant, somnia afferunt. Vide II. Samuel XVIII. 18.

V. 18. MELCHI ZEDEK. Hunc Hebræi & plurimi ex nostris Sem Noe filium suspicantur. Sed cum Paulus Hebr. VII. 3. dicat patrem & genealogiam Melchi-zedek in Scripturis non prodi, cum tamen Semi diserte exprimatur; verisimilius est quemdam aliquem Chananæum regulum fuisse; sed pium, & verum Dei cultum ac religionem profitentem. SALEM. Eusebius, & S. Hieronymus in Locis Hebraicis triplicem Salem distinguunt: unam ipsam Sichem, vel prope Sichem; alteram Ierusalem, quæ prius dicta est Salem; tertiam in octavo lapide a Schytopoli, in campo, quæ Sumias vocabatur. Iosephus, & pleriique alii, Melchi-zedek regem Ierusalem fuisse arbitrantur. Sed doctissimus Hieronymus Epistola CXXVI. ad Evagrium contra pertendit, Melchi-zedek in Salem iuxta Scythopolim regnasse: cuius verba subiicio: *Salem autem, non ut Iosephus & nostri omnes arbitrantur, esse Ierusalem; sed oppidum iuxta Scythopolim, quod usque hodie appellatur Salem: & ostenditur ibi palatium Melchi-zedek, ex magnitudine ruinarum, veteris operis ostendens magnificentiam. Considerandum quoque est, quod Abrahæ a cæde hostium revertenti, quos persecutus est usque Dan, quæ hodie Paneas appellatur, non de via Ierusalem, sed de oppido (Salem) metropoleos Sichem in itinere fuerit: de quo in Evangelio quoque legimus: Erat autem Ioannes baptizans in Ennon iuxta Salim, quia aquæ erant multæ ibi. Nec refert, utrum Salem, an Salim nominetur, cum vocalibus in medio litteris perraro utantur Hebræi, & pro voluntate lectorum, atque varietate regionum, eadem verba diversis sonis, atque accentibus proferantur. Hæc ab eruditissimis gentis illius didicimus.* Hæc S. Hieronymus, cuius

cuius sententiam egregie probamus. Brocard. *In pede australi montis Thabor, contra villam Endor, prope viam quæ ducit a Syria in AEgyptum est locus ubi Melchi-zedek dicitur occurrisse cum pane, & vino Abrahæ redeunti a cæde quatuor regum.* Eadem habet alter Burchard. PROFERENS PANEM, ET VINUM. Victoriale hic epulum nonnulli interpretantur; ac si dicat: Lassum ac famelicum exercitum regia liberalitate refecit ac pavit pane, ac vino, quibus omne genus cibi, ac potus significatur; quasi dicat, adduxit commeatum. Nequaquam sunt pii qui hic verum sacrificium panis, & vini incruentum Deo a Sacerdote Melchi-zedek rite oblatum non agnoscunt. Id constanter antiqui Hebræi, id vetustissimi Christianorum Patrum semper intellexere. Tot tantorumque testium agmina laudant orthodoxi quoque scriptores, qui sacrosanctum corporis & sanguinis Christi sub speciebus panis, & vini sacrificium, cuius illud Melchisedekianum insignis typus & figura fuit, adversus impios propugnant. Ex verbo locum ita reddunt: *Exire fecit, eduxit, protulit, extulit, obtulit panem, & vinum.* Verbum הוציא *hotzi*, in Hiphil interdum esse *sacrificare*, & ritui sacrificantium competere, & Hebræi docent, & Iudicum VI. 18. manifeste declaratur: *Et exire faciam, educam, efferam*, proprie *offeram*, *sacrificium meum*, seu *oblationem meam*, *& statuam ad facies tuas*. Præclare hic hostis quidam veritatis, *Extulit panem, & vinum*: ut & sacrificium, & ritum sacrificii, nempe quo in altum extollitur & elevatur, nolens fateri cogeretur. Id sane Deus Forstero in mentem immisit immerenti. Nec a verisimili abhorret, panem illum & vinum in sacrificium prius Deo oblatum, exercitui in epulum convivale & victoriale deinde distributum: ut pane illo ac vino consecrato ac benedicto Melchizedek copias Abrahami paverit ac refecerit; uti nunc Eucharistia sacrosancta populo distribuitur. ERAT ENIM SACERDOS: divine Noster ו *Vau* pro causali accipit, exemplis passim obviis in Scriptura; quasi dicat: Obtulit Deo sacrificium panis ac vini, nam erat Sacerdos Dei altissimi. Fuit illud sacrificium epinicium, victoriale, triumphale, eucharisticum pro parta victoria Abrami. Vox כהן *cohen*, proprie significat *sacerdotem*, ministrum eum qui est constitutus, seu ordinatus ad sacra perficienda, peragenda, ut rem sacram operetur, ut sit minister in sacris, ut sacerdotio fungatur, Græci Λειτουργὸν vocant. Interdum vero abusive non est ecclesiastici officii, sed honoris & dignitatis, iisque tribuitur qui erant intimi & secretissimi regum: quia enim reges pro diis habentur in terris, & ita aliquando in Scriptura appellantur; inde factum est ut transferretur hoc nomen ad eos significandos qui erant regibus a secretis, intimi, familiares, primarii ministri, primores, magnates, æditui regum, per quos rex consulebatur, eius voluntas aliis manifestabatur, &c. quibus sacra, & arcana regum, & regni commissa erant; quasi dicas, regum sacros ministros, liturgos, sacerdotes, hierophantes, nempe regum sacratissimos: ut II. Samuelis, XX. 26. *Ira autem Iairites erat sacerdos David*: & cap. VIII. vers. 18. *Filii autem David sacerdotes erant*: quod I. Paralipom. XVIII. 17. ita exponitur: *Filii David primi ad manum regis*, id est ad negotia regis, seu ad latus regis. I. Reg. IV. 5. *Zabud filius Nathan sacerdos*. Melchi-zedek verum & legitimum fuisse sacerdotem in sacrificiis, aliisque sacris rite ministrantem, ac mirabilem sacerdotii & pontificatus Christi æterni Dei vivi, & veri typum, & David, & Paulus egregie demonstrarunt. Incruentum hoc Melchizedeki sacrificium imitati videntur gentiles in Sacrima, & Præmetio, de quibus Festus. DEI ALTISSIMI. אל עליון *El ghelion*, duo nomina Dei, hic primum occurrentia. *El* plerumque ponitur abstractive pro *potentia*, *fortitudine*, *robore*, *virtute*, *facultate aliquid faciendi*: sæpius concretive, *pro forti*, *potenti*, *robusto*, *penes quem est facultas faciendi aliquid*, *cuius potentia late sese extendit & exerit*. De Deo sæpissime dicitur; &, ut reor, non a concreto, sed ab abstracto, per antonomasiam *El* Deus appellatur, id est ipsa potentia, nedum potens, vel potentissimus: propterea quod Deus omnia potest, cui nihil est impossibile; sed eius potentia, potestas, virtus, maiestas, facultas extendit se ad, & super omnes creaturas, & a cuius maiestate & potentia dependent universa in cælo & in terra, quæ habent aliquam potentiam, potestatem, facultatem, & virtutem: & propter hæc dona & beneficia, quæ ab ipso acceperunt, & ha-

bent, ipsi tamquam iuramento astricti sunt, illi præstare cultum, obedientiam, & gratitudinem. Deducunt enim ab אלה *alah*, quod est *se iuramento astringere*. Alii ab איל *eial*, *fortitudo*, *vires*. Notant, in Scriptura universe dici de Deo vero, & de falsis diis; itemque de hominibus potentibus, fortibus, prævalidis. Exempla facile in Scriptura se dabunt. *Ghelion*, non est dubium quin primo ac præcipue sit attributum Dei, id est *Altissimus*, *supremus*, *summus*, qui respectu Angelorum & hominum, adeoque omnium creaturarum sit in altissimo ac supremo gradu dignitate, gloria, nullis plane rebus subiectus, nullis passionibus, quibus nos premimur, obnoxius; & cuius essentia, nomen, gloria, altitudo, maiestas, regnum omnem humanum & angelicum sensum exsuperet atque excellat: sicuti Paulus de Christo scribit Philippenses II. vers. 9. *Exaltavit eum, & dedit ei nomen supra omne nomen, ut in nomine Iesu se flectat omne genu*, &c. Nam quamvis nomen *Iesu* diversum sit ab *Ghelion*; at mire Apostolus vim & notationem huius expressit. Tribuitur deinceps id nomen homini, & aliis rebus, uti exempla suis quæque locis docebunt.

V. 19. BENEDIXIT EI; id est, omnia fausta, felicia precatus est: forte concepta forma verborum, quæ in benedictione sacerdotali postea præscripta est, Numeror. VI. vers. 23. BENEDICTUS ABRAM DEO EXCELSO. Confirmat, ratamque habet Melchi-zedech divinæ vocationis gratiam Abramo, æterni fœderis cum Deo icti respectu; ac si dicat: Benedictus, laudatus, laudandus, laude & honore dignus, celebrandus est, seu felix, prosper, fortunatus, faustus, augustus est Abram, quem Deus vocatione & gratia sua, pacto & fœdere sempiterno dignum constituit, & tantis bonis auxit & ornavit.

V. 20. PROTEGENTE. Verbum מגן *miggen*, in Pihel ter tantum in Scriptura reperitur: hic Proverb. IV. 9. Oseæ XI. 8. & Noster ubique verbo *protegendi* reddidit, quod crediderit eiusdem significationis esse cum גנן *ganan*. Sed hic varie interpretantur: 1. *dedit*, *tradidit*; 2. *conclusit*, *cinxit*, *circumdedit*; 3. *compegit*, *compactos tradidit*; 4. *ligavit*, *corripuit*; 5. *circumvolvit coangustatores tuos*, seu *coarctatores*, *conclusores*, *oppressores*, *constrictores*, *hostes*, *adversarios*: hoc enim proprie significat vox צרים *tzarim*, nempe eos qui premunt, arctaut, & angunt. ET DEDIT EI DECIMAS EX OMNIBUS. Alii: *Dabatque ei*, scilicet Abram Melchizedecho, *decimam* de rebus *omnibus*.

V. 21. DIXIT AUTEM REX SODOMORUM AD ABRAM. Alii: *Quapropter dixit Rex Sedomi Abramo*: nempe quum videret ille de præda decimas Melchizedecho dari, metueretque ut recuperaret res suas. DA MIHI ANIMAS, CETERA TOLLE TIBI. Hebr. *Da mihi animam*: enallage numeri, id est homines mihi subditos, qui in tuam potestatem venerunt: *facultates vero accipe*. Exponunt quasi dicat: Saltem mihi restitue partem eorum quæ ad me pertinebant, nempe homines meos; reliquam vero, nempe facultates, si ita videbitur, servato tibi. Aliter accipit S. Chrysostomus, tamquam si reliquam partem rex Sedomi Abramo donaret gratiarum ergo. Sed illud prius, iudicio meo, inquiunt, magis cum ingrata illius hominis mente, & sanctissimo Abrami responso convenit.

V. 22. LEVO MANUM MEAM AD DOMINUM DEUM EXCELSUM. Quidam reddunt: *Extuli manum meam*, sive *iuravi elata manu mea ad Iehovam Deum fortem excelsum*; id est, quum ab bellum profecturus Dei auxilium implorarem, iuramento me obstrinxi: synecdoche signi, & rei significatæ. Habitus & ritus iurantium, elata in cælum manu: hoc signo profitebantur se Deum habere præsentem testem veritatis, & periurii vindicem. *Levare*, seu *tollere manum in cælum*, pro *iurare*, Exod. VI. 8. Numeror. XIV. 30. Deuter. XXXII. 40. Daniel. XII. 7. Apocalyp. X. 5. Possit quoque hic esse abstinentiæ, & moderationis; quasi dicat: Tollo manum meam coram Deo, nihil capio, nihil sumo, manus servo puras & abstinentes a præda, & rebus tuis.

V. 23. QUOD. Hebr. *Si*. Notant particulam *si* in iuramentis, & obligationibus vim habere negantem. I. Reg. I. 51. *Iuret mihi rex Salomon, si interficiet servum suum gladio*. Psalm. LXXXVIII. 36. *Semel iuravi in sancto meo, si David mentiar*. Psalm. XCIV. 11. *Quibus iuravi in ira mea si introibunt in requiem meam*. Marci VIII. 12. *Amen dico vobis, si dabitur generationi isti signum*.

signum. Ita hic, *Si accipiam*, id est non accipiam. Alii volunt esse eclipsin, sive aposiopesin in iuramentis usitatissimam; pro, *Dira mihi imprecans*, vel *dispeream*, *male mihi sit*, *si accepero*: ut infra cap. XXI. vers. 23. & I. Samuel. XXIV. 22. Quidam hunc versum reddunt: *Dira mihi imprecans*, *si vel filum*, *vel corrigiam calceamenti accepero*, *si*, *inquam*, *accepero de re ulla quæ sit tua*: *ut non dicas*, *Ego ditavi Abramum*. QUOD A FILO USQUE AD CORRIGIAM CALIGAE. Exponunt: A filo, quo sutores vestimenta consuunt; vel a filo, quod a fimbriis vestium defluit, usque ad ligulam strictoriam calceamenti. Alii: A filo, seu vitta capitis usque ad calceamenti; id est, a capite ad pedes. Aliqui, *Si vel filum*, *vel corrigiam calceamenti accepero*, volunt esse proverbialem formulam de rebus vilissimis & nullius pretii, a quibus qui se abstenturum dicit, confirmat, multo magis a maioribus & pretiosioribus temperaturum esse. EXCEPTIS HIS QUAE COMEDERUNT IUVENES. Quidam reddunt: *Penes me nihil futurum est* (sic infra cap. XLI. vers. 16.) *tantum quod isti pueri comederunt*. *Iuvenes*. נערים נער *negharim*, *neghar*, proprie *excussus*. Observant, isto nomine Hebræis appellari puerum seu iuvenem eius ætatis qua iam e molliore parentum cura foras excussus est, aut excutiendus ad aliquod ministerium, ut alicui operi faciundo assuefiat aut exerceatur. Quare sæpe ministri ita appellantur, quod ea ætas ad quotidianas functiones & ministeria adhiberi soleat. Et dicitur hoc nomine, quousque ad eam conditionem pervenit qua incipit iam sui iuris esse: quamquam per catachresin interdum etiam largius usurpent, vel pro iuniore, vel pro rudiore, seu ineptiore. Græci νήπιον vocant; Latinis est infans: nam esse nonnumquam intellectus, vel sensus, non ætatis, metaphorice, constat. Ierem. I. 6. *Ecce nescio loqui*, *quia puer ego sum*, id est rudis, imperitus, infans: ut etiam Paulus sumpsit I. Corinth. XIV. 20. *Nolite pueri effici sensibus*. Alii notant, in universum hoc nomen proprie seni & iam provecto opponi, & totam ætatem adhuc teneram complecti, hoc est infantiam, pueritiam, adolescentiam, & iuventutem, ut ex variis Scripturæ locis videre licet. עלם *ghelem* esse proprie *puerum & adolescentem*; בחור *bachur* vero *iuvenem delectum*. Nomen etiam pueri Latine duas ætates complecti, & pro famulo seu ministro quoque poni. נער *naghar*, *puerum* dictum putant, quod ut excussus, seu agilis, vegetus, & vivax, atque alacer; non sicut ætate iam provecti, qui tardiores sunt, & inhabiles. Sunt qui *naghar* definiant usque ad annum vigesimum: quamquam pro ministro, ætatis alioqui ratio non habeatur; licet iunior fere seniori ministrare soleat: Genes. XLIII. 8. ubi agitur de Beniamino ætatem illam viginti annorum superante. Posse & *naghar* dici quod excussus sit a cura rerum, quod secure agat, & in diem vivat.

> -- *utilium tardus provisor*, *& iram*
> *Colligit*, *ac ponit temere*, *& mutatur in horas*:

inquit Horatius in Arte poetica. Nec desunt qui *naghar* appellatum existiment, quod moveatur in utero materno, & inde in mundum excutiatur, & in lucem edatur. Nonnulli sic vocatum eleganter volunt per translationem, quasi omnia excutientem, quiescendi impatientem, stare loco nescium. Vim vocis accurate expressit Psalm. CXXVI. 4. *Sicut sagittæ in manu potentis*, *ita filii excussurarum*: qui instar sagittarum prævalidi manu emissarum, excutientur. Quidam *naghar* dictum volunt, quod sit excussus, exturbatus, præceps, præcipitans in actionibus. Hic plerique *pueri* reddunt, id est servi, atque administri, quorum meminit supra vers. 14. & sequentibus, ut II. Machabæor. VIII. vers. 28. qua notione sæpe Latinis vox *puer* usurpatur. Livius Lib. XLV. cap. VI. *Pueri regis apud Macedonas vocabantur principum liberi ad ministerium electi regis*. Hispanice vocamus *pages*. ET PARTIBUS VIRORUM QUI VENERUNT MECUM, ANER, ESCOL, ET MAMBRE: ISTI ACCIPIENT PARTES SUAS. Quidam: *Et pars horum virorum*, id est auxiliarium, quorum duces statim hic nominantur, ut supra vers. 13. *qui profecti sunt mecum*, *ipsorum esto*.

MENOCHII.

Verſ. 1. REX SENNAAR, Babylonis. Vide Geneſ. cap. XI. num. 2. REX PONTI, non illius Euxini, ſed alterius vicinioris. Sunt qui putent eſſe civitatem Cœleſyriæ, quæ a Stephano de Urbibus dicitur Hellas; quæ mera eſt coniectura. REX ELAM: Rex Perſarum, qui Elamitæ dicuntur in Scriptura. REX GENTIUM, vel Rex Galilææ, quæ Gentium dicta eſt, ut cenſet Maſius Ioſue cap. XII. 9. Vel hic gentes accipiuntur pro erronibus, & profugis ex variis gentibus, quibus aſylum in ſuo regno dederit hic Thadal.

V. 3. VALLEM SYLVESTREM, amœnam, & inſtar nemoris pulchris arboribus condenſam. MARE SALIS: qui locus ab Hebræis vocatur etiam *Vallis Salinarum*, aut mare mortuum.

V. 4. RECESSERUNT, rebellarunt. QUI ERANT CUM EO: qui illi erant fœderati.

V. 5. RAPHAIM. Hæc vox gigantes ſignificat. Hi habitarunt in terra Baſan, quæ ideo dicta *Terra gigantum*, Deut. III. 13. ASTAROTH CARNAIM, Diana, vel Iuno bicornis: nam Carnaim bicornem ſignificat. Sunt tamen qui a bicorni, ſeu bicipiti monte dictam putent Aſtaroth carnaim, quod in eo ſita eſſet. SAVE. Aliqui vertunt *planitiem*. Videtur fuiſſe Urbs in planitie ad mare mortuum.

V. 7. MONTIBUS SEIR. Hi ſunt montes Edom in Gabalena regione, poſtmodum habitatio Eſau. FONTEM MISPHAT, fontem iudicii, ita dictus, quod ibi Iudæi contra Moyſen, & Aaron murmurarint, iurgati ſint, & veluti iudicio expoſtularint; ideo etiam dicitur Aqua contradictionis. Ibidem Deus Moyſen, & Aaron propter incredulitatem damnavit ne terram promiſſionis ingrederentur. Poſtea cum illic miraculo edito Deus fuiſſet ſanctificatus, locus dici cœptus eſt Cades. Vide Num. XX. II. AMALECITARUM: qui poſtea ab Eſau nepote ſic vocati Geneſ. XXXVI. 16. Senſus ergo eſt: regionem quam poſtea Amalecitæ poſſederunt. ASASON THAMAR, urbs palmarum quæ fuit Amorrhæorum, Urbs etiam Engaddi vocata.

V. 10. PUTEOS MULTOS. Heb. *puteos, puteos*. Geminatio vocis copiam puteorum ſignificat, ut illud Pſalmi CXXI. 4. *Illuc aſcenderunt tribus, tribus Domini*; id eſt, omnes tribus. Quinque reges elegerunt hunc locum, quod periculoſus eſſet hoſtibus ignaris horum puteorum. CECIDERUNTQUE IBI: non ipſi Reges Sodomæ, & Gomorrhæ (hi enim fugerunt, & evaſerunt, ut patet n. 17.) ſed eorum milites, quorum pars capti, pars cæſi, pars in puteos bituminis delapſi.

V. 12. NECNON ET LOT, vel in prælio captum, vel inermem in urbe inventum, haud dubie pœna electionis parum ſapienter inſtitutæ, & moræ inter improbos, ut aliqui Patres ſentiunt.

V. 13. ABRAM HEBRAEO. LXX. τῷ περάτῃ, id eſt *tranſitori*. Sentiunt enim Hebræum dici a voce עבר *hanar*, quæ tranſire ſignificat, & hanc etymologiam ſecuti, dicemus Abrahamum vocari tranſiterem, & Hebræum, quod Euphratem tranſiſſet. Alia verior eſt ſententia, dici Hebræos ab Heber, a quo deſcendebant, & cuius idioma retinebant.

V. 14. NUMERAVIT: non numeravit tantum, ſed etiam ſelegit. Hebræa ſignificant: *Expedivit initiatos*, vel *inſtructos ſuos*, quos ſcilicet iam ferrum, & arma tractare docuerat, ut peregre habitans ſe tutum præſtaret ab iniuria. TRECENTOS DECEM ET OCTO. Tot poſtea Patres in Concilio Nicæno. USQUE DAN. Vrbs Dan tempore Abrahæ, & Moſis vocabatur Lais, vel Leſem, & ita ſcripſit Moſes; ſed qui hæc dicta Moſis digeſſit, pro Lais ſubſtituit Dan, quo poſt Moſen vocata eſt Ioſ. XIX. 47. Alii putant ſpiritu prophetico Moſen ſcribere nomen urbis, quod poſtea erat acceptura. VERNACULOS SUOS: ſervos domi ſuæ natos.

V. 15. DIVISIS SOCIIS. Abraham unam turmam duxit: ſocios tres, puta Aner, Eſcol, & Mambre in tres, ut videtur, turmas diviſit, ut omnes effugii vias hoſti præcluderet, utque a quatuor partibus eos adoriens percelleret, opinantes a magno exercitu ſe undique cingi, atque ita ſomno, vinoque ſepultos opprimeret.

V. 17. IN OCCURSUM EIUS: ut gratias ageret, & impetraret ſibi reddi cives ſuos. VALLIS REGIS. LXX. addunt *Melchiſedech*: vel quod ita dicta ob occurſum hunc regis Melchiſedech; vel quod ibi

ibi essent eius delitiæ; vel tandem quod amœnitate digna esset rege.

V. 18. MELCHISEDECH. Aliqui putarunt, Melchisedech esse Sem filium Noe; sed Sem genealogia texitur in Scriptura, Melchisedech autem est sine genealogia, ut ait D. Paulus ad Hebr. VII. Fuit ergo aliquis ex regulis Chananæorum, qui inter impios pie vivebat, & iuste, ut bene illi nomen quod ferebat, conveniret: nam Melchisedech significat regem iustitiæ. Porro Melchisedech fuit Christi typus: quia uterque rex iustitiæ; uterque rex Salem, id est pacis; uterque sine genealogia, nam Christus patrem non habuit in terris; uterque quasi æternus inducitur in Scriptura; tandem uterque sacerdos, & pontifex. REX SALEM: rex Ierusalem, quæ prius Salem, & Iebus dicta. PROFERENS PANEM, ET VINUM, ad sacrificium, quia erat sacerdos. Partem panis suo ritu sacrificavit, v. g. cremando; partem vini libavit, effundens Deo in gratiarum actionem pro victoria; deinde reliquam panis, ac vini partem in milites Abrahæ libandam, id est participandam, & comedendam distribuit: hic enim mos erat sacrificii pacifici. SACERDOS. Vox Hebr. כהן *cohen* proprie sacerdotem significat; abusive vero, & raro principem: quod sequentia clare ostendunt, nam additur, DEI ALTISSIMI.

V. 19. BENEDIXIT EI, maior minori, Melchisedech Abrahamo, formula usus, quæ hic habetur.

V. 20. DEDIT DECIMAS, Abraham Melchisedecho, ut patet ad Heb. IV. 7. EX OMNIBUS, spoliis.

V. 21. DA MIHI ANIMAS, cives, & subditos meos captivos.

V. 22. LEVO MANUM MEAM: iurantis habitus.

V. 23. A FILO SUBTEGMINIS; id est, ne minimum quidem accipiam. Vox subtegminis non est in Hebræo sed addita a nostro Interprete explicationis causa. Subtegmen est filum, quod sub stamine texitur. USQUE AD CORRIGIAM CALIGAE. Caliga est calceus. NE DICAS: EGO DITAVI ABRAM; quasi dicat: Ne iactes me ex tuis incommodis mea quæsisse commoda; aut iactes me amore munerum tuorum tibi suppetias ivisse. Quia nihil tale suberat in muneribus Pharaonis, cap. præced. ea recepit.

TIRINI.

Vers. 17. IN VALLE SAVE, QUAE EST VALLIS REGIS.) Septuaginta addunt, *Melchisedecho*: quia forte iste rex in ea valle hortos suos, & loca ad delicias facta habebat: forte etiam ludicras, & militares exercitationes. Nam Chaldæus habet: *Ipse erat locus refrigerii*, vel *stadii regis*. Huius etiam vallis fit mentio II. Reg. XVIII. vers. 18. Hic Melchisedech non fuit Sem, primogenitus Noe, ut tradunt Hebræi, & nonnulli Catholici *a*: nam licet hic etiam tum in vivis esset, saltem non regnabat in Chanaanitide, neque erat *sine patre & matre*, & *sine genealogia*, cum Scriptura diserte affirmet fuisse *filium Noe*, & ex proavis *Abrahæ*. Quæ omnia contraria sunt iis quæ Apostolus ad Hebræos cap. VII. Melchisedecho propria facit. Sed fuit princeps aliquis & regulus Gentilis e gente Chananæa, rex Salem, seu Ierosolymæ, ut est in Chaldæo, quam & illum condidisse Iosephus *b* affirmat, & fidelium (qui tum ipsius, tum aliorum opera istic reperiebantur) doctor, sacerdos, pastor. Ita S. Dionysius *c*, Hieronymus, Hippolytus, Irenæus, uterque Eusebius, Apollinarius, & alii, cum plerisque recentioribus *d*. Addunt S. Ignatius, *e* & Suidas, Melchisedech semper virginem permansisse. Unde & in hoc typum gessit Christi, uti & in nomine & nominis etymo, in officio, in sacerdotio, in sacrificio, De quibus fuse Heb. VII. & Psal. CIX.

V. 18. PROFERENS PANEM, ET VINUM: non ad cibum militum, vel epulum, ut ex Iosepho contendunt hæretici, quia tot spoliis onustis hæc non deerant; sed ad sacrificium pacificum in gratiarum actionem Deo pro victoria Abrahæ a Babyloniis parta. Solebat enim Melchisedech pro materia sacrificii sui uti pane, & vino, & quidem ordinarie ac publice, sic edoctus, & iussus a Deo. Et in eo differebat illius sacerdotium tum a sacerdotio reliquorum in lege naturæ (qui vel primogenituræ, vel principatus iure sacerdotes erant, uti erat etiam ipse Abraham) tum ab Aaronico sacerdotio post instituto: quia hæc fere omnia cruenta erant; istud vero Melchisedech incruentum. Unde & Christus ut palam faceret se *sacerdotem* esse *secun-*

cundum ordinem & ritum *Melchisedech* (uti Deus per Davidem de illo prædixerat *f*) sub iisdem speciebus panis & vini suum quoque sacrificium in ultima cœna incruentum instituit. Ita omnes tam sancti Patres, quam Doctores Scholastici. ERAT ENIM SACERDOS DEI ALTISSIMI.) Hæretici vertunt: *Et erat princeps Dei*. Sed imperite: nam & copulativum apud Hebræos frequentissime usurpatur pro causali *enim*, vel *quia*. Et Hebræum *cohen* magis propie, & sæpius sacerdotem significat: nec nisi uno alterove loco, si recte memini, principem in Scriptura designat: puta II Reg. VIII. vers. 18 ubi filii David dicuntur fuisse *cohen*, seu principes: & Isaiæ LXI. vers. 6. *Vos autem sacerdotes Domini vocabimini*, quamvis etiam illis locis Latinus Interpres *sacerdotes* verterit, neque incongrue, ut ibid. ostendemus. Sed centenis aliis locis usurpatur pro *sacerdote*. Et ita hunc locum explicat S. Paulus ad Hebræos VII. & LXX. & SS. Patres, adeoque ipse Iosephus *g*, & Philo, & plures alii Iudæi. Et quid novi hic alioqui diceret Moses, si, quem antea regem vocarat, iam principem faceret? Aut quæ ratio proferendi, vel offerendi Deo panis & vini, quia princeps erat? Neque enim principis est sacrificare, sed sacerdotis. Unde etiam subditur,

V. 19. BENEDIXIT EI Melchisedech Abrahamo. maior minori: & decimas ab Abramo accepit, scilicet intuitu sacerdotii sui, & sacri ministerii quo publice fungebatur. Unde & Apostolus Hebr. VII. colligit. tam Abramum quam Aaronem, & omnes Aaronicos sacerdote minores fuisse Melchisedecho, quandoquidem illi omnes per parentem suum Abramum, in cuius lumbis continebantur, tamquam inferiores & bene ictionem a Melchisedecho acceperint. & decimas eidem persolverint.

(*a*) Rupert. Lib. V. de Trin. Isidorus de Vita Prophet. Tostatus, Lyran. Glossa, Genebrardus in Chronol.
(*b*) Lib. VII. Belli cap. XVIII.
(*c*) Dion. Cæl. Hier. cap. IX. Hier. Epist. ad Evagrium. Hipp. & alii citati a Bonfrerio. Pererio.
(*d*) Delrio, a Lapide hic, Ribera in Hebr. VII. Tornaiello in Ann. & Saliano, Sigonio Lib. I. de Rep. Hebr.
(*e*) Ignat. Ep. ad Philadelphios.
(*f*) Psal. CIX. vers. IV.
(*g*) Ioseph supra. Philo Lib. de Abrahamo.

GORDONI.

Vers. 1. SENNAAR, Babylonis. PONTI: alia regio notatur, quam Pontum Euxinum, satis ignota. Rex Elam putatur Persarum, qui Elamitæ dicuntur. THADAL REX GENTIUM. Heb. *goim*; quod tamen aliqui putant esse provinciæ nomen. Aliqui Galilæam gentium accipiunt.

V. 2. SEGOR. Per anticipationem: nam postea cap. XVI. cœpit vocari Segor.

V. 3. IN VALLEM SILVESTREM. In regione Pentapolis, illustris dicta ob amœnitatem. Septuaginta vertunt, *vallem salsam*. Nomen forte hoc accepit post incendium Pentapoleos, aut potuit esse pars illius regionis ante incendium. MARE SALIS, vallis salinarum, mare mortuum.

V. 5. RAPHAIM putantur gigantes, ut etiam vertit Hieronymus Proverb. IX. de his dixi Deut. III. vers. 10. ASTAROTH-CARNAIM videtur esse bicornis Dianæ & Iunonis urbs, sic dicta ab idolo Dianæ bicornis; quippe quæ in fronte expressam habebat lunulam bicornem. ZUZIM, ET EMIM gentes sunt, sed satis ignotæ. Septuaginta vertunt, *gentes fortes*, contenti edidisse sensum. IN SAVE CARIATHAIM. Save aliqui urbem esse in planitie volunt. Cariathaim vero urbem designat non longe a mari mortuo. Vide Iudic. cap. I.

V. 6. ET CHORRAEOS IN MONTIBUS SEIR. Hi dicti sunt postea Idumæi, pulsis Chorræis. Seir Idumææ mons Australis est. CAMPESTRIA PHARAN. Mons est Pharan inter Idumæam & mare rubrum. Vide num. 13.

V. 7. FONS MASPHAT. Septuag. *fons iudicii*; dictus aquæ contradictionis, num. 20. percussa etiam regio Amalecitarum, seu quam postea occupaverunt Amalecitæ; sic dicti ab Amalec nepote Esau. Asasanthamar, Chaldæus vertit Engaddi. Est in tribu Iuda ad mare mortuum. Vide I. Reg. XXIV. & Cant. I.

V. 10. PUTEOS MULTOS. Elegerunt hunc locum Reges, ut hostibus periculosum, ex ignotis puteis. CECIDERUNT. Designat cæsum exercitum, non reges ipsos: nam vers. 17. rex Sodomorum occurrit redeunti Abraham.

V. 14.

V. 14. NUMERAVIT EXPEDITOS, armis exercitos vernaculos. Heb. *institutos suos*. USQUE DAN. Septentrionalis terminus Chananæorum: post multos tamen annos vocari cœpit Dan.

V. 17. VALLIS SAVE. Non est illa de qua vers. 5. quippe quæ est ultra Iordanem versus Moabitas, ubi non erat Melchisedech; sed est alia cis Iordanem, ex Hieronymo Epist. CXXVI. Ad hanc vallem egressus hic dicitur Rex Sodomorum. Est enim aliqua verborum transpositio in textu.

V. 18. MELCHISEDECH. Certum est ex textu, hunc Melchisedech fuisse hominem; non tamen videtur Sem. Vivebat quidem adhuc Sem; at Sem genealogiam habet, ut supra; Melchisedech vero in Scriptura est sine genealogia, ex Hebr. VII. Rex erat Salem, pius ut nomen sonat, ac typus Christi. Vide Heb. VII. 2. Vox *Salem*, pacem quidem significat, ex Paulo ad Hebr. Ceterum Salem urbs est, & ex plurium opinione, est Iersusalem, sic olim vocata, ex Hieronymo in Epitaphio Paulæ; immo & Iebus vocabatur, ac demum Ierusalem. ERAT ENIM SACERDOS. והוא כהן *vehu cohen*, & Septuag. ὁ δὲ ἱερεὺς τοῦ θεοῦ. Dat causam, cur protulerit panem ad sacrificium. Pessima fide præscindunt Novatores particulam *enim*, quam dat Latina versio. Nec rarum est in Hebræo ו *ve*, poni pro כי, ut Isa. LXIV. 5. *Iratus es, &* (quia) *peccavimus*. Hinc illud Psalm. CIX. *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*, iuxta interpretationem Pauli ad Heb. cap. VII. Quo spectant etiam verba Mosis. PROFERENS PANEM, ET VINUM. In Hebræo est *protulit* הוציא *hotsi*. Optime verti potest, *obtulit*: nam sic Iudic. VI. vers. 18. הוצאתי *hotsethi*: radix est יצא. Denique Patres omnes per *Cohen* sacerdotem intelligunt, non vero principem, saltem hoc loco. Hinc porro benedixit, ut maior minori. Hinc denique Patres docent, hic oblatum panem, & vinum in cultum; & sacrificium oblatum in gratiarum actionem pro victoria Abrahæ. Inepte ergo Calvinus ait, sacerdotem hunc (Christi typum, & renuntiatum talem a Paulo) protulisse panem, ut instrueretur epulum victoriæ, vel etiam ut pasceret, inquit, Abrahamum. An non ex hostium spoliis satis reficiebatur? Esto etiam de sacrificio participasse Abraham: nam etiam post Mosen hoc interdum laicis licebat.

V. 20. DEDIT EI DECIMAS. Nempe Abraham Melchisedecho, Heb. VII. vers. 4. Dantur enim decimæ Deo, & ministris eius. Sic etiam Iacob cap. XXVIII. vers. 22. EX OMNIBUS, spoliis.

V. 21. DA MIHI ANIMAS, homines captivos. Nihil Abraham vult accipere a Melchisedech.

V. 23. Filum subtegminis, & corrigia sunt duæ res minimæ, per quas iuramento denotabant homines, se ne minimum quidem accepturos. Hoc sacro iurantis proverbio utitur Abraham.

CAPUT XV.

Deus Abræ de posteritate desperanti filium promittit, cui credens Abram iustificatur: & in signum promissæ terræ. præscriptum a Domino offert sacrificium, auditque suæ posteritatis futuram peregrinationem.

1 HIs itaque transactis, factus est sermo Domini ad Abram per
visionem dicens: Noli timere Abram, ego protector tuus
sum, & merces tua magna nimis. 2. Dixitque Abram:
Domine Deus, quid dabis mihi? Ego vadam absque libe-
ris; & filius procuratoris domus meæ iste Damascus Elie-
zer. 3. Addiditque Abram: Mihi autem non dedisti se-
men: & ecce vernaculus meus, heres meus erit. 4. Sta-
timque sermo Domini factus est ad eum, dicens: Non erit hic heres tuus;

ſed qui egredietur de utero tuo, ipſum habebis heredem. 5. Eduxitque eum foras, & ait illi: (*a*) Suſpice cælum, & numera ſtellas, ſi potes. Et dixit ei: Sic erit ſemen tuum. 6. (*b*) Credidit Abram Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam. 7. Dixitque ad eum: Ego Dominus qui eduxi te de Ur Chaldæorum, ut darem tibi terram iſtam, & poſſideres eam. 8. At ille ait: Domine Deus, unde ſcire poſſum quod poſſeſſurus ſim eam? 9. Et reſpondens Dominus, Sume, inquit, mihi vaccam triennem, & capram trimam, & arietem annorum trium, turturem quoque, & columbam. 10. Qui tollens univerſa hæc, (*c*) diviſit ea per medium, & utraſque partes contra ſe altrinſecus poſuit; aves autem non diviſit. 11. Deſcenderuntque volucres ſuper cadavera, & abigebat eas Abram. 12. Cumque ſol occumberet, ſopor irruit ſuper Abram, & horror magnus, & tenebroſus invaſit eum. 13. Dictumque eſt ad eum: Scito prænoſcens quod (*d*) peregrinum futurum ſit ſemen tuum in terra non ſua; & ſubiicient eos ſervituti, & affligent quadringentis annis. 14. Verumtamen gentem, cui ſerrituri ſunt, ego iudicabo: & poſt hæc egredientur cum magna ſubſtantia. 15. Tu autem ibis ad patres tuos in pace, ſepultus in ſenectute bona. 16. Generatione autem quarta revertentur huc: necdum enim completæ ſunt iniquitates Amorrhæorum uſque ad præſens tempus. 17. Cum ergo occubuiſſet ſol, facta eſt caligo tenebroſa, & apparuit clibanus fumans, & lampas ignis tranſiens inter diviſiones illas. 18. In illo die (*e*) pepigit Dominus fœdus cum Abram, dicens: Semini tuo dabo terram hanc a fluvio AEgypti uſque ad fluvium magnum Euphraten, 19. Cinæos, & Cenezæos, Cedmonæos, 20. & Hethæos, & Pherezæos, Raphaim quoque, 21. & Amorrhæos, & Chananæos, & Gergeſæos, & Iebuſæos.

(*a*) Rom. IV. 18. (*b*) Rom. IV. 3. Gal. III. 6. Iac. II. 6. 23. (*c*) Ierem. XXXIV. 18. (*d*) Act. VII. 6. (*e*) Sup. XII. 7. XIII. 15. Inf. XXVI. 4. Deut. XXXIV. 4. I. Par. IX. 26. I. Reg. IV. 20.

COMMENTARIA

S A.

Verſ. 1. FACTUS EST SERMO DOMINI; ideſt, *locutus eſt Dominus*, Hebr. MAGNA, ſcilicet erit.

V. 2. FILIUS PROCURATORIS, &c. quidam vertunt, *filius procurationis*, ſeu *diſpenſationis*, ideſt diſpenſator domus meæ. Chald. *Filius domus meæ*. LXX. *Filius Maſech vernaculæ meæ*. Theodotio vertit, teſte Hieronymo, ut nos legimus. ELIEZER, ſcilicet heres meus erit. Ab hoc quidam dicunt conditam Damaſcum, eius nomine appellatam. Vide tamen ſupra cap. X.

V. 3. SEMEN, ideſt filios.

V. 5. STELLAS. Scilicet noctu fuerat facta viſio. SIC ERIT, ſcilicet innumerabile.

V. 9. ET COLUMBAM. Hebr. *Et pullum columbarum*.

V. 10. ALTRINSECUS, ideſt hinc inde, ſcilicet ex oppoſito.

V. 13. SCITO PRAENOSCENS. Hebr. *Sciendo ſcias*, ideſt certo ſcias. QUADRINGENTIS, ſcilicet computandis a quinto anno Iſaac, quo domo pulſus eſt Iſmael.

V. 14. IUDICABO, id eſt puniam.

V. 16. GENERATIONE QUARTA, ſcilicet ab ingreſſu in AEgyptum. Eſt quidem Naaſſon quartus a Phares, qui cum patre Iuda ingreſſus eſt.

V. 17. INTER DIVISIONES, ſcilicet loco Dei, more fœderis: tranſibant enim, fœdus facientes, inter diviſiones hoſtiæ; quaſi dicerent: Ita ſecemur, ſi pactum violabimus. Vide Ierem. XXXIV.

V. 18. FLUVIO AEGYPTI, ſcilicet qui

qui AEgyptum separat a terra Chanaan, & prope Rhinocoluram urbem in mare influit. Vide Isa. XXVII.

ESTII.

Vers. I. EGO PROTECTOR TUUS SUM, ET MERCES TUA MAGNA NIMIS. Quæritur an hæc coniunctim, an divisim sint accipienda? Versio Septuaginta aperte sic habet: *Et merces tua magna erit valde.* Et ex sequentibus satis apparet, hoc modo, id est disiunctim, ista accipienda: subdit enim mox Abraham: *Domine Deus, quid dabis mihi?* quasi dicat: Promittis magnam fore mercedem meam: quid ergo dabis mihi pro mercede? Deinde desiderium suum exponit sequentibus verbis, quibus declarat suam ἀτεκνίαν, dicens: *Ego vadam absque liberis*, &c. quæ querimonia nullum haberet locum, si tantum Deus intelligeretur merces. Deus quidem debet haberi præcipua merces: unde & illud, *Ego merces tua magna nimis*; sed & aliud quid, in ordine ad Deum tamen, potest præterea expectari, ut videmus hic expectasse patrem omnium credentium.

V. 5. NUMERA STELLAS, SI POTES. Aug. Lib. XVI. de Civit. cap. XXIII. hunc locum docte exponit. SIC ERIT SEMEN TUUM. Vide annotat. Deut. I.

V. 6. CREDIDIT ABRAM DEO, ET REPUTATUM EST EI AD IUSTITIAM. Abutuntur hoc loco novatores, quasi iustificatio fit in sola fide. Nempe non significatur hic Abraham tunc primum accepisse iustitiam, vel peccatorum veniam, quando credidit Deo promittenti sibi semen (siquidem iam ante per fidem, & obedientiam, qua relicta patria exivit in terram alienam, Deo placebat: Hebr. XI.) sed eam fidem illi valuisse ad incrementum iustitiæ, quatenus opus erat singulariter Deo gratum. Apostolus vero ad Rom. IV. idem illud accommodat primæ nostræ iustificationi; quam docet esse ex fide tamquam fundamento totius renovationis, ac reparationis nostræ per Christum: & quia *fides*, ut ait Augustinus epist. CV. *prima datur per quam cetera impetrentur*; non quod sola fides sufficiat.

Illud tamen adhuc quæri potest, quomodo ea Pauli collectione, saltem non sit consequens, fidem peccatoris credentis in eum qui iustificat impium, esse simpliciter iustitiam; si simpliciter iustitia fuit fides Abrahæ Deo credentis: in qua, sicut dictum est, forma quædam fuit nostræ iustificationis. Respondeo, similitudinem constare, salva proprietate utriusque iustificationis, secundæ videlicet, & primæ. Nam fides, qua iustificatur is qui iam iustus erat, ut Abraham, a Spiritu sancto procedit inhabitante, ideoque simpliciter est iustitia. Quod non perinde dici potest de fide peccatoris credentis in eum qui iustificat impium: non enim proficiscitur ea fides ab inhabitante Spiritu, sed tantum movente, donec ille sic credens, ipsa fide eum promovente, gratiam adoptionis assecutus fuerit. Vide plenius nostra ad Rom. IV. & in IV. distinct. I.

V. 8. UNDE SCIRE POSSUM? Excusatur hæc interrogatio, sicut & illa B. Virginis Luc. I. *Quomodo fiet istud?* naturale est enim intellectui nostro, audito nuntio rei magnæ, & quasi impossibilis, statim quærere rei illius modum. Vide Aug. Lib. XVI. de Civit. Dei cap. XXIV. & annotat. Lucæ I.

V. 9. SUME MIHI VACCAM TRIENNEM. Ex hoc loco probat S. Thomas, Abraham fuisse sacerdotem, III. Par. quæst. XXXI. art. 2. Et idem ostendit Canon Missæ, nominans Sacrificium Patriarchæ Abraham.

V. 13. QUOD PEREGRINUM FUTURUM SIT SEMEN TUUM IN TERRA NON SUA, ET SUBIICIENT EOS SERVITUTI, ET AFFLIGENT QUADRINGENTIS ANNIS. Genebrardus totos hos quadringentos annos vult completos in AEgypto; sed errat: nam Genes. XLVI. Caath filius Levi avus Moysi ingressus est cum Iacob in AEgyptum. Vixit vero Caath tantum 133. annis, & eius filius Amram pater Moysi, tantum 137 ut est Exodi VI. Itaque sensus huius loci est, & similium, Actor. VII. & Exodi XII. *Affligent eos quadringentis annis*; scilicet ab hoc tempore, usque ad finem quadringentorum annorum: qua ratione etiam ad Galat. quadringenti triginta anni exactiori calculo ponuntur a tempore huius promissionis usque ad legem Moysi datam. Vide etiam plenius Exod. XII. vers. 40. & Actor. XIII. & dicto loco ad Galat. III.

V. 16. Necdum enim completae sunt iniquitates Amorrhaeorum. Sensus est: mensura peccatorum pro qua constitui punire Amorrhaeos exterminatione, & internecione, nondum est impleta.

MARIANAE.

Vers. 1. AD Abram per visionem, certe propheticam. Sept. *Per visionem noctis*. Noctu accidit, ex vers. 5. Ego protector tuus. Hebr. *clypeus tuus*.

V. 2. Damascus Eliezer, idest Damascenus: sic Chald. Hebr. *Damesceh Eliezer*. Ab hoc quidam aiunt conditam Damascum Syriae caput, & de eius nomine sic vocatam.

V. 5. Suspice caelum. Verbum Hebraicum הבט *habet* significat *respice diligenter ab imo ad fastigium*: sic Hebraeus ait: Proprietas vocis est aspectus a summo usque ad imum. Numera stellas. Nimirum noctu facta est visio.

V. 9. Vaccam triennem. Sic Heb. משלשת בתנ שנים nempe vox *mesulesceth* significat *filiam trium annorum*: sic Sept. intellexerunt. sic Aven Ezra. Chald. *tres vaccas*, *& tres capras* posuit. Id sequitur D. Kimhi in Lib. Radicum. Columbam. Hebr. *pullum columbinum*.

V. 10. Divisit ea per medium: ut Deus flammae specie lambentis eas partes appareret Abramo, & cum illo pacisceretur. Ritus erat ut paciscentes inter hostiae frusta uterque transiret.

V. 13. Quadringentis annis. Filii Israel manserunt in AEgypto 410. annis, ut sentiunt Hebraei, aut 415. quod ponit Epiphan. in Ancorat. idque per Levi & posteros ad Moysem usque colligitur. Sed hi quadringenti anni numerantur a tempore huius promissionis factae aetatis Abrae anno 75. Quod vero Exod. xii. vers. 40. dicitur: *Habitatio autem filiorum Israel qua manserunt in AEgypto, fuit quadringentorum triginta annorum*, quod & Paulus repetit ad Galat. iii. aut dicendum est, minorem numerum hoc loco supprimi, aut illos annos inchoari ab egressu ex Ur Chaldaeorum. Itaque in Exod. Sept. dixerunt: *Habitatio filiorum Israel in terra AEgypti, & in terra Chanaan, ipsi & patres eorum, quadringenti triginta anni*.

Vers. 16. Generatione autem quarta. Sic etiam invenio in Graecis codicibus omnibus. Quod vero Exod. xiii. 18. ubi nos legimus, *Armati ascenderunt filii Israel*, Sept. posuerunt, *Quinta autem generatione*, potest referri ad vitium interpretationis *hamussim* vocis Hebraicae, quae armatos significat, deduci putantium ab *hamer*, quae dictio *quinque* significat. Alii conciliant, quod per stirpem regiam quarta generatione ascenderint, per Leviticam quinta, a Levi ad Eleazarum Aaronis filium tribus aliis interiectis. Contra Naasson fuit quartus a Phares, qui cum patre Iuda in AEgyptum descendit.

V. 17. Facta est caligo tenebrosa. Dicerem *tenebrosa*, *& nocturna*: nam vox Hebraica עלטה *haletah*, ut Hebraeus Schol. ait, significat *tenebras*, non promiscue, sed *nocturnas*. Lampas ignis; quasi Dei typus transeuntis inter hostiae partes. Sic iungebantur foedera: inter hostiae partes paciscentes transibant. Alii ad comburendum sacrificium argumento placere illi factum putant. August. II. Retractat. cap xliii. hoc totum non vere, sed per visionem contigisse ait. Nempe vers. 1. dicitur: *Factus est sermo Domini ad Abram per visionem*.

V. 18. A fluvio AEgypti. Haec promissio in Davide & Salomone est impleta: sic Esdr. I. cap. iv. sic Eupolemus apud Euseb. Praepar. Evang. Lib. IX. cap. iv. Hic fluvius AEgypti aut Nilus est, quod magis puto; aut alter ignobilior, quo ab AEgypto dividitur Palaestina, & ad Rhinocoluram in mare influit.

MALVENDAE.

Vers. 1. HIs itaque transactis. Hebr. *Post verba ista*, id est post res istas, post haec gesta. Verbum Hebr. pro *re*, *facto*, *gesto*, &c. passim in Scriptura. Vide supra cap. xii. vers. 17. sic infra cap. xxii. vers. 1. & II. Samuel xi. vers. 18. & II. Reg. xv. vers. 36. & alibi saepius. Ego protector tuus sum. Heb. *Ego scutum*, *clypeus sum tibi*, id est defensor tuus ab hostium odio, invidia, impetu, & violentia. Et merces tua magna nimis. Alii: *Merces tua ampla est valde*; quasi dicat: Etsi rei a te gestae fructum

ctum neque tibi servasti, neque oblatum accepisti; contra populi pio tuo erga se officio abutuntur ad ludificandum te; tamen apud me reposita est tibi felicitatis merces. Hæc ita accipienda esse ostendit Abrami responsio.

V. 2. DOMINE. Hic primum occurrit nomen Dei אדני *Adonai*: habet formam pluralis cum affixo nominis אדון *adon*, quod proprie significat *sustentatorem*, *columen familiæ*, *seu reipublicæ*; sic dictum ab אדן *eden*, *fulcro*, *sustentaculo*, *basi*, *cui aliquid innititur*, *& sustentatur*: quod ut basi ædificium, ita huic אדון *adon* curatio & administratio rerum incumbit, & innititur; qui sustentat & regit vel domum, vel politiam legibus ne cadat; cui incumbit cura & administratio rei familiaris, sive politiæ: & tam de Deo quam de hominibus dicitur in Scriptura. *Adonai* vero, subscripto sub littera *Nun*, *Cametz*, semper & ubique de sustentatore Deo dici observant: quod tamen nonnulli Angelis etiam tribui volunt, in quibus patres Deum, cuius illi ministri erant, reverebantur; sed ego Angelis numquam tribui, sed soli Deo vero facile existimo. Mutuatur sua puncta nomini IHUH, quod IHUH legi & exprimi voluerint per *Adonai*, quia ipsum IHUH per se esset ineffabile. Formam pluralem refert, honoris & amplificationis gratia, ut Hebræi existimant; at pii quique & eruditi, ut innuat mysterium Sacræ Triadis. Plerique dominum seu herum per antonomasiam interpretantur. Nonnulli putant esse proprium Filii Dei, eo quod ipse sit sustentator, columen, columna, basis, & fundamentum Ecclesiæ suæ. Aliqui volunt, ut quidem apparet, litteram *Iod* in nomine *Adonai* esse affixum primæ personæ, & id nomen poni pro IHUH, siquidem hoc affixa non assumat. Ex verbo reddetur: *Sustentatores mei*, *Domini mei*, *Heri mei*, pro *Sustentator meus*, *Dominus meus*, *Herus meus*. Alii malunt *Iod* esse formativum nominis, ut in כילי *chilai*, *parcus*. *avarus*; quasi dicas, Sustentator, Dominus. Herus. Nec desunt qui velint, *Adonai* esse nomen iudicii & severitatis, a *dun*; IHUH vero misericordiæ. Notant Hebræi *Adonai* Deo proprium inveniri in Scriptura CXXXIV. locis. DEUS. Hic IHUH, qui iungitur nomini *Adonai*, scribitur cum punctis nominis *Eloim*, ne bis efferatur *Adonai*; & sic legendum erit, *Adonai Elohim*. Vide supra cap. II. vers. 4. Plerique tamen malunt enuntiare *Adonai Iehovi*, notantque *Iehovi* idem quidem omnino nomen esse quod *Iehovah*, sed *Iehovi* patheticum esse: quapropter eo in patheticis orationibus, precibusque vehementissimis usum esse Abramum hic & vers. 8. tamquam singultientem: itemque Mosen, Deuter. II. vers. 24. & IX. vers. 26. Isaiam VII. vers. 7. & frequenter deinceps Ieremiam XXXII. vers. 17 & 25. Ezechielem passim. Vide in Psalm. LXVII. vers. 21 QUID DABIS MIHI? Alii, *Quid dares mihi*? quasi dicat: Quorsum dares, & quid istud mihi proderit, si prole caream? EGO VADAM ABSQUE LIBERIS. Alii: *Cum ego incedam liberis carens*; id est, vitam transigam atecnos ad mortem properans. *Ego vadam*. Hebr. *Ego ambulans*, vel *vadens*, aut *abiens*. Exponunt, Ego morior. Festus: *Abiisse*, *pro obiisse*, *dicebant*. *Abitionem antiqui dicebant mortem*. Tertullianus de Testimonio Animæ cap. IV. *Si de aliquo iam pridem defuncto tamquam vivo quis requirat*, *præ manu occurrit dicere*: *Abiit iam*, *& reverti debet*. Ita loquebantur ut dysphemiam vitarent in mortis mentione. Hinc in titulis sepulcrorum, pro *Obiit*, dicebant, *Vixit*. Sic verbum הלך *halach*, *ambulavit*, sumi notant Iob XIV. 20. & XIX. vers. 10. Psalm. CXXV. 5. *Absque liberis*. עררי *ghariri* vocari aiunt, qui conditione similis est ערער *ghargbar*, *myricæ*, id est *siccus*, *aridus*, *sterilis*, *solitarius*, *orbus*, *infecundus*, *unicus*; qui vel prorsus liberis caruit, vel eos sepelivit; quasi dirutus, suffosus, destructus. Aliis est *nudus*, *spoliatus* liberis. ET FILIUS PROCURATORIS DOMUS MEAE. Heb. *Et filius* משק *meschek domus meæ*. Varie ex Hebr. convertunt. I. ut *Meschek* sit nomen proprium ancillæ cuiusdam Abrami: *Et filius Meschekæ vernaculæ Meæ*. Vide S. Hieronymum in Traditionibus. II. *Et filius potum dantis*, *pocillatoris*, seu *pincernæ domus meæ*: ut *meschek* sit idem quod משקה *maschkeh*, a שקה *schakah*, *potavit*. III. *Et filius discursionis*, *excursionis*, *discursationis*, id est procurationis, *domus meæ*; hoc est, œconomus, villicus, procurator, dispensator domus meæ: nam officium œconomi, seu dispensatoris est huc illuc discursare in administrandis rebus domesticis. IV. *Et filius*

lius

lius derelictionis domus meæ, vel *is cui relinquetur domus mea fit*; id est, heres extraneus, ac (ut Iureconsulti loquuntur) non suus. V. *Et filius derelictionis domus meæ*; id est, filius relictus, relictitius, qui ex antiquis domus meæ vernulis hic superest. VI. *Et filius eductionis domus meæ*; id est, qui educit ex penu necessaria familiæ, promus, condus. ISTE DAMASCUS ELIEZER. Alii: *Sit Damaskenus Eligbezer iste*; quasi dicat: Nec filius meus, ne unus quidem alius e consanguineis meis heres mihi obtinget; sed homo Syrus ex Damasko, & extraneus. Se ipse amplius declarat versu sequente.

V. 3. VERNACULUS MEUS. Hebr. *Filius domus meæ*, id est verna meus. Sic supra cap. XIV vers. 14. & Eccle. 11. 7.

V. 4. SED QUI EGREDIETUR DE UTERO TUO. Alii: *Sed qui prodibit e visceribus tuis*; id est, ex te nascetur. Synecdoche.

V. 5. EDUXITQUE EUM FORAS, ET AIT ILLI, &c. Quidam: *Deinde quum eduxisset eum foras, dixit*, *&c.* Postquam multum cum Abramo per visionem collocutus esset, usque dum nox advenisset, de qua infra vers. 17. Promissioni autem per hysterosin temporum interseritur symbolum ipsius, hoc versu; postea vero distincte quoque promissio hereditatis, futurarumque rerum prædictio suo signo coniuncta, & fœdere confirmata ex ordine temporis exponitur.

V. 6. ET CREDIDIT ABRAM DEO. Vox *Abram* non est in Hebr. sed necessario intelligitur. Quidam: *Tunc credidit Abram Iehovæ*. Ex verbo: *Et credidit in Iehovah*. והאמן *hecmin* in Hiphil, aiunt Hebræis idem valere quod Græcis πιςέυω, & Latinis *credidit*: fisus est, dictis fidem habuit, alterius verbis seu promissionibus acquievit, certo apud se statuit, esse verum, & constans quod sibi dictum est; verbis seu promissis alterius firme innixus seu fulcitus, seu fultus est; certam & stabilem persuasionem habuit de re aliqua; certus, stabilis, firmus, constans, fidelis fuit de re aliqua in corde suo: excludereque id verbum omnem hæsitationem, & incertitudinem, atque cum omni dubitatione pugnare. Addunt, quando construitur cum *Beth*, *in*, ut hic, maiorem vim habere, proprieque esse, inniti, vel certo sibi persuadere; pro vero, certo, indubitatoque habere. *Credidit in Iehovah*; id est, firmiter, fideliter, stabiliter, constanter, inconcusse innixus est in Iehovah; certam & indubitatam fidem habuit verbis Dei; certo sibi persuasit, firmum, verum, certum, ratum, stabile, constans esse id quod sibi Deus promittebat. Nonnulli reddunt: *Et credere fecit in Iehova*; id est, fecit seipsum credere in summo Deo; nempe voluntarie, spontanee, prompte credidit, sine alia testimoniorum, vel signorum demonstratione. ET REPUTATUM EST ILLI AD IUSTITIAM. Quidam reddunt: *Qui imputavit ei illud in iustitiam*. Sic, inquiunt, reddimus, ex Psal. cv. 31. & Rom. IV. 9. חשב *chaschab*, proprie esse aiunt *cogitavit*, *excogitavit*, *imaginatus est*, *consideravit*, *ratiocinatus est*, *arbitratus est*, *æstimavit*, *putavit*, *computavit*, *imputavit*, *reputavit*, *deputavit*; ut hæc omnia fiant cum magna homini attentione: quæ omnia significata huic loco mire conveniunt: *Et imputavit*, *æstimavit*, *sapienter & ingeniosè excogitavit eam illi iustitiam*. Magnum hoc verbi pondus egregie indicat, Deum unice probasse, æstimasse, ac plurimum fecisse hanc fidem Abrami; quasi significet, Deum magna animi & iudicii intensione secum ratiocinatum, atque ingeniosa arbitrii sui lance ex æquo & iusto perlibrasse, æstimasse, ac reputasse ingens extitisse meritum fidei Abrami, quamque dignum, ut ei Deus maiorem iustitiam, gratiam, & sanctitatem augeret. Neque enim hic sermo est de prima iustificatione, & sanctificatione Abrami, qua ex impio iustus effectus est; quasi hæc tota & in solidum solæ fidei deputetur, ut impii garriunt (nam iam ante hæc iustus, & amicus Dei erat Abram) sed de incremento iustitiæ & sanctitatis eiusdem, quam secundam iustitiam, seu iustificationem vocant Theologi: siquidem heroico hoc, & memorabili fidei actu, quo Abram Deo pollicenti promptissime credidit, gratia iam & caritate informato promeruit sibi apud Deum, atque ab eo consecutus est maiorem iustitiam, gratiam, sanctitatem. Cave autem hunc locum accipias de iustitia imputativa tantum, & externa. Qui imputavit ei illud in iustitiam; hoc est, eum, quamvis in se iustitia interna, & inhærente carentem, qua coram Deo posset consistere, pro iusto habuit, numeravitque

in

in iustitiæ loco, favore dumtaxat externo, quod promissiones firma fide amplexus est. Quod est plus quam OEdipæum ænigma, Deum, eum qui iustitia caret, pro iusto habere. Iustitia enim hoc loco, & alibi, cum de homine dicitur respectu Dei, vel quam a Deo homo accipit, quaque iustus est, interna & inhærens est animi probitas, bonitas, integritas, renovatio, sanctitas, perfecta & universalis virtus; nempe iusta causa qua quis se in sua conscientia coram Deo, & hominibus inculpatum exhibet, ac Deo gratus & acceptus est; nimirum divina ipsa gratia animis nostris infusa, qua per Christum iusti & sancti efficimur, & sumus, uti S. Concilium Tridentinum, ex Patrum & Ecclesiæ doctrina, definit sessione VI. cap. 7.

Paulus Roman. IV. vers. 3. egregie versat hunc locum, passiveque, seu impersonaliter reddit: *Et reputatum est illi ad iustitiam:* eodem quo Hebræa sensu: *Et reputavit illi Deus*; *& reputatum est illi a Deo:* fortasse respiciens etiam ad locum Psalm. CV. vers. 31. Vel impersonaliter, *Et reputavit*, pro reputatum est, more Hebraico, de quo vide supra cap. XI. 9. ex verbo: *Et reputavit eam ei iustitiam*. Relativum *eam* quidam ad fidem referunt: *Et reputavit eam fidem illi Abramo iustitiam*: unde reddunt: *Et imputata est ei hæc fides ad iustitiam*. Alii pro neutro capiunt: *Et reputavit hoc, istud ei iustitiam*; nempe hoc eius factum, seu opus, quod Deo credidit: quod eodem recidit. Femineis enim pro neutris utuntur Hebræi, ut Psal. XXVI. 4. *Unam petii a Domino*, pro unum. & alibi passim. Nonnulli *eam* iustitiam intelligunt: *Et reputavit illi eam*, vel *hanc*, seu *istam iustitiam*. Hebræorum quidam לו *lo*, *& illi*, reciproce accipiunt pro *sibi*: *Credidit in Iehova*, *& reputavit hoc sibi iustitiam*; id est, Abram duxit sibi summæ iustitiæ credere in Iehova. Sed Deum esse qui iustitiam Abramo adscripserit, & imputaverit. & contextus ipse, & Paulus disertissime docent.

V. 7. DIXITQUE AD EUM. Quidam, *Dixerat etiam ei*, nempe quum mercedem eius valde amplam esse prædicavisset, supra vers. I. nam hoc alterum est mercedis genus a Deo, quod non heredem solum, sed hereditatem quoque amplissimam, cælestis & spiritualis hereditatis symbolum, daturus esset. EGO DOMINUS, QUI EDUXI TE DE UR CHALDAEORUM. Alii: *Ego sum Iehova, qui eduxi te, &c.* Notant, esse exordium in promissionibus frequens, ad faciendam de illis fidem, a natura Dei, quæ ex se est, & aliis dat esse.

V. 8. DOMINE DEUS, UNDE SCIRE POSSUM QUOD POSSESSURUS SIM EAM? Alii: *Domine Iehovi, quo agnoscam me hereditario iure possessurum eam?* Non infidelitate negat, sed fideli studio suam fidem confirmari petit; ut faciebat Gidhon Iudic. VI. vers. 7. & rex Chizkiia, II. Reg. XX. 8.

V. 9. SUME, INQUIT, MIHI. Hebr. *Accipe mihi*. Metalepsis, pro *sumens offer mihi*, ut supra cap. XII. vers. 15. Vide Forsterum in Præfatione Dictionarii §. 52. Sic versu sequente. VACCAM. עגלה *gheghlah*. Noster hic, & Oseæ X. 5. *vaccam*; alibi sæpius, *vitulam*: I. Samuel. XVI. 2. Ierem. L. 11. masculine, *vitulum*; sed est Hebr. femineum. Aiunt esse *buculam*, *vitulam*, quamdiu non est fecunda. Ego potius, quæ iam fecunditati, quasi rotunditati & devolutioni uteri apta sit, & quæ ferendis plaustris idonea esse incipiat; quasi vitulam plaustralem dixeris. TRIENNEM. Ter hæc vox Hebraice in hoc versu occurrit, bis feminee משלשת *meschulleschet*, & semel masculee, משלש *meschullasch*. Plerique Hebræorum reddunt: *Vitulam triplicatam, & capram triplicatam, & arietem triplicatum*; vel *vitulam triplicem, & capram triplicem, & arietem triplicem*: ut terna corpora ex unoquoque istorum generum acceperit, nimirum tres vitulas, tres capras, & tres arietes. Quod miror Nostrorum aliquos sequutos. Noster id participium Eccle. IV. 12. *triplex* reddidit. Sed aptius alii cum Nostro hic ad ætatem retulerunt. Verbum שלש *schillesch* proprie *tertiare* significat, ut I. Reg. XVIII. 34. unde ex verbo reddemus hic: *Vitulam tertiatam*, seu *tertiantem*, vel *tertianam*, *& capram tertiatam*, *&c.* id est ternantem, trimam, triennem; ut singula hæc fuerint annorum trium. CAPRAM. עז *ghez* aiunt tam *capram* quam *caprum* significare, quod obfirmatam frontem cornibus habeat: a עזז *ghazaz*, *obfirmavit*, *corroboravit*. Nec dubitant, Græcos suum αἴξ ab Hebræis mutuatos; voluntque esse promiscui gene-

ris:

ris: quamvis alii existiment, solitarie positum, semper esse femineum. ARIETEM. איל ail docent esse *arietem cicurem, & gregarium*, qui cornua habeat prominentia, quibus possit iniuriam, & vim propulsare: a fortitudine & robore nomen habet. TURTUREM. תור tor. Dictam putant hoc nomine turturem, vel a sono, seu gemitu quem edit, per onomatopœiam, vel a gyrando, circumrotando, seu ab indagando, & inquirendo comparem suum. Latinum turtur ab Hebraico *tor* factum, facile quivis agnoscet. COLUMBAM. גוזל ghozal. Bis tantum hæc vox in Scriptura reperitur. Deuter. XXXII. 11. *pullos aquilæ*, Noster vertit. Aiunt esse *pipionem*, *pullum* vel *columbæ*, vel *aquilæ*; a rapina sic dictum, vel active, quod rapiat, ut pullus aquilæ; vel passive, quod expositus sit rapinæ, ut pullus columbæ. Hic quum de sacrificio agatur, apte intelligimus pullum columbæ. Quidam suspicantur Syrum esse vacabulum.

V. 10. DIVISIT EA. בתר bathar alibi non ponitur in Scriptura nisi hoc versu, primum in Pihel, secundo in Kal. Aiunt esse *cultro*, vel *securi divisit in duas partes animalia*, *per medium eorum dissecuit*, ut solebat olim fieri in feriendis fœderibus: esseque verbum fetiale, seu sacrificale, quod ipsum, & ab eo deductum nomen non nisi in fœderibus iciendis, in Scriptura usurpetur, ut hic, & Ierem. XXXIV. 8. ac *bathar*, magnam cognationem habeat cum ברית berith, *fœdus*, litterarum transpositione. Observant a *bathar* eadem metathesi factum Latinum *partior*. Quidam hunc versum reddunt: *Abraham itaque sumpta offerens ei omnia hæc, quum dissecuisset ea per medium, posuerat dimidiatam viri partem e regione amici sui*, seu *cuiusque partem e regione suæ alterius*; *aves vero non dissecuerat*.

V. 11. VOLUCRES. עיט ghait exponunt *volatum*, *turbam ferarum avium*, *quæ multitudine*, *& impetu involat*, *& irruit*, *ac raptu velocissimo invehitur*. Nomen collectivum esse notant ferarum, ac rapacium avium. Latinum *ales* Hebraico *ghait*, apte respondere existimant. CADAVERA. פגר pheghar, consentiente Latina voce, est *piger*: sic Hebræi vocant cadaver, quod anima & sensu cassum, pigrum, & immobile iaceat. De humano fere dici, præterquam hoc loco, annotant. ABIGEBAT. נשב naschab ter tantum in Scriptura extat: Isaiæ XL. 7. Psalm. CXLVI. 18. ubi Noster per *flare*, seu *sufflare* vertit: proprie hic: *Et afflavit*, *efflavit*, *difflavit eos*. Quidam exponunt, flatu oris; id est, ingenti boatu ac voce abegit eos. Alii, velo, aut linteo, seu terriculo ventilando, aut sonitu, & complosione manuum. Nonnulli reddunt: *Difflaverat*, seu *arcuerat eas Abram*; id est, ventulo facto eas propulerat.

V. 12. QUUMQUE OCCUMBERET SOL. Heb. *Et fuit sol ad venire*, seu *ad veniendum*, *ingrediendum*, *intrandum*. Notant, verbum, בוא bo, *venire*, de sole quoque in Scriptura dici, quando ingreditur aut subit terras, vel Oceanum, iuxta vulgi opinionem. Latini dicunt occumbere, occidere. Sic infra vers. 17. & cap. XXVIII. vers. 11. & alibi non semel.

V. 13. SCITO PRAENOSCENS QUOD PEREGRINUM FUTURUM SIT SEMEN TUUM IN TERRA NON SUA. Vide Actor VII. 6 Aliqui reddunt: *Sciendo scito quod semen tuum*, &c. vel *certo scito peregrinos fore posteros tuos in terra aliena*, id est Chananæa, & AEgypto. ET SUBIICIENT EOS SERVITUTI. Hebr. *Et servient eos*; hoc est servire sibi eos facient. Nonnulli Hebræorum volunt pronomen affixum positum hic pro separato, בהם bahem. *& servient in eis*; & notant, quando verbum עבד ghabad construitur cum *Beth*, tum active significare *avitiem*, seu *sævitiam exercere in aliquem tamquam in servum*, *abuti aliquo pro servo*, *servitutem ab aliquo exigere*; quasi dicat: Duriter & sæve eos tractabunt, abutentur eis pro servis. servitutem exigent ab eis, servitute eos prement incolæ terræ alienæ. Alii simpliciter accipiunt: *Et servient eis*, vel *& eius incolis servituros*; id est, eorum imperio sub itos fore. ET AFFLIGENT EOS. Alii, *Qui affligent eos*: incolæ terræ alienæ affligent posteros Abrami. QUADRINGENTIS ANNIS. Alii, *Usque quadringentos annos*. Hic, inquiunt, numerus incipit a nato Iitzchako, ex quo Abram consecutus est promissionis semen, & præcise impletur quum Israelitæ ex AEgypto educuntur, ut optime Augustinus docet quæstione XLVII. in Exodum. Vide Notas in Exodum XII. vers. 40.

V. 14.

V. 14. VERUMTAMEN GENTEM CUI SERVITURI SUNT, EGO IUDICABO. Alii: *Atque etiam in gentem illam cui servierint, me iudicia exerciturum esse*, id est punituram. ET POST HAEC EGREDIENTUR. Quidam, *Et postea egressuros ipsos*, a servitute, qua ab AEgyptiis premebantur. CUM MAGNA SUBSTANTIA. Alii, *Cum facultatibus*, seu *opibus magnis*. Vide Exod. III. 21. & XII. 36.

V. 15. TU AUTEM IBIS AD PATRES TUOS. Alii: *A te quidem abiturum ad patres tuos*. Periphrasis mortis: quod alibi dicitur *aggregari ad populos suos*, ut infra cap. XXV. vers. 8. Plautus dixit, *Penetrare ad plures*; quod aliqui emendant, *ad patres*: sed apte leges *ad plures*; nam plures sunt mortui quam viventes. IN PACE; id est, in prosperitate & felicitate. Alii, *Cum pace*; id est, non afflictum sub alieno imperio, ut posteri. IN SENECTUTE BONA. Alii, *In canitie bona*, id est diuturna senectute, in qua satur dierum, divitiarum, gloriæ, præsentiumque benedictionum omnium futurus es: sic enim hæc phrasis explicatur I. Paralipom. XXIX. vers. 28. Alii, *In senectute bona*, id est robusta, vegeta, viridi, non morbis, & infirmitatibus fossa. שיבה *sebah*, cum *sein* sinistro est proprie *canities*, *decrepitas*, *decrepitudo*; plus est quam זקנה *ziknah*, *senectus*, Hebræi annotant, *ziknah*, esse 60. annorum ætatem; *sebah*, vero 70. Discrimen expresse ponitur I. Samuel. XII 2.

V. 16. GENERATIONE AUTEM QUARTA REVERTENTUR HUC. Alii: *Generatio autem quarta*; vel *ætatem vero quartam*; seu *ipsos vero ætate quarta huc reversuros*. Metonymia, id est quartos ab ingredientibus in AEgyptum, prout factum est: Caleb enim quartus fuit a Iehuda, qui in AEgyptum descenderat; & filii Moschis, & Aharonis ex tribu Levi quarti fuerunt a Kehatho, qui inter descendentes in AEgyptum numeratur, infra cap. XLVI. 21. Sed cum tota illa ætas, pauculis exceptis, occubuerit in deserto, iam cum Augustino statuimus, ætatis nomen potius ad successionem temporum, quam ad numerum generationum pertinere, in hanc sententiam: AEtatem ordinariam hominis esse annorum ferme septuaginta, ut ait Mosche Psalm. LXXXIX. 10. futurum autem ut quarta post ætate quam in AEgyptum descenderint, in terram promissionis revertantur: nam in AEgypto commorati sunt annos 210. quibus tres ætates continentur, id est ter 70. anni; post vero anno demum quadragesimo, ætate scilicet quarta, desertum emensi sunt, pedemque posuerunt in possessionem terræ. Alii ætatem accipiunt pro sæculo centenario; sed aliud est ætas, aliud sæculum: deinde vero non iam sæculum quartum, sed principium quinti futurum esset: nam anno primo, post quadringentesimum a nato Iitzchako Israelitæ ex AEgypto egressi sunt: nisi forte accipias, quarto sæculo expleto. Illam vero ætatis humanæ circumscriptionem homines quoque profani tenuerunt; ut Solon apud Herodotum in Clione fecisse legitur. Vide Notas in Psalm. LXXXIX. vers. 10. NONDUM ENIM COMPLETAE SUNT INIQUITATES AMORRHAEORUM. Alii ex Heb. *Non enim completa est iniquitas Emorræi adhuc*, id est Chenahanæorum, quos in fine capitis enumerat: synecdoche. Quidam hic iniquitatem pro pœna iniquitatis sumunt, metonymice, ut passim in Scriptura; quasi dicat: Nondum completum est tempus quo pœnas de Chenahanæorum sceleribus sumam. Alii aptius de culpa, & pœna accipiunt: Nondum tempus a me præfinitum advenit, quo puniri debent Chenahanæi ob consummatam & summam ipsorum iniquitatem; nondum peccata sua ad culmum & fastigium provexere; nondum mensuram scelerum suorum implevere; adhuc plura patraturi sunt: ad quæ cum pervenerint, eos exscindam; ac si dicat: Certe nullum finem peccandi facturi sunt, quousque sibi supremum excidium accersant; & donec sceleribus suis promeriti fuerint ut iure possessione terræ pellantur, ad posteros tuos non perveniet eius terræ dominium. Emorræi hic tantum meminit, synecdochice, sub his alias Chenahanæas gentes intelligens, quod præcipui essent, & in eorum ditione tunc habitaret Abram, nempe in querceto Mamre supra XIII. 18. & XIV. 13.

V. 17. FACTA EST CALIGO TENEBROSA. עלטה *ghalatah*, Ezechiel. XII. vers. 6. 7. & 12. Noster *caliginem* reddit. Aiunt esse *crepusculum*, *proximum tempus post vesperam*; quod fit post occasum solis quando res obteguntur & operiuntur: a

verbo עטה ghatah, inserto Lamed. Hebræi de nocte dici putant. Alii, *cæcam noctem*, *tenebras*, *caliginem maximam* exponunt: aptius *noctem creperam* dices. Quidam exponunt, *Quum cæca nox esset*. ET APPARUIT CLIBANUS FUMANS, ET LAMPAS IGNIS TRANSIENS INTER DIVISIONES. Quidam: *Et ecce fumantem furnum, & ardentem lampada transeuntem inter segmenta illa*. Videlicet furnum, & lampada, quæ duo, partes inter se contrahentes fœdus, sanctissimo mysterio figurabant: ut moris erat iis qui promissa externis symbolis confirmabant, ut Ierem. XXXIV. 18. & 19. ut lampas ardens Deum, furnus vero fumans Abrahamum cum posteritate figurarent, qui ut in furno excocti sunt in AEgypto: Deuteron. IV. 20. *Clibanus*. תנור thannur, *furnus*, *fornax*, *clibanus*, *caminus*, *focus*, qui lucet igne, a ניר nir, *lucere*, vel *lucerna*. Hispanice Arabica voce vocant *atenor*. *Transiens inter divisiones illas*. Confer hanc pericopen cum versu 10. supra, & cum sequente 18.

V. 18. IN ILLO DIE PEPIGIT DOMINUS FOEDUS CUM ABRAMO. Alii: *Hoc die pepigit Iehova cum Abramo fœdus*. Observant verbum כרת charath quando construitur cum nomine ברית berith, *fœdus*, in casu accusandi proprie significare *scindere*, *exscindere*, *descindere*, *percutere*, *ferire*, *icere*, *pangere fœdus*: sumpta locutione a vetustissimo ritu qui in fœderibus pangendis servabatur, qui sane ritus egregie hoc capite describitur, vers. 10. & 17. Erat autem duplex ritus. Primus ut in fœdere quædam animalia cæderentur, & mactarentur. Virgilius VIII. AEneidos de Romulo Romanorum rege, & Tatio Sabinorum inter se paciscentibus:

Post iidem inter se posito certamine reges
Armati, Iovis ante aram, paterasque tenentes
Stabant, & cæsa iungebant fœdera porca.

Et Livius Lib. I. cap. XXIV. de fœdere inter Romanos & Albanos icto, post multos fœderis eius descriptos ritus, de Fetiali scribit: *Legibus deinde recitatis, Audi, inquit, Iupiter, audi Pater patrate populi Albani, audi tu populus Albanus: ut illa palam prima postrema ex illis tabulis, cerave recitata sunt, sine dolo malo, utique ea hic hodie rectissime intellecta sunt: illis legibus populus Romanus prior non deficiet; si prior defexit publico consilio, dolo malo, tu illo die Iupiter populum Romanum sic ferito, ut ego hunc porcum hodie feriam: tantoque magis ferito quanto magis potes, pollesque. Id ubi dixit, porcum saxo silice percussit*. Suetonius de Claudio, cap. XXV. *Cum regibus fœdus in foro icit porca cæsa, ac vetere Fetialium præfatione adhibita*. Servius in VIII. AEneidos: *Sed huius*, inquit, *porcæ mors optabatur ei qui a pace resiluisset*. Atqui ab eiusmodi animalium percussione dictum *percutere*, *ferire fœdus*, apud Latinos, non est dubium. Vide Notas supra in cap. VI. vers. 18. Alter ritus erat ut animalia mactarent, ac sacrificarent; & mactata per medium a capite ad caudam descinderent & dissecarent, deinde partes dissectas hinc inde sibi e regione oppositas collocarent, ac per medium illarum partium paciscentes, seu fœdus incuntes transirent: eo signo illud indicare volentes, ut sanctius in unum corpus seu fœdus coalescerent, sacrificio simul inclusi: vel ut eo ritu ostenderent inter partes paciscentes, seu fœderantes factam iam esse transitionem seu transactionem, conventionemque, nempe pacta conventa, quæ postea confirmabantur quoque aliis signis, & publicis epulis. Hunc ritum exacte hic Abramo servatum, perspicuum est: nam primum animalia illa sacrificavit, deinde dissecuit ea per medium; postmodum dimidiatam cuiusque partem posuit e regione suæ alterius, ut explicate supra vers. 10. describitur; postremo ipse Deus in figura ardentis lampadis, & posteritas Abrami, forma fumantis furni (quæ erant duæ partes contrahentes fœdus) per medium illarum dissectarum partium transivere, vers. 17. qui totus erat plenus & absolutus fœderantium ritus: a quo plane Hebræis dicitur *exscindere*, *scindere fœdus*, quod animalia per medium scinderentur in fœdere faciendo. Quocirca explicatis fœderis ritibus, iam hoc versu clarius exponitur: *In die ipso scidit Iehova cum Abramo fœdus*. Quibus verbis perspicue explicavit quo tenderent præfati illi ritus sacrificatorum, & discissorum animalium, & transitio inter ea: nimirum quod essent ritus ac cæremoniæ ineuntium fœdus. Hunc morem & ritum a Chaldæis accepisse Abramum auctor est S. Cyrillus Lib. X. in Iu-

Iulianum, extremo: ubi confirmat tale quidpiam etiam apud Sophoclem in Antigone legi: ipsum adito. Huius ritus & moris in pangendis fœderibus mentionem fieri infra cap. XXI. verf. 27. & Deuteronom. XXIX. verf. 12. nonnulli existimant; sed disertissime exprimitur Ierem. XXXIV. verf. 18. & 19. vide ibi. SEMINI TUO DABO TERRAM HANC. Hebr. in præterito, *Dedi*; hoc est, inviolabili decreto adiudicavi, etsi exequutionem in quadringentesimum annum differo. A FLUVIO AEGYPTI. Hunc esse Nilum, qui dictus sit etiam *Sichor*, id est turbidus, Iosue XIII. 3. I. Paralipomen. XIII. 5. Isaiæ XXIII. 3. Ierem. II. 18. & alibi; *torrens*, seu *vallis AEgypti*, ut Numer. XXXIV. 5. fuse docuimus in Paradiso voluptatis, cap. XXX. Tremellius, & Iunius exponunt: *A flumine AEgypti*, id est Schichore fluvio in Sirbonidem paludem influente, & disterminante Arabiam ab AEgypto: sic enim legitur illius nomen Iehosuæ XIII. 3. Complementum sub Davide, & Schelomone, vide II. Samuel. VIII. & I. Reg. IX. & II. Paralipom. IX.

V. 19. CINAEOS, ET CENEZAEOS, CEDMONAEOS. Tremellius, & Iunius: *Terram Kenæorum Kenizzæorumque, & Kadmonæorum*. Kenæi ad meridiem fuerunt siti, *Kenizzæi* (ut coniicio) ad septentrionem, *Kadmonæi* ad orientem: sic termini promissæ terræ hoc versu exponuntur; præterquam a mari, quod claudebat occidentalem tractum. *Cinæos*. Hebr. קיני *Keni*. Collatis locis Scripturæ de Kenæo, gens esse videtur inter Hamalekitas, vel proxima Hamalekitis, a qua denominatus videtur Iethro socer Mosis, quod eam urbem seu regionem cum posteris incoluerit. Vide Numer. XXIV. verf. 20. 21. 22. Iudic. I. 16. & IV. verf. 11. & 17. I. Samuel. XV. 6. & XXVII. 10. & I. Paralip. II. 55. Eusebius, & S. Hieronymus in locis Hebraicis: *Keni regio Philistiim*. Describunt eam recentiores sacri topographi, quam apte, ipsi viderint. Adito Notas in Numeror. XXIV. verf. 21. *Cenezæos*. קנזי *Kenizi*. Videntur ii dicti a *Kenaz* nepote Esau, principe seu duce inter Idumæos clarissimo, infra cap. XXXVI. 11. 15. 42. & 43. Eusebius, & S. Hieronymus in Locis: *Kenez regio principum Idumæorum*. Atque tunc erit ingens prolepsis, nam longe post hæc tempora fuit ille Kenaz; & nescio quam apta huic loco. Describunt hanc regionem novi terræ sanctæ geographi, sed pro cerebro. *Cedmonæos*. Hebr. *Kadmonæos* (קדמוני *Kadmoni*) proprie sonat *anteriores*, *antiquos*, *priscos*, *cascos*, ut vocat Ennius; vel *orientales*. Forte illi qui in Scriptura dicuntur *filii orientis*, & cum Phelistinis, Idumæis, Moabitis, Hammonitis, Kedarenis, Hamalekitis, Madianitis, Arabiæ populis coniunguntur, Isai. XI. 14. Ierem. XLIX. 28. Ezechiel. XXV. 4. qui etiam Iudic. VI. 3. & Iob I. 3. nostro interpreti *orientales* appellantur. Hebr. *Filii orientis*, fortasse inter Arabiæ populos erant orientaliores. Putant fuisse ex filiis Abrami e Ketura, quos ad terram orientalem segregavit, infra cap. XXV. 6. Et sic erit prolepsis.

MENOCHII.

Verf. 1. EGO PROTECTOR TUUS. In Hebræo est: *Ego sum clypeus tuus: in morem clypei ego te protegam.* Sic Psalm. V. 13. *Sicut scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos*. LXX. habent: *Ego hyperaspites tuus*; id est, ego scuto te protego. EGO ERO MERCES TUA. Fortiter te, sapienter, ac pie gessisti; mercedem feres: ego, qui sum bonorum oceanus, præmium tuum ero, æterna habebis bona, & externis etiam hisce abundabis. Hac mercede lætabatur David, cuius illa vox, *Dominus pars hæreditatis meæ*. Psal. XV. 6. Et mentitur iniquitas sibi cum ait apud Malach. III. 14. *Vanus est qui servit Deo, & quod emolumentum, quia custodivimus præcepta eius, & quia ambulavimus tristes coram Domino?*

V. 2. QUID DABIS MIHI? quasi dicat: Credo te mihi multa bona daturum, sed cuius illa tandem erunt, cum liberis caream? Sciebat Abram sibi a Deo, qui non fallit, promissam prolem; sed timet ne promisso culpa sua excidat: & amor, ut assolet, timorem auget. FILIUS PROCURATORIS. Hebr. בן משק *ben meseph*. Varie vertitur, & exponitur, id est *filius mesech*, quæ est ancilla mea oriunda Damasco. II. *filius relictionis domus meæ*; id est, is cui curam omnem rei familiaris meæ reliqui, & commisi. III. *filius excursionis*, vel *discursionis domus meæ*, id est oeconomus, qui per domum discursat ut omni-

omnibus prospiciat. IV. *filius potum dantis domus meæ*, quod etiam procuratorum est, qui cibum, & potum familiæ præbent. ISTE DAMASCUS ELIEZER: servus hic meus, cui nomen Damascus filius Eliezer, vel Damascenus, quod matre Damascena natus. Hebr. דמשק *Dammeseph*, & videtur præfixa littera *Daleth* loco litteræ *He* demonstrativæ, quod Syri solent, & nihil aliud significare, quam *Iste procurator*.

V. 3. VERNACULUS MEUS: servus domi meæ natus.

V. 5. SIC ERIT SEMEN TUUM: non solum carnale, de quo modo solicitus es, sed multo magis spirituale.

V. 6. CREDIDIT DEO; quamvis ardua promittenti, prolem scilicet ex uxore anu. REPUTATUM EST EI AD IUSTITIAM. Hebr. *Et reputavit illam*, scilicet fidem, Deus illi, *ad iustitiam*, maiorem, ut coram Deo iustior appareret, & esset.

V. 7. POSSIDERES, per tuos posteros.

V. 8. UNDE SCIRE POSSUM? Non dubitat qui ita crediderat ut reputaretur ei ad iustitiam; sed vel rei modum scire vult; vel ita promissionem vult confirmari ut nullis posterorum demeritis illam irritet; vel petit signum non tam sibi quam posteris.

V. 9. VACCAM TRIENNEM, ET CAPRAM TRIMAM. Vult offerri animalia hæc trima, quia tertio ætatis anno sunt perfecta statura, & robore. COLUMBAM. Hebr. *pullum columbinum*.

V. 10. DIVISIT EA PER MEDIUM: sedit ea secando a capite ad caudam: ritus feriendi fœderis. Hæc enim animalium dissectio erat pro diris in fœdifragos, ut ita dividerentur. Retentus postea hic mos, ut indicatur Ier. XXXIV. 18. *Qui prævaricantur*, inquit, *fœdus meum*, *& non observaverunt verba fœderis*, *quibus assensi sunt in conspectu meo*, *vitulum*, *quem conciderunt in duas partes*, *& transierunt inter divisiones eius*. PARTES CONTRA SE ALTRINSECUS POSUIT: altrinsecus opposuit medietates quadrupedum invicem respondentes, relicto spatio intermedio ad transeundum. AVES NON DIVISIT: quia non faciebant ad fœdus, sed tantum ad sacrificium.

V. 12. SOPOR IRRUIT SUPER ABRAM. Sopor hic partim fuit naturalis ex labore diurno occidendi, dividendi, sacrificandi victimas, & abigendi volucres; partim fuit a Deo immissus, sicut Adæ soporem immisit, Gen. II. 21. & est utrobique in textu Hebræo eadem vox תרדמה *tardema*, quam LXX. vertunt *ecstasim*. In ecstasim ergo raptus Abram, vidit posterorum suorum in AEgypto servitutem, idque videns angore, & horrore correptus est.

V. 13. IN TERRA NON SUA: partim in AEgypto, partim in Chananæa. ET SUBIICIENT EOS SERVITUTI, ET AFFLIGENT QUADRINGENTIS ANNIS. Hi 400. anni partim referendi sunt ad illud, *Affligent*, partim ad illud, *Peregrinum erit semen tuum*. Sensus ergo est: Fluent anni 400. quibus Isaac, & posteri tui partim peregrini erunt hic in Chanaan, & in AEgypto; partim in AEgypto servient, & affligentur. Porro in AEgypto habitarunt Hebræi annis 215.

V. 14. IUDICABO: gravissime puniam plagis maximis. Exod. & seqq capitibus. MULTA SUBSTANTIA: suis opibus, & AEgyptiorum, quos spoliabunt.

V. 15. IN PACE, morte placida, & quieta. IN SENECTUTE BONA, annorum centum septuaginta quinque.

V. 16. GENERATIONE AUTEM QUARTA; id est, quarto sæculo, sive quarto centenario annorum, puta post 400. annos. NECDUM COMPLETAE SUNT INIQUITATES AMORRHAEORUM. Notanda Dei longanimitas in puniendo. Scelera Amorrhæorum, & Chananæorum (ut patet Lev. XVIII. & Deut. VI. & XII.) fuere præcipue tria. Primo idololatria, qua etiam proprios filios igne comburendo diis immolabant. Secundo iniustæ oppressiones peregrinorum, & pauperum. Tertio promiscua matrimonia cum consanguineis, & cognatis, & nefanda libido cum maribus, & bestiis.

V. 17. FACTA EST CALIGO. Hæc omnia vidit Abram in ecstasi, ut habent LXX. num. 12. CLIBANUS FUMANS. Videtur fuisse imago AEgyptiacæ servitutis, quam servierunt in luto, & lateribus, quos in fornacibus igni durabant. Itaque hæc eorum servitus vocatur *fornax ferrea AEgypti*, Deut. IV. 20. LAMPAS IGNIS. Deus, cuius imago est lampas illa, per divisio-

visiones transit more fœdera pangentium ; transit & Abram : ita fœdus firmatum. Omnia hęc in visione sibi videre visus est Abram.

V. 18. A FLUVIO AEGYPTI. Sic vocat fluvium, seu rivum potius Nili inter Pelusium & Rhinocoluram in mare defluentem, qui solet etiam vocari torrens deserti, & AEgypti. USQUE AD FLUVIUM MAGNUM EUPHRATEM. Ponit duos fines terræ promissionis ab aquilone Euphratem, ab austro hunc AEgypti fluvium. Reliquos duos fines habes Num. XXXIV. 6. & 10. Fortasse tempore Davidis, & Salomonis usque ad hunc fluvium Israeliticum regnum se porrexit. Vel certe implenda fuit promissio, nisi peccata impedivissent.

V. 19. CINAEOS, &c. Undecim gentium hic terra promittitur ; quam tamen non possederunt peccatis eorum obstantibus : nam leges & conditiones pacti cum Deo initi non servaverunt.

TIRINI.

Vers. 2. FILIUS PROCURATORIS DOMUS MEAE ISTE DAMASCUS ELIEZER ; id est, Eliezeri filius, scilicet erit mihi heres, quia ob defectum verorum filiorum, hunc mihi adoptavi. Notat S. Hieronymus, Tostatus, & alii, ab hoc Damasco conditam, & nuncupatam urbem Damascum.

V. 5. NUMERA STELLAS, SI POTES. Hinc patet, stellas tanto numero esse ut ab homine numerari non possint. Nam quanto quisque acutius cælum intuetur, maxime opticis recens inventis perspiciliis, tanto plures deprehendit. Ita S. Augustinus *a*, Basilius, Eusebius ; immo & Aristoteles, Plato, Seneca *b*. Quando ergo Ptolemeus, & Astrologi dicunt non esse nisi 1022. stellas fixas, agunt de iis solis quæ visu facile & distincte possint ab homine percipi. SIC ERIT SEMEN TUUM, tum carnale, tum spirituale ; quasi dicat : Posteri tui instar stellarum erunt innumerabiles, sublimes, æterni, potentes, famosi, splendidi, gloriosi. Sed his tam lætis mox tristia quædam miscet Deus.

V. 9. SUME MIHI VACCAM TRIENNEM, ET CAPRAM TRIMAM, &c. Hæc enim adhiberi iubet Deus non solum fœderis cum Abrahamo eiusque posteris sanciendi gratia, quo promittebat se illos perpetuo protecturum, & in promissam Chananitidem inducturum ; neque solum sacrificii causa, quo volebat ab Abrahamo honorari ; sed etiam, & quidem præcipue, ad mysterium Abrahamo patefaciendum, nam omnia hęc erant symbola earum rerum quæ poste is Abrahæ infra vers. 13. & sequentibus obventuræ prædicuntur. Tria enim animalia, vacca, capra, aries, & hæc ipsa trima, seu triennia, præsignabant tres generationes quibus Israelitæ in AEgypto exulaturi, & servituri essent, videlicet tempore Caath, Amram, Moysis: quo tempore AEgyptii mulgebant Iudæos tamquam vaccas, & capras ; illorumque, tamquam opimorum arietum, velleribus, & carnibus sese pascebant. Dissectio animalium in frusta, afflictio erat, & dura tyrannis AEgyptiaca. Volucres infestantes horum animalium cadavera, erant AEgyptii, & Og, & Seon, & Amalec, & alii hostes affligentes, & devorantes Iudæos. Abraham abigens volucres significabat Deum tutelarem & liberatorem Iudæorum. Turtur, & columba non dissectæ præsignabant quartam generationem, qua Iudæi evolaturi erant ex AEgypto liberi & integri. Et turtur quidem gemebunda significabat 40. annos luctus in deserto; columba, animal sociale, tempus Iosue, quo Iudæi terram promissam læte & placide incoluerunt. Horror magnus, & tenebrosus, idest qualis obvenire solet homini densis tenebris immerso ; item clibanus fumans, symbola erant fornacis, & servitutis AEgyptiacæ. Sopor Abraham sole occumbente significat, Deum, mortuo Iosepho, quasi dormientem, & dissimulantem curam Hebræorum afflictionem. Lampas ignis, idest fax ardens, quæ transiit inter dissecta cadavera (& illa forsan incendit, atque absumpsit ad complendum sacrificium) significabat iustitiam divinam, qua & puniti AEgyptii & Israelitæ salvati ; item columnam ignis, & nubis, qua Deus in mari rubro divisit Hebræos ab AEgyptiis. Exodi XIII. vers. 21. eosque deinceps per desertum deduxit in terram promissam *c*.

V. 13. ET AFFLIGENT QUADRINGENTIS ANNIS. Hi 400. anni non referuntur ad solum *Affligent*, sed ad omnia tria præcedentia, scilicet *Peregrinum erit semen tuum*, &, *subiicient eos servituti*, & *affligent*. Hæc enim tria durarunt simul 400. annis. Nam ex quo semen Abrahæ

cœ-

cœpit extare, puta ab ortu Isaac, cœpit peregrinari in terra non sua. Et hæc peregrinatio usque ad egressum ex AEgypto duravit præcise 405. annis. Vide in Chronico cap. XV. distributionem gestorum Abrahæ per annos quibus singula peracta sunt.

V. 16. NECDUM ENIM COMPLETAE SUNT INIQUITATES AMORRHAEORUM: supple, & reliquorum Chananæorum. Voluit enim Deus tantisper tolerare horrendam idololatriam, incestus, & tyrannidem Chananæorum (nam hæc erant illorum iniquitates quas notat Scriptura *d*) donec impleretur mensura illa tum scelerum, tum vindictæ, quam Deus cuique nationi, immo cuique familiæ, forsan & capiti, prius quam insigne aliquod supplicium irroget, ab æterno præfixit. Unde Matth. XXIII. Christus dicebat Iudæis: *Implete mensuram patrum vestrorum.*

(*a*) Aug. Lib. XVI. de Civ. cap. XXIII.
(*b*) Citati a Pererio & aliis.
(*c*) Vide Pererium, a Lapide, Salianum, Bonfrerium.
(*d*) Levit. VIII. Deut. IX. & XII.

GORDONI.

Vers. 1. PROTECTOR TUUS. אנכי מגן לך *anochi magen lach*. *Ego clypeus tuus, & merces tua magna nimis*. Hinc, invito Calvino, collige, valere bona opera ad meritum: nempe quia hic proponitur merces; nec solum temporalem, sed etiam spiritualem, & seipsum promittit. PER VISIONEM, ut apparet in vigilia, ex vers. 5. *Eduxit eum foras:* en vigilantem; tamen LXX. designant noctem. Utrumque verum est.

V. 2. Abraham dicturus multa sibi deesse, cum careat liberis, *Filius*, inquit, *œconomi mei* (Heb. *Sanguis procuratoris*) erit mihi heres. משק *mesek*, & דם *dam*: *sanguis procuratoris Damascus*. Respondet Deus vers. 4. non defuturum heredem.

V. 3. VERNACULUS est servus domi natus.

V. 5. NUMERAS STELLAS. Ergo in vigilia, sed noctu. SIC ERIT SEMEN. Significat ad litteram, multiplicandum esse semen secundum carnem; tamen allegorice refertur ad spirituale semen.

V. 6. CREDIDIT ABRAHAM DEO, ET REPUTATUM EST EI AD IUSTITIAM.) Hæc fides non sterilis aut inanis fuit; sed ex obedientia, caritate, aliisque virtutibus nobilitata: & sic reputatum est ad iustitiam, non per imputationem, & falso; ut fingit Calvinus: nam Dei indicio reputatur iustus, quod falli, aut fallere non potest. Ergo revera iustus. Ad iustitiam, inquam, maiorem: nam antea iustus erat, ex vers. 1. Nec iam cœpit primum credere. En simul meritum fidei. Septuag. ἐλογίσθη Heb. חשב *chaswab*, reputavit ויחשבה *veiachswebeba*; ubi ה relativum finale refert credere, seu fidem, non vero iustitiam Christi imputatam. Plura Opusc. de Veritate Cathol. sect. 2. cap. XVIII. & XIX.

V. 8. Laudata est egregie fides Abrahæ, vers. 6. Non ergo nunc dubius est de promissione Dei: tantum ergo dum ista proponit, petit sibi declarari locum, modum, & tempus huius promissionis: & certe ut hac maiore explicatione huius fœderis, facilius inducerentur posteri ad credendum his divinis promissis.

V. 9. Hæc quæ subiiciuntur de animalibus & partibus altrinsecus positis, seu ex opposito, sunt symbola futuræ habitationis populi, & persecutionis in AEgypto: ut constat ex toto reliquo capite, ubi res hæc explicatur. Sic vers. 12. horror ille maxime refert persecutionem; & similiter vers. 17. clibanus ille.

V. 10. DIVISIT. En modum feriendi fœdus: divisit sectione a capite ad caudam. Hæc sectio denotabat, ita ut eveniret fœdifragis. Non divisit aves, quia erant ad hostiam.

V. 12. & 13. Sopor iste coniunctus cum revelatione de posteris, non fuit pure naturalis, sed vel maxime divinitus immissus. Hunc soporem Abrahami תרדמה *tardema*, Septuag. vertunt ἔκστασιν, quando vidit posterorum servitutem 400. annorum in AEgypto. At solum 215. annis fuerunt in AEgypto. Respondeo ita quidem esse: at numerantur illi quadringenti anni ab ortu Isaac, uti demonstravi suo loco; vel certe hæc omnia esse terminanda intra spatium hoc 400. annorum. Hinc iam recte subditur.

V. 16. GENERATIONE AUTEM QUARTA REVERTENTUR HUC, hoc est quarto sæculo, seu centenario. NECDUM, inquit, COMPLETAE SUNT INIQUITATES AMORRHAEORUM: tantumdem temporis dedit his Deus ad pœnitentiam.

V. 17.

V. 17. Debuit firmari hoc fœdus sacrificio, & consumptione victimarum: & tamen non exprimit Moses modum consumptæ victimæ. Sane vel potuit a Deo inflammari sacrificium, vel etiam ab igne, quem Abraham apposuit. Lampas ignis transiens inter divisiones erat typus Dei transeuntis inter partes divisas. Mos est iungendi fœderis: nam qui fœdus faciebant transibant inter partes divisas.

V. 18. Termini sunt terræ promissæ: Fluvius AEgypti est ille parvus fluvius, distinguens AEgyptum a Palæstina. Vide hos terminos magis declaratos Iosue I. vers. 4. & cap. XIII. Item Exod. cap. XXIII. & Nu. cap. XXXIV. De hoc flumine AEgypti alibi. Describitur a quibusdam rivulus a Nilo defluens in mare inter Pelusium & Rhinocoluram.



CAPUT XVI.

Agar a domina Sarai traditur Abræ uxor: quæ ubi concepisset, atque ob id dominam contemneret, ab illa afflicta, fugam init; sed iussu Angeli eidem submissa, parit Ismaelem.

1 IGitur Sarai uxor Abram, * non genuerat liberos: sed habens ancillam AEgyptiam nomine Agar, 2. dixit marito suo: Ecce, conclusit me Dominus, ne parerem: ingredere ad ancillam meam, si forte saltem ex illa suscipiam filios. Cumque ille acquiesceret deprecanti, 3. tulit Agar AEgyptiam ancillam suam, post annos decem quam habitare cœperant in terra Chanaan, & dedit eam viro suo uxorem: 4. qui ingressus est ad eam. At illa concepisse se videns, despexit dominam suam. 5. Dixitque Sarai ad Abram: Inique agis contra me: ego dedi ancillam meam in sinum tuum, quæ videns quod conceperit, despectui me habet. Iudicet Dominus inter me & te. 6. Cui respondens Abram, Ecce, ait, ancilla tua in manu tua est, utere ea ut libet. Affligente igitur eam Sarai, fugam iniit. 7. Cumque invenisset eam Angelus Domini iuxta fontem aquæ in solitudine, * qui est in via Sur in deserto, 8. dixit ad illam: Agar ancilla Sarai, unde venis, & quo vadis? Quæ respondit: A facie Sarai dominæ meæ ego fugio. 9. Dixitque ei Angelus Domini: Revertere ad dominam tuam, & humiliare sub manu illius. 10. Et rursum, Multiplicans, inquit, multiplicabo semen tuum, & non numerabitur præ multitudine. 11. Ac deinceps, Ecce, ait, concepisti, & paries filium; vocabisque nomen eius Ismael, eo quod audierit Dominus afflictionem tuam. 12. Hic erit ferus homo, manus eius contra omnes, & manus omnium contra eum: & e regione universorum fratrum suorum figet tabernacula. 13. * Vocavit autem nomen Domini qui loquebatur ad eam, Tu Deus qui vidisti me. Dixit enim: Profecto hic vidi posteriora videntis me. 14. Propterea appellavit puteum illum Puteum viventis, & videntis me. Ipse est inter Cades & Barad. 15. Peperitque Agar Abræ filium: qui vocavit nomen eius Ismael. 16. (*a*) Octoginta & sex annorum erat Abram quando peperit ei Agar Ismaelem.

(*a*) Inf. XXIV. 62.

BUR-

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 1. *Non genuerat liberos*. Tertio hic recte omittitur pronomen *sibi*, quamquam subaudiendum sit *ei* ex Hebraeo.

V. 7. *Qui est in via Sur*. Alii legunt relativum femininum *quae*, relatum ad solitudinem; sed Sixtina Biblia rectius masculinum *qui*, ita ut ad fontem referatur, quod Hebraea exigunt.

V. 13. *Vocavit autem*. Non addas *Agar*, sed intelligas.

COMMENTARIA

SA.

Vers. 2. CONCLUSIT; id est, sterilem fecit. Nota, quod tunc erat 76. annorum.

V. 6. MANU, id est potestate.

V. 7. SUR, idest qua itur in Sur, & inde in AEgyptum, quo illa, nempe AEgyptia, festinabat: Hieron.

V. 8. A FACIE SARAI; idest, *propter Sarai*, Hebr.

V. 11. AFFLICTIONEM, idest orationem in afflictione factam.

V. 12. MANUS EIUS CONTRA OMNES, ET MANUS OMNIUM CONTRA EUM. Significat, posteros eius, scilicet Saracenos incertis sedibus vagos impugnaturos omnes, & ab omnibus impugnandos: Hieron. E REGIONE; quasi dicat, neminem timens.

V. 13. VOCAVIT; pro, invocavit. Chald. *Oravit in nomine Domini*. TU, subaudi, dicens. QUI VIDISTI ME. Alii, *qui vides me*. Chald. *videns omnia*. POSTERIORA, id est tergum, scilicet recedentis.

V. 14. APPELLAVIT, scilicet Angelus, vel Abraham vel aliquis alius: est enim Hebr. verbum masculinum.

ESTII.

Vers. 2. CUMQUE ILLE ACQUIESCERET DEPRECANTI, scilicet divina ad hoc inspiratione motus, ut testatur Innoc. III. nam polygamia contra ius naturae erat; tametsi Augustinus videatur factum excusare per consuetudinem gentium, inter quas Abraham vivebat. Sed hoc non sufecisset ad violandum ius naturae, de qua dictum est supra cap. II. *Et adhaerebit uxori suae*, non uxoribus.

V. 6. ECCE ANCILLA TUA IN MANU TUA EST: UTERE EA UT LIBET. Non excusaretur Abraham a peccato, permittendo uxori quidvis in ancillam, maxime gravidam; sed intelligendum est, *Ut libet*, tamen intra limites rationis. Tum maxime enim excusatur, quia forte ei Deus iam dixerat etiam quod dixit cap. XXI. *Omnia quae dixerit tibi Sara, audi vocem eius*.

V. 13. PROFECTO HIC VIDI POSTERIORA VIDENTIS ME. Moysi promittitur etiam tale quid Exod. XXXIII. Vide ibi.

MARIANAE.

Vers. 2. SI FORTE SALTEM EX ILLA SUSCIPIAM FILIOS. Vox Hebr. *Forte aedificabor ex illa*. Familia instar aedificii construitur filiis. Eo respexit in Exodi cap 1. vers. 21. cum dixit de obstetricibus AEgyptiis: *Et quia timuerunt obstetrices Deum, aedificavit eis domos*; id est, liberos dedit. Deut. XXV. vers. 9. *Sic fiet homini qui non aedificat domum fratris sui*. Erat tunc Sarai annorum 76.

V. 3. VIRO SUO IN UXOREM. Non fuit Agar pellex, sed uxor. Erat licita polygamia. Uxor secundaria fuit Agar. Infr. vers. 16.

V. 5. INIQUE AGIS CONTRA ME. Sententiam Noster expressit: alioqui ad verbum reddendum: *Iniquitas mea super te*: meae iracundiae poenas dabis.

V. 7. IN VIA SUR IN DESERTO. *Via Sur*, qua itur in Sur. Vox *in deserto* addita est ab Interprete, aut ab aliquo alio, nam in Gotthicis non erat; sed certe

te ad indicandum, *Sur* illud non Assyriam significare, quæ remota erat, sed desertum sic dictum, Chanaan inter & AEgyptum, quo illa, quippe AEgyptia, festinabat.

V. 8. A FACIE SARAI; id est, propter Sarai fugio.

V. 11. VOCABISQUE NOMEN EIUS ISMAEL. Quinque viri vocati sunt a Deo suis nominibus antequam nati, Ismael, Isaac, Iosias, Ioannes, Iesus. Hieron. in Traditionibus adiicit Salomonem. AUDIERIT DOMINUS AFFLICTIONEM TUAM, preces in afflictione: vel *audierit*, id est cognoverit, *afflictionem tuam*.

V. 12. HIC ERIT FERUS HOMO. Hebraice *onager*, ad indicandam ingenii feritatem. Hebræi referunt ad venandi feras studium, cui Ismael fuit deditus. E REGIONE UNIVERSORUM. Hebr. *Coram omnibus fratribus suis habitabit*; quasi dicat: Non timebit sibi neque a vicinis, neque a fratribus.

V. 13. VOCAVIT. Quidam *invocavit*: & sic principium orationis erit, TU DEUS. PROFECTO HIC VIDI POSTERIORA VIDENTIS ME. Ad verbum: *Num etiam hic vidi post videntem me?* quod Interpres dixit *posteriora videre*, ad indicandum nostræ cognitionis imbecillitatem, similis ei qui hominem a tergo videt. Idipsum indicavit, cum Moysi dixit: *Posteriora mea videbis*. Vel *posteriora*, id est tergum recedentis, nempe obscure.

V. 14. APPELLAVIT, Abram, vel Angelus, vel hoc, vel alio tempore: nam Hebraice verbum est masculinum, sed in ea lingua genera non servantur semper. Ita potest intelligi: *Appellavit Agar puteum illum, Puteum viventis*.

V. 16. OCTOGINTA ET SEX ANNORUM. Anno decimo post adventum in terram Chanaan duxit Agar, sic sup. rius vers. 3. & proximo anno natus est Ismael.

MALVENDAE.

Vers. 1. AGAR, (הגר) peregrinam Hebr. sonat.

V. 2. ECCE. Heb. *Ecce quæso*: vel *Ecce nunc, iam*; id est, qua nunc ætate sum (erat enim 75. annos nota) intelligo Deum voluisse mihi sterilitatem afferre. CONCLUSIT ME DOMINUS, NE PAREREM. Reddunt ex Hebræo: *Conclusit, constrinxit, occlusit, obseravit, clausit, coercuit, cohibuit, detinuit, impedivit me a pariendo*, seu *gignendo*; id est, vulvam meam, seu uterum meum clausit, obseravit, ne pariam: reddidit me sterilem & infecundam. Erat tum Sarai LXXV. annorum; si conferas cap. XII. vers. 4. & cap. XVII. vers. 17. cum versu 3. & 16. huius capitis. Verum annotant, verbum *ghatzar* proprie *prævalere, prævalescere* significare; atque ut plurimum talem prævalescentiam significare qua aliquid sive retinetur, sive concluditur, sive cohibetur & coercetur, sive impeditur: hinc illis verbis communiter ab Interpretibus transferri; sed principalem & genuinam eius significationem esse *prævalere*, quæ semper prælucere debet, nec illis verbis obscurari, aut involvi, vel amitti par est. Unde hic exponunt: *Prævaluit me IHUH, ne gignam*; id est, prævalide conclusit me IHUH. Sic infra cap. XX. vers. 18. SI FORTE. אולי *ulai, forte, fortasse*. Observant, non esse penitus dubitantis particulam, sed potius bene ominantis, & sperantis, seu committentis aliquid meliori & feliciori eventui. EX ILLA SUSCIPIAM FILIOS. Hebr. *AEdificabor*, vel *filiabor de illa*. Filius dicitur Hebræis בן *ben*, a בנה *banah, ædificavit*, quod filii, cohabitatione viri cum muliere, ædificentur, & sint veluti ædificium patris ac matris; sive quod sint generis fulturæ & familiam ædificent. *Banah* hic dicitur de procreatione sobolis, quæ cohabitatione & congressu viri cum muliere ædificatur. Plautus Mostellaria:

..... *Nunc etiam volo*
Dicere, ut vos homines ædium esse similes arbitremini,
Primum dum parentes fabri liberum sunt, & fundamentum
Liberorum substruunt.

V. 4 DOMINAM SUAM. גבירה *gebirah*, proprie *superior, domina, hera, herois*. Dicitur de illa muliere seu uxore quæ reliquis superior est dominio, potestate, principalitate, auctoritate.

V. 5. INIQUE AGIS CONTRA ME. Hebr. *Iniuria mei super te*. Constructa vox, passiva significatione, ut infra cap. XLI. 51. pro eo quod est, *Iniuria quæ fit mihi, in te recidit*. Expostulatio, inquiunt, hæc nata videtur ex eo quod Abram ancillæ insolentiam non satis arbitrio Sarai corri-

geret. Vide similem loquutionem Ierem. LI. 35.

V. 7. ANGELUS DOMINI. מאלך *malach* quidam deducunt ab הלך *halac*, *ambulare*, *ire*, transposita littera *He*, & ea mutata in *Aleph*. Est universe *angelus*, *legatus*, *nuntius*, sive homo, sive spiritus, qui destinatus est ad legationem, seu ministerium perficiendum: quique habet mandatum a domino suo ambulandi & eundi ad annuntiandum, vel efficiendum aliquid. Græcum angelus, & Latinum legatus, cognationem litterarum & sonum consimilem habent cum Hebraico *malac*. Dicitur in Scriptura de hominibus, & de spiritibus. Quando autem de homine vel de spiritu intelligi debeat, ex verbo sibi adiuncto, vel ex aliis circumstantiis cognoscere licebit. Verbum נרה *narah*, *apparendi* de angelis spiritibus semper dicitur; sed quando de angelis hominibus est sermo, tum verba apponuntur quæ corporibus congruunt, non spiritibus. Quidam existimant apostoli nomen respondere Hebraico *malac*; sed certe apostolus melius dicitur שליה *schaliach*, vel ציר *tzir*, *missus*, *legatus*. Hic sane certum est esse angelum spiritum divinum. Atque hoc loco primum in Scriptura mentio occurrit beatarum illarum ac divinarum mentium spiritualium, Deo famulantium. Quidam collatis Scripturæ locis, in quibus de divinis & spiritualibus Angelis est sermo, hanc sibi Angeli definitionem constarunt: quod sit substantia spiritualis, incorporea, sapiens, iusta, beata, agilis, potens, Deo obediens, creata a Deo in ministerium electorum: ut Paulus etiam ait, Angelos esse spiritus administratorios, qui in ministerium emittuntur, propter heredes salutis. IN VIA SUR. Eusebius, & S. Hieronymus in Locis: *Sur, ubi invenit Angelus ancillam Saræ Hagar, inter Cades & Barad. Extenditur autem desertum Sur usque ad mare rubrum, quod ad AEgypti confinia pervenit. Porro Cades solitudo est super urbem Petram, Sed & Scriptura desertum Cades contra faciem AEgypti extendi memorat: ad quod primum venere Hebræi rubro mari transvadato*. Vide Genes. XX. 1. XXV. 18. Exodi XV. 22. S. Hieronymus: *Consequenter AEgyptia in via Sur, quæ per eremum ducit ad AEgyptum, ire festinabat*.

V. 9. ET HUMILIARE SUB MANU ILLIUS. Ex verbo, *Humilia te*, *affige te*, *preme te*, *prosterne te*; id est, patere, vel patere te affligi sub manibus eius; hoc est, sub potestate, potentia, & imperio eius; illi te subde, quantumvis male te accipiat. Istud videtur imitatus Petrus, I. cap. V. vers. 6. *Humiliamini sub potenti manu Dei*. Et coniugatio Hithpahel hic magnam humiliationem, & subiectionem, seu depressionem significat.

V. 11. ET PARIES. וילרת *veioladth*, notant Hebræi esse verbum compositum ex ילרח *ioledeth*, participio præsenti, & ילרת *ialadth*, præterito; vel esse ex coniugatione Pohel. Non sine mysterio. ut certitudinem partus Hagar firmius exprimeret, ac stabiliret; quasi dicat: Iam iam tu pariens, & quasi iam peperisti; certissime paries: vel paulo post, propediem paritura es: ut etiam Iudic. I. vers. 5. AUDIERIT DOMINUS AFFLICTIONEM TUAM. Notant quando verbum שמע *schamagh*, *audire*, construitur cum præpositione אל *el*, tum idem Hebræis significare quod Latinis *attendere aures*, *seu animum auscultare*, *animadvertere*, *advertere animum*, scilicet ad preces, seu flagitationem; & acquiescere, atque præstare, quod postulatur. Ita hic: *Quia audivit* IHVH *ad afflictionem tuam*; id est, attendit, & te compotem voti fecit.

V. 12. FERUS HOMO. פרא *pere*: decies hæc vox in Scriptura ponitur, & semper eam Noster *onagrum* exponit, nisi hoc loco, ubi *ferum* dixit. Aiunt esse *feram*, contentiente Hebraica voce, animal ferum, a fructificatione & fecunditate dictum: sunt enim fera animalia fecundiora, & plures fetus edunt quam animalia domestica. Noster & alii post ipsum transtulerunt, *Onager*, id est asinus agrestis, seu silvestris, eo quod inter feras sit notissimus; sicut etiam pro צפור *tzipor* reddiderunt *passerem*. Hic tamen cum Nostro adiective capiunt: *Et ipse erit ferus homo*. Semel hic tantum adiective positum volunt. Alii reddunt: *Et ipse erit onager homo*, vel *hominum*; id est, vir similis onagro, asino silvestri, ferus, durus, agrestis, civilium morum expers, intractabilis, iugi impatiens, qui nemini subiici velit, instar onagri, Iob XI. 12. Onagris indomitum animum tribuunt auctores. Vel quod desertis & solitudinibus viveret, venationi intentus. Quidam ad

ad terrorem bellicum referunt, quod bellicosus futurus esset, & hostibus formidabilis; & quod nemo eum impune lacessiturus esset, ut se mox exponit: *Manus eius contra omnes*, &c. Nonnulli reddunt: *Et ipse erit fera hominis*: quod speciem hominis dumtaxat retulerit; cetera feræ. Audacius quidam: *Et ipse erit fructificans homo*. Quod Hagareni mire polificent. Alii: *Et ipse erit silvestris homo*, vel *rusticus homo*. S. Hieronymus: *Significat autem, semen eius habitaturum in eremo; id est, Saracenos vagos, incertisque sedibus; qui universas gentes, quibus desertum ex latere iungitur, incursant, & impugnantur ab omnibus*. Vide infra cap. xxxvi. vers. 25. E REGIONE UNIVERSORUM FRATRUM SUORUM, FIGET TABERNACULA. Bifariam exponunt. I. Invitis & reluctantibus fratribus suis fixas habebunt sedes Ismaelitæ, violenter occupabunt terram, quam inhabitent; licet obstare & impedire conentur fratres eorum. II. E contrario, Ismaelitis inter hostes suos, & in magna hostium copia, non defuturos fratres, & amicos qui eis præsidio adsint, & eorum propugnent res. III. Plerique tamen intelligunt, Ismaelitarum populum a reliquis separatum fore; quasi dicat: Non efficiet cum fratribus suis Isacidis unum corpus, unam gentem, unam rempublicam non erit pars, vel membrum unius gentis; sed per se unum corpus, & unam gentem distinctam a fratribus suis Abræ filiis constituet. IV. Alii tamen malunt: *Super facies omnium fratrum suorum habitabit*, id est prope fratres suos, ut ab ipsis videri possit, nempe coram Levistis, & Abramistis. Nam habitavit in deserto Pharan, infra cap. xxi. vers. 21. & interfuit exequiis patris cum fratre Isaac cap. xxv. 9. *Figet tabernacula*: egregie: nam consentiente voce שכן *schacan*, ad verbum dices, *scenitabit*, si ita fas est loqui, *tabernaculabit*: nam tunc in scenis, seu umbraculis, & tabernaculis habitabant. Virgilius IV. AEneidos:

- - - *Tum silvis scena coruscis*.

Vulgo per *habitare*, *cohabitare*, *commorari* redunt: sæpius in Scriptura cum voce tabernaculi coniungitur. Nec dubito quin a Ioanne I. 14. per ἐσκήνωσεν, *tabernaculavit*, *umbraculavit*, *scenitavit* translatum fuerit. Nescio cur hic quidam, *Hospitabitur* transferunt. Vide cap. xxv. vers. 18.

V. 13. QUI LOQUEBATUR. Hebr. דובר *dober* participium præsens, loquentis. Discrimen statuunt inter verbum דבר *dabar* loqui, & אמר *amar* dicere: quod *Dabar* notat rei, seu causæ, seu negotii, seu historiæ, aut rei gestæ dispositionem; nempe talem loquendi actum significat, quo historia, seu res, ordine, & quadam dispositione, ac partium enumeratione narratur; *amar* autem designat actum dicendi, nempe eius verborum ac rerum dispositionis, seu constructionis enuntiationem. Unde generalius est *dabar* quam *amar*; perinde ut Latinis *loqui* est generalius quam *dicere*. Deinde *dabar* magis est reale, & externum quam *amar*. Ad hæc *dabar* est absolutum, & sæpe sine respectu ad alterum; *amar* vero semper est ad alterum. Nam homo vivens loquitur; non tamen homo dicit, nisi alteri. Insuper *dabar* nec figurate tribuitur sermonis expertibus, ut interdum *amar*. Addunt alii, *dabar* haud temere usurpari de aliis quam de maximi momenti sanctionibus & rebus; quale pondus non est in verbo *amar*. Hæc omnia locorum circumstantiæ te docebunt. Uti differant loqui & dicere, ostendit Varro Lib. IV. de lingua Latina, cap. VII. TU DEUS, QUI VIDISTI ME. ראי *roi*, quidam participium esse putant, cum affixo: *Videns mei*, vel *me*. Alii thoar, seu adiectivum sine affixo: *Tu Deus videns*, id est summe providens: sic olim prophetæ vocabantur *videntes*. Nonnulli nomen substantivum: *Tu Deus visionis*, vel *visus*; id est, qui videri, & apparere soles hominibus, ac illis conspicuum te præbere, ac patefacere; vel qui vides ac cernis omnia, & curam omnium geris, ac mei præcipue; qui te ostendere soles afflictis ac miseris, & iis qui tua cura ac providentia indigent. Aliter: *Tu Deus visionis*, vel *visi*, id est ostenti, prodigii, monstri. Virgilius III. AEneidos:

Talibus attonitus visis, & voce deorum.

Et rursum:

Monstra Deum refero.

Et in VIII.

- - - *Atque oculis mirabile monstrum*.

Monstrum a monstrando, & monendo, quod monstret futura, & moneat volun-

tatem deorum, inquit Sinnius Capito. Reputabat Hagar visum illud Angeli ostentum, ac monstrum. Sic roi capitur Nahum. III. 6. PROFECTO VIDI POSTERIORA VIDENTIS ME. Varie hunc locum reddunt, & interpretantur. I. *Si, an, num etiam hic vidi post videntem me?* ut interrogatio sensum reddat negantem; id est, non vidi illum discedentem more aliorum hominum, nam subito evanuit ex oculis meis; nec vidi illum a tergo incessu, aut cursu abeuntem: intellexi Angelum esse, qui mecum loquebatur, non hominem: nam si homo fuisset, vidissem illum abeuntem, nempe incessum eius, tergum, vestigia. Et subita disparitione intellexit illum fuisse Angelum Dei. Similia quædam de deorum apparitione differit Calasiris apud Heliodorum III. AEthiopicon, cap. VIII. in hunc modum: *Dii, & numina venientia ad nos, & a nobis recedentia, quamvis profanos homines laterint, tamen quin a sapiente cognoscantur, effugere non possunt; sed ex oculis notari possunt, cum continuo obtutu intueantur, & palpebras numquam concludant: & magis etiam ex incessu, qui non ex dimotione pedum, neque transpositione existit, sed ex quodam impetu aerio, & vi expedita, findentium magis auras, quam transeuntium. Quamobrem statuas quoque eorum AEgyptii ponunt, coniungentes illis pedes, & quasi unientes. Quæ etiam Homerus sciens, ut AEgyptius, & doctrina sacra instructus, occulte & involute versibus seddidit, relinquens intelligenda iis qui possent. De Pallade quidem:*

- - Atque truces oculi fulsere tuenti.

De Neptuno autem:

Namque pedum, crurumque simul vestigia pone
Perfacile, agnovi, remeante, aurasque secante.
Dii quoque cognosci possunt, certoque notari.

Tamquam fluente in incessu: hoc enim est, Perfacile remeante; non ut quidam decepti, Perfacile agnovi, putarunt. Fortassis Hagar AEgyptiaca disciplina edocta de apparitione deorum, simile quid notaverit in Angelo sibi apparente & disparente. Hanc interpretationem cave putes pugnare cum sensu Vulgati: nam reipsa eodem tendit. II. *Num etiam hic vidi post visionem meam?* ac si dicat: Tandemne tot malis domi, & in fuga afflicta, & iam manifesta Dei visione obiurgata, & admonita, coacta ero resipiscere, oculos aperire, conspicuam Dei providentiam & curam agnoscere? Profecto ex corde agnosco, & profiteor. Aliter: Dormio, an vigilo? Hæc quam vidi, vera, realis, & subsistens, an ficta, & phantastica visio est? Realis plane ac vera! Postquam disparuit, intellexi me revera angelicam visionem vidisse. III. *Nonne etiam hic vidi* Angelum, *post videntem me?* id est, postquam Deus se mihi ostendit, & vidit, ac benigne respexit afflictionem meam. IV. Quidam Hebræorum exponunt: *Nonne etiam hic vidi post prophetiam meam?* id est, intellexi hanc mihi oblatam visionem, seu prophetiam. Quid si forte Hagar augurata sibi fuerat hanc Dei apparitionem & consolationem, seu rerum suarum meliorem statum. V. Alii Hebræorum: *Nonne etiam hic* in deserto *vidi* Angelum Domini, *post videntem me?* id est, postquam vidi eos in domo Abram, ubi eram assueta videre Angelos. Nam quod solita esset videre illos, inde sumunt, quod viso nunc Angelo non expaverit, ut Menoac, Iudicum XIII. 22. Tunc illud, *Post videntem me*, idem erit quod postquam ego sum, vel fui videns. VI. *Profecto etiam hic vidi ea quæ sunt post videntem me*, vel *posteriora videntis me*, id est terga abeuntis, vel disparentis. In disparitione cognovit esse Angelum Dei. Indicat morem apparitionum divinarum, cum subito ex oculis in tenuem auram evanescunt, vel in sublime feruntur, ut Iudicum XIII. 20. unde cognoscunt rem divinam esse, quæ illis apparuit. VII. *Nonne etiam hic vidi post videntem me*; vel *postquam fui videns*, seu *post visionem meam?* hoc est, quum mecum loqueretur, non cognovi illum esse Angelum Domini; sed ut elapsus est subito ab oculis meis, iam agnovi illum esse Angelum Dei. Vidi igitur aliud postquam evanuit ab oculis meis, quam quum loqueretur mecum. VIII. Audacius quidam: *Nonne etiam contritio, concussio, percussio*, subaudi, erit mihi, *quia vidi post videntem me?* quod הלום *halom, hic* id quoque significat. Olim hæc erat opinio, ut qui Deum, vel Angelum vidisset, statim esset moriturus: Iudicum XIII. 22. IX. *Etiamne iam video post videntem me?* id est, lucem hanc aspicio, & vi-

vivo? Synecdoche unius functionis vitæ pro tota vita, cui similis est Exodi XXIV. 11. Miratur enim se post Dei visionem vivere, quia a conspectu Dei aut Angeli mortem secuturam putabant, ut nuper dicebamus. Vide infra XXXII. 30. *Post videntem me*; id est, postquam Angelus, cui nota eram, mihi apparuit; vel *post* visionem *videntis me*. Pausanias in Phocicis, numero 351. *Homeri igitur illud facile existimari potest nihil a vero abhorrere: non posse cuiquam hominum bene vertere, cui deos perspicue cernere contigerit*. Nec prorsus aliene exponas: *Num etiam ictu vidi post videntem me?* quasi dicat: Subitanea nimium, momentanea, & improvisa hæc visio fuit, quæ me velut ictu perculit.

V. 14. APPELLAVIT. קרא *kara* masculeum verbum, non satis apte ad Hagarem referas. Quidam Angelo, vel Abramo tribuunt, insulse. Alii subaudiunt, is qui ei nomen imposuit, vocavit Puteum, &c. sed alias notavimus, tertiam personam præteriti, seu futuri activam, sumi plerumque Hebræis passive seu im personaliter: vocavit, pro, vocatum fuit. Vide Genes. II. 20. PUTEUM VIVENTIS, ET VIDENTIS ME. באר לחי ראי *beer lachai roi*: cum *Lamed* ista construuntur; id est, *Puteum Viventi videnti mei*. Alii: *Puteum Vivi videntis mei*; vel *Puteum*, *Vivens videt me*. Nonnulli: *Puteum ad Viventem videntem me*: vivum, vel vivens epithetum æterni & veri Dei: Quidam: *Puteum Viventis, vidente me:* perperam. Possis: *Puteum ad Vivum*, id est qui vivas, & scaturientes aquas haberet, *videntis me*; hoc est, Puteum aquæ vivæ Dei videntis me. KADES. De ea diximus cap. XIV. ad vers. 7. de BARAD Eusebius, & S. Hieronymus in Locis: *Inter Kades & Barad, hodieque Agbar puteus demonstratur*. Barad Chaldæi Paraphrastæ Hagaram dicunt. Sacri topographi ponunt in deserto Pharan, ubi postea habitavit Ismael, & in tribu Simeon.

MENOCHII.

Vers. 2. CONCLUSIT: sterilem fecit, concipiendi vi privavit. INGREDERE: nubat tibi: sic honeste Hebræi congressum cum muliere explicant. EX ILLA SUSCIPIAM. Hebr. *Si quo modo ædificer ex ea*. Ædificationis metaphora generationem filiorum significat. Sic Exod. I. 21. dicitur de obstetricibus, *Ædificavit eis domos*. DEPRECANTI. Ægre castitatis amator ad polygamiam inducitur; quæ tamen licita illo ævo.

V. 3. AGAR ÆGYPTIAM, genere Ægyptiam, sed religione Hebræam, Sarai a Pharaone donatam, ut putat D. Chrysostomus. UXOREM, legitimam quidem, sed secundariam. Huiusmodi vocantur in sacris litteris concubinæ.

V. 4. DESPEXIT. Non cuiusvis est meliorem bene ferre fortunam.

V. 5. INIQUE AGIS CONTRA ME. Hebræus: *Iniuria mea super te est*, id est tibi, qui non prohibes, imputanda. IN SINUM TUUM: ut esset uxor tua. IUDICET DEUS, num æquum sit iniuriam meam a te dissimulari. Non postulat Sara a Deo vindictam, sed illi causam suam committit.

V. 6. UTERE EA UT LIBET. Non permittit sævire, sed iusto modo compescere. AFFLIGENTE, coercente.

V. 7. ANGELUS DOMINI. Deus vel Agar oratione permotus est, vel potius id meritis Abram tribuendum, cuius prolem Deus volebat conservatam. IN VIA SUR. Desertum Sur situm est inter Cades & Barad, & extenditur usque ad mare rubrum Ægypto conterminum. Fugiens Agar petebat patriam suam Ægyptum.

V. 8. ANCILLA SARAI. Conditionis admonet, ut agnoscat errorem. A FACIE SARAI. Hebraismus, facies pro persona.

V. 9. SUB MANU: illius potestati, & correctioni te subde.

V. 10. MULTIPLICANS MULTIPLICABO: plurimum multiplicabo.

V. EO QUOD AUDIERIT. nam Ismael idem quod exauditio Dei. AFFLICTIONEM TUAM, sitim, laborem, lassitudinem, formidines, qui comitatus prægnantis, & in solitudine fugientis.

V. 12. FERUS HOMO. Vox Heb. פרא *phere* onagrum significat, ut hic vertit Chaldæus. Noster Interpres eamdem sententiam expressit, & ad sonum Hebraicæ vocis allusit. Erit instar onagri ferus, intractabilis, solivagus, & incertis sedibus errans. Nec de Ismael tantum hæc vera sunt, sed etiam de posteris eius, tales enim

Aga-

Agareni, & Saraceni. MANUS EIUS CONTRA OMNES, &c. ipse omnes infestabit, & ab omnibus infestabitur. E REGIONE, ex adverso: habitavit enim Ismael in deserto Pharan directe contra habitationem Isaac, & reliquorum filiorum Abraham. FRATRUM SUORUM, Isaac, & filiorum Abraham ex Cetura. FIGET TABERNACULA. Arabes plerique adhuc hodie degunt in papilionibus seu tentoriis, ut & olim. Hæc sunt tabernacula Cedar, Cant. I. 5.

V. 13. VOCAVIT, invocavit. Chaldæus: *Oravit in nomine Domini*. DOMINI QUI LOQUEBATUR, Dei, cuius personam loquens Angelus repræsentabat. VIDISTI ME: misertus es mei, aspexisti afflictionem meam. DIXIT ENIM: Agar intra se cogitavit, nam redditur ratio cur gratias egerit. PROFECTO HIC; quasi dicat: Minus mirarer si Deum habuissem propitium in domo Domini mei Abram; sed obstupesco quod etiam in hoc deserto mihi præsto esse dignatus fuerit. VIDI POSTERIORA VIDENTIS ME. Angelus non faciem suam Agar ostendit, sed ab illa adversus, eam est allocutus. Id ita factum ut significaretur faciem non tantum essentiæ divinæ, sed etiam gloriæ corporis a Deo assumpti non posse capi ab oculo mortali. Vel etiam quia Agar imperfecte Deum cognoscebat, & diligebat utpote quæ obedientiam heræ suæ, Deumque ipsum fugiebat; ideoque necdum reversa, aut ad illum conversa, vicissim ei Deus non faciem, sed tergum suum ostendit.

V. 14. APPELLAVIT, vel ipsa Agar vel inde finite quisquis hoc nomen imposuit puteo.

V. 15. PEPERITQUE: Postquam domum reversa veniam a dominis impetravit. VOCAVIT: credens Agar ipsi, affirmanti hoc nomen ab Angelo inditum.

V. 16. OCTOGINTA ET SEX ANNORUM. Hebr. *Filius octoginta & sex annorum*. Frequens loquutio, pro, erat homo natus tot annos. Nam solent vocem filius præponere quando ætatis annos volunt indicare.

TIRINI.

Vers. 3. TULIT AGAR AEGYPTIAM ANCILLAM SUAM, ET DEDIT EAM VIRO SUO, non concubinam, sed UXOREM, ut habetur hic. Neque erat tunc polygamia illicita; & in tanta paucitate fidelium ita expediebat. Et Deus in iure naturæ dispensabat, ius uxoris, quod ex prima coniugii institutione non nisi unius esse debebat, in plures uxores dividens *a*. Sic Deus summus naturæ dominus dedit Abrahamo ius occidendi Isaac; & Hebræis ius spoliandi AEgyptios.

V. 11. VOCABIS NOMEN EIUS ISMAEL: quod Hebraice significat, *audivit Deus*, scilicet *afflictionem tuam*; & iuvit, & liberavit te. Unde & Agar mox gratias agens.

V. 13. VOCAVIT, seu invocavit, NOMEN DOMINI (Chaldæus, *oravit*) dicens: TU DEUS QUI VIDISTI ME; idest providisti, & curam mei in hoc terribili deserto gessisti. PROFECTO enim VIDI POSTERIORA, seu dorsum VIDENTIS ME; id est, vidi Angelum, qui humana specie mihi apparuit, meque adiuvit; sed non vidi nisi abeuntem & a tergo: sicut & Moysi contigit, Exod. XXXIII. vers. 23. Quo significatur, quamdiu in hac vita sumus, nos non posse claram Angelorum, multo minus Dei, cuius vices hi Angeli gerebant, cognitionem habere; sed tantum obscuram, imperfectam, & confusam.

(*a*) Vide S. Th. & DD. Scholast. in IV. dist. XXXIII.

GORDONI.

Vers. 1. CALVINUS pro sua solita modestia Saram velut lenam damnat; recte tamen antiqui Patres cum Augustino excusant. Ut dixi cap. XII. licita tunc erat polygamia; & spe prolis, Agar altera uxor accepta est. Non est certe polygamia ita educationi prolis contraria, ut non possit interdum a Deo permitti, ad gentis & religionis conservationem. Vide supra cap. IV. vers. 17.

V. 2. INGREDERE, scilicet inito connubio. Polygamia eo tempore, ut dicebam, erat permissa; quamvis ex prima coniugii institutione non sic esset; nec futurum ut semper maneret.

V. 3. AGAR. Uxor secundaria fuit, de qua re alibi. Itaque pellex non erat.

V. 7. IN VIA SUR IN DESERTO. Est hoc desertum inter Cades & Barad ex-

extensum ad mare rubrum, e regione AEgypti: ex Hier. Lib. de Locis Hebraicis.

V. 8. A FACIE SARAI. Personam dat.

V. 9. SUB MANU ILLIUS: sub potestate eius.

V. 10. Angelus a Deo missus solatur ancillam. Datur filio nomen Ismael שמע אל; hoc est, exaudivit Deus: & promissa multiplicatio Ismaelitarum, Asiam, atque Africam abunde replevit. Hi sunt quos Saracenos vocamus. *Manus eius contra omnes, & manus omnium contra eum:* vers. 12.

V. 11. Hic datur ratio, cur vocetur Ismael, quod ex Hieronymo est, exauditio Dei, vel audivit Deus. De huius semine vide cap. XVII. vers. 20. Ismaelitæ dicti etiam sunt Agareni, ab Agar, & postea Saraceni a Sara dici elegerunt.

V. 12. FIGET Ismael TABERNACULA E REGIONE FRATRUM. Habitaverunt Ismaelitæ in regione Cedar, in deserto Pharan: habebant ad septentrionem Idumæos posteros Esau, ad meridiem Madianitas, ad orientem Amalechitas. E REGIONE UNIVERSORUM; hoc est, non sibi timebit ab ullo. Et quod eius feritatem declarat, in Hebr. vocantur onager. Etiam hodie Arabes dicuntur habitare in tabernaculis. Sunt ista tabernacula Cedar, ut noto Cant. 1.

V. 13. VOCAVIT, invocavit, oravit. *Vidisti*, respexisti ad afflictionem meam. *Dixit enim*, Agar intra se: VIDI POSTERIORA. Angelus aversa facie loquebatur ad Agar, & illa ait, *Vidi posteriora*; hoc est, imperfecte cognoscens eum qui me alloquebatur, inveni gratiam.

V. 14. Puteus iste, vers. 3. vocatus est fons; estque in solitudine Bersabee, sicut etiam Barad, nec longe a fluviolo AEgypti; de quo cap. XV. vers. 18.

CAPUT XVII.

Abræ repetuntur promissiones, ipsius, & Sarai nomina immutantur, circumcisio præcipitur, filius ex Sara promittitur una cum successu Ismaelis, & Abraham circumcisionis præceptum exequitur.

1 POstquam vero nonaginta & novem annorum esse cœperat, apparuit ei Dominus, dixitque ad eum: Ego Deus omnipotens: ambula coram me, & esto perfectus. 2. Ponamque fœdus meum inter me & te, & multiplicabo te vehementer nimis. 3. Cecidit Abram pronus in faciem. 4. Dixitque ei Deus: Ego sum, * & pactum meum tecum, (*a*) erisque pater multarum gentium. 5. Nec ultra vocabitur nomen tuum Abram; sed appellaberis Abraham: quia patrem multarum gentium constitui te. 6. Faciamque te crescere vehementissime, & ponam te in gentibus, regesque ex te egredientur. 7. Et statuam pactum meum inter me & te, & inter semen tuum post te in generationibus suis, fœdere sempiterno: ut sim Deus tuus, & seminis tui post te. 8. Daboque tibi, & semini tuo terram peregrinationis tuæ, omnem terram Chanaan in possessionem æternam, eroque Deus eorum. 9. Dixit iterum Deus ad Abraham: (*b*) Et tu ergo custodies pactum meum, & semen tuum post te in generationibus suis. 10. Hoc est pactum meum quod observabitis inter me & vos, & semen tuum post te: circumcidetur ex vobis omne masculinum; 11. & circumcidetis carnem præputii vestri, ut sit (*c*) in signum fœderis inter me & vos. 12. Infans octo dierum circumcidetur in vobis, omne masculinum in generationibus vestris, tam vernaculus, quam emptitius circumcidetur,

tur, & quicumque non fuerit de ſtirpe veſtra : 13. eritque pactum meum in carne veſtra in fœdus æternum . 14. Maſculus, cuius præputii caro circumciſa non fuerit, delebitur anima illa de populo ſuo : quia pactum meum irritum fecit. 15. Dixit quoque Deus ad Abraham : Sarai uxorem tuam non vocabis Sarai, ſed Saram. 16. Et benedicam ei, & ex illa dabo tibi filium cui benedicturus ſum, eritque in nationes, & reges populorum orientur ex eo . 17. Cecidit Abraham in faciem ſuam, * & riſit, dicens in corde ſuo : Putaſne centenario naſcetur filius; & Sara nonagenaria pariet? 18. Dixitque ad Deum: Utinam Iſmael vivat coram te. 19. Et ait Deus ad Abraham: (*d*) Sara uxor tua pariet tibi filium, vocabiſque nomen eius Iſaac, & conſtituam pactum meum illi in fœdus ſempiternum, & ſemini eius poſt eum . 20. Super Iſmael quoque exaudivi te: ecce benedicam ei, & augebo, & multiplicabo eum valde: duodecim duces generabit, & faciam illum in gentem magnam . 21. Pactum vero meum ſtatuam ad Iſaac, quem pariet tibi Sara tempore iſto in anno altero. 22. Cumque finitus eſſet ſermo loquentis cum eo, aſcendit Deus ab Abraham . 23. Tulit autem Abraham Iſmael filium ſuum, & omnes vernaculos domus ſuæ; univerſoſque quos emerat, cunctos mares ex omnibus viris domus ſuæ : & circumcidit carnem præputii eorum ſtatim in ipſa die, ſicut præceperat ei Deus . 24. Abraham nonaginta & novem erat annorum quando circumcidit carnem præputii ſui . 25. Et Iſmael filius tredecim annos impleverat tempore circumciſionis ſuæ . 26. Eadem die circumciſus eſt Abraham & Iſmael filius eius . 27. Et omnes viri domus illius, tam vernaculi, quam emptitii & alienigenæ, pariter circumciſi ſunt.

(*a*) Eccli. xliv. 20. Rom. iv. 17. (*b*) Act. vii. 8. (*c*) Rom. iv. 11. Lev. xii. 3. Luc. ii. 21. (*d*) Infr. xviii. 10. & xxi. 2.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 4. *Et pactum meum tecum*. Superfluit verbum *ponam*, quod adiiciunt quidam.

V. 17. *Et riſit, dicens in corde ſuo*. Hic verborum ordo, ut eſt certior altero, *In corde ſuo dicens*, ita antiquis Latinis atque Hebraicis libris congruentior.

COMMENTARIA

SA.

Verſ. 1. AMBULA CORAM ME ; id eſt, da operam ut mihi placeas: ſic Pſalm. cxiv. *Placebo Domino*: ub Hebr *Ambulabo coram Domino*.

V. 5. ABRAHAM: *ab* אב *pater*, *rab* רב *multum*, *hamon* המון *multitudo*.

V. 7. GENERATIONIBUS SUIS, ideſt temporibus ſuis, ſeu ætate ſua . UT SIM DEUS TUUS, ET SEMINI TUO POST TE. Id erat pactum, ſcilicet ut colerent ipſum tamquam Deum, Deuſque illis benefaceret; ſeu, quod eodem recidit, ipſe illorum eſſet Deus, & illi eius populus.

V. 14. DELEBITUR; quaſi dicat non cenſebitur de populo; vel dignus eſt morte . Vide Num. xix. Auguſt cont Pelag. & Celeſt. interpretatur : peribit ob peccatum originale morte æterna . PACTUM, ſcilicet de ligni prohibitione in paradiſo : Auguſt. II. de Nupt. IRRITUM FECIT, ideſt neglexit. Auguſt. XVI. de Civit. cap. xvii. ait . quando in Adam peccavit, irritum feciſſe.

V. 15. SARAI, ideſt *principem meam*, ſeu *dominam meam* . SARAM, ideſt *principem*, ſeu *dominam*.

V. 16.

V. 16. EXEO, ſcilicet filio; vel pro, *ex ea*, ſcilicet Sara. Hebr. & Chald. *ex ea*. LXX. *ex eo*.

V. 17. PUTASNE? Id dixit ex incredulitate. Hieron. III. contra Pelag. Alii ex admiratione dictum putant. Vide cap. XVIII.

V. 18. CORAM TE; ideſt, te illius vitam approbante.

V. 19. ISAAC, ideſt riſum, quia riſit Abraham, Hieron. Dicerem potius, quia parentibus lætitiam attulit eius nativitas. PACTUM, ſcilicet de circumciſione, vel potius de Chriſto ex eo naſcituro; quamquam id etiam per circumciſionem ſignificabatur: vel illud de quo ſupra num. 7. in cuius ſignum data circumciſio.

V. 21. AD ISAAC; quaſi dicat: Naſcetur Chriſtus ex Iſaac, non ex Iſmaele.

V. 22. ASCENDIT DEUS; ideſt, Angelus diſceſſit, ſcilicet in cælum unde venerat.

ESTII.

Verſ. 5. NEC VOCABITUR ULTRA NOMEN TUUM ABRAM, &c. Sed cur viro nomen eſt auctum, & mulieri diminutum? nempe pro Abram, Abraham: & pro Sarai, Sara? Reſp. Certe myſtica ratio eſt, quia per virum vis rationalis, per mulierem autem ſenſualitas intelligitur. Debet igitur ſemper in nobis pars ſuperior, ideſt ratio creſcere, & ſenſualitas decreſcere. Unde & Abrahæ paulo ante dicitur: *Ambula coram me, & eſto perfectus*; Sara autem paulo poſt increpatur, & reprimitur a riſu, qui eſt actus ſenſualitatis, maxime quod etiam ſecundam Dei aſſertionem quaſi ridiculam habuerit: riſit enim & Abraham hoc capite, nec reprehenſus eſt: de quo riſu ſic Ambroſius Libro I. de Abraham cap. IV. *Quod autem*, inquit, *promiſſo ex Sara filio, riſit Abraham, non incredulitatis, ſed exultationis indicium fuit*. Sic & Apoſtolus de eo (ad Rom. IV. 19.) *Nec infirmatus eſt fide, nec conſideravit corpus ſuum emortuum*. QUIA PATREM MULTARUM GENTIUM CONSTITUI TE. Hoc quidem ad litteram de carnali poſteritate dictum eſt. Nam & Iſmaelitæ, Madianitæ, & Idumæi ex poſteris Abrahæ fuerunt, aliique qui enumerantur Geneſ. XXV. Minime tamen dubium ab Apoſtolo Roman. IV. pertinere hæc promiſſa ad ſemen ſpiritale; ita tamen ut promiſſio hæc Abrahæ facta non fuerit præſtanda, niſi interveniente generatione carnali, qua Chriſtus (in quo benedicendæ erant omnes gentes) ex eo ſecundum carnem prius naſceretur. Vide, ſi placet, Commentarium noſtrum ad Rom. IV.

V. 7. UT SIM DEUS TUUS, ET SEMINIS TUI POST TE. Colligit hinc Calvinus, eo ipſo quo quis eſt ſemen Abrahæ, ad eum pertinere promiſſionem Abrahæ factam. Sed reſponſio manifeſta eſt, promiſſionem illam de benedictione ſpirituali intellectam, non ad carnale ſemen Abrahæ pertinere, ſed ad ſpirituale, quemadmodum eam ipſe Apoſtolus interpretatus eſt Roman. IV. & IX. Si enim carnale ſemen intelligas, iam ad neminem ex gentibus illa promiſſio pertinebit, ſed ad ſolos & Abraham, & Iſaac ſecundum carnem genitos. Si autem de ſpirituali ſemine intelligatur (ſicut vere intelligendum eſt) nihil hæc ratio facit pro parvulis non baptizatis: non enim niſi per baptiſmum Abrahæ filii efficiuntur. Vide noſtra in II. Sent. diſtinct. XXXI.

V. 14. MASCULUS CUIUS PRAEPUTII CARO CIRCUMCISA NON FUERIT, DELEBITUR ANIMA ILLA DE POPULO SUO. Habetur huius rei illuſtre exemplum Exod. IV. Vide ibi. DELEBITUR ANIMA DE POPULO SUO. Alibi dicitur: *Peribit anima illa de populo ſuo*. Auguſtinus multis locis vocat æternam, & ſecundam mortem Lib. XIII. de Civit. cap. XIV. & Lib. XXI. cap. XVI. & XXI. Item Lib. I. de peccat. merit. cap. XXVIII. & alibi. Proſper quoque æternam miſeriam vocat Lib. II. de vocat. Gent. cap. XXII. & XXIV. DELEBITUR ANIMA ILLA DE POPULO SUO, QUIA PACTUM MEUM IRRITUM FECIT. Ad litteram, hoc videtur ita intelligendum, ut per tura dicatur anima maſculi non circumciſi, quia circa eum non fuerit obſervatum pactum circumciſionis, qua ſola poſſet perditionem evadere; ſicut hodie perire dicitur infans, quia non eſt baptizatus; id eſt, eo quod inſtitutio baptiſmi, quo ſolo ſalvari potuit, circa eum non fuerit obſervata. Quamquam ſubinde Patres illud intelligant de pacto ſeu præce-

pto Dei a primo parente violato; quo dictum erat : *Quocumque die comederis*, &c. quod pactum irritum fecisse dicitur infans eo sensu, quo dicit Apostolus Roman. v. *In Adam omnes peccasse*. Hoc modo interpretatur August. Lib. XVI. de Civit. cap. XXVII. ubi tamen etiam priorem intellectum adiicit. Quæ sane videtur magis germana esse illius sententiæ expositio. Vide nostra in IV. Sent. dist. I.

V. 25. ISMAEL TREDECIM ANNOS IMPLEVERAT TEMPORE CIRCUMCISIONIS SUAE. Hinc scilicet Ismaelitæ, sive Agareni, qui se Saracenos vocant, & Mahometicam sequuntur religionem, etiamnum multi decimo tertio ætatis anno circumciduntur. Non tamen omnes Mahumetani servant hunc morem, sed quidam serius, quidam tardius circumciduntur; ut fit, quando relicta lege Dei quisque sibi vult legem fingere.

MARIANAE.

Vers. I. AMBULA CORAM ME: mihi placere stude: sic Psalm. CXIV. vers. 9. pro *Placebo Domino*, Hebr. est *Ambulabo coram Domino*.

V. 5. NEC ULTRA VOCABITUR NOMEN TUUM ABRAM. In circumcisione mutatur nomen. Nova appellatio, novi mores. *Abram*, *pater excelsus*; *Abraham*, *pater turbæ*: quia pater turbæ gentium. *Sarai* item *princeps mea*; *Sara*, *princeps* absolute, ob copiam posteritatis. Vide Philonem de nominibus mutatis.

V. 6. ET PONAM TE IN GENTIBUS. Hebr. *in gentes*. Sic Sept. hoc est, faciam ut ex te multæ gentes nascantur.

V. 7. IN GENERATIONIBUS SUIS; pro, in temporibus suis statuam pactum cum filiis & posteris tuis. UT SIM DEUS. Id erat fœdus.

V. 8. IN POSSESSIONEM AETERNAM, Vox אחזת *ahazah* significat hereditatem, & possessionem fundorum, non rerum moventium: sic bene iungitur cum voce *æternam*. EROQUE DEUS EORUM; quasi dicat, ea lege dabo terram, si me ut Deum suum coluerint.

V. 10. HOC EST PACTUM MEUM. Signum pacti fuit circumcisio, ut vers. 11. habes: pactum enim erat ut illi Deum colerent, Deus illis daret terram illam. CIRCUMCIDETUR EX VOBIS; pro, circumcidetur itaque in vobis.

V. 12. CIRCUMCIDETUR IN VOBIS OMNE MASCULINUM. In iustitiæ operibus non secernuntur viri & feminæ. Quare præcipiens masculos circumcidi, tantum ostendit ea sacramenta, & circumcisionem non facere iustos, sed esse egena elementa, quod docet Paulus ad Roman. IV. De quo Iustinus contra Tryph. & Irenæus Lib. IV. cap. XXX.

V. 14. DELEBITUR ANIMA ILLA. Reus mortis apud iudices erit qui non circumcidetur, aut de libro iustorum delebitur. QUIA PACTUM MEUM IRRITUM FECIT, vel hoc, vel antiquum in Adamo, quod infantes etiam violarunt: sic August. II. de Nupt. & concup. cap. XI.

V. 16. CUI BENEDICTURUS SUM ..... ET REGES POPULORUM ORIENTUR EX EO. In Hebr. *cui*, & *ex eo*, feminini generis sunt, & utrumque refertur ad Saram. Sed quoniam per filium futura hæc erant, interpretatio in sententia non discrepat. Sept. etiam ad filium ea retulerunt, dicentes, *ex eo*.

V. 17. ET RISIT. Chald. *Et gavisus est*. Itaque risum fuisse ex lætitia credidit. Et interrogatio, PUTASNE CENTENARIO NASCETUR FILIUS? ex admiratione: alioqui infidelitatem increpasset Deus. *Putasne centenario*. Abraham Sara maior decem annis. Id Aristot. præcipit, cum virum triginta, feminam viginti annorum connubio iungit.

V. 18. UTINAM ISMAEL VIVAT CORAM TE, te volente: vel ita vivat ut tibi placeat, tuisque obediat mandatis.

V. 23. STATIM IN IPSA DIE. Hebr. *In corpore diei huius*, nempe cum multum diei superesset, non nectit moras. non expectat finem diei in re quamvis difficillima. Similis locutio cap. VII. vers. 13. de Noe.

V. 25. ISMAEL FILIUS TREDECIM ANNOS IMPLEVERAT. Ex hoc posteri Ismaelis observabant ut non ante annum tertiumdecimum filios circumciderent, Auctore Ioseph. I. Antiquit. cap. XX. Hinc constat falli Diodorum Siculum, cum Libr. I. dixit, Iudæos ab AEgyptiis circumcisionem accepisse: accepere enim a Deo, ab ipsis Sacerdotes AEgyptii, Arabes, Phœnices, AEthiopes, Chaldæi, & Saraceni; uti

uti Origenes, Eusebius, Cyrillus & Hieronymus tradidere.

MALVENDAE.

Vers. 1. OMNIPOTENS. Hic primum se offert שדי *Schaddai* unum de præcipuis Dei nominibus, de cuius vi, & significato reponam hic quæ viri Hebraicarum litterarum usu & experientia exercitati tradiderunt. Quidam a שדד *schadad* deducunt, id est *vastare*, quasi *vastatorem* dicas, *potentem*, & *invictum*, cui nemo queat resistere; & qui ea potentia, qua omnia ex nihilo fecit, possit eadem omnia vastare, & in nihilum redigere, modo velit. Hoc nomen traxisse a vastatione mundi in diluvio, quidam hariolantur. Alii *schadad* putant generaliter significare *in universum permeare*, *peruniversitare*, *sive in bonum*, *sive in malum*; nimirum in universum dare, vel adimere; ubertim & affluenter dare; vel vastando & depopulando diripere & auferre: quamquam verbaliter semper in malam partem accipiatur. Hinc שד *schad*, id est *mamma*, *uber*, quia illius humor & succus per universum corpus confluendo permeavit, & puerorum quoque corpora permeat, irrigat, humectat, & alit. Inde etiam attributum Dei *Schaddai*, quasi dicas, *Permeator*, *peruniversator*, *uberrimus*, cuius bonitas permeat per universas creaturas, dans illis essentiam, vitam, & motum. Et ut alias a רחם *rechem*, *matrice*, *visceribus*, dicitur רחום *rachum*, id est visceratissimus, misericordissimus, Hispanice *Entranable*: ita a *schad*, *mamma* appellatur *Schaddai*, id est mammeatus (qua voce usum Plautum in Pœnulo, annotat Nonius) mammus, mammosus, multimammius; ut veteres gentiles dixere Dianam, & Isidem, seu Cererem mammosam, & Venerem multimammiam; quasi dicas, mammosissimus: nimirum quod Deus omnia eo caritatis affectu & amore nutriat quo mater infantem uberibus applicando fovet, lacteque alit, & irrigat. Sic etiam ab ubere uberrimus dicitur; quasi dicas, Divina ubertas, copia, vis, succus, humor universalis. Receptior tamen, & frequentior est eorum sententia, quæ *Schaddai* compositam vocem esse volunt, ex ש *sche* relativo coniuncto, & nomine די *dai*, *sufficientia*, *abundantia*, *copia*, *ubertas*, *plenitudo*, *satietas*, *copiæ cornu*, quasi dicas, Cui sufficientia, sufficientissimus, abundantissimus, copiosissimus, quod ipse per se se non modo omnibus bonis abundet, ut ille cecinit: *Ipsa suis contenta opibus, nihil indiga nostri*: sed etiam aliis abunde tribuat, sicut Ioannes de Filio Dei dicit cap. 1. vers. 16. *Et de plenitudine eius nos omnes accepimus*. Et I. Timoth. VI. 17. *In Deo vivente, qui præstat nobis omnia abunde ad fruendum*. Ac similem nominis rationem quidam Hebræorum adducunt, ideo Deum dictum *Scaddai*, quod ipse abundet, omnesque omnium creaturarum defectus expleat, omnibusque creaturis det sufficientiam suam: &, ut Paulus ait II. Corinth. III. 5. *Sufficientia nostra ex Deo est*. Hanc nominis significationem mire a Paulo explicatam volunt Act. XVII. 24. *Deus, qui fecit mundum, & omnia quæ in eo sunt, hic, cæli & terræ cum sit Dominus, non indigens aliquo, cum ipse det omnibus vitam, & inspirationem, & omnia: in ipso enim vivimus, & movemur, & sumus*, &c. Sic I. Corinth. XII. cum multa & diversa hominum dona ordine commemorasset, tandem vers. 6. *Sed idem est Deus operans*, seu *efficiens omnia in omnibus*. Et vers. 11. *Sed hæc omnia operatur*, seu *efficit unus ille & idem spiritus, dividens peculiaria singulis prout vult*.

Ex his igitur omnibus facile nominis *Schaddai* significationem colligunt, quod non tantum aut simpliciter de Deo dicatur, eo quod sit omnipotens, & omnia possit; sed etiam quod proprie sit sufficiens, qui in se, & a se sufficientiam, abundantiam, ubertatem, copiam omnimodam habeat, ita ut nullius ope egeat; sed in se sufficiens sit ad opem conferendam omnibus, ad protegendum, & ad promissa servanda, & explendos defectus omnium: quin etiam quod sit efficax, & efficaciter omnia in omnibus operetur & faciat; ipsiusque cura, providentia, sapientia, bonitate, efficientia, influxu cuncta existant, vivant, & moveantur: omnes homines, atque etiam creaturæ universæ de eius inexhausta plenitudine, & immensa copia existentiam, vitam, motum, operationes tamquam ex æterno, & inexhausto thesauro accipiant, & depromant. LXX. varie nomen *Scaddai* reddere solent. aliquando ΚΥΡΙΟΣ, *Dominus*; interdum ΙΚΑΝΟΣ, suf-

sufficiens; sæpius ΠΑΝΤΟΚΡΑΤΩΡ, *omnipotens*. Iob XXIX. 5. *Materia copiosus valde*. Symmachus, & Theodotion ΙΚΑΝΟΣ, *sufficiens*; Aquila, ΑΑΚΙΜΟΝ, *robustus*, *sufficiens*; Græci Patres ΑΥΤΑΡΚΗΣ; Noster, & Latini communiter *Omnipotens*; Quidam recentiorum, *Victor*. Notant, quando adiungitur nomini אל *el*, ut hic, poni vice epitheti, & attributi: *Ego*, *El schaddai*, *Deus Sufficiens*.

AMBULA CORAM ME. Hebr. est verbum in Hithpahel, id est *ambulare te fac*. Quidam, *Indesinenter ambula coram me*; id est, te ipsum curæ meæ, protectionique committe; ac statue actionum, cogitationumque tuarum omnium me esse arbitrum. Sic infra cap. XXIV. vers. 40. cap. XLVIII. vers. 15. & supra cap. V. vers. 24. & cap. VI. vers. 9. & Psalm. CXV. vers. 9.

V. 3. CECIDIT ABRAM PRONUS IN TERRAM. Notant non solum quod divinæ maiestatis præsentia perterrefieret, ut de Mose legitur Exodi III. vers. 6. & alibi passim in vetere & novo testamento; aut quod ex officio honorem exhiberet maiestati Dei, ut synecdochice accipitur Levit. IX. vers. 24. sed potius quod gratias Deo ageret de beneficio fœderis oblato, hac corporis inclinatione gratum animum suum significans, ut infra vers. 17.

V. 4. DIXITQUE EI DEUS, nimirum, postquam se erexisset, ut colligitur e vers. 17. ubi rursus procidisse dicitur. MULTARUM GENTIUM. Hebr. *Multitudinis gentium*. המון *hamon* est cuiuslibet rei *multitudo*, *copia*, *turba*: sic dicta a tumultu seu strepitu, aut fremitu, quem excitat: immo & pro ipso tumultu, seu strepitu ponitur, perinde ut Græcis ὄχλος, & *turbam*, & *tumultum* significat. Lucæ XXII. 6. *Et quærebat opportunitatem, ut traderet eum sine turba*. Mysterium huius promissionis enucleat Paulus Roman. IV. vers. 11. 16. & 17. Alioqui pater fuit decem tribuum, Ismaelitarum, & Idumæorum, & natorum Keturæ: ex quibus multæ gentes ortæ sunt, regesque profluxerunt.

V. 7. FOEDERE SEMPITERNO, scilicet in Christo, quod ad substantiam perpetuo continuandum est, etsi mutabilibus symbolis.

V. 8. IN POSSESSIONEM AETERNAM, vel *sæculi*. Notant עולם *gholam* hic significare tempus illud dumtaxat quo fuerunt Israelitæ in terra Chanahan: quod equidem determinatum & finitum fuit. Vel, *in possessionem diuturnam*, *antiquam*, seu *olim*., aut *longi*, & *occulti temporis*. Quidam exponunt: Id est re quidem & veritate symboli, seu sacramenti in perpetuum duraturam; symbolo vero & sacramento ipsius, prout symbolorum perpetuitas potest consistere. indefinitam ex voluntate Dei, donec symbolorum veritas, & complementum advenerit semper duraturum. Sic enim res indefiniti temporis tropice appellari solent, etiam in profanis auctoribus, ut in versu illo Horatii:

Serviet æternum qui parvo nesciet uti.

Et Terentius Eunucho: *Spero æternam inter nos gratiam fore*. Virgilius II. Georgicorum:

.... glebaque versis
Æternum frangenda bidentibus ...

Et AEneid. XI.

Æternum telorum, & virginitatis amorem.

Et ita passim loquuntur.

V. 9. CUSTODIES. שמר *schamar* aiunt importare *curam*, *solicitudinem*, *studium*, *diligentiam custodiendi*, *retinendi*, & *asservandi aliquid*, *ne amittatur*, *aut elabatur*, *aut excidat*, *vel perdatur*. Sic accipiunt verbum Christi Lucæ XI. vers. 28. *Beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud*; id est, firmiter retinent, nec patiuntur sibi excuti. Sed plus id significat; id est, qui exequuntur, opere complent, perficiunt, qui ex præscripto verbi Dei vitam, & actiones suas instituunt, & quæ Deus facienda præcipit, faciunt: qua ratione sumitur Deuteronomii XXXII. 9. nempe *servare mandata*, ut inquit Christus.

V. II. ET CIRCUMCIDETIS CARNEM PRAEPUTII VESTRI. Observant, circumcisionem carnalem, esse pelliculæ, qua virgæ glans, seu balanus obtegitur, circumsectionem & amputationem: & quia promissio Abrahæ facta erat de semine, ideo circumcisionem institutam a Deo in membro genitali, ut hoc æterno circumcisionis signo Abraham seminis promissi admoneretur. Deinde circumcisionem masculino tantum generi fuisse mandatam, ut Iudæi illa admonerentur peccati originis, nempe omnes semine virili propagatos esse peccatores, & obnoxios iræ Dei, & æternæ damnationi: sed ideo parsum generi

se-

femineo, quod quidam nasciturus esset ex femina sine virili semine, Filius nimirum Dei, Dominus noster Iesus Christus conceptus de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine, benedictum illud semen in quo benedicendæ erant omnes gentes, & cognationes terræ. Mysterium circumcisionis exponit Paulus Rom. IV. vers. 11.

V. 12. ET QUICUMQUE NON FUERIT DE STIRPE VESTRA. Hebr. *De omni filio alienigenæ, qui non de semine tuo ipse*. Notant, ut מכר *maccar notum aliquem, & cognitum* significat, qui scilicet est unius & eiusdem seminis, generis, nationis, religionis, earumdemque legum; ita e contrario נכר *nechar* significare *nothum*, id est talem personam, aut rem quæ non est unius & eiusdem seminis, nationis, religionis, earumdemque legum, sed illegitimam, alienam, extraneam a proprietate & veritate, id est notham, ignobilem. Quare ut apud Hebræos discrimen est inter *maccar* & *nechar*; ita apud Latinos inter *notum* & *notbum*, nobilem, & ignobilem. Varro Lib. IX. de lingua Latina: *Nothum ex peregrino hic natum*. Quidam hic vertunt: *De omni filio extraneitatis, alienationis, qui non*, &c. Alii: *De omni filio discretionis, separationis*, id est extraneo, separato, &c. Noster hanc vocem reddere solet, per *alienum, alienigenam, advenam*.

V. 14. DELEBITUR. Hebr. *exscindetur*; id est, vel non annumerabitur, accensebitur inter fideles, nec erit particeps beneficiorum ac promissionum Dei: vel interficietur, tolletur e medio, extirpabitur. IRRITUM FECIT. הפר *hephar*, in Hiphil usitatius est in Scriptura. Noster frequentius vertit *dissipare*; frequentissime *irritum facere*, Ezechiel. XVII. 15. & cap. XLIV. 7. *dissolvere*, Psalm. LXXXVIII. 34. *dispergere*, Isaiæ XIV. 27. *infirmare*, Iob XV. 4. *evacuare*, Psalm. LXXXIV. 5. *avertere*, Ezechiel. XVII. 19. *prævaricari*, Numeror. XXX. 13. 16. *contradicere*. Notant, verbum proprie significare *labefacere, labefactare, frangere, mutilare, abrogare, abolere, irritum, cassum reddere, facere*. Opponi aiunt verbo הקים *hekim*, quod est, *statuere, stabilire, firmare*, ut Numeror. XXX. 14. Per καταργέω vertit *hephar* Paulus Rom. III. 31. *Legem ergo destruimus, abrogamus, irritam facimus per fidem? Absit; sed legem stabilimus*. Sic etiam Gal. III. 17.

V. 17. ET RISIT. צחק *tzachak* ex agnatis verbis aiunt significare *alleviationem*, seu *levationem in animo hilari, qui in risum solvitur*. Hebræi ex uno fonte quinque significata ei tribuunt, *ridere ore, lætari, iocari, ludere, subsannare*: esse autem hoc verbum hic non dubitantis, sed admirantis, exuberantisque gaudii; uti a Paulo Roman. IV. & Hebr. XI. utriusque, & Abrahæ, & Saræ fides celebratur. Putant Christum Ioan. VIII. 56. ad hunc locum respexisse, & verbum *tzachak*, gaudendi & exultandi verbo expressisse: *Abraham pater vester exultavit ut videret diem meum: vidit, & gavisus est*.

V. 19. SARAH UXOR TUA. Omisit reddere particulam אבל *abal*, quam notant esse indeclinabilem, & consignificativam; significare autem protractionem sermonis, seu continuitatem, & asseverationem prioris membri; nimirum, *At, ast, sed, attamen, verumtamen, quin etiam, insuper, immo, vere, certe, profecto, sane, maxime Sarah uxor tua pariet*, &c.

V. 20. DUCES. נשאים *neschiim, prælatos, primates, principes*, quasi levatos, aut elatos super alios.

V. 22. ASCENDIT DEUS AB ABRAHAM. Notant, verbum עלה *ghalah*, quando de Deo, vel de gloria Dei, vel aurora, vel nube, vel rore, vel Angelo, vel visione dicitur, quæ sunt res, ut ita dicam, spirituales & cælestes; tum idem significare quod recedere, subduci a conspectu, & oculis hominum, hoc est disparere: quod eiusmodi res ceu cælestes & spirituales, cum e conspectu nostro subducuntur, sursum ferri videantur. Unde hic vertunt: *Et sublatus est Deus ab Abraham*: vel *ascendens disparuit*. Hanc phrasim imitatum volunt Lucam, cum de Christo dixit cap. XXIV. 51. *Et disiunctus, diremptus*, seu *inconspicuus factus est illis*, id est, *desiit illis esse conspicuus, subduxit se ab illis; & sursum ferebatur in cælum*. Inde colligunt Deum, vel Angelum visibili & aspectabili specie apparuisse Abrahæ, ut vers. 1. huius capitis innuitur. Vide cap. XXXV. vers. 13.

V. 23. ET CIRCUMCIDIT CARNEM PRAEPUTII EORUM. Non solum Hebræi, sed & aliæ gentes amplexæ sunt circumcisionem. Iosephus Lib. I. in Apionem, pag. 1407. *Verum neque Herodotus Halicar-*

licarnasseus nostram ignoravit gentem ; sed quodammodo eius meminisse cognoscitur . De Colchis enim referens , in secundo Libro sic dicit : Soli autem inter omnes Colchi , & AEgyptii , & AEthiopes verenda ab initio circumcidunt ; Phoenices vero , & Syri in Palæstina confitentur hoc ab AEgyptiis didicisse. Syri autem qui circa Thermodoontem & Parthenium fluvium commorantur , & iis vicini Macrones , a Colchis dicuntur nuper didicisse . Hi namque sunt inter homines soli qui circumciduntur: & isti sicut AEgyptii facere dicuntur ; de AEgyptiis autem & AEthiopibus dicere non possum , utri ab alteris didicere . Dixit ergo Syros , qui in Palæstina sunt , circumcidi . Omnium autem qui habitant Palæstinam, soli Iudæi circumciduntur . Hoc igitur sciens de ipsis dixit . Quod Iudæi ab AEgyptiis circumcisionem didicerint , nugæ , cum fuerit divinum mandatum Abrahæ factum . AEgyptios , Syros , Arabes , Iudæos circumcisionem amplexos docet quoque Diodorus Siculus Lib. I. cap. XXVIII. & LV. idem tradit de Troglodytis Lib. III. cap. XXXII. Ridicule etiam Strabo Lib. XVI. pag. 530. de Creophagis: *Glandes mutili , & mulieres eorum Iudaice excisæ* . AEthiopes Abyssini etiam hodieque feminas circumcidunt , ut auctores sunt Franciscus Alvaresius de rebus AEthiopicis cap. XXII. & Damianus Goes de moribus AEthiopum.

MENOCHII.

Vers. 1. APPARUIT DOMINUS . Hæc apparitio ideo instituta ne putaret Abram promissionem feminis cap. XV. factam per Ismael completam . DEUS OMNIPOTENS; quasi dicat, qui volo , & possum . AMBULA CORAM ME: stude in omnibus mihi placere. LXX. εὐαρέστει , *bene placens esto*. ESTO PERFECTUS : enitere ad culmen virtutum cunctarum, LXX. *irreprehensibilis*.

V. 2. PONAMQUE : promissionem ratam faciam . VEHEMENTER NIMIS. Hebraismus, plurimum, plurimum.

V. 3. CECIDIT , adorans , & gratias agens.

V. 4. EGO SUM : ego ille qui solus sum , qui stabilis sum , & immutabilis in promissis . PATER MULTARUM GENTIUM , Iudæorum , & Gentilium : præcipue vero respicit ad semen cæleste Christum, & ex eo, ac per eum fideles Abrahæ filios.

V. 5. NEC ULTRA VOCABITUR NOMEN TUUM ABRAM; SED APPELLABERIS ABRAHAM. *Abram* significat patrem excelsum ; *Abraham* patrem multarum gentium.

V. 6. REGESQUE : ex Esau Idumæorum , & Amalecytarum , ex Iacob Israelis , & Iuda . STATUAM , confirmabo . GENERATIONIBUS SUIS , temporibus eorum. FOEDERE SEMPITERNO: diuturno valde, quamdiu servabunt pactum. Si vero sermo sit de semine spirituali, plane in perpetuum.

V. 9. DIXITQUE ITERUM, intermisso nonnihil sermone.

V. 10. HOC EST PACTUM, id est signum pacti mei . CIRCUMCIDETUR EX VOBIS , qui fidem Abrahe profitebuntur , OMNE MASCULINUM . Masculis tantum imperata circumcisio.

V. 11. CARNEM PRAEPUTII. Locus hic circumcisionis, & non in alio membro delectus , quia in hoc membro se effectus peccati inobedientiæ primum manifestavit: & quia fuit signum fidei qua credebat Abraham Christum ex se nasciturum . Præputium est pellis glandem tegens . IN SIGNUM FOEDERIS . Data circumcisio ut esset signum pacti ab Abraham cum Deo initi . II. erat circumcisio signum repræsentativum fidei Abrahæ . & iustitiæ per eum adeptæ, Rom. IV. III. erat signum distinctivum fidelium ab infidelibus Iudæorum, scilicet a gentilibus. IV. erat signum purgativum peccati originalis . V. præfigurativum baptismi.

V. 12. INFANS OCTO DIERUM . Præcise octavo die, quia ante hunc nimis adhuc tener, nec ante septimum diem completum , certitudo ulla est vitalem fore . Si ante octavum diem infans periclitaretur, poterat æque ac feminæ salvari remediis ac ritibus legis naturæ . Iusta etiam de causa poterat ultra octavum diem differri , ut in deserto dilata est per 40. annos , Iosue V. 6. CIRCUMCIDETUR. Aliqui putant cultro lapideo , tali enim usus est Moses, Exod. IV. & Iosue cap. V. Sed nihil tale hic præcipitur , & Iustinus contra Tryphonem testatur sua ætate Iudæos ferreo cultro usos . TAM VERNACU-

culus, quam emptitius, circumcidetur, et quicumque non fuerit de stirpe vestra. Hebræa sic habent: *Omnis servus domi natus, & emptitius qui non est de semine tuo, circumcidendo circumcidetur*. Aliqui putant tam servos, quam famulos liberos iussos circumcidi. Alii nullum adultum servum hic obligari ad se, vel suas proles circumcidendas, nisi ipse sponte in id consentiat. Tandem alii existimant omnes servos etiam adultos, non autem famulos iuberi circumcidi. Omnes illæ sententiæ habent suos auctores, & rationes. Cornelius a Lapide tertiam veriorem putat. Secunda est Pererii, & Suarez.

V. 14. Delebitur anima illa de populo suo; id est, quicumque etiam infans circumcisus non fuerit, non modo ad hunc populum meum non pertinebit, sed etiam cum ad adultam ætatem pervenerit morte punietur, quod circumcisionem neglexerit. Quia pactum meum irritum fecit, in adolescentia, cum rationis compos factus negligentiam parentum supplere debuit. Vel etiam irritum fecit pactum in infantia, quia pactum meum vel casu, vel parentum vitio in eo irritum fuit, & violatum.

V. 15. Non vocabis Sarai, sed Saram. *Sarai* idem significat quod domina mea, vel princeps mea. *Sara* vero absolute significat Principem, ac dominam; quasi dicat: Sarai hactenus unius mariti, & familiæ fuit domina; iam vero erit Sara, id est absolute princeps, & domina: quia erit mater gentium plurium, immo cunctarum per Isaac, ex quo Christus, qui est pater omnium gentium fidelium & Christianarum.

V. 16. Benedicam ei: naturæ vitiis subiectis fecundam reddam. Cui benedicturus sum, non filio, sed Saræ: nam Hebraice est femininum.

V. 17. Risit: non dubitavit, sed quasi ad rem novam obstupescens, & gratulans. Chaldæus habet, *Gavisus est*. Hinc ex admiratione nata interrogatio: Putasne centenario nascetur filius? Si dubitasset, a Domino reprehensus fuisset. Divus tamen Hieronymus, & D. Chrysost. dubitasse censent.

V. 18. Utinam Ismael vivat coram te: non modo sit superstes, sed honeste, & sancte vivat: hoc enim votum Abrahæ: hoc significat illud *coram te*.

V. 19. Isaac. *Isaac* risum significat. Sic autem dictus est propter risum Abrahæ, & non propter risum Saræ, quæ nondum riserat. Postea Sara pariter ridens & gaudens de filio sibi nato hoc nomen iam datum iterat, & confirmat infra cap. xxi. 6. Constituam pactum meum illi: quæ pacto promisi, pergent ad posteros tuos per Isaac, non per Ismaelem.

V. 21. Ad Isaac, cum Isaac. Anno altero, anno proxime sequenti.

V. 23. Statim in ipso die: prompte obediens Deo.

V. 25. Tredecim. Hinc (teste Iosepho Lib. I. cap. xii.) Saraceni desumpsere ritum circumcidendi suos anno ætatis 13. aperte a lege Dei Abrahæ data, recedentes.

TIRINI.

Vers. 5. Nec ultra vocabitur nomen tuum Abram, id est pater excelsus; sed appellaberis Abraham, id est pater magnæ multitudinis. Sic infra vers. 15. *Sarai uxorem tuam non vocabis Sarai*, id est dominam meam; *sed Saram* absolute, id est dominam, quia plurium nationum, & regum erit domina, & mater; immo cunctarum gentium per Isaac, & Christum filium suum erit spiritualis mater. Ita S. Hieronymus, Ambrosius, & alii.

V. 7. Ut sim Deus tuus, et seminis tui. Hoc est fœdus quod ineo vobiscum: ex vestra parte requirit ut me perpetuo pro Deo habeatis colatisque; ex parte vero mea continet tria, quæ vobis præstabo. Primum ut in immensum multiplicemini, ut dicitur vers. 2. 4. 6. Secundum ut terram Chanaan tradam vobis possidendam, vers. 8. Tertium ut ex semine tuo Messias procreetur, vers. 16. hic, & cap. seq. vers. 18. Erit vero hoc pactum meum, seu signum huius mecum fœderis, in carne vestra, quam circumcidetis in omni masculo, etiam vernaculo, etiam emptitio, & quicumque de familia vestra esse & manere voluerit. Volebat enim Deus non solos posteros Abrahæ, sed etiam totam illorum familiam, adeoque totum populum per circumcisionem Deo con-

consecrari, & hoc signo ab aliis seu impiis, seu idololatris secerni: ne qua forte eiusmodi contagio per servos alienæ religionis inveheretur in populum Dei. Unde patet, circumcisionem non fuisse tantum signum memorativum pacti hic ab Abraham initi cum Deo; sed etiam secundo signum repræsentativum veræ fidei & religionis, propriæ in adultis, alienæ in infantibus. Hinc tertio quoque erat signum demonstrativum simul, & purgativum peccati originalis in posteris Abrahæ. Quarto erat distinctivum populi Dei ab omnibus aliis. Denique præfigurativum baptismi Christianorum. Ita SS. Patres & Doctores.

V. 14. MASCULUS, CUIUS PRAEPUTII CARO CIRCUMCISA NON FUERIT, DELEBITUR ANIMA ILLA DE POPULO SUO; id est, occidetur morte corporali: neque enim aliter ea phrasis sumitur in Scripturis *a*. Hæc pœna solos adultos tangebat, & infantes postquam adolevissent. Præceptum tamen erat parentibus, ut octavo die infantem circumcidi curarent. Ante illum diem non licebat, quia infans nimis tenellus. Post illum iusta de causa poterat differri, ut in deserto per quadraginta annos nemo circumcisus fuit, quod omni hora incerti essent de itinere prosequendo. Ita Iosephus, Theodoretus, & alii. Quod si mortis interea periculum ingrueret, poterat privilegio & ritu antiquo iuvari infans, & quocumque alio externo actu fidei per parentes vel amicos exhibito, expediri a peccato originali; uti poterant feminæ Iudaicæ, & alii omnes aliarum nationum populi. Nam præceptum circumsionis tangebat solos illos Abrahæ posteros qui erant & habebantur filii promissionis, seu semen Patriarcharum: quales fuerunt soli filii & posteri Iacob. Unde Ismaelitæ seu Agareni, iam Saraceni, item Idumæi posteri Esau, filii Cethuræ, & alii, etsi ex Abrahamo prognati, quia tamen non habebantur filii promissionis, non obstringebantur aliter huic præcepto quam vernaculi, vel servi, nempe nonnisi quia, & quamdiu cum semine promissionis habitabant, unamque cum illis familiam conflabant: unde separatione facta, poterant omittere circumcisionem, etiam retento apud se vero Dei cultu. Plures tamen illorum, uti etiam Ammonitæ, Moabitæ, & AEgyptii, teste *b* Philone, Iosepho, & Herodoto, eam ex pia consuetudine retinuerunt; non omnes generaliter, sed plurimi: neque ut ceremoniam sibi præceptam, neque ut sacramentum ad expiandum originale peccatum, neque ut signum fidei vel obedientiæ erga Deum, multo minus ut professionem venturi Messiæ, sicut Iudæi faciebant; sed ut liberum morem, & sanctum ritum, a Deo acceptum, a maioribus observatum, atque id temporis passim laudatum & honoratum. Ita Suarez *c*. Qua eadem de causa etiam Mahomet suis sectatoribus circumsionem præscripsit. Putat Sanctus Augustinus, Bernardus, & Magister Sententiarum, circumcidi solitos cultro lapideo, quia illo usa est Sephora Exodi IV. & Iosue capite V. Sed nihil tale præscriptum fuit; immo Iustinus *d* testatur, Hebræos sua ætate usos cultro ferreo. Ita etiam sentit Hugo Victorinus, Sanctus Thomas, Lyranus, Tostatus, & alii. Poterant etiam a quolibet, & quovis loco circumcidi.

(*a*) Num. IX. vers. 13. Exodi XII. vers. 15. & cap. XXXI. vers. 14. &c. Vide Caiet. & Bonfr.
(*b*) Philo Lib. de Circumcisione. Ioseph. Lib. XIII. Antiq. cap. X. Herodot. in Clio.
(*c*) Suarez III. Part. q. LXX. dist. XXIX. sect. 2.
(*d*) Iust. contra Tryphonem.

GORDONI.

Vers. 1. EGO DOMINUS OMNIPOTENS. אל שדי *el waddai*. Heb. די *dai*, *sufficientia*: sic sufficientissimus est Deus sibi, & aliis, qui satiat & replet omnia; & Act. XVII. dicitur *non indigens aliquo*, *αὐτάρκεια*. AMBULA CORAM ME: fac ut mihi placeas.

V. 2. PONAM FOEDUS; hoc est, iam antea positum habebo ratum: de quo supra cap. XVI. nec debet hic aliud novum, & diversum fœdus intelligi.

V. 4. EGO SUM; hoc est, sum ego qui pactum meum ponam tecum; vel ecce ego pono pactum tecum. Succedit mutatio nominis.

V. 5. Mutat nomen Abram רם *ram*, *excelsus*. רום *rom*, *altum*. Abraham אברם המון, pater excelsæ multitudinis: המן. multiplicari. Alii aliter: non moror.

V. 6. PONAM TE IN GENTIBUS; id est, ut ex te nascantur multægentes.

V. 7,

V. 7. UT SIM DEUS. In hoc erat fœdus, ut coleretur tamquam Deus.

V. 10. Signum est initi pacti circumcisio, signum fidei Abrahæ acceptæ in præputio, Rom. IV. & sublati peccati originalis, præfigurans baptismum, & distinguens Iudæos a gentibus. Recepta circumcisio tandem a Saracenis, non ad professionem legis Mosaicæ, sed ex consuetudine gentis, & imitatione. Poterat ob periculum vitæ differri post octavum diem; sed non licebat antevertere: etiam in deserto intermissa est, ob molestias itineris, supplente defectum remedio legis naturalis, ut in feminis fiebat. Circumcisioni nec locus, nec minister designatus erat. Vide Iosue V. vers. 2.

V. 12. Explicat hic locus, qui. & quando obligarentur, nempe octavo die; ut illi in quibus implenda erat facta promissio, & pertinebant ad familiam Patriarcharum; ac demum illi per quos semen promissione contentum, erat propagandum: ac proinde nec Ismael, nec Esau obligabantur, nisi forte pro tempore quo cum Abrahamo, & promissionis semine habitabant. Quod est hic de vernaculis circumcidendis, clarum est ex textu. Sed qua demum in Iudæis omnibus necessitate, & quibus conditionibus. satis longam hoc, nec admodum utilem peti disquisitionem. Hæc Theologorum mensis est. & scholarum.

V. 13. FOEDUS AETERNUM. Sane usque ad Christum duravit circumcisio: successit baptismus.

V. 14. DELEBITUR. Pœna contempti huius remedii, est mors spiritualis; & in adultis forte etiam corporalis a iudice: valebat feminis signum externum ad professionem fidei. Quærunt tamen, & dissentiunt Theologi, an circumcisio esset, fidei professio talis quæ sua ratione auferret peccatum originale. Vasquez nec signum necessarium esse dixit, nec causam sine qua non: ita ille III. Part. Tom. II. disput. CLXV.

V. 15. Nomen *Sara* dominam significat. Prius vocabatur Sarai שרי, domina mea; postea sublato Iod finali, & posito ה, quasi non iam domina mea, aut unius familiæ, sed absolute domina, quasi multarum gentium.

V. 16. Isaac ex Sara promittitur. CUI BENEDICTURUS SUM. Stat bonus sensus, & verus; sive *τὸ cui* referat filium, ut Septuaginta, & Vulgatus videntur intelligere; sive Saram, ut subindicant in Heb. verbum, & articulus generis feminini. Sed favet Vulgato frequens enallage generis apud Hebræos; sicut hic esse videtur, & illud etiam, ORIENTUR EX EO.

V. 17. RISIT. Chal. *gavisus est*. Risus iste non denotat hic incredulitatem, ut satis docet Paulus Rom. IV. vers. 19. sed sine peccato risit Abraham ex inperato gaudio, animi admirantis tantum beneficium. Et dum addit vers. 18. *Utinam vivat Ismael*, non male hoc dictum putatur ex submissione animi; quasi fateretur se indignum novo hoc beneficio de Isaac.

V. 19. Datur nomen nasciturо יצחק *isçac* a risu. ET CONSTITUAM PACTUM MEUM ILLI IN FOEDUS SEMPITERNUM. August. II de Nupt. & Concup. cap. XI. pactum intelligit vel hoc cum Abraham. vel antiquum cum Adamo.

V. 22. ASCENDIT DEUS; idest, discessit Angelus.

V. 23. IN IPSA DIE, idest eodem die: obedientia Abraham.



CAPUT XVIII.

Angeli ab Abraham hospitio suscepti, filium ex Sara promittunt: quæ ob id ridens, corripitur. Sodomorum eversio prædicitur, pro quibus Abraham sæpius deprecatur.

1 Pparuit autem ei (*a*) Dominus in convalle Mambre sedenti
in ostio tabernaculi sui in ipso fervore diei. 2. Cumque
elevasset oculos, apparuerunt ei tres viri stantes prope eum:
quos cum vidisset, cucurrit in occursum eorum de ostio ta-
bernaculi, & adoravit in terram. 3. Et dixit: Domine,
si inveni gratiam in oculis tuis, ne transeas servum tuum:
4. sed afferam pauxillum aquæ, * & lavate pedes vestros,
& requiescite sub arbore. 5. Ponamque bucellam panis, *
& confortate cor vestrum, postea transibitis: idcirco enim declinastis ad ser-
vum vestrum. Qui dixerunt: Fac ut locutus es. 6. Festinavit Abraham in
tabernaculum ad Saram, dixitque ei: Accelera, * tria sata similæ commisce,
& fac subcinericios panes. 7. Ipse vero ad armentum cucurrit, & tulit inde
vitulum tenerrimum & optimum, deditque puero: qui festinavit, & coxit il-
lum. 8. Tulit quoque butyrum, & lac, & vitulum quem coxerat, & posuit
coram eis; ipse vero stabat iuxta eos sub arbore. 9. Cumque comedissent, dixe-
runt ad eum: Ubi est Sara uxor tua? Ille respondit: Ecce in tabernaculo est.
10. Cui dixit: (*b*) Revertens veniam ad te tempore isto, vita comite, &
habebit filium Sara uxor tua. Quo audito, Sara risit post ostium tabernaculi.
11. Erant autem ambo senes, provectæque ætatis, & desierant Saræ fieri mu-
liebria. 12. Quæ risit occulte, dicens: Postquam consenui, & dominus meus
vetulus est, voluptati operam dabo? 13. Dixit autem Dominus ad Abraham:
Quare risit Sara, dicens: Num vere paritura sum anus? 14. Numquid Deo
quidquam est difficile? Iuxta condictum revertar ad te hoc eodem tempore,
vita comite; & habebit Sara filium. 15. Negavit Sara dicens, Non risi, ti-
more perterrita. Dominus autem, Non est, inquit, ita; sed risisti. 16. Cum
ergo surrexissent inde viri, direxerunt oculos contra Sodomam; & Abraham
simul gradiebatur, deducens eos. 17. Dixitque Dominus: Num celare potero
Abraham quæ gesturus sum; 18. cum futurus sit in gentem magnam, ac ro-
bustissimam, & BENEDICENDAE sint in illo omnes nationes terræ? 19. Scio
enim quod præcepturus sit filiis suis, & domui suæ post se, ut custodiant
viam Domini, & faciant iudicium, & iustitiam: ut adducat Dominus propter
Abraham omnia quæ locutus est ad eum. 20. Dixit itaque Dominus: Clamor So-
domorum, & Gomorrhæ multiplicatus est, & peccatum eorum aggravatum est
nimis. 21. Descendam, & videbo, utrum clamorem qui venit ad me, opere
compleverint, an non est ita, ut sciam. 22. Converteruntque se inde, & ab-
ierunt Sodomam: Abraham vero adhuc stabat coram Domino. 23. Et appro-
pinquans ait: Numquid perdes iustum cum impio? 24. Si fuerint quinqua-
ginta iusti in civitate, peribunt simul: Et non parces loco illi propter quin-
qua-

quaginta iustos, si fuerint in eo? 25. Absit a te, ut rem hanc facias, & occidas iustum cum impio, fiatque iustus sicut impius: non est hoc tuum, qui iudicas omnem terram; * nequaquam facies iudicium hoc. 26. Dixitque Dominus ad eum: Si invenero Sodomis quinquaginta iustos in medio civitatis, dimittam omni loco propter eos. 27. Respondensque Abraham, ait: Quia semel cœpi, loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis & cinis. 28. Quid si minus quinquaginta iustis, quinque fuerint? * delebis, propter quadraginta quinque, universam urbem? Et ait: Non delebo, si invenero ibi quadraginta quinque. 29. Rursumque locutus est ad eum: Sin autem quadraginta ibi inventi fuerint, quid facies? Ait: Non percutiam propter quadraginta. 30. Ne quæso, inquit, indigneris Domine, si loquar: Quid si ibi inventi fuerint triginta? Respondit: Non faciam, si invenero ibi triginta. 31. Quia semel ait, cępi, loquar ad Dominum meum: Quid si ibi inventi fuerint viginti? Ait: Non interficiam propter viginti. 32. Obsecro, inquit, ne irascaris Domine, si loquar adhuc semel: Quid si inventi fuerint ibi decem? Et dixit: Non delebo propter decem. 33. Abiitque Dominus, postquam cessavit loqui ad Abraham; & ille reversus est in locum suum.

(a) Heb. XIII. 2. (b) Sup. XVII. 19. Inf. XXI. 1. Rom. IX. 9. I. Pet. III. 6. (c) Sup. XII. 3. Infr. XXXII. 17.

B R U G E N S I S

Romanae Correctiones.

V. 4. *Et lavate pedes vestros*. In aliis antigraphis passive legitur, *Et laventur pedes vestri*; verum illud Hebræo consonat.

V. 5. *Et confortate cor vestrum*. Similis est huius loci ratio, ubi alii codices legunt, *Et confortetur cor vestrum*.

V. 6. *Tria sata simila commisce*. Non est omittenda vox *simila*.

V. 25. *Nequaquam facies iudicium hoc*. Nec hic omittendum est pronomen *hoc*.

Lectionum Varietas.

V. 28. *Delebis propter quadraginta quinque universam urbem?* Quædam manuscripta, cum antiquis libris veteris nostri Epanorthotæ, omittunt maiorem numerum, nempe *quadraginta*, conformiter Hebræis, & Chaldæis, quin etiam Græcis quibusdam codicibus, nominatim Sixtinæ editioni.

C O M M E N T A R I A

S A.

Vers. 1. FERVORE DIEI, cum scilicet peregrini ad hospitia solent divertere.

V. 2. ADORAVIT IN TERRAM; id est, se demissa in terram facie incurvavit, reverentiæ causa, more orientalium.

V. 3. DOMINE. Vel singulare pro plurali; vel mysterium Trinitatis indicatur, quam illi repræsentabant; vel unum ex illis alloquitur.

V. 4. ARBORE, scilicet quæ erat ante tabernaculum.

V. 9. DIXERUNT; pro., dixit unus illorum.

V. 10. VITA COMITE; quasi dicat, vivente te, & uxore. Chald. *Quo vos eritis vivi*. Vide IV. Reg. IV. num. 16.

V. 11. MULIEBRIA, id est menstrua.

V. 14. CONDICTUM; quasi dicat, ut prædixi, seu promisi. EODEM TEMPORE, scilicet sequentis anni.

V. 15. SED RISISTI. Redarguit Domi-

minus risum Saræ, quia dubitationis fuit; non Abrahæ, quia admirationis, & lætitiæ. August.

V. 16. DEDUCENS EOS. Remansit unus Angelus cum Abraham, duo Sodomam missi: August. in Gen. quæst. XXXIII. Nota quod qui mansit, Deus erat, secundum Iustinum in Tryph. & Epiphan. in Ancor. scilicet Deum repræsentabat.

V. 18. IN ILLO, idest per semen illius, scilicet Christum.

V. 19. FACIANT IUDICIUM, ET IUSTITIAM; idest, *recte & iuste vivant*, Hebraice. PROPTER ABRAHAM. Hebr. *super Abraham*.

V. 21. SCIAM, scilicet quomodo res habeat, vel qua pœna puniendi sint. Nota quod loquitur Deus humano more: nam ab æterno omnia scit.

V. 27. ET CINIS: id addidit, quia nomen terræ honestum quodammodo videbatur. Chrysost.

V. 33. ABIITQUE DOMINUS, idest ille Angelus, qui loquebatur cum Abraham (alii enim duo Sodomam abierant) Deumque repræsentabat; ideoque etiam supra *Dominus* dictus.

ESTII.

Vers. 2. & 3. APPARUERUNT EI TRES VIRI .... ET DIXIT, DOMINE. August. Lib. III. contra Maxim. cap. XXVI. vult, Abraham in his tribus agnovisse Trinitatem; & dicit illud, *Tres vidit, & unum adoravit*; quod canit Ecclesia. Non quin & homines, aut Angelos humana specie esse putarit (nam eis & pedes lavare, & cibos apponere voluit, immo apposuit; ipsique, ut videbatur, comederunt) sed quod interea instinctu divino tres recipiendo, & unum tantum alloquendo, hoc mysterium indicarit.

V. 10. REVERTENS VENIAM TEMPORE ISTO, ET HABEBIT FILIUM SARA. Verba sunt Angeli in persona Dei loquentis ad Abraham. Hebræa paulo obscuriora sunt, eumdem tamen sensum volunt, istum videlicet: Hoc eodem tempore post annum revolutum, quando reversus veniam ad te, Sara coniux tua, quamquam sterilis & vetula, filium habebit. Citat Apostolus pro commedenda fide ad Rom. IX. Vide nostra ibidem.

V. 12. & 13. QUAE RISIT OCCULTE..... DIXIT AUTEM DOMINUS: QUARE RISIT SARA? Reprehensa est Sara ridens, quia ex incredulitate quadam risit, sciens verisimiliter etiam antea cap. præcedenti virum suum hac de re divinitus fuisse edoctum: quæ incredulitatis species etiam ex eo apparet, quod dixit, *Non risi*. Alioqui & Abraham eadem de causa capite præcedenti risit, nec tamen reprehensus est.

V. 21. ET VIDEBO UTRUM CLAMOREM QUI VENIT AD ME, OPERE COMPLEVERINT, AN NON EST ITA, UT SCIAM. In Hebræo non additur (*ut*) tamen significatur Deum ut iustissimum iudicem non punire, nisi causa optime cognita.

V. 25. NEQUAQUAM FACIES IUDICIUM HOC. Hebræa sic habent ad verbum: *Numquid iudex omnis terræ non faciet iudicium?* interrogative: & Chaldaica ad eumdem modum. Græci quidam affirmanter, quidam interrogative interpretantur. Sed de toto sensu huius loci, an aliquando possit iustus puniri cum impio: vide cap. XXI. Ezech.

V. 32. & 33. NON DELEBO PROPTER DECEM. ABIITQUE DOMINUS, &c. Nihilominus Abrahamum specialiter adhuc exorasse pro Lot, & familia eius, satis docent illa verba capitis sequentis, ubi dicitur, quod recordatus Dominus Abrahæ, liberavit Lot.

MARIANAE.

Vers. 1. IN CONVALLE MAMBRE. Sept. *Ad quercum Mambre*. Vocis Hebraicæ ambigua, seu multiplex significatio utramque interpretationem admittit. Sed Constantini tempore quercus ostendebatur eo loco, ad quem Abraham Angelos accepit. IN IPSO FERVORE DIEI, quando nimirum viatores ad hospitia divertunt.

V. 2. TRES VIRI STANTES PROPE EUM. Nempe Abraham viros initio putavit, ad Hebr. XIII. vers. 2. *Per hanc latuerunt quidam, Angelis hospitio receptis*. *Prope eum*. Hebraice *super eum*, sed præpositio *super* Hebraica multa significat, inter alia idem quod prope, ut illud Ioan. cap. IV. *Sedebat sic supra fontem*: & Lucæ IV.

IV. verſ. 39. *Stans ſuper illam* : tum in Pſalm. XXIII. *Super maria fundavit eum*, nempe orbem terrarum prope maria.

V. 3. DOMINE: unum e tribus alloquitur; NE TRANSEAS SERVUM TUUM, id eſt domum ſervi tui.

V. 4. SUB ARBORE, quæ erat ante tabernaculum, quieſcite.

V. 6. TRIA SATA SIMILAE. *Satum* continet modium Italicum, aut modium cum dimidio, ut Hieronymus credidit Matth. XIII. verſ. 33. & Joſeph IX. Antiquit. cap. II. Modius Italicus quantum duo noſtri celemines. Sept. *tres menſuras* dixere.

V. 10. CUI DIXIT: REVERTENS VENIAM. Hebraice *revertendo revertar*; pro, revertar haud dubium. Tres accepit hoſpitio, ſed uni loquitur quaſi præcipuo, verſ. 3. & unus hic pollicetur Abrahæ filium. Revertar VITA COMITE, ſi vixero: loquitur Angelus more humano. SARA RISIT. Hic riſus non tam lætitiæ fuit quam deriſionis; ideo increpatur. Porro poſt illa verba, POST OSTIUM TABERNACULI, Hebraice additur, *Et ipſe poſt illud*, nempe Angelus erat poſt oſtium: & memento, ianuas olim foras verſus aperiri, ideoque *fores* dictas: auctor Servius.

V. 11. DESIERANT SARAE FIERI MULIEBRIA; ſcilicet, menſes, ſeu menſtrua deſierant Saræ, ſine quibus non concipitur.

V. 12. VOLUPTATI OPERAM DABO? Hebraice, *Erit mihi voluptas?* ſed vox Hebraica עֶדְנָה *hednah*, tum *voluptatem* ſignificat, tum *nitorem cutis*, ſeu *iuventutis*. Quæ occaſio extitit locum varie interpretandi: *Erit mihi nitor*, *erit mihi iuventa*. Sept. ſane locum multo aliter reddidere: *Nondum mihi fuit uſque nunc*: quam interpretationem contextus quidem paritur, ſed ſublatis punctis Hebraicis.

V. 14. NUMQUID DEO QUIDQUAM EST DIFFICILE? Vox Hebraica יִפָּלֵא *Ipale* ſignificat *difficile eſſe*, quod ſecutus eſt Hieron. & *occultari*, quod ſequitur Chald. dicens: *Numquid occultabitur a facie Domini verbum?* Prior interpretatio reſpicit promiſſionem; poſterior negationem Saræ, quæ Deum non latuit, tametſi poſtmodum refertur. IUXTA CONDICTUM, ut promiſi.

V. 15. RISISTI. Riſus Saræ arguitur, quia dubitationis; riſus Abrahæ non, quia admirationis, & lætitiæ. Auguſtinus.

V. 18. BENEDICENDAE SINT IN ILLO. id eſt per ſemen illius.

V. 21. UT SCIAM. Loquitur humano more: ſcire volo, an verus ſit clamor qui venit de Sodomitis.

V. 22. ABRAHAM VERO ADHUC STABAT CORAM DOMINO. Correctio ſcribarum, *Tikun Sopherim* dicta. Olim legebatur, *Deus ſtabat coram Abraham*. De hac correctione aliis locis plura.

V. 25. ET OCCIDAS; pro, ut occidas. NON EST HOC TUUM, QUI IUDICAS OMNEM TERRAM; quaſi dicat: Non eſt iudex ſuperior, ad quem ſit provocatio; ideo mitis eſſe debes. Ubi vero dicit, *non eſt hoc tuum*, vox Hebr. חללה *halilah*, poteſt ſignificare *abominatio tibi*, ſupple, ita facere: ſignificat etiam, *abſit a te*, per modum prohibentis.

V. 27. CUM SIM PULVIS ET CINIS. Principium deſignatur hominis, & finis in quem deſinit. In quo videtur mos fuiſſe tunc corpora extinctorum cremandi. Sept. dixere γῆ καὶ σποδός, in quo Latinus Interpres in Regiis male vertit, *Terra*, & *pulvis*, σποδὸς enim *cinis* eſt.

V. 28. DELEBIS PROPTER QUADRAGINTA QUINQUE? Sic Sept. Hebr. *propter quinque*; ſupple, qui deſunt ex quinquaginta, quos dixi. Sicque eſt in Vulgata, in Complut. & Regiis, ſed ſententia eadem eſt.

V. 33. ABIITQUE DOMINUS. E tribus duo iverunt Sodomam, tertius cum Abraham manſit. Hic completo ſermone diſceſſit.

MALVENDAE.

Verſ. 2. ADORAVIT IN TERRAM. שחה *ſchacah*, vel שחח *ſchahach*, in Hithpahel, notant habere ſignificationem reciprocam, proprieque ſignificare *abjicere ſeſe*, *inclinare*, ſeu *curvare*, aut *incurvare deorſum*, ſeu *proſternere ſe toto corpore*; *procidere totum*, *procumbere pronum alicui honoris & reverentiæ cauſa*. Latini videntur talem inclinationem ſupplicandi verbo expreſſiſſe. Svetonius in Auguſto, cap. XCIII. *Sed & Caium nepotem*, *quod Iudæam prætervehens*, *apud Ieroſolymam non ſupplicaſſet*, *collaudavit*. Et *ſupplicia deorum*, id eſt

id est sacrificia, apud Festum, & Nonium. Græci aliquando unica voce προσκυνεῖν, *adorare*, aliquando participio πέσων, *cadens procidens*, vel alio aliquo apposito circumlocuti sunt, Matth. IV. 9. *Si cadens adoraveris me*: & cap. XVIII. 26. *Et procidens adorabat eum*. Cum de Deo dicitur, internam adorationem, cuius hæc externa corporis prostratio signum certissimum est, designat; & cultum latriæ propie significat. Ut aliis quoque a Deo tribuatur, dicemus suis locis. Maximum & demississimum genus adorationis erat, cum quis alicui se toto corpore prostrabat ad terram, & facie tenus ad terram procumbebat; ut hic Abraham Deo, vel Angelis. Qui aiunt *schachach* non includere prostrationem, nesciunt Hebraismum,

V. 3. DOMINE. *Adonai*, hic cum cametz, disquirunt Hebræi num sit sacrum, an profanum. Quidam profanum censent, quasi maximum & digniorem inter tres illos sit allocutus; alii sacrum: & certe Deus erat qui in illis tribus viris Abrahæ apparebat: vel erant tres Angeli; quamvis Abraham tunc nondum esse Deum aut Angelos sciebat: nam eos ut homines invitat. Sed is, qui puncta affixit, rem ipsam, non Abrahæ cognitionem attendit.

V. 6. TRIA SATA. סאה *seab* septies præter hunc locum, occurrit in Scriptura. Noster I. Reg. XVIII. 32. *aratiunculas*, II. Regum VII. 1. 16. bis, & 18. *modium*, I. Samuel. XXV. 18., bis, & hic, *satum*. Iosephus Lib. IX Originum cap. 11. *Satum autem continet modium Italicum & dimidium*. S. Hieronymus in Matth. XIII. 33. *Satum genus est mensuræ iuxta morem Palestinæ, unum & dimidium modium capiens*. Eadem habet S. Isidorus Lib. XIV. cap. XXV. & ali. Syrum esse vocabulum quidam existimant, atque in Novo Testamento ad imitationem Hebræorum vel Syrorum dici *satum*. Volunt quidam satum Italicum esse duos Hispanicos celemines. Ad hunc locum respexit Christus Matth. XIII. 33. *Quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus*: ut plerique observarunt. SIMILAE. Heb. *farinæ similæ*. סולת *soleth*, aiunt esse *florem*, seu *delicias* farinæ triticeæ, nempe farinam tritici purissimam, purgatissimam, a סלה *salab*, quasi conculcationem, seu expressionem farinæ dixeris. De vocibus *soleth*, & similæ plura diximus in Antichristo Lib. V. cap. VI. COMMISCE. לוש *lusch* quinquies tantum legitur. Noster hic, Osee VII. 4. I. Samuel. XXVIII. 24. II. Samuel. XIII. 8. *miscere*, *commiscere* dixit; Ierem. VII. 18. *conspergere*. Aiunt esse *subigere*, *subagitare massam farinæ aqua conspersam*, more pistorum, *agitare pastam attrectando*, & *commiscendo eam*. Veteres Latini *depsere* dixerunt. Vide Nonium cap. II. §. 234. SUBCINERICIOS PANES. עוגה, *ghugab* aiunt esse *panem super carbonibus*, seu *prunis*, & *non in fornace*, *adustulatum*, *coctum*. Quidam substantive *ustulariam*, seu *ustulatam* convertunt. Aiunt esse quam Latini *Tortam subcinericiam*, *placentam ustulatam*, *panem subcinericium*, *tortam*, seu *placentam carbonibus tostam*, seu *coctam* vocant. S. Isidorus XX. Originum cap. II. *Panis subcinericius cinere coctus*, & *reversatus*: *ipse est & focatius*. *Clibanitius*, *in testa coctus*. Consentiente voce Hebræa *ghugab*, & Latina, *focatia*, est quam Hispanice dicimus *bogaza*, nam & verbum Latinum *coquo*, ab Hebraico deductum observant.

V. 7. AD ARMENTUM, בקר *bakar* nomen est collectivum communis generis, & ut צאן *tzon* de grege ovium, seu pecudum collective, id est de minoribus animalibus pascualibus, dicitur, ut sunt aves, capræ, agni, hædi; ita *bakar* de armento, id est maioribus iumentis; seu animalibus pascualibus dicitur, ut sunt boves, vaccæ, vituli: quæ hoc generali nomine insigniuntur, quia sunt in inquisitione, inspectione, & cura hominum, eorumque gubernatione opus habent. Ut cognationem habeat cum nomine transposito ברק *barak*, quod fulgurationem significat. Vide Genes. IV. vers. 2 Convenit vox Hispanica *vaqueria*.

V. 8. ET ACCEPIT BUTYRUM. חמאה *chemab*, *butyrum*, dictum volunt a חמם *chamam*, quod est *calere*, quod butyrum semper caleat, & numquam frigescat, aut congeletur; sive quod ex lacte coagulato, & per frequentem agitationem calefacto educatur.

V. 10. VITA COMITE. Heb. *Secundum tempus vitæ*. Quidam exponunt: *Cum hoc tempus vixerit*; vel *secundum tempus vivum*, vel *vivens*. Vox viventis, propria alioqui vegetantium, & animantium, tribuitur hic tempori, ut structuræ. I Paralipom. IX. 9. & lapidibus, Nehemiæ IV.

2. Con-

2. Confirmatur hæc expoſitio e verſ. 14. infra. POST OSTIUM TABERNACULI. Heb. *Et ipſum poſt eum* ; id eſt, ipſum oſtium erat poſt illum Angelum qui loquebatur ; quaſi dicat : Angelus habebat faciem averſam ab oſtio tabernaculi; ſive Angelo loquenti erat oſtium ad tergum.

V. 11. MULIEBRIA אורח *orach* , *ſemita longa & protenſa* , *via* ; & transfertur ad *morem* , *& conſuetudinem longo tempore tritam*, *& introductam* ; item ad *converſationem*. Hic *fluxum menſium* omnes interpretantur. Deſierant ei menſes fluere : unde inepta erat ad conceptum; ſive nulla erat in ea concipiendi facultas: Romanor. IV. verſ. 19. Quidam hypallagem putant : *Via ſecundum mulieres* , pro *ſecundum viam*, ſeu *conſuetudinem mulierum*. Sic Iob XXIV. verſ. 18. Similis phraſis cum nomine דרך *derec* , *via* eſt , Geneſ. XXXI. 35. Quidam exponunt : *Ceſſaverat eſſe Saræ ſemita* , id eſt mos , ficut mulieribus eſſe ſolet . Fortaſſe quia nec ſe comebat, nec ornabat , nec rei uxoriæ dabat operam , more aliarum mulierum in ætate integra.

V. 12. VOLUPTATI OPERAM DABO? Heb. *Fuit mihi voluptas* ? Maiorem ſenſum habet præteritum ; quaſi dicat : Iam diu nuntium voluptati remiſi , quia diu eſt quod conſenui. Quidam nomen עדנה *ghednah* conferunt cum עדה *ghadah* , & cum tranſpoſito ענד *ghanad* ; redduntque : *Erit mihi ornatus* , *decor alligatura* ? De cultu , & mundo muliebri dicitur verbum *ghadah*, Ezechielis XXIII. 40. quaſi dicat : Nunc me comam ornabo? Hiſpanice *Me tocare*, Valentine *Em lligare*.

V. 14. NUMQUID DEO QUIDQUAM EST DIFFICILE? Verbum פלא *pala* in Niphal notant ſignificare *mirabile*, *difficile eſſe* , *eſſe magis arduum* , *eſſe excelſus quam quod homines ratiocinatione aſſequi aut arte* , *aut factis præſtare poſſint*: nempe factum ſeu opus extra , & ſupra commu nem naturæ curſum , rationem , intellectum , iudicium , poſſibilitatem poſitum cuius nulla cauſa , aut ratio dari poteſt Alii eſſe proprie *ignotum* , *occultum* , *abſconditum* , *arcanum* , *velatum eſſe* : & quia quæ nobis velata , aut ignota ſunt , videntur nobis mira & mirifica, hinc etiam exponi , *Mirificatus fuit*, *arduus*, *& excellens fuit* , *ultra captum noſtrum* . Nonnulli conferunt cum פלה *palah* , redduntque , *Separatum* , *diviſum* , *diſjunctum fuit* : vel a cognitione, ratione, ſcientia, intelligentia , ſenſuque : vel ab actione, & viribus hominum , *captum* , *ſapientiam*, *intelligentiam* , *& facultatem humanam ſuperavit* : *mirabilis* , *gravis* , *arduus* , *difficilis factu* , *impoſſibilis*, *occultus* , *excellens fuit* , *quantitate* , *aut qualitate*, *ut ratione quis aſſequi*, *aut re præſtare nequeat* : *occultum* , *impoſſibile fuit* : quia ſane , quæ ſunt admiranda , ſunt a nobis ſeparata . Unde varie locum exprimunt. I. *An abſcondetur a Domino verbum ?* vel *Numquid Domino quidquam eſt occultum ?* aut *Latetne Deum quidquam?* II. *Numquid velatum*, id eſt impoſſibile, *erit a Domino quidquam ?* III. *Numquid arduum erit ſupra IHVH quidquam ?* IV. *An ſeparabitur a Domino verbum?* vel prohibebitur , ut ſcilicet non poſſit illud tacere? V. *An erit difficilis a Domino res?* vel *num difficile erit ipſi Deo quidquam ?* VI. *Num mirificabitur*, vel *mirum erit Deo verbum?* aut *Num poteſt eſſe Deo mirificum quidquam ?* quaſi dicat : Poteſt quidquam eſſe tam mirabile & excellens quod a Deo fieri non poſſit ? Quidam exiſtimant ad hunc locum reſpexiſſe Gabrielem Archangelum, quum ad Deiparam dixit, Lucæ I. 37. *Quia non erit impoſſibile apud Deum omne verbum* . Ubi Lucam נפלא *niphla* , per *ἀδυνατήσει* reddidiſſe volunt. Sed, ut reor, propius alluſit ad loca Ieremiæ XXXII. 17. 27.

V. 19. SCIO ENIM QUOD PRAECEPTURUS SIT. Heb. *Quoniam ſcio eum correſpondentiæ*, *ſive ad correſpondentiam* , *quod*, vel *qui mandabit*, &c. Elegans loquendi modus Hebræis : quem nos Hiſpani ſcite repræſentamus : *Se que es hombre de buena correſpondencia*, *que mandarà*, &c. De voce למען *lemaghan* vide cap. XII. ad verſ. 13. IUDICIUM, ET IUSTITIAM. Notant cum hæc duo nomina in Scriptura coniunguntur צדקה *tzedakah*, & משפט *miſchpath*, ut hoc loco , nempe *iuſtitia* , & *iudicium* , primo civiliter iudicium ſignificare alteram iudicii partem , qua rei , & nocentes damnantur ac puniuntur; iuſtitiam vero alteram partem, quæ eſt abſolvere innocentes . eoſque iuris beneficio tueri ac defendere a malorum iniuria: quod equidem nihil aliud eſt quam iuris beneficium impertiri, & benefacere iuſto: & utrumque eſſe ex officio iudicis; & utrumque feciſſe Salomo-

lomonem in historia de puero mortuo, & duabus mulieribus: & Iehu occidendo falsos prophetas, & servando veros. Sic David II. Samuel. VIII. 15. *Faciebat iudicium, & iustitiam omni populo suo*. Sic sumi volunt hoc loco, quod Abraham præcepturus esset posteris suis ut hanc utramque iuris partem exequerentur. Nam iubet nos Spiritus sanctus, ut iustificemus iusta, & damnemus iniusta: quæ si fecerimus, iudicium, & iustitiam fecisse dicimur. Quæ duo potissimum in externa & civili rerum publicarum administratione a nobis requirit, & exigit Deus. Ceterum ecclesiastice, spiritualiter, sive theologice proculdubio iudicium est vitare mala & peccata; iustitia, Deum timere, observare Dei mandata: quas duas partes David Psalm. XXXVI. 27. illis verbis expressit: *Declina a malo, & fac bonum*. Sic Isaiæ LVI. 1. *Custodite iudicium, & facite iustitiam:* & alibi sæpe. Sed hoc loco non dubito quin Abraham posteris suis iustitiam, & iudicium civiliter, & theologice esset præcepturus.

V. 20. CLAMOR SODOMORUM, & antecedentia scelera clamoris causæ: metalepsis in hac voce frequens, ut Isaiæ V. vers. 7.

V. 21. OPERE COMPLEVERINT. Heb. *Fecerunt consummationem*; id est, provexerunt peccata sua ad cumulum, impleverunt mensuram, ad extremum malorum se proiecerunt. Similis loquendi modus est supra cap. XV. 16. Quidam. *Faciant consummationem*; id est, omnino faciant. Sic accipi volunt Ezechiel. XI. vers. 13. Alii distinguunt: *An iuxta clamorem eius qui pervenit ad me, fecerint: consummatio. consumptio*, subaudi, erit eis; id est, eos consumam, consummabo, funditus perdam, vel *Num iuxta clamorem eius*, Sedom, *qui venit ad me, fecerint*: quod si ita res habet, faciam *consumptionem* in eis; id est, prorsus delebo eos.

V. 23. PERDES. ספה *sapha* duas contrarias significationes tribuunt, *addere, adiicere, contrahere, colligere, congregare*; & e contra *abstrahere, adimere, consumere, absumere, finire, perdere. perimere*: sed fere est *contrahere*, seu *colligere ad perdendum & perimendum*. Sic hic: *An contrahes, adiicies, colliges, abstrahes iustum cum improbo*? Id est, nullo discrimine iustum, & improbum in pœna habebis? ut illud Virgilii X. AEneidos:

Tros, Rutulusve fuat, nullo discrimine habebo.

Quidam hic: *An exterminabis*, vel *occides iustum cum improbo*? aliene. IUSTUM. צדיק *tzadik*, Græce Δίκαιος, *iustus*, qui vacat culpa, seu reatu, qui approbatus est, qui eam iustitiam in se habet quam descripsimus paulo ante, vers. 19. & cap. XV. ad vers. 6. aliquando iudicialiter sumitur pro eo qui sententia iudicis absolvitur, insontem dicimus, & opponitur רשע *raschagh, improbo, reo, noxio, damnato, sonti*, de quo statim. Hic ubi de pœna agitur, recte insontem intelliges. CUM IMPIO. *Raschagh* sæpius in Scriptura opponitur nomini *tzadik*, *iusto*. Aiunt significare *improbum, inquietum, turbulentum, turbidum, turbatorem, præfractum, seditiosum*: ut cognationem habeat cum verbo transposito רגש *raghasch, commoveri, agitari*: item *damnosum, damnatum, reum, nocentem, noxium, sontem*. Ingenium improborum, & nominis etymon pulchre describitur Proverb. XIV. 6. & Isaiæ L. 20. 21. quod diris & sævis animi perturbationibus agitentur. Putant a Paulo voce ἀδόκιμος, *reprobus, absurdus*, redditum I. Corinth. IX. 27. *reprobus, efficiar*; & ab interprete Matthæi XXVI. vers. 66. Ἔνοχος θανάτου, *Reus est mortis*; & a Ioanne XVIII. 30. κακοποιός, *malefactor, improbus, nocens, seditiosus*. Noster sequutus veteres, *impium* reddere solet; nos *improbum* dicemus: quem Nonius definit minime probum, sævum, turpem. Servius, nulli probandum.

V. 24. ET NON PARCES LOCO ILLI. Observant, נשא *nasa* aliquoties verbis *sustinendi, tolerandi, sufferendi, supportandi*, seu *parcendi*, exprimendum esse: ut Iob XXI. 3. *Sustinete me, & ego loquar*. Isaiæ vers. 14. *Laboravi sustinens* Psalm. LXVIII. 8. *Propter te sustinui opprobrium*. Qua etiam ratione redditum volunt in novo testamento. Actor. XIII. 18 *Mores eorum sustinuit in deserto*. Roman. IX 22. *Sustinuit in multa patientia vasa iræ*. II. Corinth. XIII. 7. *Caritas omnia suffert, omnia sustinet*. II. Corinth. XI. 1. *Utinam sustineretis modicum quid insipientiæ meæ; sed & supportate me*. Sic hic: *Et non sustinebis locum istum propter quinquaginta*? vel Non tolerabis, suffers, &c. Quidam: *Et non levabis punitionem a loco*?

V. 25. ABSIT A TE. חלילה *chalilah*, pro-

profanum, *profanatio*, *pollutio*. Vox abominantis aliquid ut profanum. Construitur cum dativo: unde reddunt, *Profanatio tibi*, sit: alii, *Prohibitio tibi*: alii, *Veta tibi*: nonnulli, *Nefas*, vel *nefarium tibi*: *Non est fas tibi*. Tametsi sit nomen substantivum, Noster & alii per verbum reddunt, *Absit tibi*, vel *a te*.

V. 27. RESPONDENSQUE ABRAHAM. Notant, verbum ענה *ghanah*, *respondit*, quando non procul subsequitur verbum אמר *amar*, *dixit*, idem valere quod Latinis *iterum*: & non semper responsionem ad priora interrogata continere; sed continuare sermonem intermissum, aut novum sermonem subiicere & attexere. Ita hoc loco, & infra cap. XXIV. vers. 50. & passim in novo testamento. QUIA SEMEL COEPI. Verbum יאל *iaal* in Hiphil variam notionem & usum videtur habere. Quidam aiunt significare actum volendi: Et quidem in novo testamento nunc per verbum *volo*, nunc per *paro*, versum esse. Noster autem communiter per *cœpit*, *incepit* reddere solet. Cum sequente aliquo verbo fere construitur. Notant proprie esse *assentiri*, seu *assensum animi præbere* ad aliquid agendum: alii *acquiescere*, *contentum esse* transferunt. In Niphal vero volunt significare *cupidum esse faciendi simul multa*, *attentare pleraque temere*, *audacem esse in attentando plurima*; quod est proprie stultorum: unde Noster *per stultescere*, *stultum fieri* reddidit, Isaiæ XIX. 13. Nume XII. 11. Ierem. V. 4. & cap. L. 36. Nonnulli vero in utraque formula, Niphal, & Hiphil exponunt, *solvit*, *resolvit*, *dissolvit*; & proprie in Hiphil significare volunt *resolvi ad aliquam actionem*, *solvere se*, *& expedire ad aliquid agendum*: quod Latinis est *incipere*, *tentare aliquid*, *aggredi*. Unde locus varie reddi potest. 1. *Ecce nunc volui loqui*; 2. *Ausus fui*, *tentavi*, *aggressus sum loqui*; 3. *Acquievi*, *contentus fui loqui*; 4. *Paravi loqui*; 5. *Stultus fui ad loqui* (Hispanice *neceare hablando*) ut sit vox venerationis plena, quasi cum Deo, qui est summa sapientia, homo non nisi stulte loqui possit; 6. *Resolvi me*, vel *resolutus sum ad loquendum*: Hispanice, *resolvi me a hablar*; 7. *Gestivi*, *cupivi loqui*.

MENOCHII.

Vers. 1. SEDENTI: more suo præstolanti peregrinos, & veluti expandenti sagenam hospitalitatis. FERVORE DIEI, tempore meridiano: tunc enim qui iter faciunt in hospitium se recipiunt.

V. 2. ELEVASSET OCULOS. Ipse in convalle, seu querceto sedebat; via vero, in qua Angeli erant, altior erat. TRES VIRI: tres Angeli virili specie. Fuisse Angelos docet D. Paulus ad Heb. XIII. 2. *Et hospitalitatem nolite oblivisci*, *per hanc enim latuerunt quidam*, *Angelis hospitio receptis*. Moses etiam cap. seq. num. 1. vocat eos Angelos, ADORAVIT IN TERRAM, civili, & orientalibus consueto honore illos veneratus.

V. 3. DOMINE. Unus eorum trium honoratior videbatur, hunc alloquitur.

V. 4. LEVATE. Non ipsi peregrini pedes lavabant, sed domestici eo munere defungebantur. Quidam Libri habent, *Laventur*. Divus Augustinus serm. LXX. de tempore, insinuat, ipsum Abraham hoc munere functum.

V. 5. PANIS. In Scriptura panis nomine omne ciborum genus comprehenditur. CONFORTATE COR: reficite vos cibo. IDCIRCO ENIM DECLINASTIS; id est, divina providentia factum est ut hac hora transeuntes hac, hospitalitatis meæ participes facti, me honoraretis. DIXERUNT: unus suo & sociorum nomine. SICUT LOCUTUS ES, modice, & parce appara.

V. 6. TRIA SATA. Satum mensuræ genus, quo arida mensurabantur. LXX. dixerunt, *tres mensuras*. SIMILAE. Simila, seu similago est ea farinæ pars, ex qua crassiores surfures excreti sunt. Hic tamen accipi videtur pro farina expurgatissima. SUBCINERICIOS PANES, extra clibanum cineribus & prunis iniectis coctos.

V. 8. STABAT IUXTA EOS, ut ministrans, & adhortans, humanitatis, & officii causa.

V. 9. COMEDISSENT, non actione vitali, sed cibo in corpus assumptum transmisso & in aerem tenuissimum resoluto. UBI EST SARA? Sciunt, sed sternunt interrogatione viam dicendis.

V. 10. CUI, Abrahæ. DIXIT, ille qui

 inter

inter tres Angelos præcipuus. REVERTENS VENIAM. Hebr. *revertendo revertar*; hoc est, certissime revertar. TEMPORE ISTO. LXX. habent *κατὰ τὸν καιρὸν τῦτον εἰς ὥρας*, *in tempore hoc in horas*; quasi dicat, ad eamdem horam. Nisi forte illud *εἰς ὥρας* significare velit quod dicimus Italice, *di questa stagione*, nam horæ Græcis sunt quatuor præcipuæ anni partes. VITA COMITE. Loquitur humano more. POST OSTIUM TABERNACULI, ubi ipsa erat; Angelus vero tergum ostio obverterat, ut notat Chaldæus.

V. 11. FIERI MULIEBRIA, fluere menstrua ad conceptionem necessaria.

V. 12. RISIT OCCULTE. Hebr. & Chald. *intra se*, ut etiam LXX. quod verbis non ausa, risu refellit: nam quidam risus est genus confutationis. DOMINUS MEUS. Vide coniugalem reverentiam. *Sara obediebat Abrahæ* (inquit D. Petrus ep. I. cap. III. nu. 6.) *dominum eum vocans*.

V. 13. DOMINUS. Angelus ille præcipuus, hac occulti risus Saræ revelatione se prodit plusquam hominem esse.

V. 14. IUXTA CONDICTUM, ut promisi.

V. 15. NEGAVIT SARA. Non est necesse, quod aliqui faciunt, Saram a mendacio vindicare. Fortasse timore consternata, non satis deliberate locuta est.

V. 16. DIREXERUNT OCULOS: iter versus Sodomam converterunt.

V. 17. NUM CELARE POTERO. Hoc postulat lex amicitiæ ut secreta communicentur. Dat etiam Dominus Abrahamo materiam exercendæ caritatis pro Sodomitis orando,

V. 18. CUM FUTURUS SIT IN GENTEM MAGNAM: maiora hæc promisi Abrahamo, cur, quod minus est, secretum hoc tegam? ROBUSTISSIMAM. Hebr. *Osseam*. BENEDICENDAE SUNT IN ILLO, per Christum semen eius.

V. 19. SCIO ENIM QUOD PRAECEPTURUS SIT FILIIS SUIS &c. Altera ratio cur non celet eum. Novi te esse iustum, ac familiam bene instituere: æquum ergo est te non ignorare causam excidii Sodomorum, ut hoc exemplo tuos abducas a sceleribus. UT CUSTODIANT VIAM DOMINI: Deum verum rite colant, eiusque mandatis pareant. FACIANT IUDICIUM. Iudicium significatur id quod Dei, sapientumque iudicio rectum est, & iustum. UT ADDUCAT. Loquitur de se Deus in tertia persona, quasi de alio. Sensus est: ut impleam quæcumque Abrahæ promisi.

V. 20. CLAMOR: est prosopopæia; quasi peccata vocem tollant, & ad Dei aures accedant, eumque ad vindictam provocent. SODOMORUM, ET GOMORRHAE. Hos tantum nominat, quia ut opibus, & nobilitate, sic flagitiis ceteris antistabant. MULTIPLICATUS. Sermo esse videtur non tantum de frequentia nefarii illius sceleris, sed de aliis etiam, quæ memorat Ezech. XVI. 49. otio, gula, inhospitalitate, crudelitate, &c.

V. 21. DESCENDAM, ET VIDEBO. Humano more loquitur; quasi dicat, accedam ut certius cognoscam. Aptum iudicibus monitum ne temere pronuntient, sed prius omnia bene considerent, cognoscant, circumspiciant. UTRUM CLAMOREM QUI VENIT AD ME, OPERE COMPLEVERINT: ut pro modo scelerum gravius, aut mitius puniam.

V. 22. CONVERTERUNTQUE, non qui cum Abrahamo loquebatur, sed alii duo Angeli. ADHUC STABAT, post duorum discessum.

V. 24. QUINQUAGINTA IUSTI. De Sodoma sola loquitur, quæ aliarum civitatum caput, & in qua degebat Lot, & quæ magis criminosa.

V. 25. QUI IUDICAS OMNEM TERRAM; quasi dicat: Mitius te agere par est, cum sis iudex omnium supremus, a quo non est ad alium provocatio, & qui es, & haberis iusti iudicii norma certissima. NEQUAQUAM FACIES IUDICIUM HOC. Hebr. sic habent,. *Absit tibi: numquid iudex omnis terræ non faciet iudicium?* quasi dicat: Absit ut tantam severitatem in has civitates expromas, ne forte videaris modum puniendi, qui recto iudicio regi debet, transiliisse.

V. 26. IN MEDIO CIVITATIS, intra ambitum civitatis.

V. 32. PROPTER DECEM. Hic substitit Abraham, Dei clementiam admirans, & ultra progredi veritus. Nullam de eripiendo Lot mentionem intulit, sat sciens eum Deo cordi esse, & divinæ illius providentiæ fidens.

T I-

TIRINI.

Verf. 22. CONVERTERUNTQUE SE, fcilicet duo Angeli (ut patet cap. feq verf. 1.) relicto apud Abrahamum tertio, qui maiestate vultus, & imperandi ac iudicandi auctoritate fpectabilior erat, Deumque referebat, de quo mox dicitur: Abraham adhuc ftabat coram Domino, & verf ult. demum, finito colloquio abiit feu difparuit. Lyranus, & Toftatus dicunt, Hebræos tra ere, hos tres fuiffe Michaelem, Gabrielem, & Raphaelem, quorum primus Dei vicem & perfonam geffit in Sodomæ fcel ribus inveftigandis & puniendis, duo pofteriores tamquam a primo miffi everterunt Sodomam, & Lot eduxerunt. Abraham quidem, & Sara initio nefciebant effe Angelos: patet Hebr. XIII. verf. 2. unde & epulo illos tamquam homines exceperunt, neque alia adoratione eos adoravit Abraham, quam qua infra capite XXIII. verf. 7. dicitur adoraffe filios Heth. Sed fenfim cum illis agendo, ex fplendore, futurorum prædictione, & aliis fignis certo deprehendit Angelos legatos Dei effe, immo Dei vicem, & perfonam gerere, maxime medium, qui inftar iudicis excidium Sodomæ intentabat. Unde ut talem longe maiori reverentia ac fubmiffione deinceps compellat, honorat, & pro Sodomis interpellat. Ita SS. Chryfoftomus, Ambrofius, Auguftinus.

GORDONI.

Verf. 1. IN CONVALLE. Hebr. באלני *beelone*, *in quercubus*, vel *convallibus*: vox utrumque fignificat: ibi Angelos excepit hofpitio.

V. 2. APPARUERUNT EI TRES VIRI. Fuiffe Angelos docet Paulus Hebr. XIII. verf. 2. Civilis hæc adoratio eft. Unum alloquitur, qui honoratior vifus eft, poftquam fe incurvaffet.

V. 4. LAVENTUR. Dicet hic aliquis affumpta ab Angelis corpora, dura non effe, ut tangi, & lavari poffint: quomodo item colorata, ut videantur? Sed occurrendum eft, poffe Angelum tum varia accidentia, tum mollitiem, & duritiem exhibere, magis aut minus refiftendo, ut agnofci non poffit ab homine, an fit corpus humanum, adhibita etiam duriore materia. Motus tamen non erit ibi vitalis, ut fciunt Philofophi.

V. 5. Hos effe Angelos non agnovit Abraham; & quod inde eft, *Adoravit*, tantum civilem honorem defignat. Magnus Doctorum confenfus eft, hic adumbrari myfterium Trinitatis, cum expreffio fit unius & trium. Dixi iam quomodo Angeli per motum localem, & applicando activa paffivis, exhibeant corpus palpabile. Nec obftat argumentum Chrifti Luc. XXIV. docentis ex tactu non effe fe fpiritum: nam argumentum Chrifti magnam quidem habebat probabilitatem, & vim fufficientem ad perfuadendum, non tamen evidentem certitudinem. PANIS complectitur Hebraico loquendi more cibos quofcumque.

V. 6. Minima Hebræis menfura erat ovum gallinaceum. Cabus continebat 24. ova: fatum fex cabos habebat: ephi tria fata. Porro decima pars ephi dabat gomor. Corus habebat decem ephi, & triginta modios. De his Exod. XVI. Corus & chorus idem funt. SIMILA hic fignificat expurgatam farinam.

V. 8. SUB ARBORE, quæ erat ante tabernaculum.

V. 9. COMEDISSENT. Non erat vitalis hæc comeftio: tranfmiffus cibus in aliud refolvebatur.

V. 10. VITA COMITE REVERTAR. Humano modo hoc dicit, fi de fe loquitur Angelus. Aliqui referunt ad Abraham, fi falvus ille erit. Porro eodem tempore, feu exeunte anno ab hoc die. Rifit Sara occulte, velut dubitans de futura prole, hac ætate. Nec forte peccavit contra fidem, nondum facta fufficiente propofitione obiecti credibilis; cum nefciret effe Angelum; & ætas obftaret oraculo. Abraham tamen ex infequenti colloquio de Sodomitis, videri poteft haufiffe maiorem notitiam aliquam. Ceterum verba, IPSA POST OSTIUM TABERNACULI, in Hebræo ambigua quibufdam funt, ob varie pofitum pronomen, nunc mafculinum הוא (immo Pagninus vertit in neutro, *ipfum*) nunc etiam & apud alios femininum היא *hi*. De qua varietate dixi fupra cap. III. verf. 14. Recte in Vulgato explicatur; item a Hieronymo. Et fatis nota eft enallage generis apud Hebræos. Certe

in Hebræo legendum eſt היא *hi*, ut olim, quicquid dicant Maſoretæ ; vel ſaltem ſit *hou*, pro *hi*.

V. 11. MULIEBRIA, menſtrua, DEFIERANT, ſine quibus non concipit mulier. Sept. τὰ γυναικεῖα.

V. 12. RISIT OCCULTE. Hebr. *Riſit intra ſe*. Nomen Iſaac a riſu. Riſus Saræ arguitur, quia dubitationis fuit. Non tamen riſus Abrahæ, quia admirationis, & lætitiæ eſt, ex Auguſtino, ut dicebam cap. XVII. verſ. 17.

V. 13. IUXTA CONDICTUM, ſicut promiſi.

V. 16. DIREXERUNT OCULOS, converterunt ſe.

V. 19. Dat cauſam cur revelet Abrahamo excidium Sodomorum.

V. 20. Agit de excidio.

V. 21. VIDEBO. In Scriptura aliquando Deus dicitur mala & peccata ignorare.

V. 22. CONVERTERUNT: abierunt duo, tertius perſtabat loquens cum Abrahamo uſque ad finem capitis. STABAT, rogaturus pro Sodoma.

V. 33. ABIITQUE, ſcilicet Angelus qui loquebatur cum Abraham: nam abierant alii duo Sodomam.



CAPUT XIX.

Lot, Angelis hoſpitio ſuſceptis, a Sodomitis vim patitur: cum uxore, & utraque filia a Sodomitico ereptus incendio, uxorem in via amiſit: tandemque inebriatus, cum utraque filia inceſtum ignorans commiſit, unde ortum habuerunt Moabitæ, & Ammonitæ.

1 VEneruntque duo Angeli Sodomam veſpere, * & ſedente Lot
in foribus civitatis. (*a*) Qui cum vidiſſet eos, ſurrexit, &
ivit obviam eis, adoravitque pronus in terram, 2. & dixit:
Obſecro, domini, declinate in domum pueri veſtri, & manete
ibi: lavate pedes veſtros, & mane proficiſcemini in
viam veſtram. Qui dixerunt: Minime, ſed in platea manebimus.
3. Compulit illos oppido ut diverterent ad eum;
ingreſſiſque domum illius fecit convivium, & coxit azyma; & comederunt.
4. Prius autem quam irent cubitum, viri civitatis vallaverunt domum a puero
uſque ad ſenem, omnis populus ſimul. 5. Vocaveruntque Lot, & dixerunt
ei: Ubi ſunt viri qui introierunt ad te nocte? Educ illos huc, ut cognoſcamus
eos. 6. Egreſſus ad eos Lot, poſt tergum occludens oſtium, ait: 7. Nolite,
quæſo, fratres mei, nolite malum hoc facere. 8. Habeo duas filias, quæ
necdum cognoverunt virum: educam eas ad vos, & abutimini eis ſicut vobis
placuerit, dummodo viris iſtis nihil mali faciatis, quia ingreſſi ſunt ſub umbra
culminis mei. 9. At illi dixerunt: Recede illuc. Et rurſus, Ingreſſus es,
inquiunt, ut advena; numquid ut iudices? Te ergo ipſum magis quam hos
affligemus. (*b*) Vimque faciebant Lot vehementiſſime; iamque prope erat ut
effringerent fores. 10. Et ecce miſerunt manum viri, & introduxerunt ad ſe
Lot, clauſeruntque oſtium; 11. & eos, qui foris erant, (*c*) percuſſerunt cæcitate
a minimo uſque ad maximum, ita ut oſtium invenire non poſſent. 12.
Dixerunt autem ad Lot: Habes hic quempiam tuorum? Generum, aut filios,
aut filias, omnes, qui tui ſunt, educ de urbe hac: 13. delebimus enim locum
iſtum, eo quod increverit clamor eorum coram Domino, qui miſit nos

ut

ut perdamus illos. 14. Egressus itaque Lot, locutus est ad generos suos qui accepturi erant filias eius, & dixit: * Surgite, egredimini de loco isto: quia delebit Dominus civitatem hanc. Et visus est eis quasi ludens loqui. 15. Cumque esset mane, cogebant eum Angeli, dicentes: Surge, tolle uxorem tuam, & duas filias quas habes: ne & tu pariter pereas in scelere civitatis. 16. Dissimulante illo, apprehenderunt manum eius, & manum uxoris, ac duarum filiarum eius, eo quod parceret Dominus illi. 17. (*d*) Eduxeruntque eum, & posuerunt extra civitatem, ibique locuti sunt ad eum, dicentes: Salva animam tuam: noli respicere post tergum, nec stes in omni circa regione; sed in monte salvum te fac, ne & tu simul pereas. 18. Dixitque Lot ad eos: Quæso, Domine mi, 19. quia invenit servus tuus gratiam coram te, & magnificasti misericordiam tuam quam fecisti mecum, ut salvares animam meam, nec possum in monte salvari, ne forte apprehendat me malum, & moriar: 20. Est civitas hæc iuxta, ad quam possum fugere, parva, & salvabor in ea: numquid non modica est, & vivet anima mea? 21. Dixitque ad eum: Ecce etiam in hoc suscepi preces tuas, ut non subvertam urbem pro qua locutus es. 22. (*e*) Festina, & salvare ibi: quia non potero facere quidquam donec ingrediaris illuc. Idcirco vocatum est nomen urbis illius Segor. 23. Sol egressus est super terram, & Lot ingressus est Segor. 24. (*f*) Igitur Dominus pluit super Sodomam, & Gomorrham sulphur, & ignem a Domino de cælo: 25. & subvertit civitates has, & omnem circa regionem, universos habitatores urbium, & cuncta terræ virentia. 26. (*g*) Respiciensque uxor eius post se, versa est in statuam salis. 27. Abraham autem consurgens mane, ubi steterat prius cum Domino, 28. intuitus est Sodomam, & Gomorrham, & universam terram regionis illius; viditque ascendentem favillam de terra quasi fornacis fumum. 29. Cum enim subverteret Deus civitates regionis illius, * recordatus Abrahæ, liberavit Lot de subversione urbium in quibus habitaverat. 30. Ascenditque Lot de Segor, & mansit in monte, duæ quoque filiæ eius cum eo (timuerat enim manere in Segor) & mansit in spelunca ipse, & duæ filiæ eius cum eo. 31. Dixitque maior ad minorem: Pater noster senex est, & nullus virorum remansit in terra qui possit ingredi ad nos iuxta morem universæ terræ. 32. Veni, inebriemus eum vino, dormiamusque cum eo, ut servare possimus ex patre nostro semen. 33. Dederunt itaque patri suo bibere vinum nocte illa: & ingressa est maior, dormivitque cum patre; at ille non sensit nec quando accubuit filia, nec quando surrexit. 34. Altera quoque die dixit maior ad minorem: Ecce dormivi heri cum patre meo, demus ei bibere vinum etiam hac nocte, & dormies cum eo, ut salvemus semen de patre nostro. 35.* Dederunt etiam & illa nocte patri suo bibere vinum: ingressaque minor filia, dormivit cum eo; & ne tunc quidem sensit quando concubuerit, vel quando illa surrexerit. 36. Conceperunt ergo duæ filiæ Lot de patre suo. 37. Peperitque maior filium, & vocavit nomen eius Moab: ipse est pater Moabitarum usque in præsentem diem. 38 Minor quoque peperit filium, & vocavit nomen eius Ammon, id est filius populi mei: ipse est pater Ammonitarum usque hodie.

(*a*) Hebr. XIII. 2. (*b*) II. Pet. II. 8. (*c*) Sap. XIX. 16. (*d*) Sap. X. 6. (*e*) Sap. X. 6. (*f* Deut. XXIX. 23. Isa. XIII. 19. Ierem. L. 40. Ezech. XVI. 48. Osee XI. 8. Amos IV. 11. Luc. XVII. 29. Iudæ VII. (*g*) Luc. XVII. 32. Sap. XVIII. 3.

BRU-

BRUGENSIS

Romanae Correctiones.

V. 1. *Et sedente Lot.* Neque coniunctio *&* hinc auferenda est.

V. 14. *Surgite, egredimini.* Hic non est interponenda, aut addenda coniunctio *&*.

V. 29. *Recordatus Abraha liberavit Lot.* Alii: *Recordatus est Abraha, & liberavit Lot.*

V. 35. *Dederunt etiam & illa nocte.* Quidam etiam gravant verbum *dederunt* particula encliitica *deduruntque.*

COMMENTARIA

SA.

Vers. 2. PUERI, id est servi.

Vers. 8. EDUCAM. Putavit oblatione hac furorem populi placandum, nec illum acceptaturum quod offerebatur. Chrys. hom. XLIII.

V. 11. QUI FORIS ERANT. Hebr. *Qui erant ad ostium.* CAECITATE. LXX. *ἀορασία*; quasi dicat, avidentia, qua scilicet aliqua videntur, alia non videntur. Sic qui percussi ab Eliseo., & discipuli, Lucae XXIV. Aug. in Gen. quaest. XLIII.

V. 14. LUDENS; quasi dicat, non serio.

V. 15. SCELERE, id est sceleris punitione.

V. 16. DISSIMULANTE. Hebr. *tardante.* PARCERET, id est, vellet eripere.

V. 17. RESPICERE POST TERGUM. Id Lucae IX. pro poenitere accipitur; at hic proprie accipitur. CIRCA REGIONE. Hebr. *planitie.*

V. 19. MAGNIFICASTI MISERICORDIAM; idest, maxima usus es erga me misericordia. NEC POSSUM IN MONTE SALVARI. Turbatione timoris Deo non credit: sic & filias voluit prostituere. Aug. in Gen. quaest. XLIV.

V. 22. SEGOR, idest parva, Hebr. *Tsohar* צער.

V. 24. PLUIT DOMINUS A DOMINO, idest Filius a Patre. Aug. locut. Gen. cap. XXX. & in Gen. quaest. LIX. *A Domino*, idest *a se*, Hebr. Haec subversio dicitur a quibusdam facta anno 51. a confusione linguarum.

V. 26. POST SE, idest post tergum. Hebr. *post eum*, idest aversa a tergo viri, quem sequebatur. Chald. *post se.* LXX. *retrorsum.* SALIS, scilicet metallici, qui est durissimus. Est quidem sal sapientiae symbolum, & hic positus ad insipientium admonitionem.

V. 27. STETERAT, scilicet saepe interrogans Deum.

V. 28. FAVILLAM: alii *vaporem* vel *fumum* vertunt.

V. 35. CONCUBUERIT. Hebr. *accubuerit*, scilicet filia, ut supra.

V. 38. AMMON. Hebr. *Ben Ammi*, בן עמי id est *filius populi mei.*

ESTII.

Vers. 3. COMPULIT ILLOS UT DIVERTERENT AD EUM. Sic & capite praecedenti Abraham occurrit, obsecratque hospites ut ad se divertant. Et ad haec duo exempla respexit Apostolus Hebr. XIII. cum dixit: *Hospitalitatis nolite oblivisci: per hanc enim quidam latuerunt, Angelis hospitio receptis*; id est, latenter Angelos receperunt, quos existimabant homines. Sic enim legendum est iuxta Sixtina Biblia ex original. non autem *placuerunt.* Sic & de discipulis in Emaus: *Et coegerunt eum.*

V. 8. EDUCAM EAS AD VOS, ABUTIMINI ILLIS. Si ista fuisset nuda permissio minoris mali ad evitandum malum gravius, peccatum non esset. Ita enim in lege permissus est libellus repudii ad evitandum mala, quae ex odiis coniugum sequebantur, & nunc permittuntur lupanaria, ad praecavendum promiscua stupra. Sed quia non sola fuit permissio, sed cooperatio quaedam per hoc quod dixit: *Educam eas, &c.* hinc probabilius putatur Lot non omnino a peccato excusandus; licet perturbatio, & studium defendendi hospi-

tis.

tes peccatum minuerint. Vide Aug. quæst. XLII. in Genes.

V. 12. HABES HIC QUEMQUAM TUORUM GENERUM, AUT FILIOS, AUT FILIAS? De generis quomodo accipiendum sit, mox explicatur, dum Scriptura commemorat, Lot egressum fuisse, & locutum ad generos suos, qui accepturi erant filias eius. Sed quid agimus de filiis? An Angeli ignorabant Lot non habere filios? Resp. Angelos locutos ut peregrinos ac ignaros, etsi Dei nuntios: non enim necesse est Dei internuntios omnia omnino scire.

V. 22. NON POTERO FACERE QUICQUAM, DONEC INGREDIARIS ILLUC. Sensus est, quod stante illo promisso, quo Deus promiserat se servaturum Lot in Segor, non poterat Deus subvertere Sodomam, priusquam Lot in Segor venisset. Et ex his patet non inconvenienter dici, quod Deus per sua promissa, nobis debitor fiat. Atque ita de Deo loquuntur interdum PP. ut Aug. serm. XVI. de verbis Apostoli, & in enarratione secunda Psalm. XXXI. item Gregorius homilia XXXVII. super Evangel. Vide in I. Sent. dist. XLIV.

V. 24. IGITUR DOMINUS PLUIT SUPER SODOMAM.... A DOMINO. Prudent. contra Unionotas de hoc sic: *A Domino Dominus flammas pluit in Sodomitas*. Et clarius se explicans subiungit: *Quis Dominus? de quo Domino? Si solus ab arce siderea spectat Pater*, &c. innuens Patrem per Filium pluisse. Alii tamen volunt hanc geminationem tantum more Hebræo factam.

V. 26. VERSA EST IN STATUAM SALIS. De ea Sap. x. sic: *Incredibilis animæ memoria stans figmentum salis*. Liranus refert statuam hanc non minui, quantumcumque animalibus eam lambentibus: sed fabula videtur. Nihilominus petram hanc figuram mulieris, similitudinem salis aquæ habuisse, (sicut Christus dicit sal terræ. & Gregorius & Hilarius meminerunt petræ salis) arguit mysterium significatum: de quo sic inter alios Augustinus de cantico novo cap. IV. *In statuam salis conversa est, ut fatuos suo exemplo condiret, ut discant non retrospicere*.

V. 31. ET NULLUS VIRORUM REMANSIT IN TERRA. Dubium utrum putarint in tota terra, an tantum in terra vicina? Si priori modo, excusabilius fuisset puellarum factum; sed quoquo modo, debuissent prius inquirere an superessent viri. Vide seq.

V. 32. VENI, INEBRIEMUS EUM VINO, DORMIAMUSQUE CUM EO. Aug. Lib. XXII. contra Faustum cap. XLIV. disputat de facto Lot, utrum, & quatenus excusari possit. Chrysost. in hunc locum non modo ebrietatem Lot, verum etiam factum filiarum excusare videtur. Sed certe, salva Chrysostomi reverentia, non recte; etsi propter honestum finem minus peccatum fuerit. An vero Lot ab ebrietate excusari possit, quasi vim vini ignorarit, nec hoc videtur: nam mirum si pater, vir dives, & hospitalis vim vini non sciret, quam (ut videmus) bene norant filiæ. Itaque nec Lot ab omni peccato excusari posse videtur.

V. 33. AT ILLE NON SENSIT, NEC QUANDO ACCUBUIT, NEC QUANDO SURREXIT: non quasi concubitum commiserit dormiens, aut nihil sentiens; sed quod ita fuit vino consopita eius ratio, ut more brutorum nihil cogitans cum qua misceretur, ad coitum moveretur præsente femina, de uxoris morte, vel omnino de uxore nihil cogitans, immo nec postridie sciens se cum muliere concubuisse: quomodo aliqui qui homicidium committunt ex ebrietate, postridie nesciunt se id fecisse. Sic Bonavent. in II. distinct. XXII. in fine: *Non sensit*, id est non discrevit.

MARIANAE.

Vers. 1. VENERUNTQUE DUO ANGELI SODOMAM. Hebræi tres Angelos venisse putant tribus negotiis præfectos: unum, ut partum Saræ nuntiaret, quo facto mansit cum Abraham: August. in Gen. quæst. XXXIII. alterum, ut Lot educeret; tertium, ut Sodomam everteret. Quidam etiam e nostris Angelum cum Abraham locutum putarunt fuisse Christum, seu Dei Filium, ut testatur August. de Civit. Dei Lib. XVI. cap. XXIX. sic vocatur Dei nomine, eum veneratur Abraham, & ad eum dirigit sermonem. SEDENTE LOT IN FORIBUS. Ad portas civitatis erant fora, & mercatus. *Quando sederit in portis vir eius*: Prov.

XXXI.

xxxi. verſ. 23. ſic Ruth 4. *aſcendit Booz ad portam*, *& ſedit ibi*.

V. 2. DECLINATE IN DOMUM PUERI VESTRI, id eſt ſervi veſtri. *In Domum*, ita ut ibi pernoctetis. Ea eſt vis verbi לינו *Linu*, pro quo Noſter dixit, *Manete ibi*. IN PLATEA MANEBIMUS. Excuſatio hæc acuit potius invitantem, ut magis invitet.

V. 3. COMPULIT ILLOS OPPIDO. Vox יפצר *iphzar* eſt proprie *multis verbis*, *& precibus urgere*, ut ait Hebræus Schol. FECIT CONVIVIUM. משתה *miſtheh* Hebraicum a bibendo deducitur, ſicut & *συμπόσιον* Græcum. Nec crediderim Latinam vocem diſcrepare, ſed deduci a combibendo, duplici b mutata in u.

V. 4. OMNIS POPULUS SIMUL. Hebr. *Omnis populus a fine ab extremo*, nempe urbis gravem furorem.

V. 8. SUB UMBRA CULMINIS MEI. Hebr. *tigni mei*; pro tecti mei, domus meæ.

V. 9. INGRESSUS ES, INQUIUNT, UT ADVENA. Hebr. *Unus venit ad peregrinandum*, *& iudicando iudicabit*.

V. 11. PERCUSSERUNT CAECITATE. Ἀ'ορασία fuit hæc, qua videntes alia, domus portam videre non poterant. Auguſt. in Gen. quæſt. XLIII. ſic qui quærebant Eliſæum: ſic diſcipuli, Lucæ XXIV. Chriſtum non agnoſcebant.

V. 15. IN SCELERE CIVITATIS, vel in punitione, ne pereas.

V. 16. DISSIMULANTE, *tardante*, Hebr. ſcilicet Lot.

V. 18. QUAESO DOMINE MI. Convertit ad unum ſermonem, quia alter feſtinabat reverti ad excidium.

V. 19. QUIA INVENIT SERVUS TUUS GRATIAM. Magnanimo beneficia ab ipſo accepta commemorat, non illi data: Ariſtot. NEC POSSUM IN MONTE SALVARI. Præ timore non credit ſe in monte evaſurum.

V. 21. SUSCEPI PRECES TUAS. Hebr. *faciem tuam*; ſed perinde eſt.

V. 22. VOCATUM EST NOMEN URBIS ILLIUS SEGOR, id eſt parva. Antea ſuperius dicta eſt *Segor*, ſed per anticipationem.

V. 24. DOMINUS PLUIT.... A DOMINO. Antiqui ex repetitione colligebant myſterium Trinitatis; quaſi dicat, pluit Filius a Patre. Id verum eſſe, Concilium Sirmienſe cap. XIV. anathemate ſancit. Novi Expoſitores explicant: *Pluit Dominus a Domino*, id eſt de cælo, vel a ſe.

V. 26. POST SE, *retrorſum*, Sept. VERSA EST IN STATUAM SALIS, antequam Lot perveniret Segor; & ibi ea ſtatua extabat Ioſephi & Hieronymi ætate. Nolebat Deus ut illi ad urbem converterent oculos, ne amor rerum relictarum revocaret retro. Sal metallicum erat quod imbre non liqueſcit. Plin. Lib. XXXI. cap. VII.

V. 28. QUASI FORNACIS FUMUM. כבשן *chibſan*, ait Hebræus, ſignificat *fornacem calcis*, *ſeu calcariam*. Adverte, Angelos qui iverunt Sodomam, non vocari Dei nomine ineffabili, ſed ſolum eum qui cum Abraham eſt locutus. Veteris incendii veſtigia, terra torrida infrugiferaque; poma extrinſecus pulchra, intus cinere repleta. Tacitus Libro XXI. Solinus cap. XLVIII.

V. 32. VENI, eia, age: verbum pro adverbio: INEBRIEMUS EUM.

V. 35. QUANDO CONCUBUERIT. Hebr. *Cubuerit illa*, ſcilicet filia.

V. 38. NOMEN EIUS AMMON. Stephanus de urbib. *Lotus quidam filium habuit Ammæum*, *a quo Ammanitæ Arabes dicti*.

MALVENDAE.

Verſ. 1. ET MANE PROFICISCEMINI. Pro *mane* Heb. eſt שכם *ſchacam*, quod eſt *mane ſurgere*, *diluculo ſurgere*. *Manicare* dixit Lucæ Interpres, XXI. 38. Manicandi verbum eſſe Latinum, & veteri Iuvenalis Interpreti uſurpatum, alibi docemus. Gellius Lib. VII. cap. 1. & Lib. II. cap. XXIX. *diluculare* dixit. Quidam conferunt cum שכם *ſchechem*, *humero*, quaſi ſit erigere humerum ſurgendo de lecto: ridicule. Alii *maturinare* reddunt. Nonnulli ſimpliciter *ſurgere*, *levare*. Hiſpanice *levantarſe*. Annotant, quando *ſchacham* abſolute ponitur, eſſe *mane ſurgere*, *maturinare*, *manicare*, *diluculare*; quando vero ei adiungitur nomen בקר *boker*, *mane diluculo*, verbo ſimplici *ſurgendi* vertendum, ne fiat inutilis repetitio. Sed tunc *boker* putaverim ſenſum augere, & maturam, celeremque manicationem indicare: nam eiuſmodi repeti-

petitiones ad auxesin Hebræis esse familiares, nimis est pervagatum. Sic c. IX. vers. 14. *nubificare nubem*, & cap. XXXII. 13. *pernoctare nocte*.

V. 3. COMPULIT ILLOS. פצר *patzar* aiunt, quando construitur cum *Beth*, ut hic, significare proprie *rumpere in aliquo homine*, quando quis veste aliquem secum abrumpit, ac trahit, alioquin invitum ac nolentem: ut habeat cognationem cum verbo פרץ *paratz* transposito. Unde hic vertunt: *Et rupit in eis valde*. Hispanice eleganter, *Rompio con ellos*. Aliqui volunt esse *instare*, *perseverare*, *irruere in aliquem rogando*, *efflagitando*. Alii per *vim facere* exponunt. Noster, *Compulit*, *coegit* reddere solet. Luc. XXIV. 29. per *cogere* videtur interpretatus. Sic vers. 9. infra. CONVIVIUM, משתה *mischteh* Hebræis dicitur a bibendo, quasi bibale, ut Græcis *symposium* a compotando: *compotationem* proprie vertas, seu convivium, in quo apponitur potus: nam convivium, quasi combibium dictum quidam existimavere; quamvis Cicero a vitæ convictu dictum malit. ET COXIT AZYMA, מצה *matzah* Græci, & Noster eos secutus *azyma* transferunt, id est infermentata: aiunt esse placentas, seu tortas compressas & subagitatas ex puriore farina, extracta & educta, quasi expressa & emulsa ex viliore. a verbo מצץ *matzatz*, quod est *exprimere*, *emulgere*. Convenit vox Græca *maza*, & Latina *massa*, seu *pasta*. Notant, coxisse azyma, ut mature comederent, & se ad quietem componerent. Vide supra cap. XVIII. VI.

V. 5. UT COGNOSCAMUS EOS. Observant, adeo deploratos fuisse ut, abiecto omni pudore, turpissimum suum flagitiosissimumque animum palam profiterentur. Atque hinc dictam in vulgo *sodomiam*. Vide simile Iudic. XIX. vers. 22. *Cognoscere*, pro coitu venereo, ut supra cap. IV. vers. 1.

V. 8. HABEO DUAS FILIAS .... EDUCAM EAS AD VOS, ET ABUTIMINI EIS .. DUMMODO VIRIS ISTIS NIHIL MALI FACIATIS. Quidam: Tanta erat olim hospitalitatis reverentia ut suorum hospitum incolumitatem suis etiam damnis redimerent, & se quidvis subire paratos esse ostenderent potius quam ut ius hospitii, quod sanctum est, violaretur. Nec tamen propterea probari, aut in exemplum trahi potest quod hic Lot, aut Iudicum XIX. vers. 24. Ephrathæus ille facit: quia facienda non sunt mala, ut eveniant bona. Sed Loti verba amolientis sunt, ut hac tam iniqua oblatione, & damno rerum suarum, familiæque suæ, civium animos emolliret.

V. 9. UT IUDICES. Heb. *Et iudicavit iudicare*; id est, vult nobis imperitare, leges, & vivendi rationem præscribere: perpetuus est censor morum, & vitæ nostræ, morosus & fastidiosus nobis. Nam hanc esse volunt vim huius Hebraismi. Vide II. Petri II. vers. 8.

V. 11. CAECITATE. סנורים *sanverim* vox quadrata, & peregrina videtur, quam usum Mosen volunt, ad significandam ingentem & densissimam occæcationem seu cæcitatem: nam & quatuor litteræ, & pluralis numerus, id potissimum indicant, nempe crassissimam excæcationem. Hebræi aiunt, esse eam cæcitatem quæ in corde sit, & in oculis, cum quis videns nescit quid videat, ut in magna luce; quasi dicas hallucinationes. Græci Interpretes *aorasiam* dixerunt, Chaldæi *irradiationes*; quasi radiis percussi oculi nihil penitus cernant. Quidam componunt ex אסון *ason*, id est, *damnum*, *periculum*, & עור *ghivver*, *cæcus*, quasi damnum & periculum cæcorum, qui capti sunt oculis: vel ex סנה *seneh*, *rubus*, qui propter densitatem frondium tenebrosus est & cæcus; vel tamquam si oculos spinæ iniectæ perfoderent. Sed ut dixi, vox peregrina videtur. Ter tantum legitur in Scriptura, hic, & II. Regum VI. 17. bis. *Præstrictiones oculorum*, & *hallucinationes*, quidam exponunt: alii *scocomata*, seu *vertigines*.

V. 15. QUUMQUE ESSET MANE. Hebr. כמו *chemo*, *sicut aurora ascendit*. Hinc nostrum Hispanicum, *Como subio la aurora*. COGEBANT EUM ANGELI. אוץ *utz* in Hiphil bis tantum legitur, hic, & Isaiæ XXII. 4. ubi Noster *incumbere* dixit, quod hic recte quadret: *Et incumbebant Angeli in Lot*; id est, eum urgebant. Alii reddunt: *& properare*, *festinare*, *accelerare fecerunt Angeli ipsum Lot*. Quidam: *Instabant*, *urgebant*, *premebant*, *arctabant Angeli ipsum Lot*. Alii, *Solicitabant*.

V. 16. DISSIMULANTE ILLO. Verbum quadratum מהמה *mahmah* in Hithpahel novies tantum in Scriptura ponitur;

nec in alia coniugatione legitur. Noster varie reddidit, Gen. XLIII. 10. *differre*, II. Samuelis xv. 28. *abscondi*, Iudicum III. 26. & Psalm. CXVIII. 60. *turbari*, Exodi XII. 39. & Habacuc II. 3. *moram facere*, Isaiæ XXIX. 9. *obstupescere*, Iudicum XIX 8. omisit transferre, aut dixit *assumptis viribus*, hic *dissimulare*. Quidam aiunt, proprie esse *turbari*, *interturbari*, *tumultuari*, *distrahi negotiis* ex vicinis verbis המה *hamah*, & במם *bamam*; nec esse verbum dubitantis, sed deliberantis, & disputantis, seu interturbati & occupati animi & distracti in re aliqua. Putant a Luca x. 40. 41. versum per περιεσπᾶτο, & per τυρβάζῃ, *satagere*, *distrahi*, *turbari circa plurima*. Ego vero & quadraturam, & coniugationem verbi existimo plurimum eius significatum intendere, ut maximam turbationem. & distractionem tunc Loti significet; quasi tunc multum turbatus sategerit, & circumcursaret, ac distraheretur ad colligendas res suas; & multum cunctaretur, ac moram traheret. Quidam *tardare*, *morari* exponunt. Alii, *Aliquantulum cunctari*, *aliquantisper remorari*, *differre aliquamdiu*, *comprehendere iniquitatem temporis*: ut cognationem habeat cum מה *meh*, *quantulum*, & יום *iom*, *dies*, quasi sit differre de die in diem. Sed hoc est in etymis futiliter nugari. Quanto satius fuerit ignorantiam profiteri. Nec desunt qui *negligere*, *posthabere* interpretentur, quod Noster hic *dissimulare* dixit. Nec prorsus aliene vertas, *Et obstupuit*; quasi præ metu, & rei novitate stuperet, atque torperet. Ego verbum proprie *moram*, *torporem*, *tardationem* denotare puto, quæ significatio cunctis locis recte aptari potest, Proprie: *Et interturbare sese fecit*. EO QUOD PARCERET. Nomen est חמלה *chemlah*, quod cum bis tantum in Scriptura occurrat, Isaiæ LXIII. 9. *indulgentiam* Noster exposuit, hic fere omnes reddunt: *In parsione*, *parcentia*, *ignoscentia*, *mollitudine*, *commiseratione*, *venia*, *clementia*, *indulgentia* IHUH *semper eum*.

V. 17. SALVA ANIMAM TUAM. Heb. *Eripe te, ad vitam tuam attendens*: eclipsis coniugati.

V. 18. DOMINE MI. Heb *Adonai* est cum *cametz*, & videtur esse sacrum: unde Lot videtur iam cognovisse illos Angelos, qui vices Dei gerebant.

V. 19. INVENIT GRATIAM; id est, venit in gratiam, iniit gratiam, consecutus, nactus est gratiam. Sic hoc verbum sæpe sumitur in Scriptura: ut Lucæ I. vers. 30. & Romanor. IV. I. MISERICORDIAM TUAM, חסד *chesed* primaria, inquiunt, ac propria significatione idem Hebræis notat quod Græcis στοργὴ, hoc est affectum illum pietatis, aut caritatis, quo parentes naturaliter tanguntur erga liberos, & vicissim ii erga illos; quo frater erga fratrem, amicus erga amicum afficitur. Potest autem, & licebit reddi secundum sententiæ commoditatem. *Nunc pro gratia*, *nunc pro caritate*, *nunc pro pietate*; *nunc pro beneficentia*, seu *benignitate*, vel *beneficio*, *nunc pro gratitudine*, *nunc pro sanctitate*, seu *bonitate*. Græci ἔλεος, id est *misericordia*, verterunt, quos fere semper secutus est Noster. Paulus videtur exposuisse *caritas*, seu *dilectio*.

V. 21. SUSCEPI PRECES TUAS. Hebr. *Levavi facies tuas*. Notant, *levare faciem alterius*, idem valere quod nobis, acceptare, præferre, anteferre, habere alicuius hominis respectum; & esse acceptationis, favoris, benevolentiæ, & gratiæ. I. Samuel XXV. 35. *Audivi vocem tuam*, & *levavi*, *acceptavi*, Noster *honoravi faciem tuam*. II. Reg. III. 14. *Nisi faciem Iosaphath regis Iuda levarem*, id est acceptarem, Noster *erubescerem*. Sic hoc loco exponunt: *Ecce levavi*, *acceptavi*, *facies tuas etiam in hac re*; quasi dicat: Etiam in hac re volo tibi gratificari.

V. 22. IDCIRCO VOCATUM EST NOMEN URBIS SEGOR. Heb. *Propterea vocavit*, vel impersonaliter, *vocatum est nomen urbis Tzoghar*, id est *parva*, *modica*, *exigua*, *vilis*. Hæc prius appellata fuit Belagh, Genes. XIV. vers. 2. & 8. de qua S. Hieronymus in Traditionibus: *Bala lingua Hebræa* καταπόσις, *id est devoratio*, *dicitur*. *Tradunt igitur Hebræi*, *hanc eamdem in alio Scripturarum loco* I. Samuel. IX. 4. *Salisam nominari*, *dicique rursum* μόσχον τριτίζουσαν, *id est vitulam conternantem*, Isaiæ XV. 5. *quod scilicet tertio motu terræ absorpta est*. *Et ex eo tempore*, *quo Sodoma*, & *Gomorrha*, *Adama*, & *Seboim divino igne subversæ sunt*, *illa Parvula nuncupatur*. *Siquidem Segor transfertur in Parvulam*, *quæ lingua Syra Zoara dicitur*. Et in locis Hebraicis: *Bala*, *quæ est Segor*, *nunc Zoara nuncupatur*, *sola de quinque Sodomo-*

domorum urbibus , Lot precibus reservata . Imminet autem mari mortuo , & præsidium in ea positum est militum Romanorum: habitatoribus quoque propriis frequentatur : & apud eam gignitur balsamum , & poma palmarum , antiquę ubertatis indicia . Nullum autem moveat quod Segor eadem Zoara dicitur , cum idem sit nomen Parvulæ vel Minoris ; sed Segor Hebraice , Zoara Syriace nuncupatur . Bala autem interpretatur Absorpta : super quo in libris Hebraicarum Quæstionum plenius diximus . Et rursus : *Segor, quæ & Bala , & Zoara , una de quinque civitatibus Sodomorum, ad preces Lot de incendio reservata , quæ usque nunc ostenditur . Meminit huius & Isaias in Visione contra Moab .* De præsidio Romano posito Zoaræ in Notitia Imperii hæc habentur : *Equites sagittarii indigenæ , Zoaræ* , scilicet stativa habebant. Ceterum unum & idem omnino nomen est, quod Hebraice dicitur *Tzoghar*, & Syriace *Tzoghara*, addito tantum *He* finali, vel *Aleph*. Zoara pagi Palæstinæ meminit Stephanus Byzantius : & Zoaram Petræ ac Arabiæ attribuit Ptolemæus Lib. V. cap. XVII. & Iosephus Lib. V. Belli cap. v. quod Petra non multum absit a lacu Asphaltite . Segor describunt pluribus sacri geographi . Vvilhelmus Tyrius Lib. XXII. Belli sacri cap. XXX. ait suo tempore appellatam *Palmer*, nempe a palmetis, quæ ibi frequentia. Iacobus Vitriacus in Historia Ierosolymitana , cap. LIII. *Paumier* habet . Vide Iosue XV. 54.

V. 24. PLUIT . Verbum המטיר *himtir* in Hiphil magnam vim & impetum pluendi designat , ut non pluere , sed ruere de cælo viderentur torrentia ignis, & sulphuris , nempe fulmina , uti Iosephus , & omnes intelligunt . SULPHUR . גפרית *gophrith* aiunt esse, *gummi genus seu bituminis, aut materiæ glutinosæ, quæ facile ignem concipiat & terræ sterilitatem indicat*. Omnes *sulphur* interpretantur. Plinius Lib XXXV. cap. XV. *Fulmina , & fulgura quoque sulphuris odorem habent ; ac lux ipsa eorum sulphurea est .* Quidam *picem* esse volunt ; fortasse id quod Plinius ibidem *pissasphaltum* vocet ex coagumento picis, & bituminis. ET IGNEM. Ignem istum mixtum sale fuisse, dicitur Deuter. XXIX. 23. ubi *sal combustio* , vel *combustionis* dicitur: quod sal iniectum in ignem mirum in modum ignem exacuit , & acerrimum reddit : & mirabili quoque exemplo , quo urbes perduelles, quando exscinduntur , aratrum in eas immittitur , & sale seminantur. Urbes quoque tunc incendio absorptæ & deletæ ibidem nominantur quatuor , Sodoma , Gomorrha , Adama, & Seboim ut Osee XI. 8. cum hoc loco duæ tantum exprimantur , duæ aliæ intelligantur . Sapientiæ X. 6. *Descendentem ignem in Pentapolim*. DOMINUS A DOMINO. Patres exponunt : *Dominus a Domino* , id est Filius a Patre, ut hic mysterium Sacræ Triadis indicetur. Sublimis sensus & exosculandus , ut sit simile illi Psalm. CIX. 1. *Dixit Dominus Domino meo* . Hebræi , & plerique recentiorum phrasim linguæ malunt, ut sit emphatica repetitio , quod non usitato modo aut naturæ ordine tunc Deus pluerit; sed tamquam exerta manu palam fulminaverit, præter solitum naturæ morem : ut satis constaret , nullis caussis naturalibus conflatam fuisse pluviam illam ignis, & sulphuris , aut picis ardentis. Cornelius Tacitus refert , *eas urbes ictu fulminum arsisse* . Ergo *pluit Dominus a Domino*, ipse Dominus a se pluit , fuit mirabilis , supra naturam, opus proprium Dei , non nubium, aut alterius naturalis causæ naturalis illa ignea , & sulphurea pluvia : solus Deus sua ope & virtute pluviam illam conflavit. Quidam illud *a Domino* ad auxesim additum volunt ; quasi fuerit ingens & maxima pluvia. Heb. *De ad Dominum* vel *De cum Domino* . Notant articulum את *eth* , quando a fronte recipit præpositionem *Mem*, ut hic , tum exponi per pronomen *ipse* emphatice , *Ab ipso Domino de cælo* . Semel id annotatum esto, in similibus locutionibus, quæ sæpius occurrunt. Additum DE CAELO signanter, ne putaremus, ignem illum e terra tunc erupisse, & urbes illas absorpsisse ; quod existimavit Strabo Lib. XVI. pag. 526. qualiter Vesuvius mons e terra ignem quondam eructabat; & in Germania apud Iuhones ignis e terra erupit , auctore Tacito Annal XIII. extremo.

V. 25. ET SUBVERTIT CIVITATES HAS, ET OMNEM CIRCA REGIONEM. Hæc fuit *vallis Silvestris* , seu *vallis Siddim* , quæ igne , & sulphure a Deo de cælo tacta fuit , & tota cum quatuor urbibus deleta : ubi de repente extitit lacus Asphaltites, seu mare salis, aut mortuum; cum in ea valle antea iam essent plurimæ

fossæ, seu putei asphalti, hoc est bituminis, erumpente nimirum post conflagrationem, e terra magna vi aquarum, & bituminis. Vide quæ notavimus cap. XIV. vers. 3. & 10. Hic est insignis ille lacus Asphaltites, nedum sacris, sed etiam profanis auctoribus celebratus: de quo Erathostenes, Possidonius, Zenophilus, Aristoteles, Diodorus Siculus, Strabo, Plinius, Solinus, Iosephus, Cornelius Tacitus, Iustinus, Ptolemæus, Pausanias, Galenus, & alii tam multa prodidere. Describunt illum accurate sacri topographi. Nec illud omiserim quod ad versum illud Maronis Eclogæ VIII.

. . . . *Incende bitumine lauros*,

Servius annotavit: *Id est*, *lauros divino igne consume*; *nam bitumen ex fulmine dicitur procreari*. *Unde iuxta Babyloniam*, *quia frequentia cadunt fulmina*, *hac re lacus redundant*; *adeo ut inde fabricent muros*. Nec a verisimili abludit, tantam vim fulminum iactorum a Deo in Pentapolim, terram alioqui suapte natura bituminosam, bituminosiorem reddidisse. Vide de hoc lacu Iosue III. vers. 16. ET CUNCTA TERRAE VERENTIA. Iosephus Lib. V. Belli cap. V. *Et renascentes in fructibus cineres*, *qui colore quidem sunt edulibus similes*, *carpentium vero manibus in fumum dissolvuntur*, & *cinerem*. Cornelius Tacitus Histor. V. *Haud procul inde campi*, *quos ferunt olim uberes*, *magnisque urbibus habitatos*, *fulminum iactu arsisse*, & *manere vestigia*: *terramque specie torridam*, *vim frugiferam perdidisse*, *nam cuncta sponte edita*, *aut manu sata*, *sive herba tenus*, *aut flore*, *sive solitam in speciem adolevere*, *atra* & *inania*, *velut in cinerem vanescunt*. *Ego sicut Iudaicas quondam urbes igne cælesti flagrasse concesserim*; *ita halitu lacus infici terram*, *corrumpi superfusum spiritum*; *eoque fetus segetum*, & *autumni putrescere reor*, *solo*, *cæloque iuxta gravi*. Solinus cap. XXXVIII. *Pomum gignitur*, *quod habeat speciem licet maturitatis*, *mandi tamen non potest*: *nam fuliginem intrinsecus favillaceam ambitiotantum extimæ cutis cohibet*, *quæ vel levi tactu pressa fumum exhalat*, & *fatiscit in vagum pulverem*. Eadem Tertullianus in Sodoma, cap. IV. S. Augustinus Lib. XXI. de Civitate Dei cap. V. Egesippus Lib. IV. Excidii, cap. XVIII. Orosius Lib. I. cap. V. S. Beda de locis sanctis cap. XII. Iacobus Vitriacus Historiæ Ierosolymitanæ cap. LIII. Brocardus diligens terræ sanctæ inspector: *Ita ut nec ullum germen proferat fere per spatium quinque leucarum*. *Ibi terræ nascentia*, *non secus quam si a pruina fuissent tacta*, *emoriuntur*: *sub Engaddi iuxta mare mortuum sunt arbores pulcherrimæ*, *sed fructus earum*, *quando decerpuntur*, *intus favilla*, & *cinere pleni inveniuntur*. Ut sit illud Sapientiæ X. 7. *Et in certo tempore fructus ferentes plantæ*. Deuteron. XXIX. 23. *Non feretur*, *neque germinabit*, *nec ascendet in ea omnis herba*.

V. 26. UXOR EIUS POST SE. Heb. *De post eum*. Quidam intelligunt, post Lot virum suum: Lot enim mulieres sequebatur, ut urgeret eas. Forsan cura mariti, qui pone sequebatur, eam avertit. Alii, *De post eum*; id est, quæ erat a tergo eius, nempe Lot; nempe sequebatur ipsa maritum suum, & respexit retro post se. Nonnulli figuratam putant esse locutionem: *Respexit post se*; id est, eam incepti pœnituit, ut illud Lucæ IX. 62. *Nemo mittens manum suam ad aratrum*, & *respiciens retro*, *aptus est regno Dei*. VERSA EST IN STATUAM SALIS. Mira sunt quæ in huius loci explicationem afferunt quidam. Hebræi exponunt, *In cumulum*, *acervum*, sive *massam salis*, quod igne, qui sulphur & salem commixtum habuerit, Deuteron. XXIX. vers. 23. perierit. Nonnulli non referunt ad materiam, aut saporem, sed quia ea statua, quacumque illa materia fuerit, notabile aliquid, & acre habuerit, quod viatores moneret. Videtur enim notas aliquas impressas habuisse, quæ instar salis, prætereuntes edocerent, memorabile illud esse portentum. Alii statuam salis interpretantur statuam incorruptibilem, permansuram in sempiternum; quasi dicat: Mutata est in statuam quæ esset perpetuum incredulitatis exemplum. Sic Numeror. XVIII. 19. dicitur *pactum salis*, id est incorruptibile, immortale, sempiternum, perpetuoque duraturum, quod sal arceat corruptionem. Plerique ad salem metallicum, & effotitium allusum putant, de quo Plinius Lib. XXXI. cap. 7. *Sunt* & *montes nativi salis*, *ut in Indis Oromenus*, *in quo lapicidinarum modo cæditur renascens*. *Effoditur* & *e terra*. *Charris Arabiæ oppido muros*, *domosque massis salis faciunt*, *aqua ferruminantes*. *Inter*

Ægy-

Ægyptum & Arabiam, etiam squalentibus locis cœptus est inveniri. Iosephus de hac statua salis Lib. I. Originum cap. XXII. *Ceterum Loti uxor inter abeundum subinde ad urbem respiciens, & curiosius cladem hanc contra mandatum Dei spectans, in statuam salis est versa. Dictum est mihi iam & de illa: nam extat hodie quoque*. Tertullianus in Sodoma cap. III.

Ipsa quoque imago sibi formam sine corpore servans
Durat adhuc, numquam pluviis, nec diruta ventis:
Quin etiam si quis mutilaverit advena formam,
Protinus ex sese suggestu vulnera complet.
Dicitur & vivens alio tam corpore sexus,
Munificos solito dispungere sanguine menses.

Benjamin Tudelensis in Itinerario: *A mari vero Sodomitico ad cumulum salis, in quem Loti uxor conversa est, duæ leucæ sunt. Constat enim adhuc cumulus ille, qui a gregibus aliquando lambendo imminutus denuo ad pristinam crescit molem*. Sunt hæc plane mira; fidem tamen meam non obstringo. Brocardus: *A Iericho quinque sunt leucæ contra austrum ad oppidum Segor, sub monte Engaddi positum: inter quem montem, & mare mortuum est statua salis, in quam uxor Lot fuit conversa. Pro qua videnda multum subii laboris, sed in cassum: nam averterunt me Saraceni, dicentes locum non carere periculo, propter serpentes, vermes, & feroces bestias ibi habitantes. Sed postea comperi rem non ita se habere*. Consentiunt alii terræ sanctæ descriptores, suo tempore extitisse adhuc eam statuam. Sapientiæ X. 7. *Et incredulæ animæ monumentum stans columna salis*.

V. 31. QUI POSSIT INGREDI AD NOS. Notant, verbum בוא *bo*, *venire*, quando de adventu seu ingressu viri ad feminam dicitur, tum honeste coniunctionem viri & mulieris, id est *congredi*, seu *coire cum muliere*, *eam inire*, significare; & tunc construi cum præpositione אל *el*, *ad*, *in*, ut Genes. VI. 4. Genes. XVI. 2. 4. Psalm. L. I. & semel reperiri constructum cum על *ghal*, id est *super*, nimirum isto loco: *Et vir non in terra ad veniendum, vel qui veniat super nos*: creduntque virgines reverentius, ac verecundius, quam vulgaris loquendi modus erat, illam congressionem voluisse significare. Est enim honestius dicere, venire super mulierem, quam venire in mulierem, & eam inire. Recte quidem Hebraice, ac Latine; sed non vernaculis linguis, præsertim Hispanice: quamvis *El* & *Ghal* sæpius consundantur in Hebraismo.

V. 34. HERI. אמש *emesch* aiunt significare *tempus noctis obscurum & opacum, quo in somniis res sensibus obversantur, & quasi in obscuro sese attrectandas offerunt*; esseque semper de tali tempore intelligendum, quod paulo ante crastinum discessit: quare compositum putant ex מוש *musch*, *discedere*, & משש *maschasch*, *palpare*; id est, tempus palpabile, quod discessit; hoc est, tempus in quo palpatione, & attrectatione opus fuit. Noster vertit adverbio *heri*; neque potuit ob linguæ egestatem commodiore reddere. Alii simpliciter, *præteritam*, *hesternam noctem*, *vesperam*, *heri vespere*, significare volunt. Discrimen inter לילה *lailah*, & *emesch* constituunt, quod *emesch* non nisi de hesterna & præterita nocte; *lailah* vero etiam de præsenti, ut in hoc versu manifeste, & cap. XXXI. 29. cernere libet.

V. 37. & 38. Hi sunt Moabitæ & Ammonitæ, nobiles Arabiæ populi, & in Scripturis celebres: quos utrosque Cœle Syriam incoluisse Iosephus annotat.

MENOCHII.

Vers. I. DUo ANGELI: illi duo qui ab Abrahamo recesserant. VESPERE, sub noctem. SEDENTE LOT, ut hospitalitatis, quam ab Abrahamo didicerat, occasionem captaret. IN FORIBUS CIVITATIS, ut peregrinos primus exciperet, & ne qua vis illi inferretur a civibus, aut ne in commerciis, quæ iuxta portas exercebantur, circumvenirentur. ADORAVIT: valde honoris causa se incurvavit.

V. 2. PUERI VESTI, servi vestri. LAVATE, permittite lavari, ut supra cap. XVIII. 2. MINIME. Negant ad primam invitationem honestatis causa, non negaturi si amplius urgeantur.

V. 3. COMPULIT ILLOS OPPIDO: valde ursit rogando: speciem præ se tulit eos cogentis. AZYMA: subcinericios panes fermento carentes ut superiori cap. XVIII. num. 6.

V. 4.

V. 4. Omnis populus simul: ita ut (quod Hebræus textus indicat) ab extremis etiam oppidi finibus confluerent, ut aliquo modo sceleris illius participes essent, quod ostendit in ea urbe decem integros non fuisse: aderant etiam pueri, quod intellige de doli capacibus.

V. 5. Cognoscamus eos: turpiter eis abutamur.

V. 7. Malum hoc, quo & hospitii ius, & lex naturæ violantur.

V. 8. Abutimini illis. Vel perturbatus Lot non satis intellexit se non posse stupro exponere filias, quæ a Sodomitis non expetebantur: vel ad eum egit modum quo quis alteri amico irato pugionem offert, dicens: Me potius occide, quam eum cum quo tibi est rixa, violes: certus amicum iratum non processurum ad necem.

V. 9. Recede illuc: abi ab ostio, ne nos impedias. Ingressus es ut advena, numquid ut iudices? quasi dicat: Ne hic iudicem agas, aut morum censorem, cum sis peregrinus. Te ergo ipsum magis quam hos affligemus: te ipso abutemur. Vimque faciebant, trudentes, foribus vim inferentes, ut iuvenes ad probrum abriperent.

V. 10. Et ecce. Rem inopinatam vide: hospites sui securi subito reserant ostium, Lothum introducunt, populum depellunt.

V. 11. Percusserunt caecitate. Non plane cæci facti sunt, sed offusa caligo, ut fores domus Lot invenire non possent, immo nec suas, ut habemus in Lib. Sap. cap. ult. num. 16. Vel in Libro Sapientiæ tantum dicitur Sodomitas ostium Lot, Ægyptios vero domorum suarum portas præ tenebris invenire non potuisse.

V. 12. Dixerunt, duo illi viri, ut exprimitur in Hebræo. Habes hic quempiam tuorum? omnes tibi sanguine, aut necessitatibus aliis iunctos parati sumus eripere tui gratia.

V. 15. Quasi ludens loqui: ioco, non serio loqui, delirare. Tolle uxorem tuam, et duas filias. Hæc tantum Lotho crediderunt.

V. 16. Dissimulante illo, moras nectente, fortasse etiam orante Deum ut parceret.

V. 17. Salva animam: vitam eripe incendio. Noli respicere; id est, nolite: nam id etiam uxori, & filiabus mandatum. Iubet autem non respicere ad exercendam Lot obedientiam, in detestationem etiam eorum qui flammis addicebantur, quibus neminem compati volebat: vel etiam quia eum properare cupiebat, nec moras nectere, nullumque quod inde egressus esset dare signum pœnitentiæ. In monte, qui imminet urbi Segor.

V. 18. Domine. Duo erant Angeli, sed unus Lot, & uxorem manu ducebat: hunc compellat hic Lot dicens, *Domine*; alter eum sequens pone inter duas filias medius eas pariter ducebat.

V. 19. Magnificasti misericordiam. Hebraismus, pro maxima erga me usus es misericordia. Nec possum in monte salvari: prætexitus, non vera necessitas: nam postea ivit in montem.

V. 20. Numquid non modica est? parvi oppiduli salutem peto, ut mihi sit refugio, & saluti. Pauci in eo incolæ, quare & pauciora, & leviora crimina.

V. 21. Suscepi preces tuas. Heb. *Suscepi faciem tuam*. LXX. ἐθαύμασα τὸ πρόσωπόν σου, *admiratus sum faciem tuam*, reveritus. De hoc dici possit illud Pauli Heb. v. vers. 7. *Exauditus est pro sua reverentia*. Ut non subvertam. Deus statuerat oratione Lothi oppido parcere, quare in animum eius immisit ut pro eo deprecaretur.

V. 22. Non potero quidquam, iuxta divinum decretum, quo iussus sum te prius periculo subducere, & totam postea planitiem inflammare. Ingrediaris illuc, in territorium urbis. Segor, quæ prius dicebatur Bala, supra cap. xiv. 2.

V. 24. Pluit Dominus a Domino. Plane a Domino fuit pluvia hæc ignis, & sulphuris, non autem a causis naturalibus. Ex repetitione colligunt Interpretes mysterium Trinitatis; quasi dicat, pluit Filius a Patre: id verum esse Concilium Sirmiense cap. iv. anathemate sancit. Sulphur, et ignem. Incertum an vox Hebraica גפרית *gaphrit* significet sulphur, picem, an bitumen. Sulphur peccati fœtorem, ignis libidinis ardorem significant. De caelo, de aere.

V. 25. Omnem circa regionem,

non

non solum Sodomam, & Gomorrham, sed Adamam quoque, & Seboim. UNIVERSOS HABITATORES: nulli insontes: si qui a scelere puri propter ætatem teneram, iis Deus hoc incendio consuluit ne parentum mores cum adolevissent, sequerentur. Feminę propter luxum, & superbiam, probabile eodem cum viris fœditatis genere, qua illis licebat, inquinatas fuisse. Nec hoc tantum igne conflagrarunt Sodomitæ, sed, ut habemus apud S. Iudam, num. 7. *Facti sunt exemplum ignis æterni pœnam sustinentes*: quam pœnam adultorum neminem evasisse credibilius est. URBIUM, quatuor, quas dixi. CUNCTA TERRAE VIRENTIA: tota vallis cremata.

V. 26. RESPICIENS, verbis Angeli non credens, ut indicat Liber Sap. cap. x. 7. relictarum Sodomæ rerum desiderio, & cognoscendi studio, undenam strepitus ille crepitantium flammarum, qui exaudiebatur, quarum etiam quamvis aversæ, fulgor aliquis perstringebat oculos, respexit. IN STATUAM SALIS, effigie muliebri, quæ etiamnum extare dicitur ab iis qui in iis regionibus peregrinati sunt. Sal hoc videtur fuisse metallicum, quod pluviæ resistit, & ædificiis soliditate sua est utile, de quo Plin. Lib. XXXI. cap. VII. Est autem versa in statuam Salis uxor Lot, ut esset perenne monumentum divinæ vindictæ, quo posteri doceantur Dei mandatis parere, & in bene cœptis pergere, nec retrospicere. Videtur Dominus animæ uxoris Lot pepercisse, quod gravis culpa non fuerit ad incendium illud respicere.

V. 28. QUASI FORNACIS FUMUM. Vox Hebræa significat fornacem calcariam.

V. 29. RECORDATUS ABRAHAE: memor petitionis illius: *Ne perdas iustum cum impio*: supra cap. XVIII. num. 23. & 25.

V. 30. ASCENDIT LOT DE SEGOR. An cum ipse egressus est Segor, perdiderit Dominus etiam civitatem illam, ut ceteras: constat ex num. 21. non fuisse eversam. TIMUERAT ENIM, contemplatus vim incendii. In via tantum fuerat prohibitus respicere.

V. 31. DIXITQUE MAIOR. Crediderat utraque soror, mortales omnes extinctos incendio, ut olim audiverant a parente diluvio periisse; itaque studium reparandi humani generis illas incitavit ad facinus. Nec tamen excusandæ, nam a congressu cum parente naturalis reverentia illas poterat absterrere, & ex Lotho quærere poterant, num aliqui homines flammas illas effugissent.

V. 33. AT ILLE NON SENSIT: ebrietate victus uxorem suam sibi putavit accubare, immemor illam mortuam.

V. 35. DEDERUNT ETIAM. Secunda Lothi ebrietas minus a culpa excusari potest quam prima. Sed quis adeo afflictus omnia possit prospicere?

V. 37. MOAB, dicitur quasi מאב *meab*, ex patre, quasi profiteatur se eum filium ex patre genuisse. Pudentius altera quæ filium vocavit *Ammon*, Heb. בן עמי *ben ammin*, id est *filius populi*, vel generis mei; id est, non ex Sodomitis genitus est, sed patrem habet ex gente mea.

TIRINI.

Vers. 8. HABEO DUAS FILIAS ABUTIMINI EIS. Verosimilius est, Lot hac oblatione filiarum non peccasse: quia a Scriptura, etiam post hoc factum vocatur iustus *a*. Sicut enim quis placare volens offensum, subinde nudum pectus pugionemque offert, dicens, Occide me, non animo ut ita fiat, sed ut hac submissione placetur iratus; ita videtur hic Lot obtulisse filias suas ad stuprum, non animo ut id fieret, & ita flagitio redimeretur, sed animo placandi hac tanta submissione furentem populum. Sibi enim persuadebat, & rationabiliter (ut eventus ostendit) quod populus non admitteret eam oblationem (maxime cum constaret, illas filias iam desponsatas esse civibus Sodomæ, quorum haud dubie aliqui amici istic aderant) sperabatque tam liberali oblatione avertere impios a cœpto scelere. Ita S. Chrys. *b* & Caiet.

V. 11. UT OSTIUM INVENIRE NON POSSENT. Sapientiæ ult. dicuntur *subitaneis cooperti tenebris*, *unusquisque transitum ostii sui quæsivisse*: Græce est, *transitum suarum portarum*. Non ergo solius domus Lot, sed & suarum propriarum domorum ostia reperire non poterant, quantum-

tumcumque quærerent. Non erat tamen absoluta cæcitas (ut est in Latino) quæ est carentia potentiæ visivæ (quia sic non fuissent ultra soliciti de ostio Lot, & suis ostiis quærendis; sed desistentes a facinore duces potius viarum inclamassent) sed erat ἀορασία (ut est in Græco) seu non videntia, quam alii ἀκρισίαν vocant, qua quis, licet videre possit, & quadam alia videat, hæc tamen hic & nunc non videt, vel saltem non distincte discernit. Sic nimirum contigit his Sodomitis, Deo non concurrente cum oculis ad receptionem specierum ab ostiis emissarum, aut ad actum visionis eliciendum. Ita Iosephus, S. Ambrosius, Chrysostomus *c*, Augustinus.

V. 22. IDCIRCO VOCATUM EST NOMEN URBIS ILLIUS SEGOR, id est parva. Quia enim Lot veritus ne non posset in montem evadere, ut Angelus monuerat, petiit, & impetravit ut posset pro asylo habere vicinam urbeculam, idque vel hoc solo nomine petiit quia parva erat, idcirco nomen illud *Segor*, seu parva, illi inditum est, & remansit. Alioquin ante vocabatur Bala *d*: & erat quinta urbs Pentapoleos iam igni destinata cum Sodoma, Gomorrha, Adama, & Seboim *e*; sed precibus Lot erepta & conservata. Ita Iosephus, S. Hieronymus, & Borchardus.

V. 24. PLUIT DOMINUS A DOMINO SULPHUR, &c. Hebraismo; id est, Dominus a seipso pluit, vi & potentia propria, non intercurrentibus caussis naturalibus, ut solet in aliis incendiis. Ita Caietanus, Pagninus, Vatablus, Oleaster. Licet etiam cum antiquioribus Patribus *f*, & Concilio Sirmiensi *g* dici possit Deus Filius pluisse a Deo Patre, seu virtute Patris: quia Pater non operatur nisi per Filium, qui est eius Sapientia & æternum Verbum. Unde & contra Photinum hæreticum probant hinc Patres divinitatem Filii, & pluralitatem personarum in Deo.

V. 26. VERSA EST IN STATUAM SALIS. Ita merebatur inobedientia, & incredulitas ipsius. Nam ita dicitur Sapientiæ x. *Incredibilis animæ*, id est incredulæ, *memoria stans figmentum salis*. Et licet vero simile sit illam non nisi venialiter peccasse, atque ita salvatam esse, & purgatorio expiatam animam; voluit tamen severius punire Deus, & novo salis exemplo fatuos docere, credendum in omnibus, & obediendum Deo, nec in sancto proposito respiciendum retro, aut tergiversandum. Ita Rupertus, Prosper *b*, & alii. Unde & Christus Lucæ XVII. vers. 31. in eamdem sententiam ait: *Memento uxoris Lot*.

Nota, corpus retenta figura feminea conversum fuisse in sal, non illud molle, quale nostrum est marinum sal; sed in aliud lapideum, & quasi metallicum, quod ex montibus marmorum instar excindi solitum & olim, & etiamnum, testes sunt Plinius *i*, Solinus, Isidorus, Aulus Gellius, Olaus Magnus, Petrus Hispanus, & alii. Bochardus *k* & Adrichomius dicunt, hoc quoque tempore illam statuam extare inter mare mortuum & montem Engaddi, in quem Lot confugit. Mare vero mortuum vocatur lacus ille qui, exustis funditus his quatuor oppidis, & terra quasi ad inferos depressa, emersit, putidis & crassis, & salsis aquis plenus, quibus innatant ubique moles bituminis, quas putei, quibus ante vallis erat plena *l*, ex imo evomunt. Unde a bitumine dictus est lacus Asphaltites: & quia nullos fert pisces, aliave animalia, mare Mortuum vocatur: & a salsedine, mare salis, vel salsissimum. Est & fumans perpetuo & tenebrosum, sicut os inferni, uti oculis meis vidi, inquit Borchardus. Vicina vero ad 5. vel 6. leucas sterilia prorsus & cinerulenta sunt. Poma quidem hinc inde videas, ad speciem pulchra, sed si tangas in favillam vertuntur. Ita Philo *m*, Iosephus, Strabo, Solinus, Plinius, Tacitus, Tertullianus, Augustinus, & alii iam dicti.

V. 37. & 38. VOCAVIT NOMEN EIUS MOAB; id est, ex patre, scilicet meo, concepi hunc filium. AMMON, in Hebræo & Chaldæo est, *Benammon*, seu *Ben-ammi*, id est filius populi, seu cognationis meæ, quia in unico patre putabat esse universum populum suum, seu spem totius stirpis. Voluit vero Deus in detestationem huius incestus manere æternam memoriam eius infamis criminis, etiam in ipsis nominibu *Moabitarum* & *Ammonitarum*, ut item

Hæ-

Hebræos deterreret ab illorum connubiis ; & omnes , quanta ex ebrietate nascantur mala , edoceret . Ita SS. Chrysostomus *n* , Hieronymus , Ambrosius , & alii .

(*a*) Sap. ult. verf. 16.
(*b*) Chrysost. homil. xliii.
(*c*) Chrysost. homilia de Elisæo. Aug. quæst. xliii. & Lib. XXII. de Civ. cap. xix.
(*d*) Cap. xiv. Genes. vers. 2.
(*e*) Deut. xxix. vers. 23.
(*f*) Hilarius de Trin. Lib. IV. Irenæus Lib. III. cap. vi. Cyprian. Lib. III. ad Quirin. cap. xxxiii. Ambr. Lib. I. de fide cap. ii. Hieron. in cap. 1. Oseæ.
(*g*) Conc. Sirmiense cap. xv.
(*h*) Prosper Lib. I. de Prædict. & promiss. cap. xvi.
(*i*) Plin. Lib. XXXI. cap. vii. Ibid. Lib. XVI. cap. ii. Gell. Noct. Att. Lib. II. cap. xxii. Olaus Lib. XIII. cap. v. Petr. Hisp. in hist.
(*k*) Borch. part. I. cap. vii. Adrich. in Descript. terræ sanct.
(*l*) Genes. xiv. vers. 10.
(*m*) Philo L. de Abraham. Ios. Lib. V. Belli cap. v. & xvi. Strabo Lib. VII. Geograph. Solin. cap. xxxvii. Polyhist. Plin. Lib. V. cap. xvi. Tacitus Lib. V. hist. Tertull. de Pallio cap. ii. Aug. XXI. de Civ. cap. v.
(*n*) Chrysost. hom. lvii. ad pop. Hieron. in vita S. Paulæ. Ambr. de Elia & ieiunio.

GORDONI.

Vers. 1. CUr non tres ? Tot enim capite præcedente recesserunt ab Abraham vers. 22. Verum ex eodem loco colligitur , tertium , qui primarius videbatur, substitisse cum Abrahamo, in illo dialogismo, cap. xviii. vers. 23. & deinceps.

V. 3. COMPULIT: verbis & precibus adegit, quod satis explicat vox Heb. פצר.

V. 8. SUB UMBRA CULMINIS, tecti, vel domus meæ. Peccat Lot offerendo filias ; immo ut fiat , suadet Angelo ; sed repentino motu perturbatum excusat aliquantulum Augustinus Libr. contra Mendac. cap. ix. forte etiam ex ignorantia invincibili , putabat se recte suadere minus malum . Licet hoc quidem aliquando ; & saltem sub tali ignorantia. Quod suo loco prolixius explicant Theologorum scholæ.

V. 9. INGRESSUS ES; ac si dicerent: Peregrinus es , & te morum censorem facis.

V. 11. PERCUSSERUNT CAECITATE . Quidam hoc interpretantur de aorasia , ut est apud Septuaginta ; nempe non de potentia videndi sublata , sed de impedito actu videndi, & saltem aliqua ex parte, & res ut erant . Textus tamen noster habet cæcitatem . Septuaginta ; τῆς ἀορασίας sunt assertores.

V. 16. DISSIMULANTE ILLO , tardante illo exire.

V. 17. NOLI RESPICERE . Vatablus putat proverbium proferri; ac si diceretur: Non te pœniteat itineris cœpti . Dicendum est tamen, esse præceptum, ex pœna ; cum textus habeat , versam uxorem Lot in statuam salis in pœnam transgressionis . Statuam adhuc extare aliqui scribunt . Anima tamen non est mutata in statuam . Caussam dati præcepti non disquiro : quis novit sensum Domini?

V. 19. NEC POSSUM IN MONTE SALVARI. Lot turbatus timore non credit se posse salvari a morte; postea tamen ivit in montem.

V. 22. Mansit salva Segor , urbs una Pentapoleos prius dicta Bala , cap. x. vers. 8. Iam tunc Segor , id est parva . Sic intellige quod habetur Sap. x. vers. 6. צוער *tsohhar* , id est parvum . IDCIRCO VOCATUM EST. Hoc referri debet ad vers. 20. ubi vocata est urbs parva.

V. 24. PLUIT DOMINUS A DOMINO. Hinc Concilium Sirmiense, quod Arrianorum fuit , dixit , Filium , qua Deus est, obsequi, & ministrare Deo Patri. Aliqui intelligentes Patrem, & Filium, colligunt personam quæ est Deus posse produci. Verus tamen sensus est, pluisse Dominum a seipso, seu a sua potentia ; non vero a caussis naturalibus. Sept. παρὰ κυρίου ἐξ οὐρανοῦ. Non ergo fuit hæc pluvia naturalis. Observavi alibi , deletam Sodomam anno mundi 2077. qui fuit 99. Abrahami. Quod vero aliqui dent anno 2047. est , quia prætereunt Cainam , cui debent dari 30. anni.

V. 25. Duæ urbes hic nominantur ; tamen quatuor exustæ ; in quarum loco , Deo operante , erupit Asphaltites lacus . Quinta , scilicet Segor , liberata est . Vide Ioseph. Lib. V. Belli, cap. v. Reliquas duas exustas urbes Adona , & Seboim expressit Moses Deuter. xxix. vers. 23. In hunc lacum se exonerat Iordanis nunc , nec inde ultra emergit.

V. 26. Vera conversio hæc, in statuam, ut dixi vers. 17. & Scripturæ verba non licet ad sensum improprium detorquere . Dei virtute res acta est.

V. 27. UBI STETERAT, scilicet iuxta con-

convallem Mambre; ibi habitabat Abraham. Distabat ab Asphalite lacu leucis sex horariis: unde poterat agnosci incendium ex favillis.

V. 30. Hic mons est in quem Angelus initio volebat vers. 17. ut evaderet Lot. Suspicantur multi esse Engaddi colles.

V. 32. Non puto posse excusari a peccato filias Lot in hoc incestu: nam concubitus fuit sine connubio, & cum parente deformitatem habet tam notam ut non appareat locus ignorantiæ excusanti. Et qua denique prudentia poterant feminæ hoc aggredi consilium, sine consultore aliquo? Fuit iure naturali damnatus hic concubitus. Vide Levit. cap. XVIII. de gradibus prohibitis. At quid de Lot? Sane peccasse videtur in causa data, & ebrietate. Nec potest ex ignorantia excusari, saltem in secunda ebrietate, utpote antea expertus vim hanc esse in vino inebriandi. Anno insequente hanc conflagrationem Sodomæ, natus est Isaac. De anno mundi dixi alibi: mihi est an. 2078.

V. 38. Ab Ammon Arabes dicti Ammonitæ.

CAPUT XX.

Abrahæ in Geraris peregrinanti uxor a rege tollitur: quæ ad Domini iussum cum magnis donis intacta redditur, & Abraham orante salus domui regis restituitur.

1 PRofectus inde Abraham in terram australem, habitavit inter
Cades & Sur: & peregrinatus est in Geraris. 2. Dixitque de
Sara uxore sua, Soror mea est. Misit ergo Abimelech rex Gerarae,
& tulit eam. 3. Venit autem Deus ad Abimelech per
somnium nocte, & ait illi: En morieris propter mulierem quam
tulisti: habet enim virum. 4. Abimelech vero non tetigerat
eam, & ait: Domine, num gentem ignorantem, & iustam interficies? 5.
Nonne ipse dixit mihi, Soror mea est; & ipsa ait, Frater meus est? In simplicitate
cordis mei, & munditia manuum mearum feci hoc. 6. Dixitque ad eum
Deus: Et ego scio quod simplici corde feceris; & ideo custodivi te ne peccares
in me, & non dimisi ut tangeres eam. 7. * Nunc ergo redde viro suo
uxorem, quia propheta est: & orabit pro te, & vives. Si autem nolueris reddere,
scito quod morte morieris tu, & omnia quæ tua sunt. 8. Statimque de
nocte consurgens Abimelech, vocavit omnes servos suos, & locutus est universa
verba hæc in auribus eorum, timueruntque omnes viri valde. 9. Vocavit
autem Abimelech etiam Abraham, & dixit ei: Quid fecisti nobis? Quid
peccavimus in te, quia induxisti super me & super regnum meum peccatum
grande? Quæ non debuisti facere, fecisti nobis. 10. Rursumque expostulans,
ait: Quid vidisti ut hoc faceres? 11. Respondit Abraham: Cogitavi mecum,
dicens: Forsitan non est timor Dei in loco isto: & interficient me propter
uxorem meam: 12. alias autem & (*a*) vere soror mea est, filia patris mei,
& non filia matris meæ; & duxi eam in uxorem. 13. Postquam autem eduxit
me Deus de domo patris mei, dixi ad eam: (*b*) Hanc misericordiam facies
mecum: in omni loco, ad quem ingrediemur, dices quod frater tuus
sim. 14. Tulit igitur Abimelech oves, & boves, & servos, & ancillas, &
dedit Abraham; reddiditque illi Saram uxorem suam, 15. & ait: Terra coram
vobis est: ubicumque tibi placuerit, habita. 16. Saræ autem dixit: Ecce
mil-

mille argenteos dedi fratri tuo: hoc erit tibi in velamen oculorum ad omnes qui tecum sunt, & quocumque perrexeris: * mementoque te deprehensam ·
17. Orante autem Abraham, sanavit Deus Abimelech, & uxorem, ancillasque eius, & pepererunt: 18. concluserat enim Dominus omnem vulvam domus Abimelech propter Saram uxorem Abrahæ.

(a) Sup. xii. 13. (b) Infr. xxi. 23.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 7. *Nunc ergo redde viro suo uxorem, quia propheta est; & orabit pro te, & vives.* Hic est ordo, non tantum Sixtinorum, verum etiam nostrorum antiquorum codicum, Hebraicæ veritati consonantium. In aliis multis libris illud, *Quia propheta est*, postponitur huic, *Et orabit pro te.*

V. 16. *Mementoque te deprehensam*, Non deleas encliticam coniunctionem *que*.

COMMENTARIA

SA.

Vers. 1. INDE, scilicet a convalle Mambre.

V. 2. DIXITQUE, scilicet interrogantibus quæ esset.

V. 3. MORIERIS, scilicet nisi reddideris uxorem, ut infra declaratur.

V. 5. SIMPLICITATE, scilicet non putans me male facere.

V. 6. CUSTODIVI, idest prohibui.

V. 8. DE NOCTE, idest summo mane.

V. 12. FILIA PATRIS, idest neptis: scilicet erat filia Aram, qui natus ex alia, non matre Abraham. Quidam putant filiam Thare ex alia uxore. LXX. *Soror mea est ex patre, & non ex matre.* Vide Hier. contra Helvid. & sup. cap. xi.

V. 13. MISERICORDIAM, id est beneficium, seu gratiam. LXX. *iustitiam.* Vide etiam cap. seq. num. 23.

V. 15. CORAM VOBIS, id est in vestra electione; quasi dicat: Videtis terram, eligite quod placet.

V. 16. VELAMEN OCULORUM, id est defensionem pudoris, quod scilicet te intactam viro tuo reddiderim. Dicuntur quidem oculi pudoris sedes. DEPREHENSAM, scilicet in errore.

V. 18. CONCLUSERAT; idest, sterilem reddiderat.

ESTII.

Vers. 3. EN MORIERIS PROPTER MULIEREM. Non prædicentis est, sed monentis, ne tangat mulierem.

Sed quæritur, an Abimelech peccaverit? Et videtur quod non: quia & ipse Dominus dicit: *Et ego scio quod simplici corde feceris.* Pro contraria tamen parte est quod dicitur, *Et orabit pro te*: & rursum quod ipse Abimelech dicit: *Quia induxisti super me & super regnum meum peccatum grande*. Itaque secundum aliquid innocens erat Abimelech, & secundum aliquid culpabilis. Innocens ab adulterio, & adulterii voluntate; culpabilis autem, quatenus mulierem quamcumque sine vinculo coniugii sibi sociare voluerit: tum etiam quod non satis diligenter inquisierit an esset coniugata, sed passus est verbis ambiguis se falli.

V. 7. QUIA PROPHETA EST, ET ORABIT PRO TE. Propheta, id est homo Deo familiaris; quasi dicat, itaque habet & fiduciam impetrandi.

V. 12. VERE SOROR MEA EST, FILIA PATRIS MEI, ET NON FILIA MATRIS MEAE. Nempe Sara filia erat Aran fratris Abrahæ, sed qui duo, scilicet Abraham, & Aran, ex eodem pattre Thare, sed non item ex eadem matre nati essent.

lente. *Necdum enim*, inquit Hieronymus in Tradition. Hebr. super Genesim, *inter patruos & fratrum filias nuptiæ fuerant lege probibitæ, quæ in primis hominibus etiam inter fratres & sorores initæ sunt*. Fuit igitur Sara soror Abrahæ, scilicet quia neptis ex fratre: quomodo etiam Tobias iunior cap. VIII. dicit se accipere sororem suam in coniugem. Sed Abraham hac forma verborum propterea maxime usus est, ne putaretur uxor: quia nefas erat etiam eo tempore sororem proprie dictam habere coniugem. Vide nostra in IV. dist. XL.

V. 16. HOC ERIT IN VELAMEN OCULORUM AD OMNES. In Hebræo sic: *Ecce ipsum tibi operimentum oculorum omnibus qui tecum, & cum omnibus; & corripuit se*. Septuaginta sic legunt: *Hæc erunt tibi in honorem* (vel pretium, Græce τιμὴ,) *faciei tuæ, & omnibus quæ* (feminini generis) *tecum sunt; & omnia verifica*; id est, vera loquere. Et videtur significari, hæc data Saræ & mulieribus quæ cum ea erant, ut Sara magis ornata, ac proinde potentior appareret in oculis hominum, ideoque libere posset eloqui se coniugatam; nec quisquam auderet viro potenti uxorem eripere. Sequitur: *Et corripuit se*. Sensus est phrasi Hebraica: & correpta est, scilicet a suo ipsius animo, iam edocta quam periculosum esset se dicere sororem sui mariti esse.

MARIANAE.

Vers. 1. CADES ET SUR. De deserto Sur Exod. XV. quod Num. XXXIII. vocatur Ethan: estque prope Mare rubrum. Gerara distat ab Ierusalem itinere trium dierum, fuitque Regia Philisthinorum. Hieronymus in Paralip.

V. 2. DIXITQUE DE SARA: scilicet rogantibus quæ esset illa mulier, dixit esse sororem.

V. 3. EN MORIERIS. Hebraice, *En tu mortuus*, supple *es*, actum de vita tua: comminatoria denuntiatio.

V. 4. NUM GENTEM IGNORANTEM ET IUSTAM. *Ignorantem* vox redundat, sumpta ex Sept. certe Hebr. non est, forte vitiose.

V. 7. QUIA PROPHETA EST. Propheta qui vaticinatur, & qui ex Deo intelligit divina & futura, ut Maria, Aaron, Iosue.

V. 12. FILIA PATRIS MEI, ET NON FILIA MATRIS MEAE. Sept. *Soror ex patre, & non ex matre*. Superius diximus filiam fuisse Aram, neptim Thare; quod si sequimur, dicemus filiam pro nepti sumere, neque fuisse natum Aram ex matre Abraham, sed ex alia femina. Thare enim creditur duas uxores habuisse. Ex altera Aram, ex altera Abraham natus est.

V. 15. TERRA CORAM VOBIS EST: vestræ electioni proposita: ubi placebit, habitate.

V. 16. IN VELAMEN OCULORUM. Mos antiquus velandi nuptas, unde nubendi vox, & flammeum in nuptiis, & ritus velandi virgines quasi nuptas Christo, & quæ alium sponsum non quærant, ut virgines aliæ. Ergo dedi viro mille argenteos unde velum emas, quod prætendas oculis: & omnes qui tecum sunt, & quicumque alii intelligant te esse nuptam. Nam ubi nos legimus, QUOCUMQUE PERREXERIS, Hebraice legitur: *Et ad omnes* (supple *serviat*) *velamen*. Quod addit, MEMENTOQUE TE DEPREHENSAM, Hebr. tantum est וְנֹכָחַת *Venochabath*, quod quidam vertunt, *Estoque reprehensa*: alii, *corripuit se*, vel *erudivit se*. Ego verterem: *Et verum dicens*, pro dic: sic Sept. ϗ πάντα ἀλήθευσον, & Hebræus Schol. dicit, eam vocem significare בזיד דברים *puritatem verborum*: quam sententiam noster Interpres explicuit cum dicit, *Memento te esse deprehensam*, nempe in mendacio, ne illud amplius dicas.

V. 18. CONCLUSERAT: sterilem reddiderat omnem feminam domus Abimelech. Prius hæc gesta fuisse in Geraris quam narrantur, quidam putant, specie inducti Saræ, qua captus est Abimelech, in nonagenaria vix credibili. Negant alii, & decorem tot annos continuatum, quod non periisset, affirmant.

MALVENDAE.

Vers. 1. IN GERARIS. Eusebius, & S. Hieronymus in Locis Hebraicis Geraram describunt, quorum verba posuimus cap. X. vers. 19. Hanc appellat *Gurbabal* II. Paralipomen. XXVI. 7. auctor

Tra-

Traditionum in eum Librum affirmat.

V. 3. PER SOMNIUM. חלום *chalom* volunt proprie esse *incrassationem*, *ingrossationem*, *coagulationem*, id est somnium: esse namque somnium veluti vitellum in albugine fluida, id est somno, hoc est species illa quæ remanet, nec evanescit ut somnus. sed cuius post somnum reminiscimur. Nimirum incrassationem & concretionem specierum in phantasia, quod insomnia crassa sint & concreta, atque ex humoribus crassis, & densis vaporibus, atque ex pinguedine cerebri gignantur. חלמות *calamut* Hebræis est *vitellum ovi*, quasi coagulum. HABET ENIM VIRUM Hebræa varie reddunt: *Et ipsa maritata marito*: 2. *Et ipsa adamata marito*: 3. *Et ipsa addicta marito*: 4. *Et ipsa subacta*, *subagitata marito*: 5. *Et ipsa dominata domino*: Hispanice, *tiene Duenno*: 6. *Et ipsa possessa marito*. Sed nihil melius quam, *Et ipsa potita mariti*. Antiqui dixerunt: *Potitus hostium*, *potitus servitutis*, passive, nimirum qui ab hostibus captus, vel in servitutem devenerat. Vide Festum. Sic Deuteronom. XXII. vers. 22.

V. 5. IN SIMPLICITATE. תום *thom*, *integritas*, *perfectio*, *virtus*, quæ opponitur versutiæ, & perversitati. Paulus solet reddere *simplicitatem*, non ut sit intellectus, sed voluntatis. Noster *simplicitatem*, *innocentiam*, *perfectionem*.

V. 7. QUIA PROPHETA EST. נבא *nabi*, *vates*, *propheta*: & proprie talis est persona, quæ a Deo immediate est excitata, ut, quod ei divinitus vel in somnis, vel in visione, vel ab Angelo, vel in verbo revelatum est, venturum, futurum, seu faciendum aliis denuntiet, quasi oraculorum & decretorum divinorum internuntius, & elocutor. Deducunt a בוא *bo*, *venire*, aut a ניב *nib*, *sermone*, quod propheta ventura prædicat, & sermones a Deo accipiat. & populo annuntiet. Et magna fuit prophetarum non modo in Ecclesia Dei, verum etiam apud gentes æstimatio & gloria, quod Deus einsmodi homines magnis signis & miraculis, atque stupendis factis inclarescere voluerit, & ornari, quibus ipsorum vocatio, ministerium, & verbum confirmaretur. Differt autem propheta a sacerdote, quod propheta prædiceret ventura. & munere concionatoris fungeretur, & mysteria divina explicaret; at sacerdos sacris præesset in templo, & rem divinam curaret, administraretque sacrificia, & Dei cultum. Non aliter quam ut apud nos concionator differt a parocho, seu pastore, qui sacramenta administrat. Propheta poterat esse ex alia tribu quam Levitica; sacerdos non nisi ex Levitica. Propheta clarebat miraculis, quibus fidem astruebat iis quæ ex parte Dei populo annuntiabat; sacerdos non opus habebat miraculis. Prophetæ functio & vocatio erat extraordinaria; sacerdotis ordinaria. Ut nomen prophetæ varie sumatur, suis locis dicemus. Nec est dubium Abrahamum insignem fuisse prophetam, cui Deus multa revelaverit, & plura futura prædixerit. Hic prophetæ nomen accipi volunt pro eo qui spiritu Dei actus fœdus ipsius profitetur. & gloriam prædicat. Vide in Tobiæ IV. vers. 13. ET ORABIT PRO TE. פלל *palal* in Hithpahel, aiunt esse *oratione*, *precatione causam suam*, *seu negotium ad Deum detulit*; & non dici de qualibet ad quemvis oratione, sed de illa tantum, quæ battologiæ opponitur, & ad Deum dirigitur. Licere autem verti verbis *deprecandi*, vel *obsecrandi*, vel *orandi*, vel *appellandi*, vel *interpellandi*, quæ duo cum Hebræo *palal*, התפלל *hitpallel* congruunt.

V. 13. EDUXIT ME DEUS. Hebr. *Errare fecerunt me Elohim*, vel *Dii*. Quidam de Angelis intellugunt: *Quando circumduxerunt me Angeli*, per varios errores. Alii: *Errare fecerunt me Elohim*, id est tres divinæ Personæ. Et hoc est rectum: nam *Elohim* cum de Deo ipso dicitur, construi aliquando cum verbo, vel adiuncto plurali, annotavimus Genes. I. vers. I.

V. 16. MILLE ARGENTEOS. Siclos intelligunt fere omnes, mille siclos argenti, secuti Chaldæos Interpretes. Siclum valere quatuor drachmas Hispanicas etiam annotant. Unde dedit Abimelech Abrahæ quatuor mille drachmas Hispanicas: quod pro illo tempore non erat exile, aut vile donum. Alii libras argenti volunt fuisse; & tunc ultra mille scuta aurea Hispanica donum excurret: quod malim, ut dignum rege erat. HOC ERIT TIBI IN VELAMEN OCULORUM. Varie locum elucidant. I. Ipse Abraham erit tibi in velamen oculorum; id est, propugnator est pudoris tui: quicumque tibi eum esse virum noverit, oculos a te vertet, & ab

an-

ancillis tuis. II. Ipse maritus, cui juncta es, instar veli tibi erit, quo te tegere debeas, ac protegere, ne sis alienis exposita: vel ipsum mariti nomen velabit ac teget oculos omnium, ne te concupiscant ac cupiant, uti ego feci, quod nescivi eum tuum esse maritum. III. Ipse maritus erit tibi velamen, tegumentum, operimentum oculorum, id est honoris, & pudoris tui: ipse te defendet ac proteget adversus calumniam, & rumores, quod mecum fueris: qui rem omnem ex vero & integro narrabit, & te a me intactam dimissam ostendet. IV. Hoc ipsum, nempe me dedisse fratri tuo marito mille argenteos, erit tibi in velamen oculorum, id est ad tuum ipsius pudorem ac verecundiam. (Velantur enim & obteguntur pudentium & erubescentium oculi, & ora. Hispanice dicimus: *Cubrir la cara de verguença*.) Ad pudorem, inquam, tuum hoc erit, ut deinceps pudeat te, tam coram tuis, quam alienis, dicere te viri tui sororem, tacere uxorem; hoc est, celare veritatem, & quasi aliis imponere. V. Ecce ipsum, nempe argentum, & munus quod dedi fratri tuo, erit tibi in operimentum oculorum omnibus qui tecum fuerint, & aliis: operient enim sibi oculos, ne te aspiciant, aut concupiscant: ne exemplo meo, qui te male vidi, & concupivi, cogantur his donis redimere vitam suam, ut ego feci: nam dicent: Haud parvo stetit Abimelecho sua libido, siquidem tantum non periit: & nos etiam abstineamus. VI. Hoc argentum erit velamen, prætextus excusationis tuæ apud tuos & alios qui ausi fuerint te arguere, aut honorem tuum maculare; cum hoc donum evidens argumentum sit tuæ pudicitiæ. VII. Hic tibi est operimentum oculorum: ut sit periphrasis mariti, a iure quod in uxorem habet, & ab officio illius protegendæ; tum ab officio uxorum in viros, synecdochice explicato, ut revereantur viros, Ephesior. v. 9. 28. 33. iisque subiectæ sint: nam in subiectionis signum velatur uxor, infra cap. xxiv. vers. 65. & I. Corinth. xi. simile est *expandere alam vestimenti*, Ruth iii. 9. Isaiæ iv. 1. Hinc nubere, & obnubere, id est caput operire: unde nuptiæ dictæ a capitis opertione, inquit Festus: & nupta, id est operta. Eius verba sunt: *Nuptias dictas esse aiunt Aelius & Cincius, quia flammeo caput nubenti obvolvatur, quod antiqui obnubere vocaverunt.* Quasi dicat: Hic ipse sit tibi maritus, omnibus qui tecum sunt, & omnibus; id est, quemadmodum a tuis familiaribus maritus hic esse tuus agnoscitur, sic fac ut apud alios quoscumque agnoscatur. VIII. *Hoc erit tibi in velamen oculorum*, id est in defensionem pudoris, quod scilicet te intactam viro tuo reddiderim. IX. Ac si dicat: Fungor vice paranymphi, & novantiqui auspex matrimonii; te viro quasi denuo in uxorem trado; quin & dotem superaddo siclos mille: noli nova nupta erubescere; velamen id est, flammeum habe, quo velere, & quo etiam ruborem doli, in quo deprehensa es, obnubas; quodque omnium de tua pudicitia a me imminuta suspicionem facile diluet, cum viderint iam sancte & pudice a me habitam, & tam honorifice viro redditam. Futilis & putida expositio. X. Hoc argentum erit tibi in velamen oculorum, scilicet ut ex eo compares, aut facias tibi, operimentum, tegumentum, velamen pulcherrimum, dignum oculis (Hispanice *vistoso*) speciosum, vel opere Phrygionico ocellatum, ocellis distinctum, contextum, aut insertum, variegatum, vel acu pictum, qualibus insignes, nobilesque feminæ uti solent ad ornatum. Ut sit illud opus quod verbo שבץ *schabatz* Hebræi exprimere solent: nempe velamen simile illi quod Maro describit I. AEneidos:

.... pallam signis, auroque rigentem,
Et circumtextum croceo velamen acantho.

Sic Hispanice solemus dicere, *para velos, para chapines* cum dona feminis dantur. XI. Hoc erit tibi tegumentum, operimentum, velamen, prætextus oculorum; hoc est, hoc munere tegam, operiam tibi oculos; id est, placabo te, & omnes domesticos tuos, ut obliviscamini, & mihi condonetis iniuriam, quam feci vobis, tamquam qui oculos velatos & opertos habeatis, & nihil criminis in me videritis. Hispanice, *Con esto os tapare los ojos*. Simili phrasi dixit Iacob infra cap. xxxii. vers. 20. verbo *caphar*, *tegam*, *operiam*, *oblinam*, *expiabo*, *placabo facies eius munere*. Huc respexisse putant Petrum I. Epist. ii. 16. *Non quasi velamen prætextum habentes malitiæ libertatem*. Hanc interpretationem necessario aliis anteferas. XII. Ecce hoc tibi velum ad occultandam pulchritudinem tuam

tuam & apud eos qui tecum sunt, & apud reliquos omnes, ne scilicet quem tentes.

Pronomen הוא *hu* possit referri ad Abraham, *ipse* ad argentum, *ipsum* ad munus, ad factum, seu rem gestam. Vocem כסות *cesuth* omnes exponunt *tegumentum*, *opertimentum*, *velamen*, *prætextum*. Nec desunt qui *Caph* servile esse velint, nam סות *suth* est *pallium*, *vestimentum*, *operimentum*, Genes. XLIX. unde hic reddunt: *Ipsum erit tibi sicut pallium*, *vestimentum*, *operimentum*.

ET QUOCUMQUE PERREXERIS, MEMENTO TE DEPREHENSAM. Diverse exponunt ex fonte. I. *Et in omnibus correpta*, *increpata*, *redarguta*, *obiurgata*. II. *Et in omnibus disciplinata*, *erudita*, *castigata*; id est, per hæc omnia quæ ei sub Pharaone, & sub Abimelech contigerunt, erudita fuit, ne amplius maritum diceret fratrem. Vel rubore suffusa est Sara, quod a gentili & profano rege redargueretur. III. *Et ad omne obiectum*, vel *& ad omnem obiectionem*. Redduntque totum locum: *Ecce hoc erit tibi velamen oculorum erga omnes qui apud te sunt*, *& contra omnem etiam obiectionem*, seu *adversus omne obiectum*. Hebr. ואת כל ונוכחת *veeth col venochachath*; id est, *& ad omnes*, vel *cum omnibus*, *& redarguta*. נוכחת *nocachat* participium Niphal femineum; sed quod aiunt, transire in naturam nominis; quasi dicas, *obiectionem*, *obiectum*, *argumentum*, *disceptationem*: & *Vau* ei præfixum, more linguæ abundare, vel sumi pro *etiam*. Quidam illud *veet col* antecedentibus iungunt hoc sensu: *Ecce ipse tibi velamen oculorum ad omnes qui ad te sunt*, *& ad omnes*: *& redarguta*; id est, erga omnes domesticos tuos, & erga omnes alios. Quem sensum aliis præferimus. Aliqui: *Et castigaberis*, seu *esto cauta*, ne mentiaris esse fratrem, qui maritus est. Nonnulli: *Atque hæc omnia ut erudita sis*; id est, quæcumque hactenus gesta sunt, inquit, & quæ iam dico tibi, ea huc spectant omnia, ut erudita sis, caveasque imposterum, ne umquam dissimules hunc esse maritum tuum. Sic Abrahamo (qui ex facto non emendaverat hanc imprudentiam suam antecacti periculi experientia supra cap. XII. vers. 18.) Deus hunc Abimelechum infidelem, præceptorem, & doctorem veritatis obtulit.

V. 17. ANCILLASQUE EIUS. אמה *amah*, si est ab אמן *aman* significat *ancillam*, *famulam*, a fidelitate. Si est ab אמך *amach*, אם *em matre*, quasi matres maiores, Hispanice, *duennas*. Ego existimo, ut אומן *omen* Hebræis est *fidelis*, *curator*, *nutritius*, cuius fidei infantes & pueri nutriendi, & educandi committuntur; sic *amah* esse *famulam*, *curatricem domus*, *nutritiam*, cuius fidei & curæ & res domesticæ, & educatio, seu nutritio puerorum commissa est, ut digniores famulas, quas Hispanice *ayas*, aut *amas*, consentiente voce, appellamus, significet.

MENOCHII.

Vers. 1. PROFECTUS INDE. Mutat sedes Abraham, quia advertebat virulentas maris mortui exhalationes, & vicina loca sterilia. TERRAM AUSTRALEM, respectu convallis Mambre. GERARIS. Gerara urbs metropolis Palæstinæ, & sedes regia, fuit in tribu Simeon.

V. 2. DE SARA UXORE SUA. Saræ nonagenariæ pulchritudo divino muneri tribuenda: cum enim Dominus ei fecunditatem largitus est, etiam reddidit pulchritudinem iuventæ. Alii dicunt tunc nonagesimum annum parem fuisse nostro quadragesimo: præterea continentiam, & quod numquam pepererat, iuvasse ut corporis decor non deflorescerET. TULIT EAM, non auso resistere Abraham.

V. 5. IN SIMPLICITATE, simplici, innocenti, recto, ac sincero animo.

V. 6. ET EGO SCIO, te innoxium ab adulterio, sed non ab iniuria: tulisti enim invitam pro tuo imperio. NE PECCARES, peccato adulterii. NON DIMISI, morbo impedivi: nam infra num. 17. dicitur: *Sanavit Deus Abimelech*, &c.

V. 7. PROPHETA EST: familiariter cum illo versari, & multa illi mysteria rerum futurarum revelare soleo.

V. 8. STATIMQUE DE NOCTE, extrema noctis parte, cum iam albesceret cælum. In Hebræo est, *Manicavit diluculo*: sic etiam LXX.

V. 9. QUID FECISTI? non est interrogantis, sed expostulantis. PECCATUM GRANDE, gravem peccati ultionem, & pœnam. NON DEBUISTI FACERE: nec decuit, nec licebat.

V. 10.

V. 10. QUID VIDISTI? quæ signa iniustitiæ, aut libidinis in nobis deprehendisti?

V. 12. FILIA PATRIS MEI, ET NON FILIA MATRIS MEAE. Thare filii fuerant Abraham, & Aran; Sara vero filia erat Aran: itaque Thare, qui Abrahamo erat pater, Saræ erat avus; avi autem usu nonnullarum gentium vocantur patres: recte ergo dicitur: *Filia patris mei*. Ex eo autem quod dicitur, *Et non filia matris meæ*, colligunt aliqui, Thare duas habuisse uxores, ex quarum una natus sit Abraham, ex altera Aran, qui genuit Saram, & Lot. Alioqui Sara dici potuisset filia matris Abraham, quæ illi avia fuisset, quemadmodum Thare, qui avus erat, pater illius dicitur.

V. 16. MILLE ARGENTEOS, scilicet siclos, ut vertit Chaldæus, nam cum in Scriptura ponitur argenteus, vel aureus, intelligitur siclus. Valet autem siclus unus quatuor regales Hispanicos. FRATRI TUO. Est ironia: ei quem tu vocas fratrem. IN VELAMEN, quibus tibi velamen comparare possis, quo ostendas te nuptam, ne quis alius, ut ego, in errorem inducatur: quo etiam velamine oculos tuos veles, pudore suffusa quod deprehensa sis. Tandem quod sit tibi testimonium pudicitiæ tuæ non imminutæ, quod a me tam honorifice dimissa sis. Estius putat datam pecuniam illam, ut cultius ornaretur Sara, tamquam scilicet potens aut princeps femina, ac proinde nullus ei iniuriam intentare auderet. MEMENTO TE DEPREHENSAM, ac proinde pudefactam, ideoque in posterum quæ sis fatere: quod LXX. habent: *Et in cunctis esto veridica*.

V. 18. CONCLUSERAT, ut nec possent puerperæ partum eniti, nec mulieres a viris cognosci. Quis fuerit Abimelech morbus Scriptura non explicat. Aiunt aliqui eum ingenti cruciatu in verendis afflictum fuisse.

TIRINI.

Vers. 12. VERE SOROR MEA ES: quia cum veritate dicere possum esse sororem meam, est enim FILIA PATRIS MEI, ET NON FILIA MATRIS MEAE, Erat nempe Sara filia Aran fratris Abrahæ, neptis vero Tharæ patris Abrahæ: quem Tharam post mortem Arran patris sui, Sara, & Lot tamquam patrem habebant, colebant, adeoque & vocabant; uti & apud Gallos, & Belgas avus vocatur magnus pater. Quia tamen non una & eadem fuit mater Aran & Abrahæ, nam hi ex diverso thoro prognati erant; idcirco hic dicit Abraham, Saram esse filiam patris sui, non matris suæ. Ita S. Augustinus *a*, & alii.

V. 16. ECCE MILLE ARGENTEOS, scilicet siclos, ut vertit Chaldæus, & probant Delrio *b*, & Mariana, quoties in Scriptura ponitur argenteus, vel aureus, intelligi siclum. Siclus vero est florenus Belgicus, constans quatuor regalibus Hispanicis. Ergo mille argentei, erant mille floreni *c* Belgici. HOC ERIT TIBI IN VELAMEN OCULORUM; id est, hac summa ematur tibi, si desit, velum, seu flammeum, quo, utpote iam pridem nupta, more matronarum, veles oculos & faciem tuam. Reprehendit enim Saram, quod nudo capite (ut solent virgines) incedendo, simulaverit se necdum nupsisse, atque ideo multis & erroris, & adulterii occasionem præbuerit. Monetque, ut se deinceps cautius tegat apud omnes qui cum illa familiarius versabuntur, ne scilicet aspectu vultus illius ad illicita moveantur. Vide de hoc velo Pinedam *d*, Alexandrum ab Alexandro, & alios.

(*a*) Aug. Lib. XXII. contra Faust. cap. xxxv.
(*b*) Delrio hic, Mariana cap. vi. de Ponderib. Bonfr. hic & alii.
(*c*) Proleg. de Ponderib.
(*d*) Pined. in Salom. prævio Lib. V. cap. III. num. 10. Alex. Lib. II. Genial. cap. v.

GORDONI.

Vers. 1. ABRAHAM relinquens convallem Mambre, & Hebron, venit versus Ægyptum in Geraram, in qua dicitur hic peregrinatus; & quam aliqui faciunt Metropolim Philisthinorum. Habitat ergo inter duas solitudines Cades, & Sur, quod est prope mare rubrum, & Num. XXXIII. vocatur Ethan. Gerara abest a Ierusalem itinere trium dierum. Philisthinorum regia.

V. 3. Probabile est Abimelech nomen esse commune Regibus Philisthinorum, ex Euthymio Psalm. XXXIII. Sane ex hac moni-


nitione divina non est improbabile Regem hunc non abhorruisse a lege naturæ, castigatum tamen inflicta aliqua pœna, forte sterilitate, & comminatoria morte, ut sic restituere cogeretur Saram marito. Vide vers. 17. & 18.

V. 12. VERE SOROR MEA EST, FILIA PATRIS MEI. Frater & soror non uterini, hic inierunt coniugium, si verba hæc simpliciter accipias. Vere tamen Sara erat filia Aram (qui erat frater Abrahæ) dicta vero filia Thare patris Abrahæ, quia erat neptis Thare in linea recta. Et tale ante Mosem erat licitum coniugium. Vide Levit. cap. XVIII. vers. 9. NON FILIA MATRIS MEAE. Hoc quidam verum esse interpretantur, qui volunt Thare patrem Abrahæ duas habuisse uxores, & ex una natum Abraham, ex altera Aram, qui est pater Saræ.

V. 15. TERRA CORAM VOBIS EST. Habitate, ut placebit: permittitur hoc vobis.

V. 16. Per argenteos hic, siclos aliqui intelligunt: siclus autem fere respondet quatuor Regalibus Hispanicis. Datur, inquit Rex, hoc donum, ut velamen emas oculorum, nec te tam facile exponas hominum conspectui, memor eorum quæ hic tibi acciderunt. Quid stater? I. Reg. IX. tetradrachmus. DEPREHENSAM. Dicitur ad cautionem in posterum.

V. 18. CONCLUSERAT, reddiderat sterilem.



CAPUT XXI.

Nascitur Isaac, & ablactatur; Ismael vero cum matre domo pellitur in desertis victurus. Abimelech cum Abraham fœdus medio iuramento percussit.

1 Visitavit autem Dominus Saram, sicut (*a*) promiserat, & im-
plevit quæ locutus est. 2. Concepitque, & (*b*) peperit fi-
lium in senectute sua, tempore quo prædixerat ei Deus. 3.
Vocavitque Abraham nomen filii sui, quem genuit ei Sara,
Isaac: 4. & circumcidit eum octavo die, sicut (*c*) præcepe-
rat ei Deus, 5. cum centum esset annorum: hac quippe æta-
te patris, natus est Isaac. 6. Dixitque Sara: Risum fecit
mihi Deus: quicumque audierit, corridebit mihi. 7. Rursumque ait: * Quis
auditurum crederet Abraham, quod Sara lactaret filium, quem peperit ei iam
seni? 8. Crevit igitur puer, & ablactatus est: fecitque Abraham grande con-
vivium in die ablactationis eius. 9. Cumque vidisset Sara filium Agar AEgy-
ptiæ ludentem cum Isaac filio suo, dixit ad Abraham: 10. (*d*) Eiice ancil-
lam hanc, & filium eius: non enim erit heres filius ancillæ cum filio meo
Isaac. 11. Dure accepit hoc Abraham pro filio suo. 12. Cui dixit Deus:
Non tibi videatur asperum super puero, & super ancilla tua: omnia quæ di-
xerit tibi Sara, audi vocem eius: quia (*e*) in Isaac vocabitur tibi semen.
13. Sed & filium ancillæ faciam in gentem magnam, quia semen tuum est.
14. Surrexit itaque Abraham mane, & tollens panem, & utrem aquæ, impo-
suit scapulæ eius, tradiditque puerum, & dimisit eam. Quæ cum abiisset, er-
rabat in solitudine Bersabee. 15. Cumque consumpta esset aqua in utre, abie-
cit puerum * subter unam arborum quæ ibi erant. 16. Et abiit, seditque e
regione procul quantum potest arcus iacere: dixit enim: Non videbo morien-
tem puerum: & sedens contra, levavit vocem suam, & flevit. 17. Exaudivit

autem Deus vocem pueri; vocavitque Angelus Dei Agar de cælo, dicens: Quid agis Agar? Noli timere: exaudivit enim Deus vocem pueri de loco in quo est. 18. Surge, tolle puerum, & tene manum illius: quia in gentem magnam faciam eum. 19. Aperuitque oculos eius Deus: quæ videns puteum aquæ, abiit, & implevit utrem, deditque puero bibere. 20. * Et fuit cum eo: qui crevit, & moratus est in solitudine, factusque est iuvenis sagittarius. 21. Habitavitque in deserto Pharan, & accepit illi mater sua uxorem de terra AEgypti. 22. Eodem tempore dixit Abimelech, & Phicol princeps exercitus eius, ad Abraham: Deus tecum est in universis quæ agis. 23. Iura ergo per Deum, ne noceas mihi, & posteris meis, stirpique meæ. Sed iuxta misericordiam (f) quam feci tibi, facies mihi, & terræ in qua versatus es advena. 24. Dixitque Abraham, Ego iurabo. 25. Et increpavit Abimelech propter puteum aquæ quem vi abstulerant servi eius. 26. Respondítque Abimelech: Nescivi quis fecerit hanc rem; sed & tu non indicasti mihi, & ego non audivi præter hodie. 27. Tulit itaque Abraham oves, & boves, & dedit Abimelech: percusseruntque ambo fœdus. 28. Et statuit Abraham septem agnas gregis seorsum. 29. Cui dixit Abimelech: Quid sibi volunt septem agnæ istæ quas stare fecisti seorsum? 30. At ille: Septem, inquit, agnas accipies de manu mea, ut sint mihi in testimonium, quoniam ego fodi puteum istum. 31. Idcirco vocatus est locus ille Bersabee: quia ibi uterque iuravit. 32. Et inierunt fœdus pro puteo iuramenti. 33. Surrexit autem Abimelech, & Phicol princeps exercitus eius, reversique sunt in terram Palæstinorum. Abraham vero plantavit nemus in Bersabee, & invocavit ibi nomen Domini Dei æterni. 34. Et fuit colonus terræ Palæstinorum diebus multis.

(a) Sup. xvii. 19. xviii. 10. (b) Gal. iv. 23. Heb. xi. 11. (c) Sup. xvii. 10. Matth. i. 2. (d) Gal. iv. 30. (e) Rom. ix. 7. Heb. xi. 18. (f) Sup. xx. 13.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 7. *Quis auditurum crederet Abraham?* Ita legendum est participium futuri temporis, quarto casu, *auditurum*, non primo, *auditurus*; multo minus secundo *auditorum* a nomine *auditor*.

V. 15. *Subter unam arborum qua ibi erant.* Lege pluraliter, *Arborum qua ibi erant*, non singulariter, *Arborem qua ibi erat*.

V. 20. *Et fuit cum eo.* Non addas, sed subaudias *Deus*.

COMMENTARIA

SA.

Vers. 6. RISUM, idest gaudium, seu lætitiam. CORRIDEBIT, id est congaudebit, congratulabitur.

V. 7. ABRAHAM, scilicet dicenti; vel pro, de Abraham.

V. 9. LUDENTEM, idest irridentem. Quidam vertunt *lascivientem*. Hieron. interpretatur: *Super primogenitura contendentem*.

V. 12. IN ISAAC VOCABITUR TIBI SEMEN; quasi dicat: Per Isaac habebis posteritatem promissam, eaque te patrem dicet.

V. 14. EIUS, scilicet Agar. PUERUM, scilicet ctodecim annorum: Isaac enim tunc erat quinque annorum; natus autem fuerat in Geraris, cum Ismael esset tredecim. Hieron. in Gen.

V. 17. QUID AGIS? Hebr. *Quid tibi est?*

V. 23.

V. 23. MISERICORDIAM. LXX. *iustitiam*. Vide sup. cap. xx. num. 13.

V. 31. BERSABEE, idest *puteus iuramenti*, vel *puteus septem*. IURAVIT, sub, & propter septem aquas: utrumque enim eo nomine significatur, ut proxime dictum. Vide infra cap. xxvi.

V. 34. COLONUS, idest incola.

ESTII.

Vers. 9. FILIUM AGAR LUDENTEM CUM ISAAC FILIO SUO. Ex Hebræo varie vertunt Interpretes: alii *ludentem*, alii *idololatriam exercentem*, alii *lascivientem*, alii denique *cædem machinantem*. Apostolus ad Galatas cap. iv. ad hunc locum respiciens, dicit: *Quomodo tunc is qui secundum carnem, persequebatur eum qui natus fuerat secundum spiritum; ita & nunc*. Ex quo loco manifestum est, debere in hoc lusu intelligi persecutionem aliquam. Persecutio autem duplex est: alia corporalis, alia spiritualis. De corporali persecutione intelligunt qui dicunt, hic significari quod Ismael ludendo mortem fuerit machinatus Isaac, ut hereditatem adipisceretur. Et hoc indicare videntur illa verba: *Non enim erit heres filius ancillæ cum filio meo Isaac*. Alii tamen conformius Apostolo putant quod Ismael quasi per ludum voluerit Isaac ad idololatriam invitare, sicut Iudæi ad suum iudaismum Christianos, & postea etiam Gentiles ad suam idololatriam. Sic & Exodi cap. xx. *Et surrexerunt ludere*, de his qui vitulum adorarunt. Nec tergiversandum est, eo quod in Hebræo non additur illud *cum Isaac filio suo*: nam contextus hoc addi debere docet, & Apostolus ad Galatas cap. iv. addit, & ipsi etiam Interpretes Septuaginta.

V. 10. EIICE ANCILLAM, ET FILIUM EIUS. Testatur Apostolus ad Galatas cap. iv. hæc per allegoriam esse dicta, & explicat. Nempe sicut Sara postulante, & Deo postulatum eius approbante, eiecta est e domo Abrahæ Agar ancilla cum filio suo Ismaele; sic Ecclesia Christi per Spiritum sanctum urgente, eiici oportuit e familia & populo Dei eos qui legem veterem necessario observandam volebant. Atque hoc præcipuum est quod Apostolus ex hac historia Genesis per allegoriam exposita docere voluit. Vide nostra eo loco.

V. 12. OMNIA QUAE DIXERIT TIBI SARA, AUDI VOCEM EIUS. Ex hoc loco Abrahamum similiter prius petente Sara, ancillam divina dispensatione accepisse in uxorem, non male colligitur. Et in universum de his qui in lege veteri duas simul habuerunt uxores, sic Innocentius III. cap. Gaudemus: *Nec ulli*, inquit, *unquam licuit simul plures uxores habere, nisi cui fuit divina revelatione concessum, per quam, sicut Iacob a mendacio, Israelitæ a furto, & Samson ab homicidio, sic & patriarchæ, & alii viri iusti, qui plures leguntur habuisse uxores, ab adulterio excusantur*. Hæc ille. Quam responsionem indicat etiam Ambrosius Lib. I. de Abraham cap. iv. & Chrysostomus hom. lvi. in Genesim. Neque obstat quod Polygamia lege divina esset prohibita, Genesis cap. ii. nam ideo tantum fuit prohibita, & est mala, quia ordinarie repugnat pacificæ educationi prolium, propter innatam mulieribus zelotypiam. Itaque cum Deus possit huic incommodo providere, potest etiam in lege monogamiæ, id est, unius cum unica, dispensare. Vide si placet, plura de his in IV. distinct. xxxiii.

MARIANAE.

Vers. 1. VISITAVIT AUTEM DOMINUS SARAM. Chald. *Recordatus est*: atque ea est præcipua significatio verbi פָּקַד *pakad*, fecit quod promiserat illi.

V. 2. CONCEPITQUE, ET PEPERIT FILIUM. Supple, Abrahæ, ex Hebræo, Chald. & Sept. ita ut IN SENECTUTE SUA referatur non ad Saram, sed ad Abrahamum, quod indicat pronomen masculinum in Hebr. similiter quod sequitur, TEMPORE QUO PRAEDIXERAT EI, nempe Abrahamo, DEUS.

V. 6. RISUM FECIT, gaudium. CORRIDEBIT, congaudebit.

V. 7. QUIS AUDITURUM CREDERET. Hebr. *Quis dixit*, pro diceret, *Abrahæ*: *Lactat filios*, ubi nos filium, *Sara, & quod peperit filium senectuti eius?*

V. 8. ABLACTATUS EST: FECITQUE ABRAHAM GRANDE CONVIVIUM. Erat Hebræis usitatum ut a conceptione fetus usque ad ablactationem abstinerent ab uxoribus: Clemens Strom. iii. Sic quando infans ablactabatur, quasi in-

staurato coniugio, instruebant convivium. Hoc mater Samuelis facit, ablactatum deferens in vitulis tribus: I. Reg. I.

V. 9. LUDENTEM CUM ISAAC FILIO SUO. A tempore Hieronymi illud *cum Isaac filio suo* non erat in Hebræo, nec modo est, sed additur ex Sept. interpretatione. Sed ludendi vox significat colere idola aliquando, tum pugnare: II. Reg. II. tum coire: Genes. XXVI. Unde occasio varie ludum Ismaelis cum Isaac interpretandi. Nobis simplicius videtur ludendi vocem referre ad morem puerorum turbantium omnia domi, ut explicat Schol. Hebræus. Erat Isaac quinque annorum, Ismael octodecim.

V. 11. DURE ACCEPIT HOC ABRAHAM PRO FILIO SUO. Hebr. *Super negotio filii sui*: sic Chald. explicat. Vox autem אודות *odoth* negotium, & causam significat, caretque singulari.

V. 12. ISAAC VOCABITUR TIBI SEMEN; id est, per Isaac habebis posteritatem promissam.

V. 14. SURREXIT ITAQUE ABRAHAM MANE. Vide diligentiam. ET TOLLENS PANEM ET UTREM AQUAE. Pro *utre* Hebr. חמת *hemath*, quæ vox non utrem tantum, sed vas in genere significat, seu ex corio, seu ex ligno. Interpretes tamen omnes posuerunt *utrem*. ET DIMISIT EAM, scilicet Agar: sic Sept. & Chald. sed vox Hebraica proprie *deducere*, seu *comitari* significat; qua usus est cap. XII. vers. 20. cum dixit Ægypti aulicos comitatos Abrahamum. Itaque videtur Abraham aliquanto spatio prosecutus Agar, & filium.

V. 16. ET SEDENS CONTRA, LEVAVIT VOCEM SUAM. Hebr. *Et sedit contra, & levavit vocem suam*. Sept. *Clamans autem puer flevit*. Sed articulus femininus ostendit fletum referendum ad Agar, ut Hieron. retulit. Flevit quidem puer, ut proximo versu continetur; ceterum hoc versu 16. nihil de eo fletu dicitur.

V. 18. TOLLE PUERUM, ET TENE MANUM ILLIUS. Ismael erat iam decem & octo annorum, sic eum Agar baiulare non poterat; sed quod ait, *Tene manum*, explicat modum tollendi.

V. 23. NE NOCEAS. Hebr. *Si mentieris, si fidem datam falles*, scilicet nocendo. Abimelech loquitur. ET POSTERIS MEIS, STIRPIQUE MEAE. Hebr. & Chald. *Et filio meo, & nepoti meo*. IUXTA MISERICORDIAM QUAM FECI TIBI. Sept. *iustitiam*, ut & cap. XX. vers. 13. Verum hæ voces passim confunduntur: melius tamen hic est, *misericordiam*, ut Hebr. & Chald.

V. 28. ET STATUIT ABRAHAM SEPTEM AGNAS GREGIS SEORSUM. Pulchra paranomasia hoc loco. Hebræis solemne erat iurare per *septem*, quoniam eo numero propter eius perfectionem Deum significabant. Sic a voce שבע *sebah*, id est *septem*, vox iurandi Hebraice deducitur. Itaque *iurare* apud illos perinde est atque *septennare*. Quare Abraham septem agnas separans, quod & ipse iuraret, & exigeret vicissim iuramentum, eo numero indicavit. Tum puteus *Bersabee* est dictus, quoniam septem agnis est redemptus, & quia ibi uterque iuravit. Euseb. etiam Lib. XI. de Præpar. cap. IV. ait nomen Dei septem litteris constare. Et fortassis ab hoc fonte deductum est ut ad confirmandum testamentum, & iusiurandum, septem ex lege testes adhibeantur.

V. 33. ABRAHAM VERO PLANTAVIT NEMUS. Hebr. vocem אשל *æsel* varie interpretantur; sed commodior omnibus ratio ut significet arborem sive in commune, sive cuiusdam certi generis, & singulare sumatur pro plurali: *Plantavit arborem*, idest arbores, quas noster recte vocavit *nemus*.

MALVENDAE.

Vers. 1. VISITAVIT. Notant, hinc sumendam esse frequentissimæ huius phraseos explicationem: est enim visitare exequi promissum bonum, vel denuntiatum malum. Verbum פקד *phakad* latissime patet, & in bonum, & in malum passim usurpatur.

V. 8. ET ABLACTATUS EST. Hebr. *Retributus fuit*: elegans loquendi modus Hebræis, quem retinui; id est, tributus est curatricibus, seu nutricibus, solidioribus cibis nutriendus, & educandus in vitæ muneribus, depulsus a lacte materno: vel retributus, compensatus, recompensatus fuit; id est, pro lacte tributus est ei solidior cibus. Verbum enim גמל *gamal*, unius rei pro alia vicissitudinem, & compensationem

ce-

denotat; ut hic, altetius, seu solidioris alimenti pro lacte, & lacticiniis.

V. 9. LUDENTEM. Participium Pihel מצחק *metzachek*, quidam exponunt: *Facientem irridere*, vel *irridentem*, *subsannantem*, nempe omnia quæ tunc fiebant in honorem Isaac, *deridentem*, celebritatem, & solemnitatem convivii. Alii *illudentem*, subaudi ipsi Isaaco, insolenter & petulanter cum eo iocantem; quasi sibi, & non illi ius primogenituræ competeret. Hunc sensum probat auctoritas Pauli ad Galatas IV. 29. ubi *persequentem* vertit: & possit, hic reddi *velitantem*, insolenter se gerentem.

V. 12. AUDI VOCEM EIUS. Hebr. *Audi in voce eius*. Notant, cum verbum שמע *schamagh* construitur cum Beth, idem esse Latinis quod *acquiescere*. *Acquiesce in voce eius*, morem ei gere. QUIA IN ISAAC VOCABITUR TIBI SEMEN. Paulus Roman. VII. 9. reddidit verbum *vocandi per* λογιζέσθαι, hoc est *censebitur*, *reputabitur*. Propagatio generis, successio, hereditas, religio, nomen familiæ, semen illud benedictum, ac divinæ promissiones per Isaac, non per Ismahelem tibi fluent ac derivabuntur.

V. 14. ET UTREM. חמת *chemeth* quidam, voce consentiente, *heminam* reddunt, quæ capiebat dimidium sextarii; deducuntque a חמם *chamam*, *calescere*, quod esset vas testaceum calore ignis, vel solis coctum. Alii, *lagenam*, *urceum*, *urnam*, *hydriam*. Nescio quid in mentem venerit iis qui *scrinium* sunt interpretati. Cum ter tantum hæc vox in Scriptura occurrat, nec alibi quam in hoc capite, Noster secutus veteres, semper *utrem* dixit: quod satius est. & mori illarum regionum magis accommodatum.

V. 16. QUANTUM POTEST ARCUS IACERE. Hebr. *sicut iaculantes*, seu *iaculatores arcus*; id est, quantum sagittantes possunt telum, seu sagittam arcu emittere. Volunt מטחוי *metachave*, esse participium plurale Pihel constructum. Alii potius nomen participiale volunt, id est *iactus*, *proiectus*, *extortiones* scilicet iaculorum, *iaculationes*: quantum tela, aut iacula uno ictu propelli possunt. Unde hic reddunt: *Circiter aliquot iactus arcus*.

V. 18. ET TENE MANUM ILLIUS. Ex Hebræo quidam exponunt: *Et tene manu tua eum*: vel *Et tene te ipsam manu tua ad eum*, ut robores eum fortiter. Alii: *Et tene te ipsam manu tua in eo*; id est, fulci, sustenta te, innitere manu tua in eo. Sic solent matres manu super caput, aut humerum puerorum nixæ incedere. Nonnulli: *Robora*, *fortifica*, *fac invalescere manum tuam in eo*; id est, sustenta eum, est enim debilis præ languore. Verbum חזק *chazak*, *firmam*, *validam apprehensionem*, vel *cum comprehensione firmam retentionem* significat: ut cum corpus constringitur, aut spiritus retentione firmatur, aut res hiantes, vel non cohærentes resarciuntur, aut solide compinguntur. Unde hic reddemus: *Et valide apprehendere fac manum tuam in eo.*

V. 20. IUVENIS SAGITTARIUS: רבה קשת *robeh kaschat*, varie exponunt. I. *iaculator arcus*, *sagittarius*, hoc est venator. II. *multiplicans*, id est extendens, vel frequentans, *arcum*. III. *copiosus arcuarius*, id est sagittandi peritus. IV. *sagittarius arcuarius*. V. *magister arcus*. Hinc rabbi nomen pro magistro, sæpius in Evangeliis. VI. *magister arcuariæ*, id est artis arcuariæ, seu totius rei quæ ad arcum pertinet. קשת *kaschath* quidam idem volunt esse quod *keschcth*, id est arcus. Alii *thoar* esse putant, id est *arcuarius*, *arcitenens*, Græcis *toxotes*, nempe vel peritus faciendorum arcuum, vel peritus iaculandi arcu, quem nos sagittarium dicimus. Nonnulli malunt esse substantivum, id est *arcuaria ars*. Noster secutus Chaldæos, *iuvenem* dixit, רביה *rabiah*, ex Thargum נער *naghar*.

V. 23. IURA ERGO PER DEUM, NE NOCEAS MIHI. Hebr. *Et nunc iuramento obstrictus esto mihi in* Elohim, *hic*, *si dolo malo ages*, &c. Quidam: *Nunc itaque iura mihi per Deum hic*, *dira tibi imprecans*, *si mentitus fueris mihi*. Vide de hac formula supra cap. XIV. vers. 23. ET POSTERIS MEIS. נן *nin* aiunt proprie significare *filiationem*, *prolificationem*, *propagationem*; esseque collectivum, id est prolem, sobolem. Ex Hebraico factum videtur Hispanicum *ninno*.

V. 25. ET INCREPAVIT. Hunc versum alii reddunt: *Reprehendit vero Abraham Abimelechum*, *propter puteum aquæ illum*, *quem vi occupaverant servi Abimelechi*. Regio erat siticulosa, ut apparet ex hi-

historia Hagaræ, & Deuteron. xi. verſ. 10. quamobrem non debet leviculum videri id de quo Abraham regem interpellabat.

V. 27. Tulit itaque Abraham oves, et boves &c. Alii: *Et accipiens Abraham greges, & armenta, dedit Abimelecho: pepigeruntque ambo fœdus*: videlicet ut teſtaretur nihil amplius offenſionis animo ſuo hærere, ſe excuſationem accipere, & in traditione hac beneficia accepta grato animo agnoſcere: nam fœdera, quum ineuntur, non raro in utramque partem fiunt munerationes, ut Diomedis, & Glauci exemplum apud Homerum oſtendit. Hebr. ex verbo: *Et accepit Abraham ovem, & bovem, & dedit Abimelecho: & ſciderunt duo ii fœdus*. Putant, ovem, & bovem hic adhibita in ſacrificium, & ſciſſa per medium, & Abrahamum, & Abimelechum inter ſectas partes tranſiſſe, quod erat ſignum ſacri fœderis ſciſſi, ut ſupra cap. xv. verſ. 18. Vide infra verſ. 30.

Verſ. 28. Septem agnas gregis. כבשות *chibſoth*, *agnam teneram*, *quæ nondum annum egreſſa eſt*: puto a כבס *cibbes*, quaſi lotam, candidam, pulchram. *Agna ovium*, vel *gregis* dicitur, quaſi adhuc parva, quæ gregali cura indigeat. Seorsum: nam negotium hoc de puteo diverſum erat ab altero de ineundo fœdere.

V. 30. Ut sint mihi. בעבור *beghabur* exponunt *ut propterea quod*. Sed propius, *in tranſitione*, id eſt in hac tranſactione noſtra, & fœdere: vel *in tranſitione* per partes victimæ cæſæ, nempe, quod idem eſt, in pacto, vel fœdere icto.

V. 31. Bersabee, quia ibi uterque iuravit. Idem nomen שבע *ſchebagh* ſignificat *ſeptem*, & *iurare*. Notant quidam, quod numerus ſeptenarius eſſet numerus multitudinis, & ſaturitatis; & iuramenta ſacra deberent fieri, & fierent etiam multis, & ſufficientibus teſtibus, iiſdem multipliciter confirmato animo, & confirmatis argumentis & cauſis: vel, ut alii divinant, quod ſepties repeterentur verba iuramenti: vel quod ad religionem iuramenti ſeptem adhiberentur teſtes, vel res: ut hic ſeptem agnæ. *Beer ſebagh* igitur ſignificat *puteum ſeptem*, & *puteum iuramenti*, *quia ibi uterque iuravit*.

V. 33. Nemus. אשל *eſchel* ter tantum in Scriptura ponitur: hic, & I. Samuel xxii. 6. & cap. xxx. verſ. ultimo; & Noſter ſemper *nemus* vertit. Sed pro loco cap. xxx. verſ. 13. in I. Paralipom. x. 12. dicitur אלה *elah*, ilex, quercus, therebintus. *Eſchel*, Hebræi putant eſſe generale nomen arborum, unde hic reddunt, *Arborem*, *arboretum*, *ſilvam*, *nemus*, *paradiſum*. Alii peculiarem arborem eſſe volunt, quam Arabes vocant *atal*, tamarici ſimilem, aut tamarici ſpeciem. Quidam noſtrorum notant, nomen eſſe collectivum, arborem, arboretum, nemus plantatum: & ut אשרה *aſcherah*, *lucus*, a beatitudine & felicitate; ita אשל *eſchel* a שלה *ſchalah*, ab incolumitate, tranquillitate, & ſalute dici; quaſi locus ſalubris, & tranquillus. Nonnulli ſubtiliter ariolantur, eſſe nemus, arbuſtum, ſilvam, locum conſitum arboribus ſalvis, id eſt Deo conſecratis: ut iſthuc confugientes, & invocantes Deum, eſſent ſalvi & tuti a direptione. Cognationem namque habere cum שאל *ſchaal*, *rogavit*, & שלה *ſchalah*, *ſalvus*, *ac tutus fuit*. Hinc per metatheſim ἄλσος, & ἀλσώδης, *nemoroſus*: item aſylon, ſeu aſylum. Atque eiuſmodi lucum plenum quercubus glandiferis plantaſſe Abraham, ut eſſet ſacer, ibique Dei cultum celebraret: & ut eſſet aſylum, ne Abimelech, & Palæſtini iniuriam loco inferrent, ut fecerant in puteis: quem morem imitatum Romulum, de quo Virgilius VIII. AEneidos:

> *Hinc lucum ingentem, quem Romulus acer aſylum*
> *Rettulit.*

Livius Lib. I. cap. viii. *Locum, qui nunc ſeptus denſis ſentibus inter duos lucos eſt, aſylum aperit*. *Aſylum*, inquit Servius, hoc eſt, *templum miſericordiæ*, *unde nullus poſſet abduci*. Neſcio unde quidam divinarunt *eſchel* eſſe *platanum*, niſi a coniectura umbræ. In Bersabee. Euſebius, & S. Hieronymus in Locis Hebraicis: *Lege diligenter hiſtoriam Berſabee. In tribu Iuda, ſive Simeonis, eſt uſque hodie vicus grandis in viceſimo a Chebron milliario, vergens ad auſtrum, in quo & Romanorum militum præſidium poſitum eſt. A quo loco termini Iudææ terræ incipientes tendebantur uſque ad Dan, quæ iuxta Paneadem cernitur. Interpretatur vero Berſabee, puteus iuramenti, eo quod ibi Abraham & Iſaac fœdus cum Abimelech ſociaverunt iurantes*. Et in Traditionibus: *Notandum, quod Iſaac non ſit natus ad quercum Mamre, ſed in Geraris, ubi &* Ber-

Bersabee usque hodie oppidum est. Quæ provincia ante non grande tempus, ex divisione præsidum Palæstinæ, salutaris est dicta. De Romano præsidio in Bersabee posito, in Notitia orientalis Imperii, in duce Palæstinæ hæc notantur: *Equites Dalmatæ Illyriciani*, *Berosabe*: corrupte pro Bersabee. Iacobus Vitriacus in Historia Ierosolymitana, cap. XXXVI. *Bersabee autem terminus terræ sanctæ a parte australi. Est autem civitas Bersabee in illa parte Iudææ quæ cessit in partem tribus Simeon, ad radicem montium, in initio campestrium, inter montes & Ascalonem sita, decem milliaribus distans ab Ascalona: & vulgariter hodie Gibelin appellatur.* Brocardus: *A Gaza quatuor numerantur leucæ usque ad Bersabee, quæ nunc Giblin dicitur: & est terminus Iudææ atque terræ promissionis contra austrum. Distat ab Hebron sicut & Gaza paulo amplius una dieta.* Quibusdam difficile videtur, si a Geraris, seu Bersabee ad montem Moriæ, seu Ierosolymam, iter tridui erat, ut dicitur cap. XXII. vers. 4. Bersabee non nisi vigesimo milliario ab Hebrone absuisse, ut Eusebius, & S. Hieronymus dixere: plus enim distasse non est dubium. Mezarmam Ptolemæi Lib. V. cap. XVI. corrupto vocabulo, esse Bersabee plerique suspicantur, nimirum ex situs ratione.

MENOCHII.

Vers. I. VISITAVIT DOMINUS SARAM, larga suæ gratiæ donatione, vel, ut vult Chrysost. hom. XLV. per Angelum corporali specie.

V. 2. IN SENECTUTE SUA, in senectute Abrahami, ut patet ex Hebræo ubi est articulus affixus masculinus. Sensus est: peperit filium Abrahæ seni.

V. 5. CUM CENTUM ESSET ANNORUM. Referenda hæc non ad *præceperat*, sed ad *circumcidit*: circumcisus enim est Isaac, ut etiam natus anno Abrahæ centesimo.

V. 6. RISUM FECIT MIHI DEUS: Dominus me gaudio replevit; & quicumque intellexerit arridebit, & congratulabitur mihi.

V. 7. QUIS AUDITURUM CREDERET ABRAHAM? &c. quis credidisset venturum aliquando tempus cum Abrahamo nuntiaretur natam ei seni prolem ex Sara anu? LACTARET: quod certissimum est signum partum ab ipsa editum, nec esse supposititium.

V. 8. ABLACTATUS EST, cum Isaac quintum ætatis annum ageret, ut sentit D. Hieronymus. Ut eo tempore longior vita, ita infantia productior. Postea cœperunt ablactare tertio anno, ut habemus II. Machab. VII. 27. FECIT GRANDE CONVIVIUM. Erat Hebræis usitatum ut a conceptione fetus usque ad ablactationem abstinerent ab uxoribus: Clem. Strom. III. Itaque quando infans ablactabatur quasi instaurato coniugio convivium instruebant. Hoc mater Samuelis facit, ablactatum deferens in vitulis tribus: I. Reg. I.

V. 9. LUDENTEM CUM ISAAC. Ludere in Scriptura aliquando significat idola colere, aliquando pugnare II. Reg. II. 14. aliquando coire, Genes. XXVI. Ex varia significatione nata occasio varie ludum Ismaelis cum Isaac interpretandi. Sive idola colere quasi ioco doceret, sive rei alicuius turpis sermonem induceret, sive irrideret, aut vexaret, aut sibi primogenitorum iura vendicaret; certum est iocos illos Isaaco noxios persecutionem fuisse, ut illam appellat D. Paulus ad Galat. IV. 29.

V. 10. EIICE ANCILLAM, in matrem etiam Sara excanduit, quod filii petulantiam non compesceret. Postulavit autem ut eiiceretur divinitus mota, ut colligitur n. 12.

V. 12. OMNIA QUAE DIXERIT, quoad hanc expulsionem. IN ISAAC VOCABITUR TIBI SEMEN. Posteri tui, qui descendent ex te per Isaac, non qui per Ismael, Abrahæ filii vocabuntur, & ex illis, non ex Ismaele, benedictum semen orietur.

V. 13. QUIA SEMEN TUUM EST, in tui gratiam.

V. 14. TRADIDITQUE PUERUM qui iam 17. ætatis annum agebat. ERRABAT, ignara viarum. BERSABEE, quæ sic postea vocata ab urbe eiusdem nominis.

V. 15. UNAM ARBOREM. In Hebræo est plurale. LXX. *abietem* reddiderunt. Vox Hebraica virgultum significat in genere. ABIECIT, de illius vita desperans.

V. 16. ET ABIIT, non sustinens videre illum animam agentem.

V. 17. NOLI TIMERE, meum adventum, & fulgorem, aut pueri mortem, non enim morietur.

V. 19.

V. 19. APERUITQUE OCULOS EIUS ut adverteret vicinum fontem, quem prius turbata non viderat. DEUS, Angelus Deum referens.

V. 20. ET FUIT CUM EO. Deus illi adfuit, & illi favit in gratiam patris Abrahæ. IUVENIS SAGITTARIUS. Significat a iuventute vacasse venationi, & sagittationi ferarum.

V. 21. DESERTO PHARAN, quod est trans Arabiam contra plagam Australem. AEGYPTI, quia & ipsa Agar AEgyptia.

V. 23. NE NOCEAS MIHI. Hebraice est, *Quod non menticris mihi*; idest, quod dolo malo mecum non ages, nec mihi, aut meis eris inimicus: nam iniuria mendacium nonnumquam dicitur in Scriptura. IUXTA MISERICORDIAM. Hebraismus; pro, sicut de te bene merui, sic tu de meis merearis.

V. 25. PUTEUM, quem ante eiectam Agar servi Abrahæ foderant: postea fuit a Palæstinis vi ereptus, illis uti prohibitis.

V. 27. TULIT. Opima de gregibus, & armentis suis delegit, & regi donum obtulit.

V. 31. BERSABEE. Vox Hebræa (vel potius voces, nam duæ sunt) significat *puteum iuramenti*, vel *puteum septem*, scilicet agnarum, quas Abraham pro puteo, & loco circumiacente tribuerat num. 30.

V. 33. PLANTAVIT NEMUS. Ionathas auctor Thargum Hierosolymitani ait fuisse hortum arbore densum, & plenum optimis fructibus, solitumque peregrinos in hoc horto excipere, & recreare, ac pro mercede pacisci, ut creatorem cæli & terræ timerent & colerent. Ex eo autem quod sequitur, ET INVOCAVIT NOMEN DOMINI DEI AETERNI, patet Abrahamum illic altare excitasse.

V. 34. COLONUS, incola & peregrinus.

TIRINI.

Verſ. 9. CUM VIDISSET SARA FILIUM AGAR AEGYPTIAE, Ismaelem, LUDENTEM. Cum quo luserit, non exprimunt Hebræa, & Chaldæa; sed LXX. & nostra Vulgata addunt, CUM ISAAC; id est, illudentem, insultantem Isaaco, eumdemque vexantem & persequentem, ut ait S. Paulus ad Galatas IV. vers. 29. Sic II. Reg. II. vers. 14. *Surgant*, inquit Abner, *pueri*, & *ludant*; id est, pugnent inter se. Nempe Ismael iure primogenituræ superbiens, & tredecim annis senior Isaaco, cum videret illum parentibus plusculum in deliciis esse (utpote in cuius ablactatione tam solemne convivium instruxerant, & ex quo semen promissum cælitus sibi spondebant, passimque gloriabantur) oderat illum, & tam verbis quam verberibus male subinde mulctabat. Quod cum Sara observasset, & tulisset aliquamdiu, verita tandem ne occasione eius iurgii, & pravo exemplo Ismaelis efferaretur etiam animus Isaaci; & ne, mortuo olim Abrahamo, Ismael Isaacum vel hereditate extruderet, vel saltem nonnisi æquali iure secum pateretur succedere patri, divino instinctu postulat a marito ut exheredetur improbus filius, & cum superba matre in exilium pellatur. Allegorice hæc applicat Synagogæ Iudaicæ S. Paulus supra, illudenti, & persequenti Ecclesiam Christi.

V. 31. VOCATUS EST LOCUS ILLE BERSABEE, id est puteus iuramenti, QUIA IBI UTERQUE, Abraham, & Abimelech, IURAVIT fœdus, & fidelitatem mutuam. Ab hoc puteo urbs vicina dicta fuit Bersabee, quæ ultima erat Iudææ ad meridiem, sicut Dan ultima erat ad septemtrionem. Et per hos duos terminos exprimi solet longitudo Iudææ, a Dan usque Bersabee. Tempore S. Hieronymi erat Bersabee vicus insignis, in eoque præsidium Romanorum. Nunc Gibelina vocatur, inquit Adrichomius. *a*

V. 33. PLANTAVIT NEMUS IN BERSABEE,) id est lucum, seu arboretum, utique adiunctis amœnis hortis, ubi & animum oblectabat, & sacrificium Deo offerebat, & familiam divini verbi pabulo reficiebat. Erat enim ibi quasi oratorium, ad quod subinde a curis & negotiis se recipiebat ad agendum cum Deo, & de Deo. Posteri Abrahami sub Ieroboamo aliisque regibus, quasi imitatione patriarchæ sui, erexerunt pari modo altare & fanum in Bersabee, non Deo cæli, ut fecit Abraham, sed idolis suis, ut testatur Regum historia & Propheta Amos. *b*

a Adrichom. in Descript. terræ sanctæ.
b IV. Reg. XXIII. vers. 8. Amos V. vers. 5.

GOR-

GORDONI.

Verſ. 1. **V**ISITAVIT, ſpeciali adfuit favore.

V. 2. IN SENECTUTE SUA. Ita noſter, quaſi de Sara; tamen ex Hebræo eſt manifeſte de ſenectute Abrahami ex affixo maſculino, & contextu.

V. 5. CUM CENTUM ESSET ANNORUM, refer ad *circumcidit*.

V. 6. Quo anno natus ſit Iſaac, dixi alibi. RISUM FECIT, id eſt gaudium. Item CORRIDEBIT. Hoc verſu, in voce *riſus* alludit ad verſ. 10. cap. XVIII.

V. 8. ABLACTATIONIS. Erat illis iſta conſuetudo.

V. 9. Ludere aliquando eſt pugnare: II. Reg. II. verſ. 14. hic aliquid aſpere geſtum eſt in Iſaacum. Immo vox Hebraica ſignificat ludere, & illudere. In Hebræo deſunt illa verba, FILIO SUO. Sed aut fuerunt in Hebræo, aut debent ſubintelligi, ut conſtat ex verſu inſequente: & illa ſunt in vulgato & apud Septuaginta.

V. 12. Vult tantum eos qui ſunt Iſaac, reputari ſemen Abrahæ (in quo impletur promiſſio, & ex quo Meſſias, unde eſt benedictio gentium) eoſque ſolos eſſe per repromiſſionem filios Abrahæ. Non ſufficiebat ergo naſci ex Abraham, ut patet ex Iſmaele. Hinc intelliges allegoriam Pauli Gal. IV. Nam ſimili modo tantum illi reputabuntur ſemen Abrahæ in Chriſto, qui ſunt repromiſſionis filii per Chriſtum, hoc eſt per fidem, & gratiam aggregati Chriſto. Nec ſatis eſt ad ſenſum Pauli, carnalis filius Abrahæ, ut ſit ſemen Abrahæ in Chriſto.

V. 14. Divortium cum Agar, iubente Deo; non tamen quoad vinculum, ut volunt Novatores, ſed quoad torum, ad vitandas lites, ut nunc paſſim fit in Eccleſia. Proleſpſis eſt in nomine Berſabee. Nam poſtea tantum ſic vocata eſt ſolitudo iſta, ut mox dicam. Et progreſſa Agar habitavit ex verſ. 21. in deſerto Pharan, non procul a Geraris. Et probabile eſt Abrahamum ex Geraris ſubminiſtraſſe ad vitam neceſſaria.

V. 18. TOLLE PUERUM. Non baiulat puerum, ſed manum tenet: erat enim annorum pluſquam quindecim.

V. 20. ET FUIT CUM EO, ſane Deus, ex Hebræo, & Septuaginta.

V. 21. PHARAN eſt ultra Arabiam ad auſtrum.

V. 25. Puteus iſte fuit vi ereptus per Palæſtinos.

V. 31. LOCUS BERSABEE, QUIA IBI UTERQUE IURAVIT; & ſeptem agnis emptus eſt: alluſio vocis שבע *iuravit*, & שבע *ſeptem*. Nomen Berſabee nunc poſitum, & ſignificat puteum iuramenti. Vide cap. XXVI.

V. 33. NEMUS. In Heb. eſt אשל *ewel, arbor*. Ignoravit Eugubinus poni aliquando arborem pro loco arboribus conſito (Septuag. *agrum* habent.) Nec male Mariana ait ſingulare eſſe pro plurali, ut ſit arbor pro arboribus, aut nemore.

CAPUT XXII.

Fides, & obedientia Abrahæ in filii sui præcepta immolatione probatur; sed ab ipsius immolatione prohibetur, promissionesque ei confirmantur: & filii Nachor fratris Abrahæ numerantur.

1  Uæ postquam gesta sunt, (*a*) tentavit Deus Abraham, & di-
xit ad eum: Abraham, Abraham. At ille respondit, Ad-
sum. 2. Ait illi: Tolle filium tuum unigenitum, quem di-
ligis, Isaac, & vade in terram visionis: atque ibi offeres
eum in holocaustum super unum montium quem monstrave-
ro tibi. 3. Igitur Abraham de nocte consurgens, stravit asi-
num suum, ducens secum duos iuvenes, & Isaac filium suum.
Cumque concidisset ligna in holocaustum, abiit ad locum quem præceperat
ei Deus. 4. Die autem tertio, elevatis oculis, vidit locum procul; 5. dixit-
que ad pueros suos: Expectate hic cum asino: ego, & puer illuc usque pro-
perantes, postquam adoraverimus, revertemur ad vos. 6. Tulit quoque ligna
holocausti, & imposuit super Isaac filium suum; ipse vero portabat in mani-
bus ignem, & gladium. Cumque duo pergerent simul, 7. dixit Isaac patri
suo, Pater mi. At ille respondit: Quid vis fili? Ecce, inquit, ignis & li-
gna: ubi est victima holocausti? 8. Dixit autem Abraham: Deus providebit
sibi victimam holocausti, fili mi. Pergebant ergo pariter: 9. & venerunt ad
locum quem ostenderat ei Deus, in quo ædificavit altare, & desuper ligna
composuit: cumque alligasset Isaac filium suum, posuit eum in altare super
struem lignorum. 10. (*b*) Extenditque manum, & arripuit gladium, ut im-
molaret filium suum. 11. Et ecce Angelus Domini de cælo clamavit, dicens:
Abraham, Abraham. Qui respondit, Adsum. 12. Dixitque ei: Non extendas
manum tuam super puerum, neque facias illi quidquam: nunc cognovi quod
times Deum, & non pepercisti unigenito filio tuo propter me. 13. Levavit
Abraham oculos suos, viditque post tergum arietem inter vepres hærentem
cornibus, quem assumens obtulit holocaustum pro filio. 14. Appellavitque no-
men loci illius, Dominus videt. Unde usque hodie dicitur: In monte Do-
minus videbit. 15. Vocavit autem Angelus Domini Abraham secundo de cæ-
lo, dicens: 16. (*c*) Per memetipsum iuravi, dicit Dominus: quia fecisti hanc
rem, & non pepercisti filio tuo unigenito propter me: 17. benedicam tibi,
& multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli, & velut arenam quæ est in lit-
tore maris: possidebit semen tuum portas inimicorum suorum, 18. & (*d*)
BENEDICENTUR in semine tuo omnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ.
19. Reversus est Abraham ad pueros suos, abieruntque Bersabee simul, & ha-
bitavit ibi. 20. * His ita gestis, nuntiatum est Abrahæ quod Melcha quo-
que genuisset filios Nachor fratri suo, 21. Hus primogenitum, & Buz fra-
trem eius, & Camuel patrem Syrorum, 22. & Cased, & Azau, Pheldas quo-
que, & Iedlaph, 23. ac Bathuel, de quo nata est Rebecca: octo istos genuit
Mel-

Melcha, Nachor fratri Abrahæ. 24. Concubina vero illius, nomine Roma, peperit Tabee, & Gaham, & Tahas, & Maacha.

(a) Iudith VIII. 22. Hebr. XI. 17. (b) Iac. II. 21. (c) Psal. CIV. 9. Luc. I. 73. Eccli. XLIV. 21. Heb. VI. 13. I. Mach. II. 52. Luc. I. 73. (d) Sup. XII. 3. XVIII. 18. Infr. XXVI. 4. Act. III. 25. Eccli. XLIV. 25.

BRUGENSIS

ROMANA CORRECTIO.

V. 20. *His ita gestis*. Non mutes adverbium *ita* cum coniunctione *itaque*.

COMMENTARIA

§ A.

Vers. 1. TENTAVIT, id est probavit: August. in Gen. quæst. LXXV. ADSUM. Hebr. *Ecce ego*, id est eccum me.

V. 2. VISIONIS. Hebr. *Moriah*. Locus est, ubi templum a Solomone extructum. LXX. *excelsam*. Chald. *divini cultus*. Est autem *Moriah*, *myrrha Domini*.

V. 3. DE NOCTE, id est summo mane. PRAECEPERAT. Hebr. *dixerat*.

V. 4. TERTIO. A Geraris ad montem Moriah, iter est dierum trium: Hieron. in Gen.

V. 9. OSTENDERAT. Hebr. *dixerat*.

V. 12. COGNOVI; id est, feci ut cognosceres, sic I. Cor. II. *Non iudicavi me scire aliquid inter vos*, &c. Aug. I. de Trin. & IV. de Gen.

V. 13. TERGUM, scilicet suum.

V. 14. VIDET. Hebr. *videbit*, id est providebit. VIDEBIT. Hebr. *videbitur*, id est apparebit, scilicet Christus. LXX. *visus est*: forte præteritum pro futuro.

V. 17. STELLAS CAELI. Id propter pauciores, firmiores, & clariores dictum est. At ARENAM MARIS, propter multitudinem infirmorum & carnalium, quæ tranquillo tempore quieta, aliquando tentationum & tribulationum fluctibus operta est, & turbata: Aug. PORTAS, id est propugnacula: hæc enim solent esse in urbium portis.

V. 18. IN SEMINE, id est propter semen, scilicet Christum.

V. 21. HUS. De huius stirpe Iob descendit, non de Esau. Hieron. in Gen. BUZ. Ex huius genere secundum Hebræos fuit Balaam, qui in Iob dicitur Eliu, & primo erat sanctus, & Dei Propheta. Hieron.

V. 22. CASED, a quo Chasdim, id est Chaldæi: Hieron.

V. 24. ROMA, Hebr. *Reumah*.

ESTII.

Vers. 1. TENTAVIT DEUS ABRAHAM. Non proprie tentavit, sed figurate, quia id fecit quod tentantes, & per experientiam aliquid scire volentes, solent. Hoc autem fecit Deus non ut ipse sciret, sed ut hominibus, atque ipsi etiam Abrahæ manifestum fieret, quod antea latebat; scilicet quantum timeret Deum, ut ad eius iussum etiam filium unigenitum occidere paratus esset. Porro quid Abraham cogitarit hoc facere parans, aut quomodo divinam promissionem in Isaac factam, cum eius præmatura morte consistere posse intellexerit, ostendit Apostolus ad Hebræos cap. XI. his verbis: *Fide obtulit Abraham Isaac, cum tentaretur; & unigenitum offerebat qui susceperat repromissiones: arbitrans quia & a mortuis suscitare potens est Deus*. Hæc Apostolus. Et ad hanc Abrahæ fidem etiam illud pertinet quod dixit ad pueros: *Expectate hic: ego autem & puer illuc usque properantes, postquam adoraverimus, revertemur ad vos*: fiducia scilicet tali ex Dei promissis concepta, vel Deum mox post immolationem puerum suscitaturum, vel etiam (quod factum est) ab immolatione prohibiturum.

V. 7. & 8. UBI EST VICTIMA HOLOCAUSTI? Et mox: DEUS PROVIDEBIT SIBI VICTIMAM HOLOCAUSTI,

Pro victima holocausti Hebr. est, *agnus*, seu *pecus in holocaustum*. Sane etiam Deus postea arietem in holocaustum suppeditavit; tametsi Abraham sic præcise non intellexerit, sed in genere commiserit Deo rationem huius sacrificii, ut supra dictum est.

V. 12. NON EXTENDAS MANUM TUAM SUPER PUERUM. Prohibetur Abraham perficere quod iussus fuerat, quia satis erat obedientiam eius, & devotam erga Deum voluntatem probasse in aggressu operis. NUNC COGNOVI, QUOD TIMEAS DOMINUM. Sensus est, cognoscere te feci. Ita hunc locum intelligunt, & per eum alias quasdam eius generis Scripturas explicant, Augustinus Libro I. de Trinitate cap. XII. & Lib. LXXXIII. quæstionum quæst. LX. Ambrosius Lib. V. de Fide ad Gratianum cap. VII. & VIII. Hilarius Lib. IX. de Trinitate, & alii. Vide nostra in III. Sentent. distinct. XV.

MARIANAE.

Vers. 2. TOLLE FILIUM TUUM. Cuncta verba difficultatem facti exaggerant, quod filius, quod unicus, quod dilectus. Porro quod addit, IN TERRAM VISIONIS, Sept. *In terram excelsam*; Chald. *In terram divini cultus*: Heb. *In terram Moriah*, ut Hieron. etiam fatetur, nempe quo loco templum postea extructum est: II. Paral. cap. III. sic est Hebræorum sententia, qui addunt, eo loco Abel, & Cain, & postea Noe sacrificia obtulisse. Significat *Moria*, *myrrham Dei*; sed *visionem*, si deducatur ראה *raah*. Distat a Geraris itinere trium dierum, Hieron. in Genes. sic vers. 4. *Die autem tertio vidit locum procul*. A Mambre autem quercu distat sedecim millibus. Ut intelligas ubi tunc Abraham habitaret, nempe in Geraris, non in Mambre.

V. 3. DE NOCTE CONSURGENS. Hebr. *Mane surrexit in crepusculo*; quod Sept. & Chald. posuerunt, & Noster *noctem* vocavit. Vide diligentiam in re difficillima.

V. 9. CUMQUE ALLIGASSET ISAAC FILIUM SUUM. Communis sententia est hoc accidisse quo anno mortua est Sara ætatis anno 127. ut Isaac fuisse annorum triginta septem necessum sit. Ergo sponte se ligari permisit. In quo dubium utri pietatis palma tribuatur, patri, an filio. Ex hoc facto sumpsisse occasionem variæ gentes putantur, in suprema angustia filium maiorem regis mactandi; quod Moabitarum regem fecisse cum obsidione premeretur, divinæ litteræ tradunt. Tum apud Euseb. Lib. IV. de Præpar. cap. VII. Philo in Phœnicum Historia susceptum in ea gente ait, ut in supremis periculis civitatis Princeps filium dilectissimum mactaret: quod fecisse Saturnum ait, quem Phœnices Israelem vocant, nempe vitiata memoria, & commutatis nominibus pro Abrahamo avo Israelem nepotem posuit.

V. 13. VIDITQUE POST TERGUM ARIETEM INTER VEPRES HAERENTEM CORNIBUS. Vox Hebraica אחר *abar*, multis modis sumi potest: nempe ut sit idem quod *retro*, & hoc secutus Hieron. dixit *post tergum*, scilicet suum: vel ut sit idem quod *post*, & hoc modo potest referri ad vocem Angeli, hac sententia: *Viditque post*, supple, quam Angelus eum vocavit: vel ad arietis hæsionem inter vepres, ut sit ad verbum: *Viditque*, *& ecce aries postquam inter vepres hæserat cornibus*. Et hoc secutus Chald. est. Pro *vepribus* Hebraice סבך *sebach*, quod ex Hebræis Aven Ezra sumit pro *arbore*, & Chaldæus; at David Kimhi pro *ramo*: sed utravis significatione, arborem, & ramum densum & implicatum significat, quando ipsa Hebraica radix *sabach*, *implicare* significat. Sept. ipsam vocem *sabec* intactam rel querunt: ex qua planta *detentum* vel *suspensum*, κατεχόμενον, arietem dixit. Quod ad Christi in cruce typum antiqui Patres referunt, & ex complicatione, quam vox ipsa significat, colligunt, vincula peccatorum in ea arbore soluta. Sed & recentior quidam, Christum Marc. XV. allusisse ad hunc locum putat illis verbis: *Eli*, *Eli*, *lamma sabacthani*: nam in Psal. XXI. unde priora verba sumuntur, Hebraice *hasabtani* legitur, id est *reliquisti me*: atque hoc modo significaret totus locus, *Deus*, *Deus meus*, *ut quid me ligasti*? Ingeniosa cogitatio, nisi Epiph. resisteret hæresi LXIX. ubi ait, hæc verba non Hebraica, sed Syriaca esse, & ipse Evangelista ait significare, *ut quid dereliquisti me*? quod *sebacthani* significat in lingua Syriaca, scriptum per ש *sin*,

fin, ut in Evangelio etiam legitur, non per ס *famech*, ut est hoc loco.

V. 14. IN MONTE DOMINUS VIDEBIT: sic Hieron. in Tradit. in Hebraico haberi ait. Nunc Hebr. legitur, *Prius videbit*, cum ait: *Appellavitque nomen loci illius, Dominus videbit*; deinde, *videbitur*, illis verbis: *Unde usque hodie dicitur, In monte Dominus videbitur*. Et Sept. *Dominus visus est*. Et sane ad Christum optime hoc refertur, qui in typo Isaac immolati, & arietis visus est, & in seipso videndus in eo monte erat; sed iuxta nostram litteram, *In monte Dominus videbit*, id est providebit, alludit ad id quod dixerat vers. 8. *Dominus videbit*, aut *providebit, fili mi*, nempe victimam. Quidam ait utrumque nomen fuisse monti, *videbit*, propter figuram, id est hostiam; *videbitur*, propter Christum. Litteræ Hebraicæ utroque loco legi possunt, *Dominus videbit*, ut est in Vulgata: puncta addita discernunt. Lectio nostra est commodior.

V. 16. PER MEMETIPSUM IURAVI. Modus iurandi firmissimus.

V. 17. POSSIDEBIT..... PORTAS, id est urbes, & oppida: sæpe *portæ* pro urbibus. Ergo *possidebit portas*; id est, hostibus erunt filii tui superiores.

V. 18. QUIA OBEDISTI VOCI MEAE. In Hebræo: *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, merces, quia obedisti voci meæ*. עקב *hekeb* est *calcaneus*, est etiam *merces*, quoniam operis postremus fructus est: sententia non discrepat. Quomodo Hebræi intelligant gentes benedici in semine Abrahæ, & quomodo intelligat Paulus, superius est indicatum. IN SEMINE, id est propter semen, qui est Christus.

V. 21. HUS PRIMOGENITUM. Ex huius semine Iob, ut ait Hieron. non ex Esau posteris, ut quidam putant.

V. 22. CASED. Ab hoc Chasdim, id est Chaldæi: Hieron. in Traditionibus.

V. 24. CONCUBINA. פילגש *pileghes* magis significat pellicem. quam concubinam, nempe quæ viro iungitur ad concubitum, sed sine ulla nuptiarum celebritate: sic Sept. παλλακὴ dixerunt; sed perinde est.

Festum tubarum sive clangoris qui cornu fit, Iudæis solemne mensis Tisri die primo, Isaaci immolationis monimentum, & arietis hærentis cornibus, uti Hieron. indicat in Tradition. Quare suspicantur prima die eius mensis gestum quod hoc capite continetur.

MALVENDAE.

Vers. 1. TENTAVIT. נסה *nissah* in Pihel aiunt proprie esse *levare, elevare, extollere, elevare ad altiora, petere, seu affectare altiora, tentare in altum*: atque importare ausum, nisum, & conatum; quasi sit ausum facere in altum, periculum facere, experiri aliquem in maioribus, altioribus, & sublimioribus, quæ ordinarium actum, vel facultatem eius excedant. Noster perite, & significanter verbo *tentandi* addere solet, quod per levare ad tentandum, vel attentare alii exprimunt. Unde hic: *Et Elohim tentavit Abrahamum*; id est, extulit illum ad altiora, petiit ab eo altiora & maiora, scilicet fidei probationem, mactatione filii.

V. 2. UNIGENITUM. Hebr. *unicum* post amandatum Ismahelem, ex primaria uxore natum: vel unicum non genitura, sed successione, & promissione. Sic Proverb. IV. vers. 3. TERRAM VISIONIS. מוריה *moriiah* nomen proprium loci, seu montis, ubi postea constructum est templum Salomonis, II. Paralip. III. I. cuius nominis etymon ad nauseam usque enucleant Explanatores. Mihi simplicius est *myrrha Dei*: quod forsan locus myrrhæ ferax esset, Cantic. IV. 6. Divinant quidam a Moreh viro Chananæo inditum loco nomen. Vide cap. XII. ad vers. 6. Quidam exponunt *doctrinam Domini*, quod eo loco & monte sit templum a Salomone constructum, II. Paral. III. I. & doctrina de voluntate Dei erga nos patefacta.

V. 10. ARRIPUIT GLADIUM, seu *cultrum*. Exponunt, cædendis victimis comparatum, qui *secespita* olim dicebantur, a secandis cæspitibus: nam ex cæspite fiebant aræ. Svetonius in Tiberio, cap. XXV. De secespita, vide Festum, qui huic usui etiam aciem destinat; & Servium in Lib. IV. AEneidos, ad versum

... *Tyrioque ardebat murice læna*.

UT IMMOLARET. שחט *schachat*. Iudæi volunt hoc verbum proprie significare *trahere*: mactatio autem, seu iugulatio fit tracto per iugulum gladio, id est ducto & reducto. Alii conferunt cum *schaṭach* transpoti-

posito, *expandere*; & cum sinistro שחט *sachat*, *exprimere*, *effluere*: ut sit proprie pecudem expansam mactare, ut sanguis largius effluat, exprimatur, & secernatur seorsum; quamquam figurate postea etiam de mactatione hominum dicatur, propter similitudinem. Iudaei Germani vulgari sua lingua vocant *schechten*, unde hic reddunt: *Et accepit cultrum ad mactandum filium suum*. Ubi observant, Mosen propter typum, peculiari consilio usum hoc verbo hic, ut nimirum praemonstraret, quod Christus victima, expansione in cruce mactandus erat pro redemptione humani generis, & sanguis eius effundendus copiose in emundationem peccatorum nostrorum.

V. 11. ANGELUS DOMINI. Exponunt: id est Christus sermo aeternus Patris, qui idem appellatur Deus, infra vers. 12. itemque Iehova, vers. 16. Alii unum de sanctis Angelis intelligunt.

V. 13. INTER VEPRES HAERENTEM. Hebr. *Apprehensus in perplexitate*: quidam, *In dumo*, id est in perplexitate, & densitate ramorum; seu inter vepres, spinas, dumos, vel ramos se invicem implicantes; aut inter arbusta, frutices, virgulta perplexa & complicata.

V. 14. DOMINUS VIDET. Hebr. *Dominus videbit*. Repetit quod vers. 8. dixerat: *Elohim videbit sibi victimam in holocaustum*; id est, providebit, nempe arietem cornibus fructibus implicitum. UNDE USQUE HODIE DICITUR: IN MONTE DOMINUS VIDEBIT. Hebr. *Quod*, *quia*, vel *qui* locus *hodie dicetur*: *In monte Dominus videbitur*. Proverbium id esse omnes fere agnoscunt; quasi dicat: Ex eo quod ibi Abrahamo contigit, proverbium manavit, quo in rebus perplexis, & arduis, ac plene desperatis, quarum nullus cernitur exitus, ad Dei providentiam recurritur, dicendo: *In monte Dominus providebit*; hoc est, suo tempore, & loco, ut olim factum fuit in Abraham. Et quod passive dicitur, *In monte Dominus videbitur*, est admiranda phrasis Hebraica, quam vix intelligent qui Hispanismo non fuerint imbuti. Hispani enim in re magni momenti, & quae nullum, aut difficilem exitum habet, quaeque nulli humanae opi, sed soli divinae providentiae exequenda relinquitur, solemus passive dicere, *Dios se a visto*; vel *Dios se vera*; & significantius Valentine, *Deu si ha vist*; vel *Deu si veura*; hoc est, manifeste Deus exeret suam praesentiam, vim, efficacitatem: postquam omnia humana subsidia desunt. Quidam ad mysterium referunt, quod Dominus Iesus Christus aeternus ac verus Deus in monte illo Moriiah videndus esset, quotidie docens in templo, & cum hominibus conversans, &c.

V. 16. DICIT DOMINUS. *Neum Iehueh*, vocem נאם *neum*, quidam notant esse nomen participiale, id est *sermo certus*, *dictum indubitatum*, *sermo fidelis*, *sermo omni fide & acceptione dignus*. LXX. Chaldaei, Noster, verbo *dixit* expressere; etsi non tantum & simpliciter significet *dicere*; sed potius, certum, seu verum dicere, certum asserere, seu asseverare, certo affirmare, certo promittere. Et non nisi Deo tribuitur, qui solus verax est, & veritatem loquitur: qui cum neque mentiri, neque fallere possit, sicut Christus Patri suo dicit, *Sermo tuus veritas est*; indubitata fide amplectendum est, quidquid promittit, & loquitur. Postea etiam prophetis & apostolis immediate a Deo vocatis adscribitur, qui, ut Petrus II. Epistola 1. 21. *Non humana voluntate*, *sed a Spiritu sancto impulsi locuti sunt sancti Dei homines*: & de quibus Filius Dei dicit: *Qui vos audit*, *me audit*: neque errare possunt. Hanc vocem Paulus Apostolus reddidit, πιςὸς ὁ λόγος, *fidelis sermo*, I. Timoth. III. 1. & II. Timoth. II. 11. & iterum longiori periphrasi vocis huius significationem satagit exprimere, cum ait, I. Timoth. 1. 15. *Fidelis*, certus, *sermo*, *& omni acceptione dignus*: & ad Titum III. 8. *Fidelis*, certus, *sermo*. Observant praeterea, quod perinde ut Scriptura veteris testamenti vocem נאם *neum*, ita Paulus haec verba πιςὸς ὁ λόγος, vel praemittit dicturus rem certam & indubitatam, vel subiicit, veluti asseveratione confirmans, quod dixit. Addo, numquam haec dici, nisi de rebus magni momenti. Ad haec annotant, non posse recte ex Scripturis intelligi, cognoscique, quid credendi, seu fidei vox in Scriptura sacra proprie significet, nisi harum duarum vocum נאם *neum*, & האמין *hemin* sibi correspondentium cognitione, quae magna ex parte ex earum collatione sumitur. Nam verbum *neum*, significat *certa & indubitata loqui*, *veritatem dicere*; id quod est solius Dei loquentis; mox prophe-

phetarum, & apostolorum, certo verbum Dei loquentium, quique a Deo immediate vocati, testimonium habent, quod errare non possint: ita rursus verbum *heemin*, proprie significat *fidem certo adhibere illi verbo Dei*, *credere*, *assentiri*, *acquiescere illi*, *persuasum habere*, *verum & certum esse illud Dei verbum*: alioquin non esset fides, sed vel incerta opinio, sive simplex notitia, vel vana superstitio: qualis est Iudæorum, Turcarum, impiorum a Dei religione & cultu alienorum. Igitur ut *neum* significat certum & indubitatum sermonem Dei, verbum Dei verax; ita *heemin*, fidei seu credendi vocabulum, significat, verbo Dei inniti, assentiri, & fide sibi, certaque persuasione & assensu apprehendere, & applicare, quæ in verbo Dei proponuntur. Nam hæc duo verba correlative se habent, & æquali modo significandi sese mutuo respiciunt: sicut etiam littera Nun in illis correlative se habet, in altero initialis, in altero finalis existens. Et ut prius est verum dicentis; ita alterum est certo credentis, & fide apprehendentis, & assentientis. Nos Paulum secuti reddemus, *Fidelis sermo*. QUIA FECISTI. Heb. tres particulæ causales iunguntur, *quia*, *pro eo*, propterea, *quod fecisti*: ut exaggeret divinum & heroicum factum omni laude & præmio dignissimum: acervus enim causalium id plane indicat.

V. 17. PORTAS. Hebr. singulare *portam*. שער *schaghar*, *portam* Hebræis dictam existimant ab horrore, quod sit propter amplitudinem, custodiam militarem, munitionem, propugnacula, iudiciaque & magistratus horrenda, & formidabilis. Et quia olim iudicia, & publica negotia exercebantur in portis civitatum coram vulgo egrediente & ingrediente, ut ex multis Scripturæ locis constat, sicut apud nos in curiis & prætoriis; transfertur interdum ad significandum loca iudiciorum seu ipsa iudicia publica, & cœtus, seu conventus populi. Sic Turcæ vocant portam, curiam, prætorium, regiam Imperatoris ipsorum. Aliquando etiam sumitur pro *robore*, *potentia*, *imperio*, seu pro *iure*, *potentia*, *potestate*, *regno*: quod munitiones & propugnacula in portis collocari solebant, & ibidem ius a magistratibus dici, ut paulo antea observabamus. Item pro *consiliis*, *deliberationibus*, *machinamentis*, ut Psal. IX. 15. *Qui exaltas me de portis mortis*, id est de consiliis, deliberationibus, potestate, iure mortis: quamvis hic quidam *portas*, specus subterraneos tenebris obsitos intelligant, vel sepulcrum. Ut alibi dicuntur *portæ inferi*, uti Isaiæ XXXVIII. 10. Iob XXXVIII. 17. sic quidam capiunt illud Matth. XVI. 18. *Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam*; id est, omnes munitiones, machinæ, artes, consilia, robur, potentia, cœtus, regnum inferorum. Ergo hic: *Possidebit semen tuum portas inimicorum suorum*. Quidam exponunt: Obtinebunt propugnacula urbium, quæ in portis earum esse solent: urbibus potientur, & superiores hostibus fuis erunt: vel cœtus, iudicia, potentiam, prætoria, regna inimicorum suorum obtinebunt. Quidam Hebræorum annotant, nonnumquam in Scriptura portam intelligi terram, vel regionem, synecdochice, ex parte totum, ob eius ingressum, qui est veluti porta terræ vel regionis. Unde quia terra valida & munita, valida est in ingressu suo, quia habet in circuitu montes, ut & maria, quæ postquam hostes penetrarunt, tota illa regio captu perfacilis est; ideo dicitur Nahum III. 13. *Patendo patuerunt portæ terræ tuæ*. Sic Deut. V. 14. & alibi. Unde hic interpretantur: *Possidebit portas inimicorum suorum*, id est terras & regiones hostium.

V. 18. ET BENEDICENTUR IN SEMINE TUO. Hebr. *Et benedicere sese facient*, vel *& benedicent sese, in semine tuo*; id est, prosperas, fortunatas, felices, augustas, beatas, bonis omnibus cumulatas se ducent, ac reputabunt; quasi dicat: Nedum erunt felices, & tantis bonis auctæ, sed etiam ipsam suam felicitatem palam agnoscent, profitebuntur, æstimabunt, ac sibi de ea gratulabuntur invicem. Vide cap. XII. ad vers. 3. QUIA OBEDISTI. Hebr. duæ causales: *Eo quod*, *quia audisti*. Quidam priorem vertunt, *Merces*, *quod audivisti*; aliene. Vide cap. XXVI. vers. 4. & 5.

V. 21. CAMUEL PATREM SYRORUM. Quidam ad Syriam Zobah, sive Cavam, aut Cœles arctant: nam aliorum Syrorum Aram auctor, Genes. X. vers. 22. sed hoc est divinare. S. Hieronymus: *Camuel vero pater est Damasci*. *Ipsa enim vocatur Aram*, *quæ hic pro Syria scripta est*. Syriæ igitur Damascenæ auctor videtur: forte quia ibi rerum potitus est. Forsan di-

dictus est hic Camuel pater Aram, seu Syrorum, quod in Syria illa ubi habitavit Nachor, nempe Mesopotamia, e cap. xxiv. 10. vir ingens, & magnarum opum, ac clientelarum fuerit. Forsan aliquam partem Syriæ obtinuit; sed quænam illa fuerit, ignoratur. Sic I. Paralipom. 11. 23. *Machir* dicitur *pater Galaad*, non qua Galaaditi regioni nomen suum imposuit, sed quia ibi imperavit. De Huz, & Buz vide S. Hieronymum hic. Quidam ariolantur horum nominum Aram & Buz vestigia servata in Mesopotamia, Constantii Cæsaris temporibus, ut meminit Ammianus Lib. XVIII. cap. xxiii. *Quum prope castella Romana venisset, quorum uni Reman, alterum Buzaz appellatur, perfugarum indicio didicit multorum opes illic translatas asservari, ut in munimentis præcelsis & fidis.*

V. 24. CONCUBINA. פלגש *pilleghesch*, vocem quadratam, plerique existimant esse exoticam & peregrinam, ut sunt ferme voces quatuor aut plurium litterarum in hac lingua. Consentiunt Hebræi & nostri, fuisse legitimam & veram uxorem; sed secundariam, quæ absque contractu dotali, sponsalibus, & subarrhatione, atque aliis solemnitatibus ducebatur: & ut ipsa primariæ uxori, & matrisfamilias subiecta erat, ita eius filii non succedebant in hereditate paterna, sed in donationibus, & legatis dumtaxat, ut ex initio capitis xxv. huius Libri perspicue cognoscitur. Cethura, quæ uxor Abrahami dicitur Genes. xxv. 1. eadem concubina seu *pilleghesch* vocatur I. Paralipom. 1. 32. Sic Iudicum xix. 1. 5. Existimant aliqui inter *pileghesch* & primariam uxorem illud fuisse discrimen, quod inter matronam & matrem familias Gellius Lib. XVIII. cap. vi. assignat. Atqui *pileghesch* putant eam esse quam Græci & Latini *pellicem* appellarunt: nam & vocem *pellex* ex Hebraica *pileghesch* luxatam & effictam facile existimant, litteris, & sono nominum consentientibus: atque etiam verisimile est olim nomen pellicis Græcis & Latinis idem valuisse, quod *pilechesch* Hebræis; quamvis postea a Iurisconsultis vocabulum pellicis alio sit detortum. Etymon & rationem nominis varie exequuntur. I. Quidam componunt, a verbis פלה *palah*, *segregari*, & נגש *nagasch*, *accedere*, quasi illa sit, & ita dicatur ad quam maritus ab uxore segregatus accedat. II. Alii deducere malunt a פלש *palasch*, *volutare*; inserta littera Ghimel; & sic dictam concubinam a volutando, quod volutetur in coitu. Sicut שגל *schegal* coniux regia dicta est a subagitando. Sed cui usui Ghimel? III. Plerique constant ex פלג *palag*, *dividere*, & ex אישה *ischschah*, *muliere*, *uxore*; quasi dicas, uxor divisa, dispertita, secundaria, a primaria uxore & matrefamilias; seu quasi dimidium uxoris dicas. Sed si nomen est peregrinum, frustra quæruntur ei etymologiæ in lingua sancta. Noster ubique *concubinam* vertit; nos conservantes originem, *pellicem* reddemus. ET MAACHA. Ab hoc dictam Aram, seu *Syriam Maacha*, I. Paralipom. xix. 6. plerique existimant. Ut Camuel vers. 21. ita hunc Macha quasdam partes Syriæ obtinuisse, atque in his rerum potitos, verisimile est. *Maacha* urbem in Syria fuisse, quæ regia fuerit, II. Samuel. x. 6. 8. dicitur: forsan quam hic ipse Maacha construxerit, vel in ea imperitaverit, a quo urbs ipsa nomen acceperit.

MENOCHII.

Vers. 1. TENTAVIT. Ad bonum tentat Deus Abraham, ut quanta in eo lateat virtus appareat.

V. 2. TOLLE. Hebræa sunt valde pathetica: *Tolle nunc filium tuum, unicum tuum, quem dilexisti Isaac:* idem habent LXX. UNIGENTUM, etiam Ismaelem genuerat Abraham; sed Isaac dicitur unigenitus ex Sara uxore primaria. DILIGIS. Hebr. est *dilexisti*; quasi dicat, cogitaiam illum non esse: vixit. ISAAC, qui tibi causa risus, & nunc meroris. IN TERRAM VISIONIS: sic vocat per anticipationem, nam postmodum ab Abrahamo nomen illi inditum num. 14.

V. 3. DE NOCTE, primo diluculo. Hebr. *manicavit Abraham mane*; hoc est, surrexit primo mane. ISAAC, agentem ætatis annum 25. Saræ nulla fit mentio, cui non videtur Abraham indicasse quid facturus esset.

V. 4. DIE TERTIO. In Geraris degebat, inde ad terram visionis, sive ad montem Moria, in quo postea templum Hierosolymitanum, est iter tridui. Sic D. Hier. quod intellige non de urbe Gerara, sed de regione: nam constat tunc habitasse in Ber-

fa-

sabee, ut colligitur ex cap. XXI. num. 31. & post immolationem reversus est in Bersabee hoc cap. num. 19. a Bersabee autem ad montem Moria est iter unius diei. Lente ergo processit, quia rebus ad sacrificium necessariis impeditus. VIDIT LOCUM: signo aliquo illi a Deo dato cognovit collem in quo Deus sacrificium fieri volebat.

V. 5. REVERTEMUR. Non est mentitus, vel enim de se solo loquitur numero plurali, more Hebræorum, vel credidit filium suscitandum a Deo, qui promiserat ei semen ex Isaac, cuius verbum irritum esse non poterat. Itaque D. Paulus ad Hebr. XI. 19. ait Abrahamum *contra spem in spem credidisse*, arbitrando, *quia & a mortuis resuscitare potens est Deus*.

V. 6. IMPOSUIT SUPER ISAAC. Cerne figuram Christi crucem suam baiulantis.

V. 7. UBI EST VICTIMA? Etiam hoc colloquium augebat patris dolorem.

V. 8. DEUS SIBI PROVIDEBIT, quamvis modum nesciret.

V. 9. VENERUNT AD LOCUM. Iosephus vult fuisse locum ubi postea templum, quasi Isaac esset figura victimarum templi. Probabilius est quod alii afferunt, fuisse Calvariæ collem, in quo postea Christus crucifixus est. Uterque autem locus tam is in quo postea fuit templum, quam in quo crucifixus est Christus, ad montem Moria pertinebat, qui in varios distinctus erat colles, qui variis nominibus appellabantur. AEDIFICAVIT, obiter cespite fosso, & saxis aliquot coacervatis. ALLIGASSET, declarata illi prius voluntate divina, nec illo mortem recusante, sed libenter admittente, quandoquidem ita Deo placitum.

V. 10. ABRAHAM, ABRAHAM. Vocem geminat, ne animo incitato pater præveniret. Sic Chrysostom. & Ambros.

V. 12. NUNC COGNOVI. More hominum loquitur, qui cuius rei periculum fecerunt, id se perfecte putant novisse. NON PEPERCISTI, quantum in te fuit.

Vers. 13. ARIETEM HAERENTEM CORNIBUS INTER VEPRES. Verus fuit aries alicunde ab Angelo adductus. Quod dicitur, *Inter vepres*, in Hebræo est בסבך *bisbebac*, quod alii aliter vertunt. Proprie videtur significare *perplexionem*, ut vertit Pagninus, sive, ut alii, *implexionem*: Hærebat ergo aries cornibus in implexis densorum virgultorum ramis.

V. 14. USQUE HODIE DICITUR: IN MONTE DOMINUS VIDEBIT. Sensus est, etiamnum cum montem illum significare volumus, dicimus, hoc factum, aut dictum est in monte illo, cui nomen, Dominus videt, aut videbit. Aliqui legunt, *Dominus videbitur*, quasi sit prophetia de Christo, qui in monte cruci affixus videndus erat. Porro Abraham loco nomen imposuit, *Dominus videt*, ex eo quod ipse num. 8. filio responderat, *Dominus providebit*; vel, ut alii vertunt, *videbit*. Erat etiam forma adagialis apud Hebræos: *In monte Dominus videbit*, qua utebantur in angustiis constituti, & Dei auxilium optantes; quasi dicerent: Sicut in monte extremo in periculo misertus fuit Abrahæ, sic etiam nostri tandem miserebitur.

V. 16. PER MEMETIPSUM IURAVI. *Cum non posset per maiorem se iurare, iuravit in semetipso*: Hebr. VI. 13. Sic Ieremiæ XXII. 5. *In memetipso iuravi, dicit Dominus*.

V. 17. POSSIDEBIT SEMEN TUUM PORTAS, urbes Chananæorum sub Iosue; Palæstinorum, Ammonitarum, Syrorum, &c. sub David, & Salomone: est synecdoche, nam per portas urbes intelligit.

V. 18. BENEDICENTUR IN SEMINE TUO, in Christo Domino, nam *ideo non dicit, In seminibus*, ut notavit D. Paulus ad Galat. III. 16.

V. 20. QUOD MELCHA. Sequens genealogia texitur propter Rebeccam, ut constaret merito illam Isaaco uxorem quæsitam.

TIRINI.

V. 2. TOLLE FILIUM TUUM UNIGENITUM, scilicet ex Sara, & unicum repromissionis filium, & quia expulso iam Ismaele, & exheredato, unicus Isaac domi supererat. ET VADE IN TERRAM VISIONIS. Hebraice *Moria*, id est visibilem, & facile conspicuam, etiam eminus, quia alta & montosa erat terra: hinc eodem sensu Septuaginta vertunt, *In terram excelsam*, IBI OFFERES EUM, me iubente, cui ius vitæ & necis est in omnes, SUPER UNUM MONTIUM QUEM MONSTRAVERO TIBI: signo co-

lumnæ ignis desuper apparituræ, inquiunt Rabbini.

Nota. Mons Moria in plures colles dissectus erat. In una parte erat Sion, in qua arx David, iuxta quam in area Ornan Iebusæi a Davide coempta, Salomon templum construxit *a*. Alia pars montis Moria extra urbem Ierusalem mansit, posteaque dicta est mons Calvariæ, in quo tam Isaac, quam Christum per Isaac præsignatum, immolatum fuisse, docet S. Hieronymus ex traditione Iudæorum *b*.

V. 5. POSTQUAM ADORAVERIMUS, id est sacrificaverimus, REVERTEMUR AD VOS. Nam Abraham, ut patet ex epistola ad Hebræos *c*, credens, *quia & a mortuis resuscitare potens est Deus*, certo sibi persuadebat, quod Deus Isaacum vel non pateretur occidi, vel occisum resuscitaret. Sciebat enim fallere non posse qui promiserat, ex Isaac nasciturum Christum, & innumerabilem posteritatem *sicut stellas cæli, & sicut pulverem terræ d*. Ita Origenes, S. Augustinus, & alii.

V. 9. CUMQUE ALLIGASSET ISAACUM. Haud dubie Abraham, cum ad rem veniendum esset, exposuit filio divinam voluntatem. Ille vero, ut refert Iosephus, nullo modo reluctatus, ultro alacriterque sese obtulit immolandum, ac, ne forte in ipsa iugulatione vel invitus reniteretur, etiam se vinciendum dedit. Nam si reluctari voluisset robustus, ut minimum 25. annorum iuvenis, Abraham iam longe centenario maior numquam illum alligare potuisset. S. Augustinus *e*, Nyssenus, & Procopius. putant matrem quoque Saram conscïam fuisse, & consensisse immolationi filii. Sed negat hoc Iosephus, Chrysostomus, & Pererius.

V. 14. APPELLAVIT NOMEN LOCI ILLIUS, DOMINUS VIDET; quasi dicat: Deus clementer respicit cultores suos & prospicit illis; ut iam opportune prospexit ne filius meus occideretur, sed loco filii aries substitueretur. Ita Hebræi, Chaldæus, Pererius, & alii. UNDE USQUE HODIE in proverbio, afflictis vulgo DICITUR: IN MONTE DOMINUS VIDEBIT; quasi dicat: Sitis magno & constanti animo, credite, fidite, obedite Deo: qui Abrahæ, & Isaaco in monte tam opportune per Angelum, per arietem prospexit, is idem & vobis aderit, dabitque piis conatibus felicem eventum. Ita S. Hieronymus, Cajetanus, & Delrio.

(*a*) Patet II. Paralip. III. vers. 1.
(*b*) Ita S. Aug. Lib. XVI. de Civit. cap. XXXII. Diodorus Tarsensis & alii.
(*c*) Heb. XI. vers. 19.
(*d*) Genes. XIII. vers. 16. & cap. XV. vers. 5.
(*e*) Aug. serm. LXXIII. de Temp. Nyssen. & alii apud Corn. a Lapide.

GORDONI.

Vers. 1. QUamvis proprie Deus non tentet, tamen aliquando se habet ad modum tentantis, & explorantis, ut sic hominis virtus aliis appareat; vel ut homo ipse discat quid possit, quantumque pendeat a Deo, quoties incidit in mali occasiones.

V. 2. IN TERRAM VISIONIS. Hebr. *in* מריה *Moria*; ac si dicas, terram visionis, seu ad montem, quem Abraham ab hoc effectu vocavit, *Dominus videbit*. Hic mons Moria erat in Ierusalem, mons in quo Salomon ædificavit templum. Radix ראה *raa*. Mons Calvariæ extra muros videtur pars fuisse montis Moriæ. Varie de hoc Scriptores. Vide Deut. cap. XXXIII. vers. 12. Vocat unigenitum, quia unicus erat ex Sara primaria uxore, aut quia maxime dilectus erat, quod habet textus, & solus filius promissionis.

V. 3. Habitabat tunc Abraham Bersabee, ex vers. 14. & 19. & distabat, ex Adrichomio, leucis horariis viginti (trium dierum iter est) a Monte Moria, ubi est Ierusalem.

V. 5. REVERTEMUR. Non est mentitus: nam de se ipso in plurali loqui potuit. Ac demum prophetavit, si de se, & filio est sermo, sed ignorans quid diceret.

V. 9. Alligatur Isaac volens: est enim probabile Abrahamum aperuisse filio voluntatem Dei. Iosephus tradit, tunc Isaac fuisse viginti quinque annorum.

V. 12. NUNC COGNOVI. Humano modo loquitur, significans se fecisse in hac tentatione & experimento virtutis ut cognosceretur ab aliis obedientia, & virtus Abrahæ. En interim allegorice repræsentatum Christum in passione, & resurgendo liberatum. Hic etiam locus probat Theologis esse in Deo scientiam creaturarum.

V. 13. POST TERGUM. Hebr. אחר, *retro*.

V. 14.

V. 14. DOMINUS VIDEBIT. Sept. *Dominus visus est*. Vulgatus, *videbit*, id est providebit.

V. 16. Vide Heb. VI. vers. 13. ubi agit Paulus de hoc iuramento. At cur in assertione veritatis Deus per semetipsum iurat? Certe quia est optimus testis, & assertor veritatis; nec est alius tam bonus.

V. 17. POSSIDEBIT PORTAS, regiones, & urbes.

V. 21. de Hus, & progenie Iob, vide Iob I.

V. 24. Concubina in præsentia, ac alibi, secundariam designat uxorem, ignobiliorem, nec familiæ dominam, ut alias observavi cap. XXV. vers. 6.

CAPUT XXIII.

Sara mortua plangitur, atque in spelunca duplici; quam Abraham ab Ephron cum agro præsenti emit pecunia, sepelitur.

1 VIxit autem Sara centum viginti septem annis. 2. Et mortua
est in civitate Arbee, quæ est Hebron, in terra Chanaan:
venitque Abraham ut plangeret & fleret eam. 3. Cumque
surrexisset ab officio funeris, locutus est ad filios Heth, dicens:
4. Advena sum & peregrinus apud vos: date mihi ius
sepulcri vobiscum, ut sepeliam mortuum meum. 5. Responderunt
filii Heth, dicentes: 6. Audi nos domine: princeps
Dei es apud nos: in electis sepulcris nostris sepeli mortuum tuum: nullusque
te prohibere poterit quin in monumento eius sepelias mortuum tuum. 7. Surrexit
Abraham, & adoravit populum terræ, filios videlicet Heth, 8. dixitque
ad eos: Si placet animæ vestræ ut sepeliam mortuum meum, audite me, &
intercedite pro me apud Ephron filium Seor, 9. ut det mihi speluncam duplicem,
quam habet in extrema parte agri sui: pecunia digna tradat eam mihi
coram vobis in possessionem sepulcri. 10. Habitabat autem Ephron in medio
filiorum Heth. Respondit que Ephron ad Abraham cunctis audientibus qui ingrediebantur
portam civitatis illius, dicens: 11. Nequaquam ita fiat, domine
mi, sed tu magis ausculta quod loquor: Agrum trado tibi, & speluncam quæ
in eo est, præsentibus filiis populi mei: sepeli mortuum tuum. 12. Adoravit
Abraham coram populo terræ. 13. Et locutus est ad Ephron * circumstante
plebe: Quæso, ut audias me: dabo pecuniam pro agro: suscipe eam, *& sic
sepeliam mortuum meum in eo. 14. Respondit que Ephron: Domine mi, audi
me: 15. terra, quam postulas, quadringentis siclis argenti valet: istud est
pretium inter me & te: sed quantum est hoc? Sepeli mortuum tuum. 16.
Quod cum audisset Abraham, appendit pecuniam, quam Ephron postulaverat,
audientibus filiis Heth, quadringentos siclos argenti probatæ monetæ publicæ.
17. Confirmatusque est ager quondam Ephronis, in quo erat spelunca duplex, respiciens
Mambre, tam ipse, quam spelunca, & omnes arbores eius in cunctis
terminis eius per circuitum, 18. Abrahæ in possessionem, videntibus filiis
Heth, & cunctis qui intrabant portam civitatis illius. 19. Atque ita sepelivit
Abraham Saram uxorem suam * in spelunca agri duplici, quæ respiciebat
Mambre: hæc est Hebron in terra Chanaan. 20. Et confirmatus est

Pp 2 ager,

ager, & antrum quod erat in eo, Abrahæ in possessionem monumenti a filiis Heth.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 13. *Circumstante plebe*. Non est addendum pronomen *eius*.

Ibid. *Et sic sepeliam mortuum meum in eo*. Non scribas antecedens *agro* pro relativo *eo*.

V. 19. *In spelunca agri duplici*. Pro sexto casu *duplici* quidam scribunt secundum *duplicis*.

NOTATIO.

V. 19. *Atque ita sepelivit Abraham Saram uxorem suam in spelunca agri duplici*. Plerique Latinorum codicum legunt: *In spelunca agri duplici*; quidam, *In spelunca agri duplicis*. Priori lectioni Græca suffragantur, ἐν τῷ σπηλαίῳ τῷ διπλῷ. Utraque ex Hebræo verti potest אל מערת שדה המכפלה Nam, si שָׂדֶה legas, rectius *duplici* transferas: si vero שְׂדֵה, ut est in punctatis Bibliis, potius *duplicis* vertendum videtur. Cum enim שְׂדֵה his insignitum punctis vocem הַמַּכְפֵּלָה regat, interpretandum est, *In spelunca agri duplicitatis*, id quod est, *agri duplicis*. Nec obstat quod spelunca huius capitis vers. 9. & alibi duplex dicatur: nam & spelunca duplex dici potest, & ager: illa quia duplex erat (forte quia duæ speluncæ sibi mutuo vicinæ erant, aut quia altera intra alteram, ut Procopius existimat) hic, quia speluncæ duplici adiacebat, erat enim in extrema agri parte. Certe Gen. XLIX. 29. & 30. iuxta Hebræa legitur: *Sepelite me cum patribus in spelunca quæ in agro Ephron Hethai, in spelunca quæ* בִּשְׂדֵה הַמַּכְפֵּלָה *in agro duplicitatis*, seu duplici, *qui est contra Mambre*. Itaque neutra illarum lectionum Latinarum reiicienda est, quamquam a Nostro & LXXII. Interpretibus, pene semper duplex spelunca dici soleat, & Iosephus Lib. I. cap. XXXIII. sepulcrum duplex vocet: „ Sepulcrumque eius „ factum est duplex. “ Quidam Interpretum retinent Hebræam vocem Machpelah, ut proprium loci nomen.

COMMENTARIA

SA.

Vers. 2. ARBEE, idest *quatuor*, scilicet Adam, Abraham, Isaac, & Iacob, ibi sepultorum: Hieron. in Gen.

V. 4. IUS. Hebr. *hereditatem*, seu *possessionem*. MORTUUM; quasi dicat, funus.

V. 6. PRINCEPS DEI, idest magnus princeps. Sic cedri Dei, montes Dei. ELECTIS, idest selectis; vel quasi dicat, in eo quod tibi elegeris. PROHIBERE POTERIT. Hebr. *prohibebit*.

V. 7. ADORAVIT; scilicet, gratias agens se coram populo incurvavit.

V. 10. IN MEDIO FILIORUM HETH, idest inter Hethæos.

V. 15. SICLIS. Siclus drachmas duas continet, adeoque pretium erat scutorum 80. quamquam erat & siclus drachmarum quatuor. Vide cap. seq. QUANTUM EST HOC? quasi dicat, tam vili vendo propter te.

ESTII.

Vers. 4. DATE MIHI IUS SEPULCRI. Hebr. *possessionem sepulcri*, id est locum in quo sepeliantur mortui meæ familiæ. Petit autem dari non gratis, sed, ut mox patet, venditione.

V. 7. ET ADORAVIT ABRAHAM POPULUM TERRAE, id est indigenas eius loci. Non enim populus terræ plebeculam, id est vulgus inhonoratum, significat in Scripturis, ut quidam suspicati sunt, sed universum populum. Non ergo Abraham adoravit, id est honoravit, infimam plebem, sed qui in populo primas tenebant: cum illis enim agendum ei erat, ut sepulturæ locum impetraret pro Sara uxore sua. Sic Levit. cap. XX. populis terræ iubetur lapidare blasphemum, id est homines istius loci, maiores quidem iudicando, minores vero exequendo. Ceterum docet hic locus, nomen adorationis non semper eodem modo sumi, & sicut Abraham non peccavit hic con-

contra illud præceptum: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies*, ita nec peccare Catholicos, cum suo modo honorant genuflexionibus Sanctos, eorumque imagines.

V. 16. APPENDIT PECUNIAM ABRAHAM, QUAM EPHRON POSTULAVERAT. Nempe maluit emere, quam dono accipere, ne forte agrum donatum posteri donatoris aliquando vellent revendicare, causantes, vel suam inopiam, vel donationem temerariam, aut non legitimam fuisse defraudatis heredibus. Sic & David aream Ornam pro ædificatione altaris pretio voluit comparare, etsi & ille gratis eam offerret.

MARIANAE.

Vers. 1. VIXIT AUTEM SARA. Duobus ante annis mortuus est Thare pater Abrahæ. Seder holam. Ex annis quos ille vixit manifesta est ratio.

V. 2. IN CIVITATE ARBEE. Hebr. *in Cariatharbe*: vox est ex duabus duplicata. קרית *Kiriah* est *civitas* aut *pagus* potius, argumento vocis *Alqueria*, Hispanis inde deductæ, & vocis *Corepiscopus*, de quo extat frequens mentio, & ab eadem notatione significat *Episcopum villanum* aut *ruralem*. ארבע *Arbah*, vox altera, aut est nomen proprium viri qui in eo pago vixit: Iosue XIV. vers. 15. Hebr. ad verbum: *Hebron ante pagus Arbe, homo magnus in Enacim ipse*. Plerique tamen per *Arbee* volunt significari *quatuor*, & hoc aut propter viros quatuor de genere Enacim, qui ibi principes erant; aut quod ibi quatuor paria essent sepulta, Adam & Eva, & tres Patriarchæ cum uxoribus. Et ne quis putet ex Vulgata nostra id esse natum, eo loco Iosue, ponente pro *homine magno*, *Ibi Adam maximus situs est*, sciat inter Hebræos etiam id me invenisse vulgatum, possemque verba adscribere, si esset tanti. Idem Hieron. affert in Traditionibus. VENITQUE ABRAHAM. Fortassis non aderat morienti Saræ.

V. 3. CUMQUE SURREXISSET AB OFFICIO FUNERIS. Hebr. *Et surrexit desuper mortuo suo*: quod Sept. & Chald. expresserunt. Videtur ergo irruisse in amplexus cadaveris.

V. 4. IUS SEPULCRI. Hebr. *hereditatem*, seu *possessionem sepulcri*. UT SEPELIAM MORTUUM MEUM: in Hebr. additur, *a facie mea*; quasi dicat, ut removeam ab oculis.

V. 6. PRINCEPS DEI; id est, magnus princeps tu es apud nos.

V. 9. SPELUNCAM DUPLICEM. Sic vocatur, vel quod domus supra eam esset, vel, ut Aven Ezra, quia spelunca intra speluncam. IN POSSESSIONEM SEPULCRI: in fundum sepulcri: sic Hebræus.

V. 15. SED QUANTUM EST HOC? quasi dicat: De pretio non contendamus, gratis agrum damus. Vel significat, minus hoc est quam valet, alteri tam exiguo pretio non darem.

V. 16. ABRAHAM APPENDIT PECUNIAM. Si quis fuisset sepultus in ea spelunca, non licuisset eam vendere pecunia, neque ius sepulturæ, neque locum, quia sacer redditur. Ecclesia tamen aliquid recipit, non ut pretium, sed eleemosynæ consuetæ nomine. Sed Hieron. in Trad. deliquisse Ephron putat, & delicti argumento, vers. 16. post venditionem id nomen diminutum *vau* littera detracta scribi. QUADRINGENTOS SICLOS. Siclus pendebat quantum argentei nostri quatuor. PROBATAE MONETAE PUBLICAE: argenti, sive monetæ transeuntis inter mercatores *de dar y tomar*. Sic Cant. v. vers. 5. *myrrha probatissima* vocatur *transiens*, Hebr. & superius vers. 9. *pecunia digna*, Hebr. *argento pleno*. Eadem est significatio *monetæ probatæ*. Sed Chald. addit de suo posteriori loco: *Quæ recipieretur in omnibus provinciis*: nam est pecunia, quæ fines suæ gentis non transcendit. Considera etiam, nomine æris inter Romanos significari pecuniam promiscue, quod primum signavere æs. Apud Hebræos fortassis eadem de causa argenti nomine significabatur. Et fortassis apud eam gentem æs non signabatur.

V. 19. MAMBRE, HAEC EST HEBRON. Idem locus tum his duobus nominibus, tum *Cariatharbe* vocabatur.

MALVENDAE.

Vers. 2. IN CIVITATE ARBEE, QUAE EST HEBRON. Heb. *In Kiriath Arbagh, ipsa Chebron*. S. Hieronymus in Traditionibus: *Sed dicitur Civitas Arbee, hoc est, quatuor, quia ibi Abraham, & Isaac*,

Isaac, & Iacob conditus est, & ipse princeps humani generis Adam, ut in Iesu Libro apertius demonstrabitur. Et in locis: *Arbee, id est, quatuor, eo quod ibi quatuor patriarchæ, Abraham, Isaac, & Iacob sepulti sunt, & Adam magnus, ut in Iosue Libro scriptum est; licet eum quidam conditum in loco Calvariæ suspicentur*. Et in Epitaphio Paulæ: *Chebron, hæc est Cariat Arbe, id est oppidum virorum quatuor, Abraham, Isaac, Iacob, & Adam magni, quem ibi conditum, iuxta librum Iesu Nave, Hebræi autumant; licet plerique Chaleb quartum putent, cuius ex latere memoria monstratur*. Hebræi multas afferunt causas cur hæc urbs Arba, id est, quatuor sit dicta. I. Quia olim ibi quatuor viri pii habitaverint, Aner, Escol, Mamre, Abraham. II. Quia ibi quatuor celeberrimæ matronæ sepultæ, Heva, Sara, Rebecca, Lia. III. Item quatuor patriarchæ, Adam, Abraham, Isaac, Iacob. IV. Quod ex ea urbe Abraham egressus quatuor reges percusserit, ac fuderit. Nec desunt qui quatuor ibi famosos gigantes imperitasse tradant, Arba, Achiman, Sisai, Tholmai, Iosue xv. 13. 14. Iudicum I. 10. Quidam Cariath Arbah exponunt, Tetrapolim, quia prisci distribuebant regias civitates in quatuor partes. Prima erat curia, seu principum senatus, & sacerdotum; secunda militum; tertia agricolarum; quarta opificum. Ceterum diserte Iosue XIV. 15. dicitur: *Et nomen Hebron antea Kiriath Arbagh, homo grandis in Enakim ipse*. Simplicissime accipimus Hebron prius dictam Kiriath Arba, id est urbem Arba, qui Arba fuit homo magnus inter Enakinos, seu gigantes illos. Unde ab illo Arba videtur nomen urbi factum: vel quia eam primus condiderit, vel quia in ea imperitaverit. Hebræorum nonnulli Hebronem a Cham filio Noe conditam augurantur. Adito explanatores Iosue, & quæ notavimus supra cap. XIII. vers. 18. De loco ubi sepultus Adam, fuse differuimus in Paradiso, cap. LIV. Ego non dubito, primum & antiquissimum nomen Hebron fuisse Kiriat-Arba. Vide Notas Iosue XIV. vers. 15. UT PLANGERET. ספד *saphad* aiunt proprie esse *planctu celebrare mortuum*; & dici de illa cæremonia & pompa lugentium & lamentantium mortuos, ut denotet cæremoniam funeralem, & pompam funebrem, ac totum illum apparatum & gestum exequiarum.

V. 9. SPELUNCAM DUPLICEM. Exponunt vel duas speluncas, vel unam intra aliam, ut de sepulcro Christi annotant Evangeliorum enarratores. Alii *machpelah* nomen proprium loci esse volunt, e vers. 17. & 19. PECUNIA DIGNA. Heb. *In argento pleno*. Quidam exponunt: *In argento pleno*, id est, non attonso, falsato, aut diminuto, sed iusti ponderis. Alii, in argento bono, probato, optimæ notæ. Hispanice *en plata fina*. Nonnulli, iusto pretio & condigno. Hoc secutus Noster.

V. 13. QUAESO UT AUDIAS ME. Heb. ex verbo: *At si tu, si audi me*. Quidam defectivam, & mancam orationem putant, & multa pro suo cerebro supplent, parum memores maiestatis linguæ, quæ affectibus interdum plena, ita eos exprimere solet: *At si tu, utinam audi me*; id est, at profecto tu utinam audi me; vel sed certe tu utinam, quæso, audi me: אם *im* enim particula est certo aliquid determinantis, sive affirmative, sive negative. At hic procul dubio est certo affirmantis.

V. 16 QUADRINGENTOS SICLOS ARGENTI. שקל *schekel*, nomen ponderis; quasi dicas, *ponderator, librator*, seu *pondus, libratio*: erat enim regula & modus omnium ponderum: vel quod tunc moneta seu pecunia non numeraretur discrete, ut nunc apud nos, sed ponderaretur, libraretur, appenderetur; ut ex verbo librandi hoc versu posito liquet: atque ex pondere, & libratione haberetur summa, ut nunc ex numero habetur. De siclo infiniti perscripserunt; sed verissimum est quod dixit Iosephus Lib. III. Originum, cap. X. *Siclus autem nummi genus est apud Hebræos, quales sunt tetradrachmi Attici*. S. Hieronymus in IV. Ezechielis, vers. 10. *Siclus autem, id est stater, habet drachmas quatuor. Drachmæ autem octo Latinam unciam faciunt*. Philo de specialibus Legibus, pag. 597 elucidans verba illa Levitici XXVII. 3. *Dabit quinquaginta Siclos argenti ad mensuram sanctuarii*, inquit: *Iubet enim a vicenario ad sexagenarium, viri pretium esse drachmas ducentas e solido argento*. Sicli argentei Hebraici, qui hodieque extant plurimi, & passim ostenduntur, quorumque formæ & effigies typis æneis fideliter a multis expressæ vituntur, certum & indubitatum sicli pondus & valorem ostendunt: nempe reddit siclus dimidiam argenti unciam, hoc est quatuor

Hif-

Hiſpanicorum regalium nummorum pondus, & æſtimationem. De ſiclo profano, & de ſiclo ſanctuarii, dicemus ad Exodi xxx. 13. nam pondere & valore nihil inter ſe differre, plerique obſervarunt: ubi quoque alia de ſiclo dicemus. Ergo emit Abraham agrum illum ab Ephron, M D C regalibus nummis Hiſpanicis. Vocis *ficel* pro ſiclo meminit & Petronius Arbiter in Satyrico, pag. 59. *Sed præter unum diſpondium, ſicelque, quibus lupinos deſtinaveramus mercari, nihil ad manum erat*. Sic enim legendum, ac retinendam vocem *ſicel* in Petronio, iam pridem animadverſum a viris eruditis. Xenophon Lib. I. Cyri Expeditionis, pag. 256. *Siclus ſeptem Atticis obolis, & ſemiſſe valet*. Iulius Pollux Lib. IX. Onomaſtici, cap. VI. hunc Xenophontis locum reſpiciens, inquit: *Puto byllus* (Siclus, ut legendum eruditi monent) *quo nomine Xenophon uti conſuevit, monetæ barbaricæ nomen eſſe*, nempe Hebraicæ. S. Eucherius Lib. II. Inſtructionum: *Sicel, qui corrupte ſiclus, unciæ pondus habet, ſcrupula decem*. S. Iſidorus Lib. XIV. Originum, cap. XXIV. *Sicel, qui Latino ſermone ſiclus appellatur, Hebræum nomen eſt, habens apud eos unciæ pondus; apud Latinos autem, & Græcos quarta pars unciæ eſt, & ſtateris medietas, drachmas appendens duas. Unde cum in litteris divinis legitur ſiclus, uncia eſt; cum vero in gentilium libris, quarta pars unciæ eſt*. Acceperunt a S. Hieronymo. Vide cap. XXIV. verſ. 22. Sed ſi ſiclus uncia eſt, duplo maius erit pretium agri Ephronici: nempe IIIMCC. nummi regales Hiſpanici. ARGENTI PROBATAE MONETAE PUBLICAE. Heb. *Argenti tranſeuntis ad*, vel *per mercatorem*. סוחר *ſocher* proprie eſt *circumgyrator, circulator, circumforaneus*; & quia merces de loco in locum circumferuntur circumquaque a negotiatoribus & mercatoribus, ideo hoc nomen dicitur Hebræis de negotiatore, ſeu mercatore, qui circumit mercatum, vel circumfert merces. *Tranſeuntis ad mercatorem*: Hiſpanice, *Moneda corriente, de dar y tomar*, vel commeantis ad mercatores, id eſt ea quantitate, & qualitate ut etiam inter ipſos mercatores, qui in expendendo numiſmatum pretio ſunt diligentiſſimi, translatitia & recepta eſſe poſſet: Hiſpanice, *Que paſſa entre mercaderes*. Sunt plus nimio moroſi mercatores in examinanda, exigenda, & probanda pecunia; & non niſi optimam & probam admittunt. Nec alienus erit ſenſus: *Tranſeuntis ad circumgyratorem, circulatorem, circumforaneum*; hoc eſt, tam probum argentum, & optimæ notæ ut etiam ipſi agyrtæ falſarii, harum rerum callentiſſimi, vitium in eo nullum deprehendere poſſent.

V. 19. QUAE RESPICIEBAT MAMRE: HAEC EST HEBRON. Brocardus: *Prope viam quæ ducit in Ebron, eſt prædium Mamre, ubi habitavit longo tempore Abraham iuxta ilicem. Ab hac ilice per dimidiam leucam verſus dexteram, eſt Hebron civitas illa vetus, olim Cariath-Arbe dicta: in qua regnavit David ſeptem annis, ſitaque fuit in monte. Hodie præter magnas ruinas nihil ibi cernitur; ſed ad tres iactus arcus, auſtrum verſus, declinando tamen paululum ad orientem, eſt Hebron nova, extructa in loco ſcilicet ubi ſpelunca duplex, ubi ſepulti ſunt Adam, & Heva, Abraham, & Sarah, Iſaac, & Rebecca, Iacob, & Lia. Saraceni circa ſpeluncam duplicem, quæ erat in eccleſia cathedrali, ædificaverunt munitionem*. Beniamin Tudelenſis Iudæus, qui ſub Alexandro III. Romano Pontifice, & Friderico AEnobarbo Imperatore, per orbem peregrinatus, loca ſancta quoque præſens inviſit, de Hebron, & ſpelunca duplici hæc refert: *Hinc* (nempe a Bethlehem) *leucis ſex confectis Hebron veni in plano ſitam: nam Hebron antiqua metropolis in monte fuit; ſed nunc deſerta eſt: in valle vero ager eſt, in quo eſt machpelah, id eſt duplicitas, hoc eſt gemina velut vallicula; ibique ſita eſt urbs, ibidemque templum ingens, quod ſancti Abraham vocatur. Fuerat autem locus ille Iudæorum ſynagoga, quo tempore ab Iſmaelitis regio occupabatur. Gentes vero, a quibus poſtea obtenta eſt, ſepulcra ſex in templo conſtruxere, nominibus Abrahæ, & Saræ, Iſaac, & Rebeccæ, Iacob, & Liæ. Dicunt autem nunc incolæ peregrinis illa eſſe patriarcharum monumenta; offerunturque illic pecuniæ. Verumenimvero Iudæo cuipiam accedenti, & mercedem ianitoribus porrigenti, ſpelunca oſtenditur, porta ferrea patefacta, quæ a diebus antiquis illic adhuc manet. Deſcenditque homo inferius lampade accenſa in primam ſpeluncam, in qua nihil invenitur, neque etiam in ſecunda, donec tertia ſubeatur: in qua ſex monumenta ſunt, Abraham, Iſaac, & Iacob, Saræ, Rebeccæ, & Liæ, alterum e regione alterius ſingulaque characteribus inciſa ſunt, nominibuſque diſtin-*

cta

Ea singulorum, *hoc modo*: SEPULCRUM ABRAHAM PATRIS NOSTRI, SUPER QUEM PAX SIT, *&c. ad idem exemplum*. *Ardet autem perpetuo lampas nocte atque die in spelunca, ministris templi oleum & pabulum ministrantibus assidue*. *In ipso vero duplicitatis agro antiquæ domus patris nostri Abrahæ monumenta adhuc extant, & visuntur, & fons ante illam scaturit: neminemque licet illic domum ædificare propter Abrahæ observantiam*. Hæc Beniamin.

MENOCHII.

Vers. 1. CIVITATE ARBEE. Hebraice dicitur *Cariath-Arbe*, quam vocem immutatam retinet nonnumquam Scriptura in libro Iosue, Iudicum, & alibi. QUAE EST HEBRON, sic postea appellata. Potius dicendum spiritu prophetico hæc Mosem scripsisse, quam a quoquam postea libris ejus inserta.

V. 2. VENITQUE ABRAHAM. Putant aliqui Saram mortuam esse absente Abrahamo, ac propterea dictum. *Venitque Abraham*. Verum *venire*, apud Hebræos sæpe significat ordiri aliquid, accingere se ad aliquid faciendum. UT PLANGERET. Planctus in Scripturis solemnia significat exequiarum. Actor. VIII. 2. & alibi.

V. 3. FILIOS HETH, populum Hethæorum. ADVENA SUM. Hebr. *incola*, diu apud vos habitavi cum uxore, finite inter vos quiescere mortuam, quam viventem non estis dedignati.

V. 4. IUS SEPULCRI. Hebr. *possessionem sepulcri*. Non vult misceri sepulcris idololatrarum, sed sibi seorsim locum postulat. MORTUUM MEUM, cadaver Saræ. Funus meum. LXX. τὸν νεκρόν μου *mortuum meum*.

V. 6. PRINCEPS DEI. Hebraismus, id est princeps magnus: sic montes excelsi dicuntur *montes Dei*. IN ELECTIS, in optimo, & honestissimo sepulcrorum nostrorum. NULLUSQUE TE PROHIBERE POTERIT: nemo futurus adeo protervus qui te audeat prohibere.

V. 7. ADORAVIT, civili honore gratias acturus se incurvavit demisse. POPULUM TERRAE, indigenas loci.

Vers. 8. SI PLACET ANIMAE VESTRAE: si vobis acceptum est.

V. 9. SPELUNCAM DUPLICEM, in qua duplex concameratio, & duplex crypta: altera fortasse ad viros condendos, altera ad feminas. PECUNIA DIGNA, digno, ac iusto pretio.

V. 10. PORTAM: quia hoc actum in porta, ubi iudicia, & commercia exercebantur.

V. 11. AGRUM TRADO TIBI, gratis largior. Non fuit crimen simoniæ emere agrum ad sepulturam, aut ius sepulturæ: secus esset si locus ille sacer fuisset ecclesiastica benedictione, quæ eo tempore nondum erat.

V. 13. QUAESO UT AUDIAS ME. LXX. *Quoniam apud me es, audi me*: vel potius, *quoniam ades mihi*; hoc est, quandoquidem adeo mihi faves. Chaldæus: *Si tu utique facis mecum misericordiam*.

V. 15. QUADRINGENTOS SICLOS. Dictum supra, siclum unum æquivalere quatuor regalibus Hispanis. SED QUANTUM EST HOC? quasi dicat: Non decet te, vel me, qui & amici & divites sumus de tantula summa solicitari.

V. 16. PROBATAE MONETAE PUBLICAE. Hebr. *Inter mercatores transeuntis*. Itali dicunt: *Moneta corrente fra mercanti*. Chaldæus: *Quæ recipiebatur pro mercimoniis in unaquaque provincia*. Oportuit ergo esse probatissimam.

Vers. 17. RESPICIENS MAMBRE, oppositum oppido Mambre. CONFIRMATUS EST, per emptionem firmo & stabili iure translatus. In Actis Apostolorum cap. VII. vers. 16. S. Stephanus ait, Abrahamum agrum a filiis Hemor filiis Sichem mercatum esse: non ergo ab Ephron. Multi multa. Dici potest Ephronem natu maximum ex filiis Hemor suo & fratrum nomine agrum vendidisse: Hemor autem binomium fuisse, & Seor etiam, ut hic num. 8. fuisse appellatum.

TIRINI.

Vers. 4. DA TE MIHI IUS SEPULCRI VOBISCUM. Non petit Abraham facultatem, se suosque post mortem miscendi cadaveribus Chananæorum; sed vult, pecunia sibi vendi locum aliquem, sibique proprium fieri, in quo mortuam coniugem tuam sepeliat. Patet ex vers. 16. ubi 400. argenti siclos (seu flo-

florenos Belgicos) appendit Ephroni pro agro ipsius.

Nora. Videtur Abraham in grati animi signum, ab hoc Ephrone, nomen urbi in qua mortua, & sepulta est Sara, indidisse; licet malit Serarius, ab hac potius amica societate, quam iniit Abraham cum eius loci viris principibus, urbem illam vocatam Hebron, a *cheber* quod Hebræis *societatem* significat: nam ante vocabatur *Arbee*, vel *Cariatharbee*, id est civitas Arbee, gigantis unius e maximis & famosissimis illius terræ, qui domicilium istic habuerat. Vocabatur subinde etiam Mambre, a principe Ammorrhæo domino eiusdem loci, & vallis vicinæ, qui una cum Abrahamo pugnavit adversus quatuor reges *a*. In hoc Sarę sepulcro sepultus est quoque Abraham *b*, Isaac *c*, Rebecca, et Lia: Iacob quoque ex AEgypto in illud idem transferri voluit *d*.

a Gen. xiv. 13. et 24. *b* Ibid. xxv. 9. *c* Ibid. xxxv. 29. *d* Ibid. xlix. 31.

GORDONI.

Vers. 2. ARBEE. Heb. *Cariatharbe*. De qua civirate dixi Iosue capit. x. & cap. xiv. hic vocatur HEBRON. De voce Cariath, Iudic. cap. 1. Cum dicitur Abraham venisse, aliqui colligunt absentem fuisse, cum moreretur Sara; tamen commodius sensus est, si dicas venisse, seu accinxisse se ad debitum funeri obsequium. Vide Gen. ult. vers. 10. de planctu septem dierum in funere.

V. 4. Vult sepulcrum esse separatum ab idololatris. IUS SEPULCRI: possessionem emit, seu terræ partem. Nihil spirituale emptum, nec locus sacer erat: unde simoniacus dici non potest.

V. 6. PRINCEPS DEI. Septuag. *Rex a Deo tu es in nobis*: in Heb. *Dux*: quæ omnia valde excellentem designant.

V. 7. ADORAVIT POPULUM TERRAE. וישתחו *iistheu*, *adoravit*, *incurvavit se*, honorem exhibens civilem: radix שחה.

V. 9. SPELUNCAM DUPLICEM: quia erat spelunca vel intra aliam, vel iuxta eam: hic erat fundus sepulcri. PECUNIA DIGNA, pretio iusto & condigno.

V. 10. In porta fiebant iudicia.

V. 15. QUADRINGENTOS SICLOS ARGENTI. De valore sicli dixi cap. xx. vers. 16. & alibi. Eninterim topographiam Hebron, & Mambre. QUANTUM EST HOC? Significat pretium quidem esse nimis parvum, sed tamen libenter sic vendi.

V. 16. APPENDIT PECUNIAM. Hic pono, neminem ibi antea fuisse sepultum: alioqui venditum fuisset ipsum ius sepulturæ, & simoniace.

V. 17. QUONDAM EPHRONES. In Actis aliud habet nomen. Vide Act. vii. vers. 16 ubi de hac quæstione dissero.

V. 19. Nec est improbabile Hebron vocatam fuisse Mambre, saltem omnino prope est.

CAPUT XXIV.

Servus Abrahæ ab ipso adiuratus, & in Mesopotamiam ad quærendam uxorem Isaac missus, signo a Domino petito, Rebeccam invenit, & habito parentum, ac fratris, ipsiusque consensu adducit ad Isaac, quam ille ducit in uxorem, & ita super matris morte accipit consolationem.

1 ERat autem Abraham senex, dierumque multorum: & Dominus
in cunctis benedixerat ei. 2. Dixitque ad servum seniorem do-
mus suæ, qui præerat omnibus quæ habebat: (a) Pone ma-
num tuam subter femur meum, 3. ut adiurem te per Domi-
num Deum cæli & terræ, ut non accipias uxorem filio meo
de filiabus Chananæorum, inter quos habito; 4. sed ad terram
& cognationem meam proficiscaris, & inde accipias uxorem fi-
lio meo Isaac. 5. Respondit servus: Si noluerit mulier venire mecum in terram
hanc, numquid reducere debeo filium tuum ad locum de quo tu egressus es? 6.
Dixitque Abraham: Cave nequando reducas filium meum illuc. 7. Dominus Deus
cæli, qui tulit me de domo patris mei, & de terra nativitatis meæ, qui locu-
tus est mihi, & iuravit mihi, dicens: (b) Semini tuo dabo terram hanc: ipse
mittet Angelum suum coram te, & accipies inde uxorem filio meo. 8. Sin autem
mulier noluerit sequi te, non teneberis iuramento: filium meum tantum ne redu-
cas illuc. 9. Posuit ergo servus manum sub femore Abraham domini sui, & iu-
ravit illi super sermone hoc. 10. Tulitque decem camelos de grege domini sui,
& abiit, ex omnibus bonis eius portans secum, profectusque perrexit in Mesopo-
tamiam ad urbem Nachor. 11. Cumque camelos fecisset accumbere extra oppi-
dum iuxta puteum aquæ vespere, tempore quo solent mulieres egredi ad haurien-
dam aquam, dixit: 12. * Domine Deus domini mei Abraham, occurre, obsecro,
mihi hodie, & fac misericordiam cum domino meo Abraham. 13. Ecce ego sto
prope fontem aquæ, & filiæ habitatorum huius civitatis egredientur ad haurien-
dam aquam. 14. Igitur puella, cui ego dixero: Inclina hydriam tuam ut bibam:
& illa responderit: Bibe, quin & camelis tuis dabo potum: ipsa est quam præ-
parasti servo tuo Isaac: & per hoc intelligam quod feceris misericordiam * cum
domino meo. 15. Necdum intra se verba compleverat, & ecce Rebecca egredie-
batur, filia Bathuel, filii Melchæ uxoris Nachor fratris Abraham, habens hy-
driam in scapula sua: 16. puella decora nimis, virgoque pulcherrima, & incogni-
ta viro: descenderat autem ad fontem, & impleverat hydriam, ac revertabatur.
17. Occurritque ei servus, & ait: Pauxillum aquæ mihi ad bibendum præbe de
hydria tua. 18. Quæ respondit: Bibe domine mi: celeriterque deposuit hydriam
super ulnam suam, & dedit ei potum. 19. Cumque ille bibisset, adiecit: Quin &
camelis tuis hauriam aquam, donec cuncti bibant. 20. Effundensque hydriam in cana-
libus, recurrit ad puteum ut hauriret aquam; & haustam omnibus camelis dedit.
21. Ipse autem contemplabatur eam tacitus, scire volens utrum prosperum iter suum
fecisset Dominus, an non. 22. Postquam autem biberunt cameli, protulit vir in-

aures

aures aureas, appendentes ficlos duos, & armillas totidem pondo ficlorum decem. 23. Dixitque ad eam: Cuius es filia? Indica mihi: est in domo patris tui locus ad manendum? 24. Quæ respondit: * Filia sum Bathuelis, filii Melchæ, quem peperit ipsi Nachor. 25. Et addidit, dicens: Palearum quoque & feni plurimum est apud nos, & locus spatiosus ad manendum. 26. Inclinavit se homo, & adoravit Dominum, 27. dicens: Benedictus Dominus Deus domini mei Abraham, qui non abstulit misericordiam & veritatem suam a domino meo, & recto itinere me perduxit in domum fratris domini mei. 28. Cucurrit itaque puella, & nuntiavit in domum matris suæ omnia quæ audierat. 29. Habebat autem Rebecca fratrem nomine Laban, qui festinus egressus est ad hominem, ubi erat fons. 30. Cumque vidisset inaures, & armillas in manibus sororis suæ, & audisset cuncta verba referentis: Hæc locutus est mihi homo: venit ad virum, qui stabat iuxta camelos, & prope fontem aquæ; 31. dixitque ad eum: Ingredere, benedicte Domini: cur foris stas? Præparavi domum, & locum camelis. 32. Et introduxit eum in hospitium, ac destravit camelos, deditque paleas, & fenum, & aquam ad lavandos pedes eius, & virorum qui venerant cum eo. 33. Et appositus est in conspectu eius panis. Qui ait: Non comedam, donec loquar sermones meos. Respondit ei, Loquere. 34. At ille, Servus, inquit, Abraham sum: 35. & Dominus benedixit domino meo valde, magnificatusque est: & dedit ei oves, & boves, argentum, & aurum, servos, & ancillas, camelos, & asinos. 36. Et peperit Sara uxor domini mei filium domino meo in senectute sua, deditque illi omnia quæ habuerat. 37. Et adiuravit me dominus meus, dicens: Non accipies uxorem filio meo de filiabus Chananæorum, in quorum terra habito; 38. sed ad domum patris mei perges, & de cognatione mea accipies uxorem filio meo: 39. ego vero respondi domino meo: Quid si noluerit venire mecum mulier? 40. Dominus, ait, in cuius conspectu ambulo, mittet Angelum suum tecum, & diriget viam tuam: accipiesque uxorem filio meo de cognatione mea, & de domo patris mei. 41. Innocens eris a maledictione mea, * cum veneris ad propinquos meos, & non dederint tibi. 42. Veni ergo hodie ad fontem aquæ, & dixi: Domine Deus domini mei Abraham, si direxisti viam meam, in qua nunc ambulo, 43. ecce sto iuxta fontem aquæ; & virgo, quæ egredictur ad hauriendam aquam, audierit a me: Da mihi pauxillum aquæ ad bibendum ex hydria tua: 44. & dixerit mihi: Et tu bibe, & camelis tuis hauriam: ipsa est mulier quam præparavit Dominus filio domini mei. 45. Dumque hæc tacitus mecum volverem, apparuit Rebecca veniens cum hydria, quam portabat in scapula: descenditque ad fontem, & hausit aquam. Et aio ad eam: Da mihi paululum bibere. 46. Quæ festinans deposuit hydriam de humero, & dixit mihi: Et tu bibe, & camelis tuis tribuam potum. Bibi, & adaquavit camelos. 47. Interrogavique eam, & dixi: Cuius es filia? Quæ respondit: Filia Bathuelis sum, filii Nachor, quem peperit ei Melcha. Suspendi itaque inaures ad ornandam faciem eius, & armillas posui in manibus eius, 48. pronusque adoravi Dominum, benedicens Domino Deo domini mei Abraham, qui perduxit me recto itinere, ut sumerem filiam fratris domini mei filio eius. 49. Quamobrem si facitis misericordiam & veritatem cum domino meo, indicate mihi: sin autem aliud placet, & hoc dicite mihi, ut vadam ad dexteram, sive ad sinistram. 50. Responderuntque Laban, & Bathuel: A Domino egressus est sermo: non possumus extra placitum eius quidquam aliud loqui tecum. 51. En Rebecca coram te est,

 tolle

tolle eam, & proficiscere, & sit uxor filii domini tui, sicut locutus est Domi-
nus. 52. Quod cum audisset puer Abraham, † procidens adoravit in terram
Dominum. 53. Prolatisque vasis argenteis, & aureis, ac vestibus, dedit ea Re-
beccæ pro munere, fratribus quoque eius, & matri dona obtulit. 54. Inito con-
vivio, vescentes pariter, & bibentes manserunt ibi. Surgens autem mane, locu-
tus est puer: * Dimitte me ut vadam ad dominum meum. 55. Responderunt-
que fratres eius, & mater: Maneat puella saltem decem dies apud nos, & postea
proficiscetur. 56. Nolite, ait, me retinere, quia Dominus direxit viam meam:
dimittite me ut pergam ad dominum meum. 57. Et dixerunt: Vocemus puel-
lam, & quæramus ipsius voluntatem. 58. Cumque vocata venisset, sciscitati sunt:
Vis ire cum homine isto? Quæ ait: Vadam. 59. Dimiserunt ergo eam, * & nu-
tricem illius, servumque Abraham, & comites eius, 60. imprecantes prospera so-
rori suæ, atque dicentes: Soror nostra es, crescas in mille millia, & possideat se-
men tuum portas inimicorum suorum. 61. Igitur Rebecca, & puellæ illius, a-
scensis camelis, secutæ sunt virum: qui festinus revertebatur ad dominum suum.
62. Eo autem tempore deambulabat Isaac per viam quæ ducit ad (c) puteum,
cuius nomen est Viventis & videntis: habitabat enim in terra australi: 63. & e-
gressus fuerat ad meditandum in agro, inclinata iam die: cumque elevasset ocu-
los, vidit camelos venientes procul: 64. Rebecca quoque, conspecto Isaac, de-
scendit de camelo, 65. & ait ad puerum: Quis est ille homo qui venit per agrum
in occursum nobis? Dixitque ei: Ipse est dominus meus. * At illa tollens cito
pallium, operuit se. 66. Servus autem, cuncta quæ gesserat, * narravit Isaac.
67. Qui introduxit eam in tabernaculum Saræ matris suæ, & accepit eam uxo-
rem: & in tantum dilexit eam ut dolorem qui ex morte matris eius acciderat,
temperaret.

(a) Inf. xlvii. 29. (b) Sup. xix. 7. xxiii. 15. & xv. 18. Inf. xxvi. 2. (c) Sup. xvi. 14.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 12. *Dixit: Domine Deus*. Non scribas: *Oravit Dominum dicens: Domine Deus*.

V. 14. *Cum domino meo*. Non legendum, sed intelligendum est nomen *Abraham*.

V. 24. *Filia sum Bathuelis, filii Melcha, quem peperit ipsi Nachor*. Alii inverterunt verborum ordinem hoc modo: *Filia sum Bathuelis, filii Nachor, quem peperit ei Melcha*. Et quamquam hæc lectio clarior sit, non tamen est huius versus, sed quadragesimi septimi subsequentis.

V. 32. *Ad lavandos pedes eius*. Cave mutes pronomen singulare *eius* cum nomine plurali *camelorum*, quod est in plerisque libris.

V. 41. *Cum veneris ad propinquos meos*. Ita rectius legitur, *propinquos* ex antiquis libris, quam *proximos*.

V. 54. *Dimittite me*. Plurale legendum est, non singulare *dimitte*.

V. 59. *Et nutricem illius*. Non addas *Deboram* proprium nutricis nomen.

V. 65. *At illa tollens cito pallium*. Non subiicias pronomen *suum*.

V. 66. *Narravit Isaac*. Redundat quod quidam hic interponunt, adduntque *domino suo*.

LECTIONIS VARIETAS.

V. 52. *Procidens adoravit*. Complura manuscripta, eaque fide digna, omittunt *procidens*.

NOTATIO.

V. 24. *Filia sum Bathuelis, filii Nachor, quem peperit ei Melcha*. Alii legunt: *Filia sum Bathuelis, filii Melcha, quem peperit Nachor*. Et quamvis utriusque lectionis idem sit sensus; hæc tamen huius loci; illa vero quadragesimiseptimi versus esse cognoscitur, quando cum Hebræis, Græcis, & Chaldæis Latina exemplaria conferuntur. *Thare pater Abraha genuit Nachor, Nachor ex Melcha uxore sua ge-*

nuit

nuit Bathuelem patrem Rebecca. (Gen. XI. 27. & 29. & ibid. XXIV. 15.) Itaque quod dicitur, *Quem peperit Nachor*, intelligendum est *ipsi Nachor*, ut etiam Hebræa, Chaldæa, & Græca expresse habent. Quia vero id paulo obscurius erat, quidam ad hunc modum mutarunt: *Filii Melcha, quem peperit ex Nachor*: quidam hoc modo vitiarunt: *Filii Melcha, quem peperit ei Nachor*.

COMMENTARIA

S A.

Vers. 2. SUBTER FEMUR. Sic olim iurabatur. Vide cap. XLVII. Hieron. l. cont. Iovin. adiurasse ait in femore, id est in Christo de eius semine nascituro. Vide etiam Hieron. in Gen. & epist. CXL. Crediderim ego fuisse eo ritu significatam subiectionem eiusqui sic manum ponebat: itaque solitum fieri a servis, & filiis. Vide infra cap. XLVII.

V. 3. ADIUREM; id est, faciam iurare.

V. 10. NACHOR; id est, in qua Nachor habitabat.

V. 12. OCCURRE; id est, exaudi me, vel fac occurrere quod opto.

V. 18. ULNAM. Hebr. *manum*.

V. 21. CONTEMPLABATUR EAM. Hebraice, *Obstupebat in ea*.

V. 22. SICLOS DUOS, pro drachmas duas, ut patet ex LXX. & Hebr. nempe siclum unum communem: nam siclus Sanctuarii, drachmæ quatuor. SICLORUM DECEM. Hebr. & LXX. *decem aureorum*.

V. 23. CUIUS ES FILIA? Id antea interrogaverat, ut patet infra.

V. 27. MISERICORDIAM. LXX. *iustitiam*. Vide sup. cap. XX. & XXI. VERITATEM, scilicet promissi; quasi dicat, fideliter egit.

V. 32. DESTRAVIT; id est, clitellas detraxit.

V. 33. PANIS, id est cibus.

V. 40. IN CUIUS CONSPECTU AMBULO; id est, cui studeo placere.

V. 41. INNOCENS ERIS A MALEDICTIONE. Hebr. *Mundus eris a iuramento*, id est absolutus: quamquam etiam verti potest, *maledictione*.

V. 49. VERITATEM, idest fideliter.

V. 50. SERMO, id est res hæc; quasi dicat: A Domino factum est istud; seu, hæc est voluntas Domini. Nota, quod utuntur nomine *Iehova*: id enim erat proprium Dei Hebræorum, etsi ipsi eum non colerent.

V. 51. LOCUTUS; id est, voluit, seu vult.

V. 60. PORTAS. Vide cap. XXII.

V. 62. AUSTRALI, scilicet Geraris.

V. 63. MEDITANDUM. Chald. *orandum*.

V. 65. PALLIUM. Alii *operimentum*, vel *peplum* vertunt.

E S T I I.

Vers. 6. CAVE NE QUANDO REDUCAS FILIUM MEUM ILLUC. Nempe sciebat Abraham sibi suisque posteris promissam terram Chanaan, idcirco quod exisset de terra sua. Neque tamen contra hoc fecit Iacob, commorando ibi annis multis. Nam id fecit & fugiens iram fratris Esau, & acceptis inde uxoribus ex cognatione sua, animo in patriam revertendi; quod & fecit cum primum potuit.

V. 14. IGITUR PUELLA CUI EGO DIXERO. Signum hoc quod sibi ipsi statuisse servus Abrahæ videtur, fortis quamdam rationem habuit; sed ideo in eo non peccavit, quia non nisi devota ad Deum oratione illam reverenter sibi statuit, & alia ratio dirigendorum suorum consiliorum non occurrebat. Vide Francon. Lib. III. de Gratia Dei. Hinc & illud vers. 50. *A Domino egressus est sermo*.

V. 16. VIRGOQUE PULCHERRIMA, ET INCOGNITA VIRO. Hebr. *Virgo, & vir non cognoverat eam*. Quod ergo additur, *Et incognita viro*, non sic dictum est quasi sint quædam virgines viris cognitæ; sed posterius continet explicationem prioris. Unde & sic Vatab. versio: *Et virgo, quippe quam vir nullus cognoverat*.

V. 50. A DOMINO EGRESSUS EST SERMO: NON POSSUMUS EXTRA PLACITUM EIUS QUIDQUAM ALIUD LOQUI TECUM. Non significatur quod Dei præscientia, præordinatio, aut voluntas imponat hominibus necessitatem; sed sensus

sus est: Quoniam satis apparet sermonem egressum esse a Domino, non licet nobis repugnare. Ita loquitur & Balaam Num. XXII. XXIII. & XXIV.

V. 57. VOCEMUS PUELLAM, ET QUAERAMUS EIUS VOLUNTATEM: non utrum nubere Isaac vellet: nam adstans pridie consenserat patri dicenti: *En Rebecca coram te est, & sit uxor filii domini tui:* ipsaque munera idcirco acceperat, conviviumque simul celebrarat; sed respicit hic Scriptura ad verba quae immediate praecedunt prolata postridie, cum servus Abrahae mox voluit proficisci, & e contra fratres Rebeccae dixerunt: *Maneat puella saltem decem dies.* Super hoc ergo quaerunt Rebeccae voluntatem, utrum iam statim velit proficisci. Atque hoc modo etiam intelligit hunc locum Ambros. Lib. I. de Abraham cap. ult.

V. 63. AD MEDITANDUM IN AGRO, INCLINATA IAM DIE. Quidam meditationem hanc intelligunt contemplationem siderum, quia nimirum (uti tradunt Hebraei) edoctus erat Isaac scientiam astrorum a patre, quem e Chaldaea dicunt scientiam illam attulisse in AEgyptum, eamque AEgyptios docuisse. Sed rectius Divus Hieronymus intelligit, Isaac, ut aliis in rebus, ita in hoc Christi typum gessisse, qui exiit solus in montem orare. Nam & usque in hodiernum diem consuetudo est Iudaeis orare circa tempus vespertinum.

V. 67. ET INTANTUM DILEXIT EAM, UT DOLOREM QUI EX MORTE MATRIS EIUS ACCIDERAT TEMPERARET. Et hic Isaac typum Christi gessit, utpote qui sponsam suam Ecclesiam intantum dilexerit ut dolorem quem in sua humanitate patiebatur, ex morte matris suae, id est abiectione populi Iudaici (ex quo secundum carnem progenitus erat) amore sponsae suae temperaret.

MARIANAE.

Vers. 2. AD SERVUM SENIOREM. Vide quem praeficit ceteris, nempe maiori aetate. SUBTER FEMUR MEUM. Hodie quoque inter Iudaeos servatur ut qui iusiurandum exigit, sedeat super manum iurantis. Hoc Iudaei ipsi referunt ad circumcisionem; ac si dicat qui iurat, tam firmum fore id pactum quam circumcisionis. Hieron. ad Christum refert futurum ex femore Abrahae, per quem eo etiam tempore tacite iurarent.

V. 5. NUMQUID REDUCERE DEBEO. Hebr. *Reducens reducam:* geminatio operis complementum indicat.

V. 9. SUPER SERMONE HOC. Heb. *Super verbo*, id est, negotio hoc iuravit servus.

V. 10. IN MESOPOTAMIAM. Hebr. *In Aran naharim*, id est fluviorum, nempe Mesopotamiam. Sed *Aran*, quo primum pervenit Thare profectus de Ur Chaldaeorum, & ubi eum reliquit Abraham, quando Dei iussu abiit in Chanaan, *Haran* scribitur cum aspiratione densa, hic sine illa. Ita *Haran* est urbis nomen, *Aran naharim* totius Mesopotamiae. URBEM NACHOR, ubi Nachor habitabat.

V. 12. OCCURRE; pro, succurre, exaudi me Domine.

V. 16. VIRGOQUE PULCHERRIMA, ET INCOGNITA VIRO. Gaudet lingua Hebraea his repetitionibus, sicut & in 1. vers. de Abraham dixit: *Erat senex, dierumque multorum.*

V. 18. SUPER ULNAM SUAM. Hebr. *Super manum deposuit urnam.*

V. 20. IN CANALIBUS. Dictio הַשֹּׁקֶת *basoketh* significat lapidem cavum ubi cameli bibebant. Sept. dixere ποτιστήριον, nempe *labrum*, Noster *canalia*.

V. 21. IPSE AUTEM CONTEMPLABATUR EAM. שָׁאָה *saah admirari* potius est. Admirabatur eam, obstupebat in ea. Id etiam *contemplari* est.

V. 22. PROTULIT VIR INAURES. Hebr. in singulari *inaurem*, sed pro *inaures*. APPENDENTES SICLOS DUOS. Chal. dixit *siclum unum*. Sept. *drachmam unam*. At vox Hebraea בֶּקַע *bekah* significat Hebraeis *sicli dimidium*, nempe duas drachmas: nam quod Hieron. ait in Traditionibus, *Siclum unciae pondus*, quid sibi velit nescio. Et fortassis Noster pro drachmis duabus dixit *siclos duos*: aut siclus aureus erat unius drachmae. Quod autem addit, ARMILLAS TOTIDEM PONDO SICLORUM DECEM, idem dixit Chald. Sept. autem: *Decem aureorum pondus earum*. Hebraice ad verbum: *Decem auri pon-*

pondus earum. Noster ficlos addidit, quasi supplens quod deerat.

V. 23. LOCUS AD MANENDUM. לין *lalin*, *ad pernoctandum*, & notat Schol. Hebr. significare nocturnam mansionem, neque ultra unam noctem extendi. Pagninus *ad pernoctandum* dixit.

V. 25. PALEARUM QUOQUE ET FENI PLURIMUM. Pro fœno, Hebr. מספוא *mispho*: significat pabuli iumentorum quodvis genus: sic Sept. χορτάσματα, id est *pabula*, dixere.

V. 32. DESTRAVIT CAMELOS. Detraxit clitellas, strandi voci significatione contraria fictaque voce. Sept. ἀπέσαξε dixerunt, eodem respicientes. Hebr. significat *aperuit camelos*: quod Hebræus ad frena detracta refert, quibus os clauditur a pabulo. AD LAVANDOS PEDES EIUS: sic Hebr. *pedes ipsius*, scilicet servi Abrahæ: sic Sept. & Rom. Vulgata: Regia, & Lov. *pedes camelorum*, male.

V. 33. PANIS. Ea voce promiscue intelligitur cibus.

V. 49. MISERICORDIAM ET VERITATEM. *Beneficium cum fide*, Hebr. scilicet si facitis.

V. 50. A DOMINO EGRESSUS EST SERMO, res, negotium hoc. NON POSSUMUS EXTRA PLACITUM EIUS QUIDQUAM ALIUD LOQUI TECUM. Hebr. *Non possumus tibi loqui bonum vel malum*. Eadem sententia: non possumus ad verba tua quidquam addere.

V. 51. SICUT LOCUTUS EST DOMINUS; id est, sicut voluit, sic fiat.

V. 53. DONA OBTULIT. מגדנות *migdanoth*, vox Hebraica quibusdam significat *fructus suaves*. Aven Ezra ait fuisse vestes pretiosas: radix est *meghed* מֶגֶד cuius significatio perspicua non est. Hieron. Deut. XXXIII. 13. pro ea voce *poma* posuit bis aut ter. Alii *delicias* vertunt. Quæ significatio huic loco quadrat; quasi dicat, delicias obtulit, munuscula cognatis Rebeccæ.

V. 54. SURGENS AUTEM MANE. Vide diligentiam: unica nocte quiescit, & sub auroram proficisci satagit.

V. 55. MANEAT SALTEM DECEM DIES. Hebraice, *Maneat nobiscum diebus vel decem*. Hebræi fere per *dies* intelligunt annum, per *decem* menses decem. Sed cum nullo exemplo confirment, facile reiicitur: ac melius Noster coniunctionem *vel*, quod Latine etiam fit, sumpsit pro *saltem*: *Maneat dies saltem decem*. Chald. *Maneat puella aliquo tempore, aut decem mensibus*.

V. 62. IN TERRA AUSTRALI. In Geraris habitabat Isaac.

V. 63. EGRESSUS FUERAT AD MEDITANDUM. Vox שוח *suah* potest significare *versari inter arbores*: nam שיחים *sihim* etiam *arbores* significat; & hoc secuti sunt Sept. & plerisque Hebræis ea significatio placet. Significat aliquando etiam *orare*, seu *meditari*, *summissa voce loqui*, ut faciunt meditantes; quod secuti sunt Hieron. & Chald. Hieron. dixit *ad meditandum*, Chald. *ad orandum*. Et sane qui se implicat coniugio, prius debet meditationi & precibus vacare, ne labores imparatum inveniant.

V. 65. PALLIUM. Alii *operimentum*, aut *peplum* vertunt. Vox Hebraica צעיף *zahiph* significat *velum quo se mulieres operiunt*: Hebr. Schol. Vide hoc capite signum bonæ indolis, in hospites promptam & paratam benignitatem.

MALVENDAE.

Vers. 1. BENEDIXERAT EI: fortunaverat, locupletaverat, auxerat, felicitaverat. IN CUNCTIS. Heb. singulariter interpretor, *in omni*, pleniore sensu, quem Hispanice scite repræsentamus, *en todo*.

V. 2. SENIOREM DOMUS SUAE. Heb. *senem domus suæ*. Observant, nomen זקן *zekan*, *senex* in statu regiminis, ut hic ponitur, quando de publicis personis dicitur, non tam senes ætate significare, quam publicas personas in administratione, cum œconomica, tum politica, aut ecclesiastica constitutas: quare dignitatis, & officii publici potius nomen esse, quam ætatis; quamquam illi ad rerum administrationem adhiberi soleant qui senes sunt, & longam habent multarum rerum experientiam: unde quia senes apti sunt ad gubernacula, inde senis nomen transfertur ad eos qui rebus admoti sunt, qui senili prudentia præstant, quamvis ætate senes non sint. Propterea communiter reddi per seniorem, qui aliis etiam ætate senioribus anteponitur, propter publici ministerii dignitatem, quo fungitur. Sic Græci

gerontes, & Latini *senatores* dixerunt. Presbyter in novo testamento dicitur. Sic hic *senem domus suæ*, id est œconomum, procuratorem, dispensatorem, præfectum domus, cui cura rerum domesticarum commissa erat. Sed ego simpliciter interpretor, grandem natu, antiquum & vetustum famulum domus, & familiæ. Unde hic quidam reddunt: *Ad servum inveteratum domus suæ*, qui consanguinates eius optime noverat. Hunc fuisse Damascum Eliezer, e cap. xv. vers. 2. plerique annotant. FEMUR. ירך *iarech*, *femur* dictum volunt a רכך *racach*, *tenerum esse*, quod sint illæ corporis partes circa seminalia & lumbos tenerrimæ. Alii cum ארך *arach*, *prolongatus fuit*, conferunt, nempe pars crassior in utroque latere hominis iuxta testiculos ac genitalia, a lumbis usque ad genua tendens instar caudicis, seu caulis oblongi. Inde interdum transfertur ad significandum *latus*, maxime aliarum rerum ab homine (nam cum de homine dicitur, proprie semper accipitur pro femore) quod femora sint in latere: item *caudicem*, seu *hastile*. Mirus est hic ritus iurandi, ponendo manum sub femore. Quidam id subiectionis servi ad herum symbolum esse volunt, quod qui in alterius potestatem & ministerium ingrediebatur, manum sub femore ponebat; quasi herus manui, id est operibus, & functionibus servi insedere, & dominari deberet. Alii, quia tunc agebatur de quærenda uxore filio, & de rebus genitalibus, tangendo partes illas femoris præcipua generationis instrumenta, iuramento astringebatur servus, ut totum illud negotium genitale fideliter & diligenter exequeretur. Plures volunt, totum id tributum mysterio, & fidei nasciturı ex femore Christi. Femur in Scripturis generationis & sobolis principium dicitur. Genes. XLIX. 10. Exod. I. 2. Notant Hebræi hunc ritum iurandi usurpatum quoque Indis, & AEthiopibus. Iosephus: *Modus vero devinciendi fuit talis: subditis alter alteri manibus sub femora, Deum ita testem invocabant eorum quæ destinaverant*. Vide similem ritum infra cap. XLVII. vers. 29.

V. 6. CAVE. Heb. *Serva tibi*, *Custodi tibi*. Elegans Hebraismus, & Hispanismus, *Guardate*.

V. 8. NON TENEBERIS. נקה *nakah*, proprie est *vacuum*, *vacuatum*, *purum*, *mundum*, *absolutum esse a culpa*, *aut pœna*, *aut ab alia quavis re*, *non esse obnoxium*; & quod Noster docte dixit, *non teneri*.

V. 10. CAMELOS. גמל *gamal*, *camelus*, vel *gamelus*, facta voce ex Hebraica, a lactatione nomen habet, quod *dulcissimum lac ab hominis*, *camelinum*, inquit Plinius Lib. XXVIII. cap. IX. Multa huius animantis mentio in sacris litteris, quod eius frequens usus in illis orientalibus regionibus. Plinius Lib. VIII. c. XVIII. *Camelos inter armenta pascit oriens*, *quorum duo genera*, *Bactriani*, & *Arabici*. Arabicorum usus in Chananæa. Varro Lib. IV. de lingua Latina, cap. XX. *Camelus suo nomine Syriaco in Latinum venit*. EX OMNIBUS BONIS EIUS PORTANS SECUM. Heb. *Et omne bonum domini sui in manu eius*. Quidam istud per parenthesim interiectum putant; quasi dicat: Servus ille totam domum gubernabat, & quæque optima & pretiosa domus in manu, seu facultate & potestate eius erant: ut non mirum sit, si camelos decem, & alia quæcumque voluit, secum asportarit. Alii: *Secum in manu detulit de pretiosissimis quibusque domini sui*: quem sensum expressit Noster, & versus 22. confirmat. AD URBEM NACHOR, nempe Aran, seu Charras, e cap. XI. vers. 3. & cap. XXVIII. vers. 10. quod etiam Iosephus annotavit.

V. 11. CUMQUE CAMELOS FECISSET ACCUMBERE. Heb. *Et genuflectere*, *genicuları*, *acclinare*, *accubare fecit camelos*. Aristoteles Lib. III. Historiæ Animalium, cap. VI. *Habent cameli præterea inferne gibbum alterum similem superiori*, *quo reliquum fulcitur corpus*, *ubi genua submittit*. Vide Plinium Lib. VIII. cap. XVIII.

V. 14. PUELLA, CUI EGO DIXERO, &c. Notant, rei eventum declarasse, non superstitiosa divinatione, sed divino instinctu motum fuisse servum ut sibi signum hoc proponeret ad fidem suam confirmandam. Simile est de Ionathane & armigero, I. Samuel. XIV. vers. 9. & 10. Simile etiam quod de Gedehone legitur Iudic. VII. vers. 11. & sequentibus: nisi quod expresse Gedehoni dicitur a Deo propositum signum, hic non exprimitur. HYDRIAM. כד *cad* tredecim locis in Scriptura reperitur, & Noster semper secutus Græcos, *hydriam*, seu *lagenam* vertit: alii consona Hebraica voce, *cadum* exponunt. Qui rem vascularıam executi sunt, cadum, apud veteres figura turbinata, id est cono, & strobylo, & nuci pineæ

neæ simili describunt. Vas vinarium fuisse ex Nonio cap. XIX. disces. Quidam inepte a לכד *lacad*, id est *capiendo* deducunt. Vas esse testaceum, ex Iudicum VII. 20. apparet. IPSA EST QUAM PRAEPARASTI. Hebræum verbum יכח *iacach*, volunt habere hic singularem & extraordinarium modum significandi: redduntque: *Hanc correxisti servo tuo Isaaco*; id est, disciplinasti a puera, instituisti disciplina. Alii, *Hanc adiudicasti*. Nonnulli, *Hanc arguisti*, id est, certis argumentis ostendisti; vel *Hanc disputasti*, deputasti: certis rationibus; causis, argumentis, designasti. Sic infra vers. 44. Nec desunt, qui exponant: *Eam ipsam certissime explorasti servo tuo*, &c.

V. 15. REBECCA. Heb. רבקה *Ribkah*. Sic dicta quasi iuvenca, saginata, nitida, expolita. Vide II. Samuel. III. vers. 5.

V. 16. VIRGO. בתולה *betbulah*, *virgo*, etiam matura viro, & plenis nubilis annis; integra tamen, intacta, & incorrupta viro. Differt a נערה *nagharah*, *excussa*, *puera*: & ab עלמה *ghalmah*, *adolescentula*, *abscondita*: quod hæc duo nomina proprie sunt ætatis, at *Bethulah*, conditionis, & virginitatis: indicat enim virginem, & incorruptam, ac viro intactam, & inexpertam.

V. 17. PAUXILLUM AQUAE MIHI AD BIBENDUM PRAEBE. Verbum גמא *gimme* tantum hic reperitur in Hiphil, quod Noster dixit, *Ad bibendum præbere*, & in Piel semel tantum in Iob XXXIX. 24. ubi Noster *sorbere* transtulit. Hic varie reddunt: *Sorbere*, *absorbere me fac*, *quæso*, *parum aquarum de cado tuo*. Alii: *Refrigera me*, *obsecro*, *exiguo aquarum de cado tuo*. Nonnulli: *Fac me mundare pauxillo aquæ*, vel *fac me alluere*. Aliqui: *Propina mihi*, *quæso*, *pauxillum aquæ*. Observant verbum *gimme*, significare *in rem aliquam impetum facere sive siccam sive humidam*: unde hic vertunt: *Imbibere me fac*, *quæso*, *parum aquæ de cado tuo*. Et intelligendum esse non de imbibitione in os, sed de imbibitione in quantitatem aquæ; quasi dicat: Impetum me facere fine in parum aquæ, vel immergere me fac. Alii aiunt, *gimme* proprie esse *inundare*, *exundare*, *fluctuare*, *alluere*; & metaphorice, *impetere*, *incutere*; perinde ac unda alluendo impetit, & atterit ripas: ut cognationem habeat cum אגם *agam*, *stagno*, *copia aquarum*: redduntque: *Inunda me*, *impetere me fac*, vel *allue*, *prolue me*: ut Virgilius:

.... *& pleno se proluit auro*.

Nec desunt qui: *Ingurgitare fac me parum aquæ*. Tam belli, & ridiculi sunt etymologici, qui hac ratione ex cælo facient cucurbitam.

V. 21. CONTEMPLABATUR EAM. משתאה *mischteh*, participium præsens masculinum Hithpahel, varie exponunt: *Stupens*, *irruens*, *obruens*, *conquassans sese*, *attonitus*, *desertus*, *destitutus*, *desolatus ei*, vel *ad eam*, vel *de ea*: quidam, *collisus*, *devastatus in eam*. Proprie est *magno impetu*, *irruptione*, *fragore*, *trepitu collidi*, *concuti*, *obrui*. Hispanice, *estava atronado*. Nec alibi in Hithpahel invenitur. TACITUS. Participium masculeum præsens ex Hiphil מחריש *macharisch*, hæc omnia complectitur: *silens*, *cogitans*, *machinans*, *arans*, *fabricans*, *cessans*. PROSPERUM ITER SUUM FECISSET. צלח *tzalach*, in Hiphil, ut hic ponitur, omnia ista continet: *an prosperavit*, *secundavit*, *promovit*, *scidit*, *fidit*, *perrupit*, *pervasit* IHUH *viam suam*. Hispanice: *Si Dios le abrio camino*, *le rompio el camino*.

V. 22. INAUREM. נזם *nezem*, Noster secutus Græcos Interpretes, & plerique nostrorum ab אזן *ozen*, *auris* deduxerunt, inauremque reddiderunt; sed nedum aurium, sed frontis, nasi, aut faciei fuisse ornamentum e Prover. XI. 22. Isaiæ III. 21. Ezechielis XVI. 12. & hic vers. 47. manifeste liquet. Quidam litterarum methathesi a זנה *zonah*, vel a זנה *zanah* addito *Mem* finali deducunt, quæ sunt verba *merendi*, *meretricandi*, *prostituendi*; quasi *nezem* generaliter fit ornamentum, quod publice vel in fronte, vel in naribus, vel in auribus prostat, aut prostituitur causa emerendæ & quærendæ sibi bonæ gratiæ. Unde Chaldæi Interpretes plerumque vertunt קדשה קדש *kadesch*, *& kedeschah*, a verbo quod *sanctitatem*, & *meretricationem* sonat. Id quoque putare cum præceptore suo Angelo Caninio, Forerius ait; sed cum ipsa Forsteri verba transcribat, uterque ab eo acceperunt. Quanto prudentius Mercerus ait: *Sed cum etiam sanctissimas feminas legamus hoc ornamenti genere usas*, *absit ut ab impudico verbo illud deducamus*. *Monile in genere vertere licebit*. Vultus tantum fuisse, non reliqui corporis, idem existimat. Sedecies in Scripturis ponitur, & Noster ubique *inaures* exponit: nisi Proverb. X. I

22. ubi *circulum* dixit, & Isaiæ III. vers. 21. *gemmas*. Hispanice appellamus *cercillos*. *Viriolas* quidam hic imperitissime reddunt. APPENDENTES SICLOS DUOS. Hebr. בקע משקלו *bekagh mischkalo*. Vox *bekagh* bis tantum occurrit in Scriptura. Hic Noster *duos siclos* reddidit: Exod. XXXVIII. 26. penitus omisit, ut ibi videbimus. Aiunt significare *dissectum*, *fissum*, seu *dissectionem*, *fragmentum sicli*, id est dimidium sicli, seu dimidiam partem sicli. משקל *mischkal* vero exponunt *librationem*, *libramentum*, *pondus*, *libram*. Unde omnes fere, Hebræos sequuti, hic reddunt: *Dimidium sicli pondus eius*, vel *pondere suo*: alii, *Semissis pondus eius*. Firmant hanc interpretationem quæ in Exodo scripta habentur: nam quod cap. XXX. 13. 15. dicitur, *dimidium sicli*: ita exponitur cap. XXXVIII. 26. *Bekagh in singula crania, dimidium sicli in siclo sanctuarii*: ubi perspicue demonstrat vocis *bekagh* significationem, nempe *dimidium sicli*: quamvis Noster totum illum versum Hebraicum omiserit interpretari: nec enim extat in Editione vulgata ut ibi dicemus. S. Hieronymus quoque in Traditionibus hæc habet: *Et tulit vir inaurem auream, didrachmum pondus eius. Bekagh, quod in hoc loco pro didrachmo scribitur, semiuncia est; sekel vero, qui Latino sermone siclus corrupte appellatur, unciæ pondus habet*. Locum hunc Heronymi non esse corruptum, illud argumento est, quod ita eum etiam descripserunt S. Eucherius, & S. Isidorus, uti vidimus supra cap. XIII. vers. 16. Perspicue hic Hieronymus *bekagh* semiunciam, seu dimidium sicli interpretatur; & siclum unciæ pondus habuisse affirmat, reclamantibus passim siclis argenteis vetustissimis, qui hodieque extant, qui paulo plus semiuncia continent. Unde putant hallucinatum Hieronymum. Sed cur Noster *siclos duos* dixit, ipse non eruo. Forsan siclos dimidiatos intellexit, ut quælibet inauris dimidum sicli, ambæ duæ duos dimidios siclos appenderint. Multa hic alii afferunt. Qui בקע *bekagh* nomen esse mensuræ peculiaris, seu ponderis nobis ignoti, fatentur, non imprudenter faciunt. ET ARMILLAS. צמיד *tzamid*, proprie *coniugatura*, *colligatura*, *alligatura*, Numeror. XIX. 15. Inde *armilla*, *brachiale*, *viriola*, quæ coniugata, & colligata est ad manum, vel brachium. Hispanice *braçaletes*, *exorcas*, *manillas*. Glossæ veteres: *Viriola*, *clanion*, *pselion*, *viriolæ*, *clania*, *pselia*, *pericheria*. Et rursus: *Klanion*, *brachiolion* χειραυλός, *viriola*. Item: *Pselion*, *viriola*, *armilla*, *brachionarium*. Insuper: *Armillæ*, *brachionisteres*. Denique: *Brachiolion*, *viriola*. Glossæ Isidori: *Viria*, *viriola*, *brachiales*. Aliæ Glossæ: *Viriæ*, *viriale*, *brachiale*. Plinius Lib. XXXIII. cap. III. *Ut habeant in lacertis iam pridem viri aurum*; *viriæ Celticæ dicuntur viriles Celtibericæ. Habeant feminæ in armillis digitisque totis*, &c. Festus: *Armillas ex auro, quas viri militares ab imperatoribus donati gerunt, dictas esse existimant, quod antiqui humeros cum brachiis armos vocabant; unde arma ab his dependentia sunt vocata*. S. Isidorus Lib. XIX. Originum, cap. XXXI. *Armillæ autem proprie virorum sunt collatæ victoriæ causa militibus ob armorum virtutem. Unde & quondam vulgo viriliæ* (forte viriolæ) *dicebantur. Ab intellectu autem circuli armilla non discrepat, quia ipsa quoque hoc ubi ponitur, ambiendo constringit; sed quando armilla latius extenditur, circulus rotundus fit*. S. Ambrosius hic *virias* dixit; qua voce, eodemque significato usus est Tertullianus cap. IV. de Pallio ubi novi Tertulliani editores imperitissime & ineptissime, pro *viria*, *birrus* restituere conantur. Noster, cum vox *tzamid* septies tantum in Scriptura legatur, semper *armillam* vertit, nisi Numer. XIX. 15. ubi *operculum* dixit. PONDO SICLORUM DECEM. Hebr. *Decem auri pondus earum*. Observant cum aurum adiuncto numero ad pondus, vel nummorum rationem significandam usurpatur, siclorum pondere, & pretio explicandum esse: quod erudite Noster fecit hic, & Iudic. VIII. 26. Ergo hic summa, & æstimatio erit XL. scutorum aureorum Hispanicorum.

V. 25. PALEARUM. תבן *theben*, deducunt a בנה *banah*, *ædificare*, & sic dici, quod præterquam in pascendis equis, asinis, camelis, pecoribus, etiam eius in cæmentis, & luto, atque in urendis lateribus maximus usus fuerit, quibus domus & ædificia construebantur: *stramen*, *stramentum*, *paleam* reddunt. ET FENI. מספוא *mispho*, quinquies in Scriptura legitur. Noster ter *fenum*, & bis *pabulum* vertit. Derivant a ספה *sephah*, *addere*, quod sit omne pabulum iumentorum, quod stramini seu paleis addebatur, & admiscebatur. Hebræi aiunt esse

se omne pabulum aut cibum iumentorum præter paleam, ut hordeum, avenam. Quidam migma, seu mixtionem esse volunt, quod Hebræis בליל *belil* dicitur, Isaiæ xxx. 24.

V. 27. ET VERITATEM SUAM. אמת *emeth*, *fidem*, *certitudinem*, *constantiam*, *veritatem*, *simplicitatem*: & opponitur opinioni, falsitati, mendacio, hypocrisi; id est, opponitur proprie operibus quæ non ex vero, recto, & simplici corde fiunt. Differt ab אמונה *emunah*, sicut opus virtutis a virtute, & sicut opus a voluntate, a qua profectum est. Nam *emunah* est *fides*, seu *cordis assensus*, seu ipsa *persuasio*, *qua quis alterius dictis fidem adhibet*; at *emeth* est *ipsum opus a fide & assensu emanans*. ET RECTO ITINERE ME PERDUXIT. Hebr. *Ego*, *in via deduxit me*. Illud *ego* volunt tantum expletivam esse particulam, quæ sensum augeat: *Me in via*, *me*, *inquam*, *deduxit*. Sic infra cap. XXVII. vers. 34. Quidam: *Me*, *me*, *inquam*, *hac eadem via*, scilicet benignitatis & fidei, de qua paulo ante, *deduxit Iehova*; quasi dicat: Tam benigne mecum egit atque fideliter quam egisset cum domino meo, si hoc iter suscepisset.

V. 31. PRAEPARAVI. Sic verbum פנה *phinnah* in Pihel reddere solet Noster. Sed Levitici XIV. 36. *efferre*, & Sophoniæ III. 13. *avertere*; quæ est genuina significatio. Per *evacuare*, vel *repurgare* alii convertunt: unde hic exponunt: *Et ego avacuavi*, *repurgavi domum meam*. Melius: *Amovi*, *extuli*, *everti domum meam*; id est, extuli quæ in ea erant, rem domesticam, & alia impedimenta, & alio averti, ut tibi vacua & libera maneat. Vel *ego expedivi domum meam*. Propius meo iudicio reddes: *Et ego faciavi domum meam*; id est, faciem, decorem, ornatum ei dedi, ornavi, & apparavi eam, conspicuam eam reddidi. Vide in Isaiæ XL. vers. 3. Hispanice, *E' desembaraçado la casa*. Quidam explicant: *Ego verti domum*, verrendo, mundando scopis, removendo impedimenta. Nec est dubium Christum hoc usum verbo Lucæ xv. 8. quod Lucas per evertere transtulit. Nec multum a verbo Christi aberrabant qui olim ibi legebant, *Et evertit* vel *vertit*, id est verrit domum.

V. 32. DESTRAVIT. Pulchre vim verbi Hebraice explicavit, quod est *aperuit camelos*; id est, illis stramenta, quibus conclusi & colligati tenebantur, sustulit, detraxit clitellas camelis, ut liberius requiescerent, & accumberent.

V. 38. SED Heb. *si non*. Hispanica phrasis, *si no*, id est sed.

V. 41. A MALEDICTIONE MEA. אלה *alah* aiunt proprie esse *adiurationem*, *coniurationem*, *iuramentum*, *quo quis cum imprecatione*, *maledictione*, *devotione mali*, *astringitur ad servandum pactum*, *vel iuramentum*, *cum alterius partis*, *quæ iuramentum aut pactum violat*, *devotione*, *seu imprecatione*. *Deierationem*, *iuramentum execratorium*, *devotorium* exponunt.

V. 50. RESPONDERUNTQUE LABAN ET BATHUEL. Hebr. *Et respondit Laban*, *& Bethuel*, *& dixerunt*: primum verbum, *respondit*, singulare, secundum plurale, *dixerunt*. Et singulare tribuitur filio, qui hic præponitur patri, in assensu coniugii præbendo, & in conficiendo negotio, nimirum quod vir esset impiger & alacer, rerum peritus, industria, & prudentia præstans, cui pater curam administrandæ familiæ dereliquerat: fortasse quia ipse pater senio, aut valetudine impeditus. Laban quidem prudentia valuisse in administranda re familiari, ex historia rerum cum Iacob gestarum cap XXIX. facile intelligitur. Unde hic dux verbi fuisse videtur: nec patris Bathuel amplius ulla mentio.

V. 53. DONA. מגדנות *migdanoth* quater tantum in Scriptura legitur. Noster hic *dona* reddidit, II. Paralipom. XXXII. 23. *munera*, II. Paralipom. XXI. 3. *pensitationes*, I. Esdræ I. 6. *supellectilem*. Quidam conferunt cum nomine עדן *gheden*, & cum eius derivativis, seu denominativis, מערנית מערנים *maghadannim*. & *maghadannoth*, quia, ut habent litteras Gimel, & Ghain eiusdem potestatis ac prolationis, ita etiam eiusdem esse significationis, ac proprie denotare *voluptuaria*, *voluptuosa*. *oblectamenta*, *bellaria*, *delicias*. Neque derivari volunt a nomine מגד *meghed*, neque habere aliquid cum ipso commune. Hebræi censent, *migdannoth* significare quæcumque pretiosa & optima tam in fructibus, quam in auro, argento, lapidibus pretiosis, gemmis, vestibus, &c. Alii volunt esse generaliter, quidquid in re quapiam eximium, optimum, præstantissimum, ac pretiosissimum est, & veluti in deliciis habetur; liben-

terque per delicias, delicata, suavia, nobilia, excellentia, exquisita vertunt. Atque in opibus id esse putant, quod Græci *cimelia* vocant, quæ sunt pretiosa quæque & exquisita, quæ ex thesauris, & supellectili pro munere hospitibus, & amicis dantur. Nonnulli existimant *migdannoth* esse *bellaria*, *dulcia*, *delicata* ex pomis medicis & citreis, vel aliis optimis terræ fructibus, saccharo, aut melle confecta, quæ odorem, succum, & saporem suavissimum & excellentissimum referant. Hispanice *confituras*, *regalos*. Addunt alii, esse etiam vasa ex citro confecta, id est citrea, quæ olim in magno pretio fuere: inde citreæ mensæ Plinio, Martiali & aliis tantopere celebratæ, quæ cum aureis certarent. Mirum voluisse quosdam, *migdannoth* dici tantum de fructibus terræ: quod loco II. Paralipom. XXI. 3. minime convenit. Hic vero quidam reddunt: *Et voluptuaria dedit fratri eius*, & *matri eius*: alii, *Et bellaria dedit*, &c. nonnulli, *Delicata*, seu *dulces fructus*, de terra Israel: aliqui, *Res pretiosas*, seu *de fructibus terræ præstantissimis*: ridicule hic aliqui, *Et poma dedit fratri eius*. Iosephus videtur exponere dona rara, vel numquam antea visa. Nos *cimelia* diximus, quæ scriptoribus Latinis mediæ ætatis non raro usurpata; & in Glossis, κειμήλιον *cimelium*.

V. 55. SALTEM DECEM DIES. Heb. *dies*, *aut denarium*. Hebræorum nonnulli exponunt *annum*, vel *decem menses*: annum enim tunc dari solitum autumant desponsis puellis, ut sibi necessaria nuptiis ornamenta curarent. Vide Scaligerum Lib. III. Isagogicorum Canonum pag. 171. Sic sumi *dies* pro anno Levit. XXV. vers. 29. & alibi, observant. Alii reddunt, *Aliquot dies*, *saltem decem*, vel *saltem decadem*, rum scilicet.

V. 62. IN TERRA AUSTRALI. S. Hieronymus: *Terra austri Geraram significat: unde a patre ad immolandum quondam fuerat adductus*. Prope Bersabee.

V. 63. AD MEDITANDUM IN AGRO. שׂוּחַ שִׂיחַ *suach*, vel *siach* conferunt cum verbo שָׂחָה *sachah*, *natare*, & aiunt esse generaliter natare, seu versari in materia spatiosa & ampla, in mente, corde, ore, vel elocutione, idque secum vel cum alio. Unde universe exponunt quidquid e corde vel ore enatat, ut sunt meditationes, colloquia, disputationes, preces, orationes, querelæ, obmurmurationes, mussitationes: & generaliter sumi aiunt pro negotio & occupatione quæ in ore, vel in corde est assidue. Varie vertunt pro loci & sententiæ exigentia. Hic quidam, *Ad orandum*: alii, *loquendum*, nempe cum agricolis, & operariis diurnis: nonnulli, *Ad confabulandum*: Hebræorum aliqui, *Ad virgultandum*, vel *frutificandum*, *a* שִׂיחַ *siach*, *arbustum*, *frutex*: nimirum ut deambularet, & spatiaretur inter virgulta & arbusta: forsan ut agrum arbustis fruticibus, & virgultis repurgaret; seu putaret virgulta, & arbores, vel per se, vel opera & ministerio servorum. Nec desunt qui, *Ad philosophandum*, seu *studendum*: non nemo, *Ad exercendum sese*: Noster optime, *Ad meditandum*. Meditari Latinis scriptoribus etiam pro *exercere*, Plauto, Virgilio: unde meditationes armorum. Item pro *discere*, & *perdoceri*, apud Nonium, cap. IV. Noster id verbum in Hiphil, per *exercere* vertit Psalm. CXVIII. 78. Nec aliene reddes, *Ad conferendum*, nempe meditata, vel studia, vel preces. Erant enim Patres astronomiæ peritissimi. INCLINATA IAM DIE. Hebr. *Ad aspicere ad vesperam*; id est, cum respiceret vesperam sol, quo tempore sol ingrediebatur thalamum suum, & terras, seu maria subibat. Apte expones, *Ad vertere se vesperam*; id est, cum vespera se verteret, & terras aspiceret. Alii ad Isaac referunt, quod exierit ad aspiciendum cælum, & stellas sub vesperam, quod esset gnarus astrologiæ.

V. 65. PALLIUM. צָעִיף *tzaghiph* ter tantum in Scriptura ponitur: hic Noster, *pallium*, Genes. XXXVIII. 14. *theristrum*, ibidem vers. 19 *habitum*: LXX. semper *theristrum* dixerunt. S. Hieronymus in Traditionibus: *Theristrum pallium dicitur*, *genus etiam nunc Arabici vestimenti*, *quo mulieres provinciæ illius velantur*. Et in III. Isaiæ, ad vers. 23. *Theristra*, *quæ nos palliola possumus appellare*, *quibus obvoluta est Rebecca*, & *hodie quoque Arabiæ*, & *Mesopotamiæ operiuntur feminæ*: *quæ dicuntur Græce theristra*, *ab eo quod in theri*, *hoc est in æstate*, & *caumate*, *corpora protegant feminarum*. Eadem habet S. Isidorus Lib. XIX. Originum, cap. XXV. Pollux quoque & Suidas, theristrum æstivum vestimentum definiunt. Alii hic *calyptram*, *linteum*, *sindo-*

donum, peplum, pallam, flammeum, velum, exponunt.

MENOCHII.

Verſ. 1. IN CUNCTIS BENEDIXERAT EI. Deus eum bonorum ſpiritualium & terrenorum affluentia cumularat.

V. 2. SERVUM SENIOREM, Eliezer procuratorem domus ſuæ. SUBTER FEMUR MEUM. Hodie quoque inter Iudæos ſervatur ut qui iuſiurandum exigit, ſedeat ſuper manum iurantis. Hoc Iudæi referunt ad circumciſionem; ac ſi dicat, qui iurat tam firmum fore id pactum quam circumciſionis. Hieron. & alii ad Chriſtum referunt futurum ex femore Abrahæ, per quem etiam eo tempore tacite iurarent. Vide D. Hieron. I. contra Iovin. & Epiſt. CXL. Emmanuel Sa putat fuiſſe eo ritu ſignificatam ſubiectionem eius qui ſic manum ponebat: itaque ſolitum fieri a ſervis, & a filiis. Vide infra cap. XLVII.

V. 3. ADIUREM, iurare te faciam, ut eſt in Hebræo.

V. 4. AD TERRAM MEAM. In Haran ad domum Nachor fratris mei. COGNATIONEM MEAM, familiam Nachor, quæ Deum cæli colebat, ſed cum idolis.

V. 6. CAVE NE QUANDO REDUCAS FILIUM MEUM ILLUC. Nam Deus non Meſopotamiam, ſed Chananæam eius ſemini promiſerat.

V. 7. DE DOMO PATRIS: de Haran, ubi mortuus Thare. TERRA NATIVITATIS, de Ur Chaldæorum. ANGELUM SUUM. Etiam Hebræi credebant, a Deo cuſtodes Angelos dari hominibus.

V. 8. SIN AUTEM NOLUERIT. Certus erat ipſe, ſed dubitationi ſervi reſpondet.

V. 9. SUPER SERMONE HOC: promiſit fideliter ſe iuſſa completurum.

V. 10. EX OMNIBUS BONIS: præcipua quædam ex ſingulis bonorum generibus. URBEM NACHOR, Haran, ubi Nachor habitabat a Berſabee, ubi tunc erat Abraham ſeptem vel octo dierum itinere diſtantem.

V. 12. OCCURRE: fac ut ſe mihi offerat quod peto. LXX. *Proſperum fac mihi occurſum.*

V. 13. ECCE EGO STO. Non dubitabat de promiſſo, ſed de ſeipſo, ne ut indigno Deus non daret inſtinctum, & cognitionem peculiarem eius quam vellet Iſaaco uxorem. Non tentat Deum, a quo motus fuerat, ſignum petendo: & quicquid in ſigno incertum eſt, totum divinæ providentiæ innititur, & promiſſis Abrahæ a Deo factis. Notandum etiam cum D. Chryſ. & aliis, ſignum quod ſtatuit hic ſervus, congruum fuiſſe: erat enim ſignum bonæ uxoris, & indolis affabilis, hoſpitalis, providæ, & ſtrenuæ. FONTEM. Scriptura fontis, & putei nomine promiſcue utitur.

V. 14. IPSA EST. Quæſo Domine, futura Iſaac uxor, hæc faciat, & dicat.

V. 15. NECDUM INTRA SE VERBA COMPLEVERAT. Nota quam prompte hos Deus exaudiat.

V. 16. INCOGNITA VIRO: caſta, & incorrupta corpore, & mente.

V. 21. CONTEMPLABATUR EAM TACITUS: attonitus perpendebat non ſpeciem tantum, ſed officioſitatem, ſedulitatem, caritatemque, & iam domino ſuo dignam iudicabat.

V. 22. INAURES AUREAS APPENDENTES SICLOS DUOS. Siclos minores duos, nam etiam dimidiatus ſiclus vocatur ſubinde ſiclus. Itaque unaquæque inauris appendebat drachmam unam, ut habent LXX. Hebr. & Chaldæus textus. ARMILLAS PONDERE SICLORUM DECEM. Idem dixit Chaldæus. LXX. autem: *Decem aureorum pondus earum*: Hebræa ad verbum: *Decem auri pondus earum*: Noſter ſiclos addidit, quaſi ſupplens quod deerat.

V. 27. MISERICORDIAM, ET VERITATEM. Solent hæc duo Hebræi coniungere: Senſus eſt, miſericors pollicendo, verax præſtando.

V. 28. IN DOMUM MATRIS: in eam domus partem ubi mater cum puellis degebat, more Hebræorum, & Orientalium omnium, quibus virorum, & feminarum una in domo diſtinctæ habitationes.

V. 30. CUMQUE VIDISSET INAURES. Prius vidit inaures in manu ſororis, deinde egreſſus eſt ad ſervum Abraham.

V. 31. BENEDICTE DOMINI: Deo dile-

dilecte, & gratiose, cui Deum favere cerno, & ut porro faveat, opto.

V. 32. DESTRAVIT: sarcinas detraxit, deposuit.

V. 33. DONEC LOQUAR SERMONES MEOS: nisi prius exposuero legationis meæ summam, nisi exposuero cuius rei gratia huc missus sim.

V. 35. BENEDIXIT DOMINO MEO VALDE: supra modum ditavit. MAGNIFICATUS. LXX. *Exaltatus est*.

V. 41. INNOCENS ERIS A MALEDICTIONE. Promiscue vocat iuramentum, & maledictionem, quia in fine iurisiurandi addebatur imprecatio: Si fidem fefellero *hæc faciat mihi Deus*, & *hæc addat*. SUSPENDI, dedi, ut cum vellet posset suspendere.

V. 49. UT VADAM AD DEXTERAM, SIVE AD SINISTRAM; quasi dicat, ut hinc discedens ubi potero aliam uxorem quæram.

V. 50. LABAN, ET BATHUEL. Præponitur Laban patri, quia, ut ferventior, prævenit promittendo, & pater dictum eius ratum habuit. Nec mirum prævenisse, quia fortasse pater iam senex robusto filio curam totius familiæ commiserat. A DOMINO EGRESSUS EST SERMO: voluntas Dei hæc est.

V. 51. CORAM TE EST: in manibus tibi traditur abducenda. LOCUTUS EST DOMINUS, signo quo voluntatem suam declaravit.

V. 53. VASIS, mundo muliebri, & alia suppellectile: sic enim Hebræi vocant vasa musica, vasa bellica, vasa mortis: ipsa quoque corpora, eorumque membra dicuntur vasa.

V. 57. QUAERAMUS IPSIUS VOLUNTATEM: non de nuptiis cum Isaaco, in has enim Rebeccam iam consensisse colligitur ex num. 51. 53. 54. & 55. sed de discessu a parentibus, & profectione ad Isaacum.

V. 60. SORORI, consanguineæ: nam ad convivium cognati multi vocati fuerant, qui ab Hebræis fratres appellari consueverunt. CRESCAS IN MILLE MILLIA: plurimam posteritatem Deus tibi tribuat.

V. 61. PUELLAE ILLIUS, ancillæ in dotem datæ, ut tunc moris, sicut & postea cap. XXIX. num. 24. & 29.

V. 62. PER VIAM. LXX. *Per desertum*. Quæsiverat solitarium locum Isaac idoneum ad orandum.

V. 63. AD MEDITANDUM. Vox Hebraica significat submissa, & intra labia compressa voce mussare; quod solent qui cum animo suo aliquid meditantur, & volvunt.

V. 64. DESCENDIT, honoris sponso deferendi gratia.

V. 65. PALLIUM, ut eo honestatis, & pudoris causa nova nupta coram sponso suo se tegeret, & obnuberet.

V. 67. IN TABERNACULUM SARAE. Hinc patet seorsim a viris habitasse mulieres. EX MORTE MATRIS SUAE: quæ triennio circiter ante defuncta erat.

TIRINI.

Vers. 2. PONE MANUM TUAM SUBTER FEMUR MEUM, UT ADIUREM TE. Hic ritus ut peculiaris Patriarchis, ita prorsus arcanus erat, & mysterii plenus: quo designabant, Messiam ex suo femore ac semine iuxta divina promissa nasciturum. Hinc per eumdem Messiam (quem hic agnoscit *Dominum Deum cæli* & *terræ*) adiurat Abrahamus procuratorem suum, id est obtestatur, etiam addita maledictione *a*, etiam iuramento ab illo postulato, ne aliam filio suo uxorem, & consequenter nascituro ex illa Messiæ matrem, quam ex sua cognatione & familia, fideli tum & bene morata desumat. Ita SS. Hieronymus, Ambrosius, Augustinus, Gregorius *b*.

V. 14. IGITUR PUELLA, CUI EGO DIXERO: INCLINA HYDRIAM TUAM UT BIBAM: ET ILLA RESPONDERIT: BIBE; QUIN ET CAMELIS TUIS DABO POTUM: IPSA EST QUAM PRAEPARASTI SERVO TUO ISAAC. Ex instinctu Dei vel Angeli (quem præmonuerat Abraham ubique in hoc negotio affuturum) servus sibi signum hoc constituit; quo alioquin etiam humanitus internosci ab aliis possit puella bonæ indolis, provida, & hospitalis; qualem norat placituram tum sponso Isaaco, tum socero Abrahamo, hospitalitati extreme addictis. Et eventus ex voto secutus docet id a Deo suggestum fuisse. Alioqui non licet temerario omine, aut divi-

divinatione tentare Deum. Simili instinctu Gedeon ex somnio Madianitæ, & Ionathas ex verbis Philistinorum captarunt omen victoriæ, Iudicum VII. & I. Reg. XIV.

V. 27. DEUS NON ABSTULIT MISERICORDIAM, ET VERITATEM, seu fidelitatem in promissis complendis. Sic enim passim accipitur in Scripturis. Quamquam hoc loco possit etiam dici esse hendyadin. de qua in Prolegomenis *c*; quasi dicat: Non abstulit Deus veram misericordiam, seu beneficentiam suam a domino meo Abraham; sed vere misericordem ac beneficum se exhibet hero meo, quod ita prosperet iter meum, negotiumque mihi ab illo commissum. Sic infra vers. 49. idem servus simili phrasi utitur apud fratres Rebeccæ: *Si facitis misericordiam & veritatem cum domino meo*; id est, si vultis verum beneficium præstare hero meo, & Rebeccam filio eius nuptui dare: *indicate mihi, ut vadam ad dexteram, sive ad sinistram*: idiotismo Hebraico; id est, ut sciam qua via mihi eundum sit: utrum in Rebecca sistere, an ad aliam Isaaco sponsam quærendam pergere debeam.

V. 62. DEAMBULABAT ISAAC AD PUTEUM, CUIUS NOMEN EST VIVENTIS, ET VIDENTIS; id est, quem Agar ab Abrahamo expulsa, sed ab Angelo recreata, vocavit puteum *Viventis*, scilicet Dei, & *videntis*, scilicet miseriam ancillæ, illique misericorditer providentis & opitulantis, ut dixit supra cap. XVI. vers. 14.

V. 63. EGRESSUS AD MEDITANDUM IN AGRO. Chaldæus, *Ad orandum*; Græcus, *Ad se exercendum*, scilicet spiritali exercitio orationis, agendo, & colloquendo cum Deo de rebus tum naturalibus & terrenis, tum supernaturalibus, cælestibus, & divinis. Ita S. Ambrosius, Augustinus, Hebræi, Lyranus, & Tostatus *d*.

(*a*) Infra vers. 41.
(*b*) Hieron. in Trad. Hebr. Ambr. Lib. V. de Abrah. cap. ult. August. serm. lxxv. de Tempore. Greg. Epist. ad Pammachium.
(*c*) Proleg. de Idiotismis Heb. num. 41.
(*d*) Citati a Cornelio a Lapide.

GORDONI.

Vers. 1. NOtavi ad annum mundi 2118. Isaacum anno ætatis 40. acceptasse Rebeccam uxorem. Agebat Abraham annum 140.

V. 2. Ritus iurandi solemnis hic indicatur & infra cap. XLVII. vers. 29. ut ponatur manus subter femur.

V. 4. Hæc cognatio designata, est familia Nachor, quæ tunc erat in Charan, ex cap. XXVII. vers. 43. & merito, quia Abraham discedens e Charan reliquit totam patris sui familiam.

V. 6. CAVE NE QUANDO REDUCAS FILIUM MEUM ILLUC. Non vult filium manere in Mesopotamia: Deus enim promisit semini non Mesopotamiam, sed Chananæam.

V. 7. DE DOMO, de Haram, & Ur Chaldæorum.

V. 8. NE REDUCAS ILLUC. Non permittas ut ibi maneat, aut in eo, familia mea eo reducatur. Sensus hic patet ex vers. 6.

V. 10. Servus portat secum ex omnibus bonis. Hoc videtur esse ad munera danda factum: ferebat nempe ex omnibus aliqua. URBS NACHOR, ubi Nachor habitat.

V. 11. ACCUMBERE ex vi vocis Hebraicæ est *genuflectere*; denique hic est *quiescere*.

V. 13. Servus non censetur tentasse Deum: Deo enim inspirante res acta est: & respondet effectus, ut iam subiicio.

V. 14. Est oratio servi, & laudabilis, ubi ex fiducia in Deum, & in re magni momenti, petitur specialis directio a Deo: petitur, inquam, in periculo magni erroris, signum a Deo, ut fecit Ionathas I. Reg. XIV. Et quidem eventus respondit facto. Nihil in his adiunctis, & circumstantiis superstitiosum est, aut fortuito actum; sed petitio instructionis est a Deo, quando res valde urget, ut etiam fecit Gedeon, ne periculum grave adiret sine Deo. Iudic. VI.

V. 18. SUPRA ULNAM. Hebr. *manum*. Ergo urnam deposuit supra manum suam.

V. 20. Per canalia designat lapidem cavum.

vum, ex quo animalia bibebant. Labrum erat. Sept. habent ποτιστήριον.

V. 22. INAURES AUREAS. Habent Septuaginta, *Duas inaures*, δύο ἐνώτια. Has quidem protulit; postea dedit, vers. 47. In pondere exprimendo est in codicibus varietas: nam in Hebræo est semisiclus; in Chaldæo, siclus; in Vulgato, sicli duo; apud Septuaginta est drachma, quæ dat quartam partem sicli. Non male interpretatur hoc qui dicet, varietatem natam ex varia æstimatione sicli apud varias nationes; aut quia aliqui siclum acceperunt pro semisiclo. Ut ut sit, communior interpretatio est, quamlibet inaurem appendisse semisiclum, seu duas drachmas Atticas, quæ faciunt quartam partem unciæ. ARMILLAS TOTIDEM PONDO SICLORUM DECEM. Septuag. *Decem aureorum pondus earum*. Noster per siclos expressit.

V. 24. Rebecca est neptis Nachor qui erat frater Abrahæ: sic vero reddenda sunt verba: Quem (Bathuelem scilicet) Melcha peperit marito suo Nachor: ut dicam vers. 50.

V. 25. FENI PLURIMUM. Sept. χορτάσματα, *pabula*.

V. 32. DESTRAVIT: detraxit frena, & clitellas. PEDES intellige, non camelorum, sed servi.

V. 43. עלמה *bhalmah* proprie *absconditam* significat, hoc est virginem excellentem, adeo ut nec visa sit a viro. Vide Hieronymum Lib. contra Iovinianum. Rad. עלם, *abscondere*.

V. 48. FILIAM FRATRIS. Rebecca erat neptis Nachor, fratris Abrahæ; sed ex consuetudine Scripturæ, filia vocatur: sic enim consanguinei vocari solent; sicut frater vocatur qui consanguineus est.

V. 49. AD DEXTERAM &c. ut hinc discedens quæram alibi domino uxorem.

V. 50. Bathuel iste an frater, vel pater sit Rebeccæ, in dubium revocavit Iosephus, qui Bathuelem Rebeccæ patrem scribit nunc mortuum fuisse, & Bathuelem hic nominatum esse Rebeccæ fratrem. Fratrem quoque esse contendit Salianus cum Iosepho. Vide infra cap. XXX. vers. 12.

V. 51. CORAM TE EST: tibi datur abducenda.

V. 53. Per vasa non male aliqui mundum muliebrem intelligunt; aut aliquid etiam ad supellectilem spectans: nam vasa apud Hebræos significare solet quicquid ad usum pertinet.

V. 57. QUÆRAMUS, non de consensu in matrimonium, sed de discessu.

V. 60. SOROR NOSTRA ES. Ita loquebantur consanguinei, qui cognatam vocant sororem.

V. 62. Colligi hinc potest, Abrahamum post mortem Saræ rediisse in Bersabee: nam puteus iste erat in solitudine Bersabee. Vide supra XVI. 14.

V. 63. AD MEDITANDUM. Varie hoc interpretantur Auctores. Recte puto exponi simul ad exercitandum corpus, & cogitandum de rebus suis. Eugubinus, qui toties male reprehendit Septuaginta, hic etiam hallucinatur: nam apud eos τὸ, ἀδολεσχῆσαι, & hic, & Psalmo CXVIII. 15. 23. & 27. in bonam partem accipitur.

V. 65. PALLIUM est hic velum mulierum Arabicarum, aut peplum, ex Hieronymo in Qq Hebraicis, θέριστρον.

V. 67. IN TABERNACULUM SARAE. Satis commode hoc intelligitur de gynecæo, ut ibi esset velut familiæ domina. EX MORTE MATRIS. Iam obierat mater fere ante triennium.

CA-



CAPUT XXV.

Abraham multis ex Cetura susceptis filiis mortuus est : Ismael quoque postquam duodecim genuit duces, moritur. Isaac pro uxore sua sterili precatus, geminos genuit Esau, & Iacob; quorum maior vendidit minori primogenita.

1 ABraham (*a*) vero aliam duxit uxorem nomine Ceturam : 2. * quæ peperit ei Zamran, & Iecsan, & Madan, & Madian, & Iesboc, & Sue. 3. Iecsan quoque genuit Saba, & Dadan. Filii Dadan fuerunt, Assurim, & Latusim, & Loomim. 4. At vero ex Madian ortus est Epha, & Opher, & Henoch, & Abida, & Eldaa : omnes hi filii Ceturæ. 5. Deditque Abraham cuncta quæ possederat, Isaac; 6. filiis autem concubinarum largitus est munera, & separavit eos ab Isaac filio suo, dum adhuc ipse viveret, ad plagam orientalem. 7. Fuerunt autem dies vitæ Abrahæ, centum septuaginta quinque anni. 8. Et deficiens mortuus est in senectute bona, provectæque ætatis, & plenus dierum; congregatusque est ad populum suum. 9. Et sepelierunt eum Isaac, & Ismael filii sui in spelunca duplici, quæ sita est in agro Ephron filii Seor Hethæi, e regione Mambre, 10. * quem emerat a filiis Heth : ibi sepultus est ipse, & Sara uxor eius. 11. Et post obitum illius benedixit Deus Isaac filio eius, qui habitabat iuxta puteum nomine Viventis & videntis. 12. Hæ sunt generationes Ismael filii Abrahæ, quem peperit ei Agar AEgyptia, famula Saræ: 13. & hæc nomina filiorum eius in vocabulis, & generationibus suis. (*b*) Primogenitus Ismaelis Nabaioth, deinde Cedar, & Adbeel, & Mabsam, 14. Masma quoque, & Duma, & Massa, 15. * Hadar, & Thema, & Iethur, & Naphis, & Cedma. 16. Isti sunt filii Ismaelis; & hæc nomina per castella & oppida eorum, duodecim principes tribuum suarum. 17. Et facti sunt anni vitæ Ismaelis centum triginta septem, deficiensque mortuus est, & appositus ad populum suum. 18. Habitavit autem ab Hevila usque Sur, quæ respicit AEgyptum introeuntibus Assyrios. Coram cunctis fratribus suis obiit. 19. Hæ quoque sunt generationes Isaac filii Abraham. Abraham genuit Isaac: 20. qui cum quadraginta esset annorum, duxit uxorem Rebeccam filiam Bathuelis Syri de Mesopotamia, sororem Laban. 21. Deprecatusque est Isaac Dominum pro uxore sua, eo quod esset sterilis: qui exaudivit eum, & dedit conceptum Rebeccæ. 22. Sed collidebantur in utero eius parvuli; quæ ait : Si sic mihi futurum erat, quid necesse fuit concipere? Perrexitque ut consuleret Dominum. 23. Qui respondens, ait: (*c*) Duæ gentes sunt in utero tuo, & duo populi ex ventre tuo dividentur, populusque populum superabit, & maior serviet minori. 24. Iam tempus pariendi advenerat; & ecce gemini in utero eius reperti sunt. 25. (*d*) * Qui prior egressus est, rufus erat, & totus in morem pellis hispidus : vocatumque est nomen eius Esau. (*e*) Protinus alter egrediens, plantam fratris tenebat manu; & idcirco appellavit eum Iacob.

26. Sexagenarius erat Isaac quando nati sunt ei parvuli. 27. Quibus adultis ;
factus est Esau vir gnarus venandi , & homo agricola ; Iacob autem vir sim-
plex habitabat in tabernaculis. 28. Isaac amabat Esau, eo quod de venationi-
bus illius vesceretur ; & Rebecca diligebat Iacob. 29. Coxit autem Iacob pul-
mentum : ad quem cum venisset Esau de agro lassus, 30. ait : Da mihi de co-
ctione hac rufa, quia oppido lassus sum. Quam ob causam vocatum est nomen
eius (f) Edom. 31. Cui dixit Iacob : Vende mihi primogenita tua . 32. Ille
respondit : En morior, quid mihi proderunt primogenita ? 33. Ait Iacob : Iu-
ra ergo mihi . Iuravit ei Esau , & vendidit primogenita . 34. Et sic accepto
pane, & lentis edulio , comedit , & bibit, & abiit ; parvipendens quod pri-
mogenita vendidisset.

(a) I. Par. I. 32. (b) I. Par. I. 29. (c) Rom. IX. 10. (d) Osee XII. 3. (e) Matth. I. 2. (f) Heb. XII. 16. Abd. I.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 2. *Qua peperit ei Zamran*. Ita scribendum est *Zamran*, ultima littera existente tertia ex liquidis *n*, non secunda *m*.

V. 10. *Quem emerat a filiis Heth*. Non est mutandum relativum masculinum *quem*, quod agrum refert, cum feminino *quam*, quod referat speluncam.

V. 15. *Hadar & Thema*. Prioris nominis ultima littera est *r*, id est *res*, non *d*, quod est *daleth*; *Hadar*, non *Hadad*.

V. 25. *Qui prior egressus est*. Sic legunt Sixtina Biblia cum antiquis exemplaribus, comparativum *prior* pro superlativo *primus*.

COMMENTARIA

SA.

Vers. 1. CETURAM. Hebræi putant esse Agar , de concubina factam uxorem : Hieron.

V. 3. ASSURIM , &c. Nomina sunt populorum.

V. 6. CONCUBINARUM; idest, uxorum minus principalium, scilicet ductarum sine cæremoniis, quarum filiis non dabatur hereditas, sed munera.

V. 8. PLENUS DIERUM , id est qui satis diu vixerat . Hieron. tamen interpretatur , omne tempus vitæ eius diem fuisse, non noctem.

V. 13. EIUS, scilicet Ismaelis.

V. 16. PER CASTELLA ET OPPIDA. Chald. *In villis & civitatibus*. LXX. *In mansionibus & tabernaculis*; quasi dicat, ita apud suos vocabantur.

V. 18. INTROEUNTIBUS ; id est , qua itur ad . FRATRIBUS , idest filiis : Hieron. in Gen.

V. 21. EXAUDIVIT , scilicet post annos 20. Chrys.

V. 22. PERREXITQUE, scilicet ad sacerdotem : Chrys.

V. 23. SERVIET MINORI . Tempore David Idumæi subiecti Iudæis.

V. 25. APPELLAVIT , scilicet pater , vel qui nomen imposuit.

V. 31. PRIMOGENITA , scilicet successionem in principatu , velut patris in reliquos fratres, & sacerdotio, & duabus bonorum partibus.

ESTII.

Vers. 1. ABRAHAM VERO ALIAM DUXIT UXOREM NOMINE CETHURAM. Errant qui existimant hanc Cethuram eamdem esse cum Agar : nam illam prius longe ante duxit, & mox sequitur in plurali : *Filiis autem concubinarum dedit munera* : ubi significatur plures fuisse.

Simul nota, easdem concubinas & uxores

res nominari. Nempe in Scriptura passim concubinæ vocantur uxores, quæ sine solemnibus cæremoniis iungebantur, ideoque proles earum non succedebant in paternam hereditatem. Vide Genes. cap. XVIII.

Si obiiciatur filios tamen duarum ancillarum Iacob cum aliis eius filiis accepisse possessionem; respondebitur primo quod hic specialiter dictum erat: *In Isaac vocabitur semen*. Deinde Sara expresse reclamarat, dicens: *Non erit heres filius ancillæ cum filio meo Isaac*. Hoc autem uxores Iacob non leguntur fecisse. Denique etsi non deberetur talibus hereditas, tamen poterat dari.

V. 23. MAIOR SERVIET MINORI. Completum est hoc ad litteram non in ipsorum personis, sed, ut etiam oraculi verba declarant, in populis qui ex illis orti sunt. Completum, inquam, tempore Davidis, qui Idumæos, id est populum ex Esau genitum, sibi ac populo Israelitico fecit tributarios, II. Reg. cap. VIII. Spiritualiter autem impletur in electis ac reprobis, quia quicquid a reprobis, aut circa reprobos agitur, id totum servit ac proficit saluti & felicitati electorum: *omnia enim propter electos*, ut ait Apostolus II. ad Timoth. cap. II. Vide si placet Commentarium nostrum ad Rom. IX.

V. 31. VENDE MIHI PRIMOGENITA TUA. Quæritur an hic non fuerit commissa simonia? Probabilior responsio videtur, si dicamus ius primogenituræ respectu iuris sacerdotii illo tempore fuisse ex genere eorum quæ antecedenter se habent ad spiritualia, non autem consequenter. Nam sicut calix prior est consecratione, ita ius primogenituræ prius erat sacerdotio, & sine eo consistere poterat, quemadmodum reipsa consistebat tempore legis Moysi, & nunc consistit tempore gratiæ Christi: immo coniunctio illa sacerdotii cum primogenitura, non videtur probari posse ex sacris litteris, sed magis contrarium apparet ex eo quod statim post initium humani generis non solum Cain, qui erat primogenitus, verum etiam Abel secundogenitus leguntur obtulisse sacrificia. Vide nostra in Librum IV. Sententiarum distinct. XXV.

V. 32. EN MORIOR: QUID MIHI PRODERUNT PRIMOGENITA? Non est sensus, Morior fame: quia nullo modo existimandum est, ei omnem cibum defuisse in domo paterna opulentissima; sed sensus est: Vita mea brevis est, paulo post morior, præsertim cum exerceam artem periculosam, scilicet venatoriam, in qua facile continget me invadi, & lacerari a fera quapiam: quid tunc mihi proderunt primogenita? Et verba sunt hominis parvi æstimantis primogenita, pro ea re quam vehementer ac gulose desiderabat, quod & Apostolus ad Hebræos cap. XII. notat.

Dubium tamen non est an venditio hæc fuerit valida? Sane pater Isaac eam non agnovit, cum etiam moriturus, adhuc Esau habeat pro primogenito cap. XXVII. Tamen quia matris consilio, & (ut putatur) Deo suggerente, Iacob ei benedictionem præripuit, alii existimant venditionem hanc fuisse validam. Vide ibi plenius. Porro ius primogenituræ erat in privilegio aliquo auctoritatis civilis, sed non sacerdotalis, de quo vide Annotationes cap. XXVII. & XLIX. & I. Par. cap. V.

MARIANAE.

Vers. 1. ALIAM DUXIT UXOREM NOMINE CETURAM. Quas uxores dixit Agar, & Ceturam, postmodum vers. 6. concubinas seu pellices vocat: & Hebræi, ut ait Hieron. in Trad. putant Agar eamdem esse Ceturam, quam mortua Sara iustæ uxoris loco habuerit; sed refelluntur ex vers. 6. ubi ait: *Filiis autem concubinarum largitus est munera*. Inter filios Ceturæ & nepotes numerantur Madian, Saba & Dadan, de quibus in Ezech. tum Epher, a quo Africam dictam affert Hieron. ex Alexandro Polyhistore, & Cleodemo, cognomento Malcho.

V. 8. ET DEFICIENS. Duo, quæ Hieron. in Tradit. accusat in Sept. editione, in hoc versu inveniuntur in nostra, argumento non esse sinceram Hieronymo: alterum est, quod dicunt, ET DEFICIENS MORTUUS EST; alterum quod addit, PLENUS DIERUM: nam in Hebræo vox *dierum* non est. Sed in hoc posteriori video etiam Chald. cum nostra & Sept. conspirare. Et quod ad prius spectat, vox יגוע *iguah*, iuxta Hebræorum sententiam, significat vel *facilem mortem*, ut ait Kimhi, vel *momentaneam*, ut Aven Ezra: & huc

huc respexerunt Sept. cum dixerunt, *Deficiens mortuus est*. In Hebræo ad verbum, *Expiravit*, aut *defecit*, & *mortuus est*, nempe repetitione ea qua gaudet ea lingua.

V. 13. HAEC NOMINA FILIORUM EIUS. *Eius*, scilicet Ismaelis. NABAIOTH, DEINDE CEDAR. Ab his Nabathæa, & Cedar, seu Nomades. *Sicut tabernacula Cedar*: Cant. I.

V. 16. PER CASTELLA ET OPPIDA. Hebraice potius *per villas & castella*: sic quidam Hebræus; sed perinde est.

V. 17. ET APPOSITUS AD POPULUM SUUM. Hinc colligunt certe, ait Abulensis, salutem consecutum Ismaelem: quoniam id de prædestinatis solum dicitur.

V. 18. INTROEUNTIBUS ASSYRIOS; pro, qua itur in Assyrios. CORAM CUNCTIS FRATRIBUS SUIS OBIIT. Hieron. *Cunctis filiis suis persitibus*, quos fratres vocari putat. Alii, *Mortuus est superstitibus fratribus suis*. Ceterum נפל *naphal* significatio ambigua est: nam significat *cadere*, *obire*, & hoc secuti sunt Vulgata, Pagninus, & alii: significat etiam *habitare*, & hoc secuti sunt Sept. & Chald. & quadrat cum iis quæ superius dicuntur cap. XVI. vers. 12. *E regione universorum fratrum suorum figet tabernacula*. Nempe utroque loco significat, non procul recessurum a terra Chanaan: deinde, ipsis quamvis invitis, possessurum sua. Quæ sententia apertior erit, si pro *coram cunctis fratribus*, ponamus, *Contra faciem cunctorum fratrum suorum*: quod verba Hebraica ferunt. Sept. & Chald. pro *coram* posuere *ante*, sive *e regione*, quod cum nostra interpretatione consentit.

V. 21. PRO UXORE SUA. Hebr. לְנֹכַח *lenochah*, quod verti etiam potest *contra uxorem suam*: quoniam aut illa non cupiebat concipere; aut certe quoniam labor erat illi futurus: sed melius *pro uxore*, ut posuerunt ferme omnes. EXAUDIVIT EUM, anticipatio est: accidit post annos viginti: Chrysost.

Vers. 22. SI SIC MIHI FUTURUM ERAT, QUID NECESSE FUIT CONCIPERE? Hebr. *Si sic, quare hoc ego*, supple, concupivi? quare concepi?

V. 23. MAIOR SERVIET MINORI. Tempore David, Idumæi subditi fuerunt Iudæis.

V. 25. APPELLAVIT EUM: nimirum pater eius appellavit eum IACOB.

V. 27. VIR GNARUS VENANDI. Nempe astutus, versutus: nam iis artibus opus est ad capiendas feras: idque cui assuevimus, sæpe in mores convertitur. Explicat ita locum quidam Hebræus; & potest confirmari expositio: quoniam *Iacob*, quasi ex opposito, dicit fuisse simplicem, dolis non assuetum. Sic Nemrod *robustus venator*. Fortassis eodem pertinet, quod de Ismaele dicitur Genes. cap. XXI. vers. 20. *Moratus est in solitudine, factusque est iuvenis sagittarius*. HOMO AGRICOLA. Heb. *vir agri*, *agrestis*, libenter versans in agro Esau.

V. 31. VENDE MIHI PRIMOGENITA. In Hebr. additur *sicut hodie*. Eodem modo vers. 33. *Iura ergo mihi*, additur in Hebr. *sicut hodie*. Sept. & Chald. *hodie* dixerunt, *Vende mihi hodie*, *Iura mihi hodie*: aut fortassis significat, *sine fraude*, *perspicue*, sicut hic dies perspicuus est. Quidam locum reddit: *Vende mihi iuxta hunc diem*; pro, iam iam, continuo. PRIMOGENITA TUA. Prærogativas primogenituræ multas colligunt Expositores, ac nominatim Abulensis hoc loco, quo disputat etiam, quare a Paulo Esau vocetur *profanus*, quia vendidit; & Iacob qui emit, crimine careat.

MALVENDAE.

Vers. 2. DE sedecim istis filiis Abraham ex Keturah, seu gentibus, Iosephus hæc annotat: *His omnibus filiis ac nepotibus Abrahamus deducendi colonias fuit auctor: occupaveruntque Troglodyticam regionem, & Arabiæ Felicis, quicquid ad rubrum mare pertinet*. S. Hieronymus: *Nos hoc dicimus, quod de Cetura nati filii Abraham, iuxta historicos Hebræorum, occupaverint Troglodyten, & Arabiam quæ nunc vocatur Eudæmon, usque ad maris rubri terminos. Alii putant, a plerisque filiis Abrahæ ex Cetura occupatas Indiæ regiones*. Tremellius, & Iunius hæc annotant: *Qui omnes Arabiæ fuerunt incolæ; & Syriæ huic conterminæ: unde vestigia extant apud geographos, sed corruptis vocibus: verbi gratia, videtur a Zimrane dicta regia Zaaram, ac* po-

potius Zamram Felicis Arabiæ in Cinædocolpitarum regione; a Iokscane, Catanii Palmyrenes Syriæ contermini, in quorum finibus oppidum Casaman Ptolemæus annumerat Palmyrenæ Syriæ, Lib. V. Geographiæ; a Medane Mediama oppidum in finibus Felicis Arabiæ, pro eo quod est Madania; a Isschbako, Scabiosa Laodicæa in Laodicene Syriæ; a Schuacho, Saccæi incolentes orientalem tractum Syriæ ad Bathaneam; a Scheba, Sabe in Arabia deserta; a Dedane, Adada in Palmyrene Syriæ: & sic deinceps. Sed hoc est merum divinare. MADIAN. Eusebius & S. Hieronymus in Locis: *Madian urbs ab uno filiorum Abraham ex Cethura sic vocata. Est autem trans Arabiam ad meridiem in deserto Saracenorum, contra orientem maris rubri. Unde vocantur Madianæi, & Madianæa regio. Legimus & filias Hobab soceri Mosis, filias Madian; sed hæc alia civitas est homonymos eius, iuxta Arnonem & Areopolim, cuius nunc ruinæ tantummodo demonstrantur.* De qua Iosephus Lib. II. Originum, cap. v. *Cumque ad urbem Madienam pervenisset in rubri maris littore sitam, denominatam ab uno ex Abrahami, & Chethuræ filiis.* Frequens in Scriptura Madian, seu Madianitarum mentio, quos finitimos & confines fuisse Moabitis, & Ammonitis non est dubium.

V. 3. SABA, ET DADAN. Geminos alios iis cognomines habes Genes. x. 7. sed longe diversos: illos vetustiores, & ex progenie Cham; istos ex genere Sem. Hic Seba, Arabiæ Desertæ partem accipiunt, ut Iob 1. vers. 15. *Assurim*, &c. S. Hieronymus: *Assurim in negotiatores transferri putant; Latusim æris, ferrique metalla cudentes; Laumim vero philarchos, id est principes multarum tribuum atque populorum. Alii ab hoc Assurim vocatos Syros esse contendunt.*

V. 4. EX MADIAN ORTUS EST EPHA. S. Hieronymus in LX. Isaiæ, ad vers. 6. *Madian & Epha regiones sunt trans Arabiam fertiles camelorum, omnisque provincia appellatur Saba.* Observabis in Hieronymo morem illum loquendi, *trans Arabiam*: intelligit enim Arabiam Felicem, quæ respectu Chananææ, est trans Arabiam Petræam, & dexteram. OPHER. Iosephus: *Fertur etiam quod hic Ophres cum exercitu profectus occupavit Libyam, quam postea nepotes eius tenuerunt, Africam ab ipso denominatam. Attestatur huic opinioni & Alexander Polyhistor sic scribens: Cleodemus, inquit, propheta, cognomine Malibus, qui ad imitationem Mosis Legislatoris, Iudæorum historiam contexuit, narrat Abrahamum ex Chetura aliquot filios suscepisse, tres nominatim recensens, Aphram, Surim, Iaphram. A Surim appellatam Assyriam: ab Aphra vero & Iaphra urbem Aphrem, & regionem Africam nominatas. Hos enim ductu Herculis in Libya militasse contra Antæum. Herculem etiam ex Aphræ filia genuisse filium Dedorum: & ex hoc Sophonem prognatum: a quo Sophaces barbari habent nomen.* nempe Syphaces. Eadem transcripsit S. Hieronymus, & ex ipso S. Isidorus IX. Originum, cap. 11.

V. 8. ET DEFICIENS. Hebr. *Et expiravit*. Hebræi putant verbo יגוע *gavagh* indicari, levi morbo absumptum, citra moram, & cruciatum, intra paucos dies deficiente humido innato, nimirum facili & placida morte, quam Augustus apud Suetonium *euthanasiam* vocabat. Sed id non significat verbum *gavagh*, sed potius *trahere ultimum spiritum, agere animam, expirare, agonizare*. Sic vers. 17. PLENUS DIERUM. Hebr. non additur, *dierum*, sed tantum & *satur*; quamvis in hac locutione, *dierum* addatur Genes. xxxv. 29. I. Paralip. xxiii. 1. Alii subaudiunt, *satur* vitæ. Nonnulli universe: *Satur* bonorum, obiit opulentus in magnis divitiis & opibus. CONGREGATUSQUE EST AD POPULUM SUUM. Periphrasis mortis; id est, reliquis ante ipsum mortuis adiunctus. Sic infra vers. 17. & supra cap. xv. vers. 15. Alii notant, *apponi ad patres*, seu *ad populum suum*, significare potissimum, in fide, & religione parentum, seu maiorum suorum, aut populi sancti decedere. Lege S. Ambrosium Lib. I. de Cain & Abel, cap. 11.

V. 13. NABAIOTH. De duodecim istis Ismaghelis filiis Iosephus: *Hi quidquid terrarum est Euphratem inter & rubrum mare habitant, Nabathææ nomine regioni indito. Sunt autem ii a quibus Arabes gentem suam, eiusque tribus denominaverunt, cum propter ipsorum virtutem, tum propter Abrahami auctoritatem.* Eadem omnino S. Hieronymus. Nabathæa regio notissima scriptoribus. Strabo Lib. XVI. pag. 534. *Nabathæa populosa sane regio, & pascuis abundans.* Multa de eadem Plinius, Diodorus, & alii: & Ovidius Lib. I. Metamorphoseon:

Eurus

Eusus ad auroram Nabathæaque regna recessit.

Nabathæi quoque ponuntur in Felice Arabia a Ptolemæo Lib. VI. cap. VII. CEDAR. Eusebius, & S. Hieronymus in Locis: *Est autem Cedar regio in eremo Saracenorum, a filio Ismaelis Cedar ita cognominata.* Scenitas esse, & tentoriis celebres, Canticor. I. 4. Psalm. CXIX. 5. dicitur, multa de his mentio in sacris libris, qui etiam ut Nabathæi, a copia gregum commendantur, Isaiæ LX. 7. Plinius Lib. V. cap. XI. Cedræos appellat, Arabes, Nabathæis confines. A nigrore, & fuscitate nomen habent: quod corpore sint ob æstum solis fusco. Arabiæ Petrææ incolas fuisse constat. ADBEEL. In hoc, & sequentibus filiorum Ismaelis nominibus mire divinant aliqui, aut potius in tanta vetustate nugantur. *Adbeel* aiunt esse Agubenos Arabiæ Desertæ populos iuxta Felicem Arabiam. vel his conterminos Rhaabenos, de quibus Ptolemæus. Lib. V. cap. XIX MABSAM. *Mnasamanes*, ad montem Zamathan in Arabia Felice, Ptolemæo Lib. VI. cap. VII.

V. 14. MASMA. Hebr. *Mismah*, *Rhaabenos* Orchenis iunctos, non procul a sinu Persico in Arabia deserta, ubi collocatur oppidum Zagmais Ptolemæo Lib. V. cap. XIX. DUMA, *Dumæos*, inter Agubenos & Rhaabenos, ubi oppidum Dumætha, Ptolemæo ibidem. Forsan huius meminit Isaias XXI. II. In Idumæa, & prope Seir fuisse videtur. MASSA, *Massanos*, supra Rhabenos sitos, apud eumdem Ptolemæum eodem Lib. V. cap. XIX Notant hic obiter, tria ista nomina filiorum Ismahelis exponi, *Auditus*, *Silentium*, *Sustinentia*, iuxta illud vulgare, *Audi, vide, & tace, si vis vivere in pace.*

V. 15. HADAR, Hebr. *Chadar*, somniant esse Athritas Felicis Arabiæ prope Nabathæos, Ptolemæo Lib. VI. cap. VII. THEMA, *Themanæos*, ad montes Felicis Arabiæ, ubi oppidum Thæma, Ptolemæo ibidem. S. Hieronymus: *Themah ad austrum, & Cedma ad orientalem plagam dicitur.* Explicavit significationes vocum Hebraicarum. Non est dubium, Arabiæ desertæ populos fuisse. IETHUR, *Ituræos*, in Syria Cæles, & Arabiæ Desertæ finibus, de quibus Strabo Lib. XVI. pag. 755. & 756. Plinius Lib. V. cap. XXIII. & Lucæ III. vers. I. NAPHIS, *Nubæos*, Arabes ad Libanum montem pertingentes, Plinio Lib. VI. cap. XXVIII. CEDMA, Hebr. *Kedmah*, *Kadmonæos*, qui postea de communi ignis cultu cum Babyloniis finitimis AEsitæ sunt appellati per corruptiones Hebraicæ vocis אש *esch*, *ignis*. Sunt autem AEsitæ populi iuxta Babyloniam sub Cauchabenis, apud Ptolemæum Lib. V. cap. XIX. Videtur hic *Kedmah* esse ille qui I. Paralip. V. vers. 19. dicitur *Nodab.*

V. 16. PER CASTELLA. חצרים *catzerim* aiunt esse *loca superne aperta sub dio, in quibus fenum aut gramen crescit, sive intra civitatem sint circa ædificia, sive ruri, seu in agro*; dicta a חציר *chatzir*, *feno*, *gramine*: esseque sine muro, septo tantum circumdata, & formam atrii habere: *atria*, *villas*, *prædia* transferunt: discrimenque notant inter oppidula, quæ filias urbium solet Scriptura vocare, & inter חצרים *chatzerim*, id est *villas*, seu *prædia*, quæ minora sunt, & ad alenda pecora, & forma referunt atria. Sic Græcis αὐλὴ *aula*, & atrium, & caulam, vel septum ovium significat. Aulæ etiam, seu regiæ habent ante se subdialia, & ampla loca villis similia. Quidam *vicos* exponunt; esseque volunt loca nullis munita muris, in quibus tamen cœtus hominum degunt, qualia Græci dicunt ἐπαύλεις, nimirum minime operosis substructa ædificiis, & veluti nocturnæ dumtaxat quietis, vitandæque cæli iniuriæ gratia pro hominibus & pecoribus comparata. *Curias* hic alii reddidere. (*Cortes* Latini dixere. *Cortes*, inquit Nonius cap. II. *sunt villarum intra maceriam spatia.*) Hispanice, *cortiios*, *corrales*. Vide Levitic. XXV. vers. 31. & Iosue XV. vers. 32. Noster vocem pluralem *chatzerim* varie transfert. Levitici XXIII. 31. Isaiæ XLII. II. *domos*, Nehemiæ XII. 7. *vestibula*, Psalm. LXIV. 5. Psalm. LXXXIII. XI. Isaiæ I. 12. Zachar. III. 7. *atria*, I. Paralip. IV. 32. Iosue XIII. 28. cap. XV. 36. cap. XXI. 12. *villas*, Iosue XV. 47. *villulas*, I. Paralip. IV. 33. & cap. IX. 25. Iosue XIII. 23. *viculos*, Psalm. X. 8. *occulta*; hic vero *castella*. ET OPPIDA EORUM. טירה *tirah*, Sexies tantum in Scriptura ponitur, & Noster ubique diversimode expressit. Hic *oppida*, Numer. XXXI. 10. *castella*, I. Paralip. VI. 54. *vicos*, Canticor. VIII. 9. *propugnacula*, Psalm. LXVIII. 26. *habitatio-*

nem,

nem, Ezechiel. xxv. 4. *caulas*. Existimant aliqui, *tirah* esse ædificium splendidius, quod ordines parietum, columnarum, & aliorum ornamentorum habeat, a טור *tor*, ordine: *palatium*, *arcem*, *castellum* interpretantur. Alii castellum ab ambitu, quod quasi circulo quodam extructum & circumscriptum sit, dictum volunt. Quidam *tabulatum*, seu *residentiam* exponunt. Vox Hebraica *tirah* est ipsissima Valentina *tira*, quæ est ordo, series. Nimirum quod sua tabernacula, seu tentoria, (nam omnes nomades & scenitæ erant) seriatim, & per ordinem fixa haberent, instar domorum, aut vicorum; nec male hordas dicere possumus, ut Tartarorum. Sed ego non dubito Ezechielem xxv. 4. respexisse ad hunc locum Genesis, atque vocem *tiroth*, quæ hic ponitur, exposuisse, cum ait: *Ad sic ecce ego dans te filiis orientis in hereditatem, & sedere facient tiroth suas in te*. Filios orientis esse Hagarenos & Ismaelitas, de quibus hic sermo, e vers. 6. huius capitis, & aliis Scripturæ locis manifeste liquet. *Tiroth* in Ezechiele Noster appositissime *caulas* dixit; ac satis explicavit, quæ essent *tiroth* filiorum orientis, seu Ismaelitarum, quæ hoc loco Genesis describuntur: nempe *caulæ*, *ædes pastoritiæ*, *tabernacula* verterunt hic Græci Interpretes. Neque enim ego, aut ullus cordatus nomadibus istis, scenitis, & pastoribus ampla, & splendida palatia, illo præsertim tempore, tribuerit.

V. 18. CORAM CUNCTIS FRATRIBUS SUIS OBIIT. Hebr. *Super facies omnium fratrum suorum cecidit*. Quidam Hebræorum subaudiunt, *cecidit* ei sors, vel *habitavit*. Ita verbum נפל *naphal*, *cecidit*, exponunt, ut I. Samuel. xxix vers. 3. Vel *accidit ei habitatio*; qua ratione Græci, & Chaldæi transtulerunt: quem sensum egregie firmat versus 12. capitis xvi. sed Nostri interpretatio præferenda est; quasi dicat: Obiit in eodem loco ubi cohabitaverat.

V. 20. DE MESOPOTAMIA. Hebr. *de Padan Aram*. Omnes intelligunt Mesopotamiam; & semper voci *Padan* adiungitur *Aram*, nisi Genes. XLVIII. 7. ubi sola ponitur vox *Padan* sine *Aram*. Noster duas voces solet interdum reddere Mesopotamiam Syriæ, aliquando Mesopotamiam simpliciter. Quidam Hebræorum exponunt, *Syriam duorum*, nempe fluviorum, quæ est inter Euphratem & Tigrim, quod Padan Chaldaice, & Rabbinice *duo*, *par* significet. Alii, *Syriam campestrem*, vel *regionem Syriæ*, quod Padan Arabica, seu Ismahelitica lingua agrum, seu regionem denotet. Ridicule nonnulli Padan nomen proprium urbis Syriæ putant, exponuntque de Padan Syriæ; cum urbs ubi Bathuel, & Laban habitabant, Charan, vel Carrhæ diceretur, non Padan. Meminit quidem Ptolemæus duorum oppidorum Mesopotamiæ, quorum primum vocat *Aphphadana*, aliud *Apphadana*, Lib. V. cap XVIII. sed utrumque diversum facit a Charris.

V. 21. DEPRECATUSQUE EST. עתר *ghathar*, aiunt esse *suavibus*, *blandis*, & *dulcibus verbis oravit* ad Deum pro rei alicuius impetratione: oravit ut demulceat, ut conciliet, amanter & familiariter supplicavit Domino. Alii exponunt: *vehementer rogavit*, *oravit*; *deprecatus est valde*, *amicis verbis exoravit*; tamquam suffitum suave olentem orationem suam misit ad Dominum. Nonnulli, *Multiplicavit*; id est, multiplicibus, copiosis, & densis precibus supplicavit Domino: *efflagitavit*. Noster in Kal, ut hic occurrit, per *deprecari*, & *orare* reddere solet. Congruente voce *intercedere*. PRO UXORE SUA. לנוכח *lenocach*, varie exprimunt. I. *coram*, vel *ad præsentiam*, seu *præsente uxore sua*: ut ipsa quoque adderet suas preces, ut coniunctim Deo supplicarent, ut oratio esset efficacior. II. *e regione uxoris suæ*, *contra uxorem suam*: ut ipse oraret in uno angulo, & uxor eius in altero, ex adverso; vel, ut habens obversam uxorem suam, attentius dirigeret cor suum ad Deum pro illa. III. *ad rectitudinem*, *ad directionem*, *directe*, *recta*, *uxoris suæ*; id est, intente, directe, recta dirigebat preces ad Deum pro uxore sua; vel, ut Deus uxorem suam rectificaret, & dirigeret ad pariendum: erat enim per sterilitatem quasi distorta, & perversa. In hac significatione exposuit hanc vocem Noster Prov. IV. 25. & Isaiæ LVII. 2.

V. 22. COLLIDEBANTUR. ויתרצצו *iithrotzatzu* a רוץ *rutz* quidam deducunt; exponuntque: *Et concurrebant invicem*, *concurrere se faciebant*; id est, collidebant, conculcabant se. Alii melius a רצץ *ratzatz*, *conquassabant*, *concutiebant*, *conculcabant*, *conterebant*, *confringebant sese*: ut & Hit-

Hithpahel coniugatio, & geminatio litteræ magnam vim & impetum concutiendi designet. Quidam putant hoc verbo usum Ioannem Baptistam Lucæ III. 14. *Neminem concutiatis*. Nec alibi in hac formula extat. UT CONSULERET DOMINUM. Hebr. *Ad quærere, inquirere, perquirere, sciscitari Dominum*, cum cura, solicitudine, studio, diligentia: omnia enim hæc aiunt includi in verbo דרש *darasch*. Alii per *scrutari*, & *perscrutari* reddunt. Notant, quod quando hoc verbo dicitur quæri Dominus, seu Deus, tum peculiari phrasi significare, quærere verbum & voluntatem Dei ex sacerdotibus, petere, vel exquirere voluntatem Dei per sacerdotem, aut prophetam. Alii hic intelligunt, ivisse ad oraculum aliquod, seu altare, & ibi sacrificasse. Hebræi hariolantur, consuluisse Melchizedek: alii socerum, qui propheta erat, cap. XX. 7.

V. 23. SUPERABIT. אמץ *amatz* in Kal, ut hic ponitur, Noster solet reddere *confortari*, *fortem*, *robustum esse*. Alii *erectum esse*, *surrectum esse*, *strenuum esse*, *erectum esse vel corpore*, *vel animo*, *vel viribus*, *viriliter agere*. Quidam conferunt cum עצם *ghetzem*, *osse*, & putant indicare, *osseum*, *robustum*, *consolidatum esse*.

V. 24. GEMINI. Notant Hebræi in voce תומים *thomim* deesse Aleph, pro תאומים *theomim*, cuius defectus causam afferunt, quod Esau impius futurus esset.

V. 25. IN MOREM PELLIS HISPIDUS. Hebr. *Sicut pallium*, *vestis pili*, seu *pilosa*. אדרת *addereth*, est femineum, id est *magnifica*, *ampla*, *illustris*, *clara*, *inclyta*. Plerumque sumitur pro veste, stola, pallio ampliore, magnifico, splendido, quo usi sunt reges, & prophetæ, & insigniores personæ, & eo discernebantur a vulgo. Aliqui *amplam* substantive vertunt: alii *togam*: alii *paludamentum*. Notant quidam, quod quando hæc vox iungitur cum שער *seghar*, *pilus*, אדרת שער *addereth seghar* minime splendidum cultum significat; sed pilosum ac rude pallium, vel stragulum, seu potius philosophicum pallium, ut illud Eliæ II. Reg. II. 8. & I. Reg. XIX. 13. & Zachar. XIII. 4. Nimirum homines cælestium rerum contemplatione sola districti, villosa veste corpus ab aeris iniuria defendere, atque insternere satis habebant; exquisitum cultum aulæ relinquebant. Ubi vero coniungitur cum שנער *schinghar*, *Babylone*, אדרת שנער *addereth schinghar*, id est *pallium Singarenum*, seu *Babylonicum*, ut Iosue VII. vers. 21. denotare vestem magnificam, & quæ gloriam conciliet ei qui utitur; seu pallium coccineum, aut purpureum, quod *paludamentum* Latini dixerunt, proprium ducum, imperatorum ac procerum: atque *addereth seghar* dici antithetice ad *addereth schinghar*, hoc est pallium villosum, ad pallium magnificum seu purpureum. Sed hoc est nolle observare vim vocabulorum, nec usum. Vestem vel pallium pilosum, intelligimus villis, vel pellibus animalium fultum, ut nunc dicimus, *ropas de martas*, &c. Noster *addereth schinghar pallium* solet vertere, cum de veste dicitur. NOMEN EIUS ESAU. Hebraice Esau sonat *factum*, *aptatum*, *comparatum*, *ornatum*, *perfectum*: nam perfectior infantibus, id est instructus pilis, in lucem venerat.

V. 26. NOMEN EIUS IACOB. Hebr. *Iahakob*. Quidam componunt ex יד *jad*, *manus*, & עקב *ghakab*, *calcaneo*, id est manu tenentem calcaneum; sed gratia paranomasiæ in vertendo perire manum. Alii vel esse futurum verbi עקב *ghakab*, vel Iod esse formativum nominis; quasi dicas *calcaneatorem*, seu *supplantatorem*. Vide infra cap. XXVII. vers. 36.

V. 27. VIR SIMPLEX. תם *tham*, *integer*, *perfectus*, *consummatus*, qui in doctrina, & fide, ac bonis operibus, coram Deo est integer, & coram mundo irreprehensibilis, & habens bonam conscientiam. Erat ergo Iacob vir integer, id est non varius, sed simplex: non quidem mente seu intellectu, hoc est sine industria & peritia; sed voluntate: non inquietus, sed, ut filii lucis, quietus, inculpatus vita & moribus iuxta legem Dei, non fraudulentus consiliis, nec irrequietus, ut improbi. *Tham* opponitur *perverso*, Iob IX. 20. & *improbo*, ibidem vers. 22. Aliqui antithesim hic esse volunt: quia dixerat de Esau robustum fuisse, & venationi addictum, virumque agrestem; opponit ei ingenium Iacob placidum, mansuetum, simplex, qui domi quietem colet. HABITABAT IN TABERNACULIS; id est pecuariam, & rem domesticam exercebat: ideo plurali utitur; quasi dicat: Vel domi, vel apud greges erat: ut cap. IV. 20.

V. 28. EO QUOD DE VENATIONIBUS ILLIUS VESCERETUR. Hebr. *Quia*

Quia venatio in ore eius; id est venatio, seu ferina erat ei cibus, seu esca gratissima; & idcirco diligebat Esau, quod is solitus esset de venatione sua, id est de ferina carne, quam venatione sua capiebat, cibos patri suo ministrare, qui eorum gustu afficiebatur, cap. XXVII. vers. 31.

V. 29. COXIT. הזיד *bezid* in Hiphil *coquere* passim reddunt. Quidam reddunt *efferbuit*, *ebullivit*, active: nam regit post se accusativum, id est *effervescere*, *ebullire fecit*. PULMENTUM. נזיד *nazid* Noster *pulmentum*, *edulium*, *coctionem* vertere solet: alii *pultem*, *decoctionem*, *insiculum*: ad verbum, *effervitionem*, *ebullitionem*.

V. 30. DA MIHI. הלעיט *hilghit* in Hiphil nullibi nisi hic reperitur, & quidam mira audacia deducunt ab עטה *ghatab*, inserto Lamed, & facta litterarum transpositione; & a עלטה *ghalath crepusculo* formant, de qua voce diximus cap. XV. vers. 17. redduntque: *Crepuscula me*, *obsecro*; id est, refice me, vel ciba me in crepusculo, vel sub crepusculum. Alii prodigiose, a לוט *lot*, quod lotum interpretantur, reddunt, *Lota me*, *obsecro*; seu *fac me vesci loto*, *obsecro*, *rufo*, &c. & de loto fructu arboris, vel herba multa differunt ex Homero, Dioscoride, Plinio. Sed pulmentum illud e lentibus fuisse, non loto, vers. 24. dicitur. Communiter exponunt, *Comedere*, *degustare fac me*. Hebræi quidam, *Funde mihi*, *obsecro*: alii, *Sorbere*, *absorbere*, *devorare fac me*, *obsecro*: quidam, *Ingere mihi*, *quæso*: nec desunt qui, *Obtege me*, *Obrue me*, *Imple me*; vel, ut Latini olim dicebant, *Degumiare fac me*, id est degustare.

V. 31. VENDE MIHI PRIMOGENITA TUA. Omittit כיום *caiom*, *vende secundum diem*, vel *sicut die*. Quidam exponunt, *Secundum iuxta hunc diem*; id est, hodie, iam iam, absque ulla dilatione. Forsan litterarum similitudine legendum ביום *baiom*, *in die*, *hodie*. De iure primogenituræ multa hic differunt Explanatores, quæ non transcribo. Hebræi notant inclusisse successionem in primaria hereditate, & præcipuis donis; in dignitate, honore, auctoritate, principatu patris, quod auctoritatem haberet in minores, ita ut minores fratres illi ut patri assurgerent, ministrarent. Vide cap. XXVII. sequens vers. 29. 37. EN MORIOR: QUID MIHI PRODERUNT PRIMOGENITA? Duplicem sensum fert hic versus. Primus, Cum brevi in hoc mundo vivamus, quid opus est curare eiusmodi honores? Secundo, Morior præ fame, satius est vitam primogenitura redimere. Verba profani, qui gulam suam mortis periculo obtexit, cum non deessent in domo Isaac, quibus famem pellere potuisset. Vide Paulum Hebræor. XII. 16.

MENOCHII.

Vers. 1. ALIAM DUXIT UXOREM, mortua Sara, & Agar dimissa, & forte etiam defuncta. Causa ducendi divinus instinctus, ut ex eo semen inter gentes quoque multiplicaretur. Annum agebat ætatis 137. CETHURA videtur fuisse ancilla Abrahæ, ut etiam fuerat Agar: si enim fuisset ingenua, non appellaretur concubina num. 6.

V. 2. MADIAN, ex quo Madianitæ.

V. 5. CUNCTA QUAE POSSEDERAT. Id factum primo antequam Isaac duceret Rebeccam, quare Eliezer dicebat cap. XXIV. num. 36. *Dedit illi omnia quæ habuerat*. Nunc donationem videtur confirmasse.

V. 6. FILIIS AUTEM CONCUBINARUM, Agar, & Cethuræ. Concubinæ erant legitimæ uxores, ut etiam aliquando vocantur in Scriptura: sic Agar cap. XVI. 3. uxor appellatur: non erant autem uxores primariæ, nec matres familias, & servilis conditionis, & ancillæ manebant etiam post nuptias, in thori tantum communionem admissæ. MUNERA, pecuniam, aurum, argentum, vestes, &c. SEPARAVIT: ne cum Isaac contenderent, eumque in terræ promissæ possessione turbarent. Rursum ne posteri eorum sua idololatria, & vitiis Isacidas inficerent. AD PLAGAM ORIENTALEM. Hi vocantur in Scriptura *Filii orientis*.

V. 8. DEFICIENS: non violentia, aut vi morbi, sed humido naturali deficiente decessit. IN SENECTUTE BONA: cum esset 175. annorum, mature, & tempore suo, sive spectes ætatem, sive merita. Bona etiam, quia sine ægritudine. PLENUS DIERUM: vivendi satur, ut habent Hebræa, & cupiens dissolvi. CONGREGATUS EST AD POPULUM SUUM. Hoc non potest intelligi de corpore, quod cum

suis in patria sepultum non est. Intelligendum ergo de anima, quæ post mortem superstes & immortalis. *Populum suum*, iustos in lymbo.

V. 11. IUXTA PUTEUM VIVENTIS, ET VIDENTIS, in Bersabee. Puteus Viventis & videntis erat intra ipsam solitudinem, per quam Agar erraverat, quæ eremus dicitur solitudo Bersabee. De hoc puteo agitur supra cap. XVI. 14. & XXI. 19. & XXIV. 62.

V. 13. CEDAR. Cedareni Arabes de quibus, & tentoriis eorum non semel in Scriptura.

V. 14. DUMA. Inde onus Dumæ apud Isa. cap. XXI. vel sunt Idumæi, vel illis vicini. THEMA, a quo civitas, & regio Theman ad meridiem Idumææ, cuius rex Eliphaz Iobi amicus.

V. 17. DEFICIENSQUE, sicut pater senio defunctus. APPOSITUS. Hinc orta Hebræorum opinio de illius pœnitentia, & salute.

V. 18. HEVILA, de qua dictum supra cap. II. num. II. CORAM CUNCTIS FRATRIBUS SUIS OBIIT: non significat eum corona fratrum suorum cinctum obiisse, sed iis superstitibus.

V. 21. DEPRECATUSQUE. Vox Hebræa significat eum multiplicasse preces, & D. Chrysostom. ait toto vicennio eas continuasse. PRO UXORE. Hebr. *contra uxorem*; id est, contra sterilitatem uxoris. Vel fortasse sensus est simul cum uxore, quasi e regione uxoris, cum qua communicabat preces.

V. 22. COLLIDEBANTUR. LXX. *exiliebant*, *exultabant*: vel, ut alii vertunt, *gestiebant*, *ludebant*, *calcitrabant*, *colluctabantur*, dum scilicet uterque nititur prior in lucem exire. SI SIC MIHI FUTURUM ERAT: si mihi abortiendum, & una cum parvulis moriendum: id timebat Rebecca. PERREXITQUE UT CONSULERET DOMINUM. Aliqui sentiunt ad domesticum altare ivisse, illic orasse, & per Angelum responsum accepisse. Alii putant in montem Moria ascendisse ad Melchisedech sacerdotem adhuc superstitem.

V. 23. DUAE GENTES, duo filii, qui erunt patres, & capita duarum gentium, hoc est Iudæorum, & Idumæorum sibi adversantium. MAIOR SERVIET MINORI: Idumæi servient Iudæis.

V. 25. TOTUS HISPIDUS, non capite tantum, sed reliquo fere corpore: inde etiam dictus est *Seir*, id est pilosus. *Esau* vero. id est factus, perfectus, quia qui ad perfectam pervenerunt ætatem ii pilis obsiti sunt. *Edom* etiam appellatus est, quasi sanguineus, a rubeo colore coctionis rufæ, de qua paulo post, hoc cap. PROTINUS, immediate, quasi contendens de primogenitura. IACOB, a verbo עקב *ghacab*, quod supplantando, seu plantam tenendo, decipere significat.

V. 27. AGRICOLA. LXX. ἄγροικος *agrestis*, quod etiam ad mores refertur. SIMPLEX. LXX. ἄπλαστος, *minime fictus*. Vox Hebraica perfectum, iustumqne significat. HABITABAT IN TABERNACULIS, raro foras progrediens, nec venationi, ut Esau, intentus, sed rei domesticæ curam gerens. Chaldæus exponit suisse *ministrum domus doctrinæ*, id est auditorem sapientiæ. Hoc si est verum, habes scholarum antiquitatem.

V. 28. ISAAC AMABAT ESAU, utpote primogenitum. REBECCA DILIGEBAT IACOB, saniore affectu, quod melius moratum videret, & amabilibus moribus, & propter promissiones sibi a Deo factas.

V. 29. PULMENTUM, lenticulæ AEgyptiæ, ut docet S. August. in Psal. XLVI.

V. 30. DA MIHI. In Hebræo est, *Obtege me*, *obrue me*, *imple me de rufo*, *rufo isto*. Vel, *Fac me vorare de rufo*, &c. Loquendi modus aviditatem, & intemperantiam petentis indicat.

V. 31. PRIMOGENITA TUA. Primogenituræ privilegia eo tempore fuerunt sequentia. I. in mensa locus dignior: infra cap. XLIII. 33. II. civilis principatus in fratres, & successio in patriam dignitatem, qua primogenitus ceteris loco patris erat, adeo ut coram eo se inclinarent: infra cap. XXVII. & vocarent eum dominum, ut Iacob Esau appellat, Genes. XXXII. & XXXIII. III. in hereditatis divisione duas partes accipiebat natu maximus, alii singulas. Theodoretus quæst. LXXVII. IV. Pater moriturus primogenito benedicebat: Gen. XXVII. 4. V. iuxta aliquos primogeniti erant sacerdotes familiæ, & ad hunc usum peculiares vestes habebant. Porro in venditione primogenitorum peccavit Esau gula, sacrorum contemptu, & fortasse etiam simo-

monia vendens ius sacerdotii. Iacob vero non peccavit quia intendit emere tantum ius primarium primogenituræ, quod erat temporale, & vendibile, sicuti potest vendi ager, cui annexum ius patronatus. Nec peccavit iniustitia, quia vili emit a volente, & sciente. Adde, doctum a matre scivisse hoc ius Dei dispositione, & dono ad se pertinere.

V. 32. EN MORIOR. Gulæ necessitatem prætexit.

V. 33. IURA ERGO MIHI, per te mihi licitum fore primogenitorum prærogativis pacifice frui.

V. 34. ABIIT PARVIPENDENS: ventrem virtuti, cibum honori, gulam benedictioni præferens, & fortasse iam tum meditatus, quod iure amiserat, vi & ferro retinere.

TIRINI.

Vers. 6. FILIIS CONCUBINARUM, id est filiis Agar, & Cethuræ: quæ licet veræ, legitimæ, & proprie dictæ essent uxores, ut hic dicitur vers. 1. quia tamen ignobiliores erant & servæ, vocabantur concubinæ, quasi concumbentes secundariæ uxores: cavebaturque pactis dotalibus, ne filii earum ius haberent ad hereditatem paternam; sed hac integra relicta filiis primariæ uxoris, quæ erat domina totius familiæ, iubebantur certis muneribus seu donis pro arbitrio patris designandis esse contenti. Ita Pererius, Serarius *a*, & alii.

Ὁδοιπορικὸν totius vitæ Abrahæ habes in Chronico nostro cap. xv. Arborem vero genealogiæ parentum eius & filiorum usque ad Christum, cap. XLVI.

V. 8. CONGREGATUS EST AD POPULUM SUUM. Phrasis Hebr. qua significatur Abraham translatum eo quo maiores eius transierant, scilicet a statu viventium in terris, ad statum degentium in altera vita. Sic infra vers. 17. dicitur eadem phrasi *Ismael appositus ad populum suum*. Notat Brugensis, in veteri testamento, cum statim a morte etiam iustissimi ad limbum transirent, dici solitum, eos *congregari ad populum suum*, in novo vero, cum animæ puræ mox in cælum avolant, dici, *Transire ad Dominum*, *In Domino mori*, *Intrare in gaudium Domini*, &c.

V. 22. COLLIDEBANTUR IN UTERO EIUS PARVULI. Symmachus vertit, *colluctabantur*, scilicet uter superior esset, & prior exiret. Hæc lucta non vi naturæ, aut casu, sed Dei nutu contigit, uti mox matri ab Angelo indicatum est: cum enim illa vitæ suæ proliumque metuens, pergeret (verosimiliter ad oratorium, & ad aram domesticam, in qua sacrificium Deo offerebatur *b*) ut consuleret Dominum de tam insolitæ rei successu & eventu; hoc responsum accepit:

V. 23. DUO POPULI EX VENTRE TUO DIVIDENTUR; id est, duæ proles, a quibus duo populi, scilicet Israelitæ, & Idumæi, ex uno hoc tuo partu nascentur, habitatione, moribus, religione prorsus inter se contrarii & divisi, & ob id etiam perpetuo discordes. ET MAIOR SERVIET MINORI; id est, populus qui ex *maiori*, seu primogenito tuo procedet (puta Idumæi) *serviet* alteri populo, qui ex minori nascetur, scilicet Israelitis. Quod factum tempore Davidis, & Salomonis, II. Reg. VIII. & rursus tempore Hyrcani *c* filii Simonis Machabæi, ut Iosephus *d*, & alii describunt. Ex his patet, a Deo revelatum Rebeccæ, Iacobum divino decreto prælatum esse fratri suo Esau, illique deberi iura primogenituræ, etsi posterior gigneretur: unde etiam licite potuit suadere Iacobo, eidemque cooperari ad benedictionem paternam astu, & solertia fratri præripiendam. Ita S. Augustinus, Rupertus, & alii; qui allegorice cum S. Paulo ad Romanos IX. vers. 10. volunt hic designari, Christianos Iudæis præponendos quoad gratiam, fidem, & salutem æternam.

V. 25. VOCATUM EST NOMEN EIUS ESAU, id est factus, perfectus: quia cum toto corpore pilosus esset & hirsutus, non tam tener infantulus, quam vir perfectus videbatur. Hinc & alterum illi nomen fuit *Seir*, hoc est pilosus: & tertium *Edom*, id est rufus, tum a rufo pilorum colore, ut hoc versu dicitur: tum a coctione lentis rufa, pro qua vendidit primogenita sua, vers. 30. PROTINUS ALTER EGREDIENS, utero materno, plantam fratris tenebat manu, ut eum nascendo præverteret. IDCIRCO APPELLAVIT EUM IACOB, id est tenens plantam, vel supplantator, ut infra dicitur cap. XXVII. vers. 36. *Iuste vocatum est nomen eius Iacob*:

cob: *supplantavit enim me* (inquit) *en altera vice*.

V. 31. VENDE MIHI PRIMOGENITA TUA, seu ius primogeniturae tuae.

Petes: Quodnam fuit in lege naturae ius primogeniturae? Respondeo: Praeter ea quae nostrorum temporum primogenitis communia sunt, ut quod reliquis honore, dignitate, loco in publicis consessibus praeferantur; peculiare ipsis erat primo duplicem in hereditate paterna portionem accipere. Colligitur ex Deuter. XXI. vers. 17. Item Paralip. V. vers. I. ubi cum duae tribus conceduntur Iosepho, & consequenter duae portiones in partitione terrae sanctae; dicuntur primogenita Ruben translata fuisse in Ioseph. Secundo, peculiari benedictione a patre morituro benedici: quae ut magnae erat efficaciae apud Deum, ita maximi existimabatur. Tertio dignitas sacerdotii: quod tamdiu primogenito soli competebat, quamdiu fratres illi cohabitabant. Nam cum quis emigraret, & aliam conflaret familiam, uti caput fiebat illius novae familiae, ita & iure sacerdotii illi adnexi statim gaudebat. Quarto, moriente patrefamilia, primogenitus in locum illius succedebat, & ceterorum fratrum quasi parens erat, & dominus, & princeps. Patet infra cap. XXVII. *Dominum tuum illum constitui*, & *omnes fratres eius servituti illius subiugavi*.

Petes secundo an Esau vendendo sua primogenita peccarit, & quo genere peccati. Resp. Peccavit primo gula: nam quod dicit, *En morior*, nonnisi falsus praetextus fuit quo Iacobum induceret ad lentem donandam. Et ut vere eguisset, & valde; quis credat, in tam divite Isaaci domo vel carnem, vel alios cibos, vel saltem panem defuisse, quo Esau, si voluisset, vires instaurare potuisset? Secundo irreligiositate peccavit, & contemptu rei sacrae, quasi nihili aestimans etiam ius sacerdotii quo una cum primogenitura sese spoliarat. Unde & *profanus* vocatur Esau a S. Paulo ad Hebraeos XII. vers. 16. Et quidam volunt, etiam simonia peccasse, vendendo rem sacram.

Petes tertio an etiam Iacob ex eodem capite non peccarit simonia, emendo rem sacram; & simul iniustitia, emendo tam vili rem tam pretiosam. Resp. Neutro modo peccavit. Tum quia hoc ius primogeniturae sciebat Iacob suum esse, sibique etiam gratis deberi, ex divino decreto & oraculo, vers. 23. matri revelato. Unde bene prudenterque occasionem ultro hic oblatam amplectitur, qua a fratre volente, & orante obtineat, quod etiam invito potuisset iure, & vi extorquere. Tum quia ius sacerdotii non erat nisi accessorium ad ius primogeniturae, quod in se, & in reliquis etiam accessoriis erat temporale, & praetio aestimabile. Talia vero emi, & vendi possunt; ut fit quotidie in variis dominiis temporalibus, quibus annexum est ius patronatus. Et facile erat Iacobo iuveni pio, ac sagaci sacrum a profano mente ac intentione secernere; licet forte Esau profanus, & sacrorum contemptor nihil haec curaret, & tam sacra quam profana ridens, utraque venderet, atque ita simonia peccaret. Ita Caietanus *e* & alii Theologi.

(*a*) Serar. in Iud. XIX. quaest. 2.
(*b*) Ita Theol. quaest. lxxv. in Genes.
(*c*) Gen. XXVII. vers. 40. Abdiae vers. 18. & Chron. cap. XLII. post med. classis 2.
(*d*) Ioseph Lib. XIV. Antiq. cap. XVII.
(*e*) In II. II. quaest. c. art. 2.

GORDONI.

Vers. 1. MAle aliqui putant Agar esse Ceturam, & post mortem Sarae evasisse primariam uxorem: quod satis refellit vers. 6. Cetura videtur, sicut & Agar, fuisse ancilla Abrahae: nam vers. 6. vocatur concubina.

V. 5. CUNCTA. Id antea fecit ex cap. XXIV. vers. 36. & nunc donationem confirmat. MUNERA, aurum, vestes &c.

V. 6. FILIIS AUTEM CONCUBINARUM. Fuerant hae concubinae Agar, & Cetura, vere uxores; sed non ut dominae, ac primariae, ut erat Sara, quae data dote erat consors bonorum, & extra servilem conditionem.

V. 8. Obiit Abraham, de cuius morte, & chronologia extat diagramma hic cap. XII. Aliqui mortuum scribunt, anno mundi 2123. Anachronismus est 30. annorum, quod omittant Cainan. Habes suo loco annos omnes Abrahami compositos, & comparatos, tum cum annis expansis, tum cum regnorum Epocha, illorum temporum. Vide totae cap. XIV. vers. 15. CONGREGATUSQUE EST, corpore ad sepulcrum, anima ad

ad limbum. Congregari ad populum, idiotismus est Hebræorum, designans mortuum.

V. 11. IUXTA PUTEUM, in deserto Bersabee. De hoc puteo supra cap. XVI. vers. 14. & cap. XXI. vers. 19. & XXIV. vers. 62.

V. 13. CEDAR. Inde Cedareni Arabes.

V. 14. DUMA. Hinc Dumæ, Isai. XXI. Idumæis vicini. THEMA. Hinc regio Theman ad meridiem Idumææ, ubi Rex Eliphas amicus Iob.

V. 18. HEVILA. Designatur regio ampla Arabiæ, quæ a sinu Persico ad mare rubrum, & AEgyptum protenditur, AEgyptumque respicit. Adrichom. in Pharan. num. 43. Designavi mortem Ismaelis ad annum mundi 2201. vide quæ ibidem notata sunt de profectione Esau ad Ismaelem. Per fratres hic intellige filios, & cognatos, ex Hieronymo in Qq. Hebraicis.

V. 20. Agit de ortu Iacob, & Esau. Hic Bathuel Syrus est, ex ea Syriæ parte, quæ Mesopotamia vocatur. De Bathuele dixi cap. XXIV. vers. 24. & 50.

V. 21. EXAUDIVIT. Hoc accidit post annos aliquot.

V. 22. COLLIDEBANTUR. Rad. Heb. רצץ *ratsats*. Hieronymus alicubi vertit, *calcitrabant*; Septuag. ἐσκίρτων, *saltabant*; Augustinus, *gestiebant*. Hanc parvulorum luctam in utero, dum uterque nititur prior exire, non male, futuri inter fratres certaminis prognosticum puto, Dei nutu præmissum; ut satis aperit vers. 23. Esau vocatus est Seir, & Edom vers. 30. a polenta rufa. Edom significat rufum.

V. 23. MAIOR SERVIET MINORI. Non in persona (nam Iacobo non servivit maior Esau) sed in posteris, quando scilicet Idumæi posteri Esau, a Davide domiti, tempore Davidis, & Salomonis, servierunt posteris Iacob heredibus terræ promissionis, II. Reg. cap. VIII. Interpretes præter hunc sensum litteralem, admittunt etiam allegoricum, in Iudæis sub lege, & Christianis sub gratia. Esau hic אדום, seu rufus dicitur: unde genti nomen. Vide Malach. I. 2. ubi de dilectione Iacob, & odio Esau.

V. 25. HISPIDUS, pilosus, idque corpore toto. Seir pilosum significat. Dictus est etiam Edom, sanguineus.

V. 27. GNARUS VENANDI. Aliqui *astutum* interpretantur. AGRICOLA, libenter in agro versans. *In tabernaculis*: domi se continebat, non venator ut Esau.

V. 31. VENDE MIHI PRIMOGENITA. Τὰ πρωτοτόκια, ius primogenituræ. Ius primogenitii in lege naturæ hæc habebat: erat fratrum velut dominus, & instar patris; in divisione hereditatis singuli singulas, ipse duplicem portionem referebat, Deut. XXI. Item erat sacerdos familiæ, saltem post diluvium; ac denique a patre moriente benedictionem accipiebat. Iam de simonia, & peccato hic ementis, & vendentis ius istud, quod annexum spirituale habebat, certant Interpretes. Lege nostrum Suar. de Relig. Tom. I. Lib. IV. cap. VI. Excusatur certe Iacob, qui doctus a matre (cui Angelus vers. 23. id revelat) intellexit hoc ius dono Dei ad se pertinere, ut forte esset non emptio, sed vexationis redemptio. Quod ergo egit, pertinebat ad illud matri factum oraculum, quæ Dominum consuluit. At quomodo? Sane pro more illius ætatis, quæ nec tabernaculum, nec Aaronem habebat.

CA-



CAPUT XXVI.

Isaac ob famem in Geraris peregrinatus, post acceptam Terræ promissionem, & seminis benedictionem, reprehend tur ab Abimelech quod Rebeccam dixerit suam esse sororem: & pastoribus ipsorum pro puteis iurgantibus, Abimelech cum Isaac fœdus percussit.

1 ORta autem fame super terram, post eam sterilitatem quæ acci-
derat in diebus Abraham, abiit Isaac ad Abimelech regem
Palæstinorum in Gerara. 2. Apparuitque ei Dominus, & ait:
Ne descendas in AEgyptum, sed quiesce in terra quam di-
xero tibi. 3. Et peregrinare in ea, eroque tecum, & benedi-
cam tibi: tibi enim, & semini tuo dabo universas regiones
has, (*a*) complens iuramentum quod spopondi Abraham patri
tuo. 4. Et multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli; daboque posteris tuis
universas regiones has; (*b*) & BENEDICENTUR in semine tuo omnes gen-
tes terræ, 5. eo quod obedierit Abraham voci meæ, & custodierit præcepta
& mandata mea, & cæremonias legesque servaverit. 6. Mansit itaque Isaac in
Geraris. 7. Qui cum interrogaretur a viris loci illius super uxore sua, re-
spondit: Soror mea est: timuerat enim confiteri quod sibi esset sociata coniu-
gio, reputans ne forte interficerent eum propter illius pulchritudinem. 8.
Cumque pertransissent dies plurimi, & ibidem moraretur, prospiciens Abime-
lech rex Palæstinorum per fenestram, vidit eum iocantem cum Rebecca uxore
sua. 9. Et accersito eo, ait: Perspicuum est quod uxor tua sit: cur mentitus
es eam sororem tuam esse? Respondit: Timui ne morerer propter eam. 10.
Dixitque Abimelech: Quare imposuisti nobis? Potuit coire quispiam de po-
pulo cum uxore tua; & induxeras super nos grande peccatum. Præcepitque
omni populo, dicens: 11. Qui tetigerit hominis huius uxorem, morte morie-
tur. 12. Sevit autem Isaac in terra illa, & invenit in ipso anno centuplum:
benedixitque ei Dominus. 13. Et locupletatus est homo, & ibat proficiens
atque succrescens, donec magnus vehementer effectus est: 14. habuit quoque
possessiones ovium & armentorum, & familiæ plurimum. Ob hoc invidentes
ei Palæstini, 15. omnes puteos, quos foderant servi patris illius Abraham,
illo tempore obstruxerunt, implentes humo: 16. in tantum ut ipse Abime-
lech diceret ad Isaac: Recede a nobis, quoniam potentior nobis factus es val-
de. 17. Et ille discedens, ut veniret ad torrentem Geraræ, habitaretque ibi,
18. rursum fodit alios puteos, quos foderant servi patris sui Abraham, &
quos, illo mortuo, olim obstruxerant Philisthiim; appellavitque eos eisdem
nominibus quibus ante pater vocaverat. 19. Foderuntque in torrente, & re-
pererunt aquam vivam. 20. Sed & ibi iurgium fuit pastorum Geraræ adversus
pastores Isaac, dicentium: Nostra est aqua: quam ob rem nomen putei, ex
eo quod acciderat, vocavit Calumniam. 21. Foderunt autem & alium; & pro
illo quoque rixati sunt, appellavitque eum Inimicitias. 22. Profectus inde fo-
dit

dit alium puteum, pro quo non contenderunt: itaque vocavit nomen eius, Latitudo, dicens: Nunc dilatavit nos Dominus, & fecit crescere super terram. 23. Ascendit autem ex illo loco in Bersabee, 24. ubi apparuit ei Dominus in ipsa nocte, dicens: Ego sum Deus Abraham patris tui, noli timere, quia ego tecum sum: benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum propter servum meum Abraham. 25. Itaque ædificavit ibi altare: & invocato nomine Domini, extendit tabernaculum; præcepitque servis suis ut foderent puteum. 26. Ad quem locum cum venissent de Geraris, Abimelech, & Ochozath amicus illius, & Phicol dux militum, 27. locutus est eis Isaac: Quid venistis ad me, hominem quem odistis, & expulistis a vobis? 28. Qui responderunt: Vidimus tecum esse Dominum, & idcirco nos diximus: Sit iuramentum inter nos, & ineamus fœdus, 29. ut non facias nobis quidquam mali, sicut & nos nihil tuorum attigimus, nec fecimus quod te læderet; sed cum pace dimisimus auctum benedictione Domini. 30. Fecit ergo eis convivium, & post cibum, & potum 31. surgentes mane, iuraverunt sibi mutuo: dimisitque eos Isaac pacifice * in locum suum. 32. Ecce autem venerunt in ipso die servi Isaac, annuntiantes ei de puteo quem foderant, atque dicentes: Invenimus aquam. 33. Unde appellavit eum Abundantiam; & nomen urbi impositum est Bersabee, usque in præsentem diem. 34. Esau vero quadragenarius * duxit uxores, Iudith filiam Beeri Hethæi, & Basemath filiam Elon eiusdem loci: 35. (c) quæ ambæ offenderant animum Isaac & Rebeccæ.

(a) Sup. XII. 7. 15. 18. (b) Sup. XII. 3. XVIII. 18. XXII. 17. VIII. 19. (c) Infr. XXVII. 46.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 31. *In locum suum*. Huius loco non scribas, *In domum suam*.

V. 34. *Duxit uxores*. Non addas *duas*.

COMMENTARIA

S A.

Vers. 1. TERRAM, scilicet ubi Isaac habitabat. ACCIDERAT IN DIEBUS ABRAHAM. Vide sup. cap. XII.

V. 3. PEREGRINARE IN EA. Heb. *Peregrinare in terra hac*.

V. 4. IN SEMINE, id est propter semen.

V. 5. CAEREMONIAS. Hebr. *statuta*.

V. 9. MENTITUS. Hebr. *dixisti*.

V. 10. POTUIT COIRE. Hebr. *Parum absfuit quin dormiret*.

V. 11. HOMINIS HUIUS. Hebr. *Virum hunc, & eius*.

V. 12. CENTUPLUM, scilicet quam seminaverat.

V. 17. TORRENTEM. Alii, *vallem*.

V. 18. FODIT, scilicet in torrente, seu valle Geraræ.

V. 19. FODERUNTQUE, scilicet servi Isaac.

V. 20. CALUMNIAM. Alii *contentionem*: LXX. *iniustitiam*.

V. 21. INIMICITIAS. Sic etiam LXX. alii *odium*.

V. 33. ABUNDANTIAM. LXX. & alii, *iuramentum*, scilicet legerunt per ש. At Hier. per ש & quidem verius: quid enim ad aquæ copiam iuramentum? Nisi dicas, duabus de causis Bersabee vocatam, & ob iuramentum, & ob aquæ abundantiam, scilicet unius litteræ pronunciatione mutata.

V. 35. OFFENDERANT, scilicet conten-

tendendo cum utroque, ut indicant LXX. vel non obediendo, ut Chald. indicat. Hebraic. *irritabant*.

ESTII.

Verf. 5. MANDATA MEA, ET CAEREMONIAS, LEGESQUE SERVAVERIT. Quas ceremoniis; cum lex cæremonialis nondum esset lata? Respondeo: Iam Deus instituerat circumcisionem, forte & alia nonnulla. Vel certe est enallage numeri pluralis pro singulari.

V. 7. SOROR MEA EST. Potest hoc eodem modo excusari a mendacio, quo simile factum Abrahæ: quia pater Abrahæ & avus Rebeccæ erant fratres. Et quamvis regi dicenti, *Cur mentitus es eam sororem tuam esse?* non legatur Isaac respondisse sicut responderat Abraham, *Vere soror mea est*; sed dixerit: *Timui ne morerer propter eam*: potest tamen intelligi quod & illud dixerit, memor excusationis paternæ, etsi scriptum non sit, interim maxime ad rem ipsam responderit.

Sed quæritur: Quomodo sperabat Isaac posse latere, cum (ut capite præcedenti patet) iam habuerit liberos? Respondeo: Forte hæc narrantur per hysterosin, ut acciderint ante natos filios. Vel potest etiam dici, quod in tam magna familia Isaac, ubi erant servorum ancillarumque filii, facile potuerint latere filii Isaac, indicto severe, ne quis eos proderet.

V. 12. ET INVENIT IN IPSO ANNO CENTUPLUM. Non est hoc incredibile: nam & Christus dicit Matth. XIII. *Facit aliud quidem centesimum* (fructum) &c. Quin etiam Historiæ Indicæ Lib. III. cap. XXXIX narratur, quod qui primi seminarunt frumentum in Hispaniola insula Indiæ occidentalis, invenerint illo anno octies centuplum.

MARIANAE.

Verf. 1. ORTA AUTEM FAME SUPER TERRAM: certe ubi Isaac habitabat.

V. 3. PEREGRINARE IN EA. Hebr. *Peregrinare in terra hac quam dixero*, sive *habita*, ut Sept. & Chald. posuerunt. COMPLENS IURAMENTUM. Hebr. *Et stare feci iuramentum*, præteritum pro futuro; *& stare faciam*, sic Sept. & Chald. reddiderunt.

V. 4. IN SEMINE TUO: propter semen tuum Christum.

V. 5. EO QUOD OBEDIERIT. Sic etiam Sept. & Chald. nam Hebraica reddi etiam possunt, *Merces quod obedierit*: עקב *hekeb* enim inter alia tum *calcaneum* significat, tum *mercedem*, quod fit in opere ultimum. Supra cap. XXII. verf. 18. ET CAEREMONIAS. Hinc colligunt quidam, cæremonias legis viguisse ante legem. Ceterum חקותי *hukothai*, *statuta & pacta* potius quam *cæremonias* significat.

V. 10. POTUIT COIRE QUISPIAM DE POPULO: Hebr. *Ut parum* (pro parum abfuit) *dormivit unus populi cum uxore tua*. Quidam per *unum* intelligit primum; quasi dicat: Ego, qui primus populi sum, potui coire cum uxore tua.

V. 11. QUI TETIGERIT HOMINIS HUIUS UXOREM. Hebraice: *Qui tetigerit virum hunc, & uxorem eius*: sicque Græce redditur locus. Et tangendi vocem pro nocendi sumit Chaldæus, sumunt alii Hebræi.

V. 12. ET INVENIT IN IPSO ANNO CENTUPLUM. Sept. *Et invenit in eo anno centuplum hordeum*. Chald. *Centuplum quam æstimaverat*. Nimirum vox שערים *Seharim* significat genus mensuræ, seu modium, quam significationem secutus Hier. absolute dixit, *Invenit centuplum*, nempe pro una seminis centum mensuras. Significat etiam *opiniones*, a verbo שער *Sahar*, quod *existimare* significat: hoc secutus est Chald. & inter Græcos Aquila, ἑκατὸν εἰκασμένον, *centum ut cogitarat*. Eadem vox significat *hordeum*, sed paulo aliter scripta, nempe cum puncto *sinol*, שְׂעֹרִים *seorim*, quod Sept. decepit, & quoniam in iis regionibus & in Africa propter æstum hordeo victitant.

V. 14. ET FAMILIAE PLURIMUM. Sept. *Agricolationes multæ*. Certe vox עבדה *habudah*, utrumque potest significare, & *servos multos*, & *opera multa*, quæ Isaac habuit.

V. 19. AQUAM VIVAM, scaturientem, & manantem repererunt pastores Isaac.

V. 20. CALUMNIAM. Alii *contentionem* vertunt. Sept. *iniustitiam*.

V. 25.

V. 25. PRAECEPITQUE SERVIS SUIS UT FODERENT PUTEUM. Hebraice: *Et foderunt ibi servi Isaac puteum.*

V. 26. ET OCHOZATH AMICUS ILLIUS. *Ochozath* poteſt eſſe nomen proprium, quod ſecuti ſunt Hieron. Sept. & Kimhi: poteſt etiam eſſe nomen appellativum, & ſignificat *congregationem amici eius*, pro amicorum, qui eum ſunt comitati: ſic Chald. & quidam ex Hebræis intelligunt.

V. 29. AUCTUM BENEDICTIONE DOMINI. Hebr. *Tu nunc benedictus Domini*.

V. 32. ANNUNTIANTES EI DE PUTEO, nempe de quo ſuperius verſ. 25. ATQUE DICENTES: INVENIMUS AQUAM. Sept. *Non invenimus aquam*, οὐχ εὕρομεν, atque ita legebatur tempore Hieron. ut patet ex Tradit. Nimirum לו, quod ſignificat, *ei annunciantes*, legerunt לא eadem prolatione, ſed negationem. Quare locus hic in Regiis vitiatus eſt: nam legunt in Sept. *Invenimus aquam*, quod ex Complut. manavit.

V. 33. APPELLAVIT EUM ABUNDANTIAM. Pro *Abundantia*, Sept. poſuerunt *Iuramentum*: quod Hieron. in Tradit. refellit, affirmans, Aquilam & Symmachum poſuiſſe *ſaturitatem*. Similitudo vocis decepit: nam שִׁבְעָה *ſibbah*, cum puncto *iamin*, ut modo eſt in Hebraico, ſignificat *iuramentum*, & *ſeptem*; at cum *ſmol*, ſignificat *ſaturitatem*, vel *abundantiam*. Et alioqui bene cohæret, ut quemadmodum ſuperius Abraham eam urbem vocavit *Berſabee* a iuramento facto cum Abimelech, ſive a ſeptem agnis (perinde enim eſſe diximus) ita hoc loco ex repetito iuramento, repetatur ab Iſaaco & putei & oppidi appellatio: ſive quia ſeptimus puteus fuit inter eos quos foderunt Abrahæ ſervi, vocavit eum *Berſabee*, id eſt puteum ſeptimum.

V. 35. QUAE AMBAE OFFENDERANT ANIMUM. Hebr. *Et erant amaritudo animi Iſaac & Rebeccæ*, ſcilicet utraque uxor Eſau.

MALVENDAE.

Verſ. 5. ET CUSTODIERIT PRAECEPTA. Hebr. *Et ſervavit obſervantiam meam*; vel *& cuſtodivit cuſtodiam meam*; id eſt, fuit obſervans mei, expectavit, reſpexit ad iuſſa mea; ea, quæ mandavi ei ſervanda ſervavit & executus eſt: מִשְׁמֶרֶת *miſchmereth*, *cuſtodia*, *obſervatio*, *conſervatio*, *obſervantia*. Quidam *ſtationem* quoque ſignificare notant, ſumpta ratione nominis a militum aut excubiarum ſtationibus, ubi ſuum quiſque munus obit, & locum ſedulo tuetur; quaſi Abraham ſtationem ſuam ſtrenue obierit, locum, & munus ſuum in obſequendo & obſervando legem egregie executus fuerit. Sic ſumitur Iſaiæ XXI. 8. ET CAEREMONIAS. חקות *chukkoth*, ſunt proprie *præſcriptæ formæ*, *ſeu normæ*, *quibus aliquid eſt impreſſum*, *inſculptum*, *deſcriptum*, *aut delineatum*, *vel ad faciendum*, *vel ad repræſentandum*; nempe, quaſi ordinationes, formæ, regulæ, normæ, decreta, ſtatuta, conſtitutiones præſcriptæ, ordinatæ, certæ, ſeu conſtituta, quibus rationes rerum gerendarum, vel ritus, ſeu cultus, & cæremoniæ aliquid referentes, & repræſentantes impreſſæ, & expreſſæ continentur. De qua voce dicemus alibi opportunius. Vide Exodi XV. verſ. 25.

V. 8. IOCANTEM. Quidam interpretantur, licentia maritali, graviter, & honeſte quidem, ſed liberius ridentem, ludentem, ac iocantem cum uxore, quam revera vir gravis & honeſtus cum aliena feciſſet: unde Abimelech cognoverit uxorem fuiſſe: ſed cur cum ſorore non potuit ita iocari? Hebræi & Noſtri participium מצחק *metzachek*, *ridens*, *ludens*, *iocans*, capiunt pro eo quod viri facere ſolent cum uxoribus ſuis, id eſt pro coniugali actu. Sic verbum צחק *tzachak* in Pihel Geneſ. XXXIX. 17. ſumi volunt. Latini, ut eſt in Gloſſis Iſidori, dicebant, *excellare*, ſeu *excilare*, pro *cum uxore eſſe in libertate*. Veteres Latini venereos actus ludos & iocos vocabant. Petronius in Satyrico, pag. 56. *Invenit me cum fratre ludentem*. Et pag. 72. *Luſumque puerilem libidinoſa ſpeculabatur diligentia*. Galienus Imperator in Epithalamio:

Ite, agite, o iuvenes, pariter ſudate medullis &c.
Ludite, ſed vigiles nolute extinguere lychnos.

Maximianus Hetruſcius Elegia 4. de amica ad venerem amatorem invitante:

Quin potius placito noli, inquit, parcere ludo:
Parcite triſtitias, & renovate iocos.

Sic in epitaphio Sardanapali, *Ede*, *bibe*, *lude*

de, inquit Arrianus Lib. II. *Illud lude molliore quodam, lascivioreque Assyrio vocabulo expressum aiebant*. Vide Notas Isaacii Grangæi in Iuvenalis Satyram VII. pag. 298. Nec Cynicus, aut Crates erat Itzchak, nec Rebecca Hypatia; sed in cubiculo, & honeste congrediebantur: sed reges, ut sunt curiosi, omnia rimantur, & ex alto despiciunt.

V. 10. GRANDE PECCATUM. אשם *ascham*, exponunt *afflatum*, id est rem, seu culpam, aut pœnam afflatu, exsibilatione, horrore, abominatione dignam, quam omnes difflent, exhorreant, abominentur: *reatum* reddunt. Alii. *delictum atrox*, & *turpe scelus*. Nonnulli, *piaculum*, id est reatum, immane scelus, cui expiatione opus esset. Virgilius VI. AEneidos:

Distulit in seram commissa piacula mortem; id est crimina, quæ expiatione indigebant, vel *propter quæ expiatio debetur*, inquit Servius, qui etiam annotat, piacula dici *sacrilegia*. Vim & usum nominis *ascham* in sacrificiis dicemus suo loco. Nam ut *piaculum* Latinis *sarilegium*, & *sacrificium* significat; ita etiam Hebræis *ascham*. Vide Levitici v. vers. 6.

V. 12. CENTUPLUM. שערים *schegharim*, non alibi in Scriptura invenitur in ea significatione qua hic. Ubique *portas* significat; hic vero aiunt esse *modios*, seu *mensuras aridorum maximas*, a quibus æstimarent alias omnes minores mensuras, & in quas etiam ingrederentur reliquæ omnes: dictas a שער *schaghar*, *æstimare*, *reputare*; seu a portis urbium, in quibus fiebant iudicia, quod forsan essent portis addictæ, ad quarum normam seu iustitiam reliquæ omnes mensuræ exigerentur, conferentur, rectificarentur. Hic quidam vertunt: *Et invenit in anno ipso centum modios*, seu *mensuras*, hoc est centies tantum quantum seminaverat. Alii, *Centum æstimationes*, id est centies tantum quantum æstimaverat, aut expenderat: reddidit illud semen centum pro uno. Si puncta negligimus, possit reddi, *Centum bordeorum*, vel *centum hordea*; quod Græci exposuerunt *centuplicatum hordeum*, pro uno grano centum. שעירים *seghorim*, cum scin sinistro, *hordea*, Levit. XXVII. 16 & alibi.

V. 14 ET FAMILIAE PLURIMUM. עבדה *ghabuddah* proprie *servitus*, vel *servitium*. Plurali numero Latini *servitia* servos vocabant; singulari numero *servitium* multitudinem servorum, auctore Sosipatro, qua voce usum Ciceronem observant. Hic proprie quadrat. Hebræi nomine *Ghabuddah* intelligunt *servos*, & *ancillas*, item *proventum qui obvenit ex cultura terræ*, ut comprehendat agros, vineas, hortos, pomaria, &c.

V. 18. RURSUS FODIT ALIOS PUTEOS. Heb. *Et reversus fuit Itzchak*, & *fodit*. Observant phrasim Hebraicam, quod, cum verbum שוב *schub*, *reverti*, construitur cum alio verbo sequenti tunc adverbiascere, & poni pro *rursus*, *iterum*, *denuo*. Iosue V. 2. *Et revertere*, *circumcide*; id est, iterum circumcide. Iob VII. 7. *Non revertetur oculus meus ad videre bonum*; id est, non denuo videbit bonum. II. Paralip. XXXIII. 3. *Et conversus fuit*, & *ædificavit excelsa*; id est, iterum ædificavit excelsa. Psal. LXX. 20. *Et conversus vivificasti me*: & vers. 21. *Et conversus consolatus es me*. Sed hic est verbum סבב *sabab* cum samech. Psal. LXXXIV. 7. *Tu conversus vivificabis nos*. Psal. LXXVII 41. *Et reversi sunt*, & *tentaverunt Deum*, Genes. XXX. 31. *Revertar*, *pascam gregem tuum*. Ierem. XII. vers. 15. *Convertar*, & *miserebor*. Et cap. XVIII. vers. 4. *Conversusque fecit illud*. Ezechiel. VIII. vers. 6. *Conversus videbis abominationes maiores*. Isaiæ VI. 13. *Et revertetur*, & *erit in combustionem*. Zachariæ VIII. 15. *Reversus cogitavi*; id est, rursus, denuo, iterum cogitavi: & mille aliis locis. Hæc paulo longius annotare visum, quod Casaubonus Maldonatum sugillat exponentem illud Lucæ XXII. 32. *Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos*; id est, iterum atque iterum confirma: pertendens, nec verba, nec ullum Hebraismum tale quidpiam significare. Qui viderit hunc tractantem Hebræa, putabit, si alia nescit, mystem magnum linguæ, qui tamen in hunc, & alios crassissimos & pudentissimos lapsus passim præcipitatur. Hebraismus hic vel pueris ipsis pervulgatissimus; quem saltem a suis Forstero, Mercero, Avenario, Drusio, ac Genevensibus, & Tigurinis Scholiastis facile discere potuisset. Nam & ipsorum & nostrorum nulli non notus, & passim observatus.

V. 20. EX EO QUOD ACCIDERAT. Heb. *Quia iurgati fuerunt*, verbum עשק *ghasak*, cum scin sinistro, semel tantum in Scri-

Scriptura extat, nempe hic, ubi in formula Hithpahel ponitur. Noster omisit: quidam a עשק *ghaſchak* dextro ſignificatum acceſſunt, ut ſit *fraudulenter*, *& calumnioſe agere*, *contendere*, *litigare*, *iurgari*, *arte ſophiſtica & fraudulenta velle eripere*, *ac rapere*, *& alienare*. Alii exponut: *Iurgari contumelioſe*, *litigare cum calumnia*, *contendere calumniis & iurgiis*, *contumeliis afficere*. Quidam reddunt, *Quia fraude egerunt*. Alii, *Quia calumniati ſunt inter ſe*. Qui exponunt, *Et vocavit nomen putei occupationem*, *detentionem*, *quia occupaverunt*, aut *detinuerunt eum*, ex Rabbinico ſignificato & uſu verbi deſumunt. Plures: *Quia contenderunt*, *litigaverunt*, *rixati ſunt*. Verbum in Hithpahel magnam rixam, & contentionem ſignificat. Verum ex hoc verſu facile colligitur, verbum עשק *ghaſak* ſynonymum eſſe cum ריב *rib*, quod initio verſus ponitur. VOCAVIT CALUMNIAM. עשק *gheſek* reddunt *litigium*, *contentionem*, *iurgium fraudulentum*. *rixam*, *controverſiam*, *calumniam*. Ioſephus *pugnam* dixit.

V. 26. ET OCHOZATH AMICUS ILLIUS. Quidam hic אחזת *achuzath* pro nomine appellativo, non proprio capiunt; vertuntque: *Et turma*, *collegium*, *cœtus*, *comitatus*, *ſocietas amicorum eius*, vel *ex amicis eius*. Sic dicta ab אחז *achaz*, *apprehendit*, *tenuit*, quod qui comitantur principem, numquam diſcedant ab eo, ſed quaſi eum teneant. Alii nomen officii & dignitatis putant; quaſi *apprehenſorem*, ſeu *poſſeſſorem*, vel *tentorem* dicas, *teniente* Hiſpanice; nempe vel vicarium regis, ſeu viceregem aut proregem, præfectum prætorio; vel corporis cuſtodem, aut præfectum cohorti amicorum, vel prætorianis militibus. Quin etiam פיכל *picol* nomen officii interpretantur, id eſt *os omne*, vel *omnium*; nimirum ſummum conſiliarium, & interpretem regiorum oraculorum, per quem omnes os regis conſulebant, & qui regis mandata ad omnes referret. Sic quoque Abimelechum commune regum Palæſtinorum nomen volunt. Nam hunc Abimelechum & Phicolem diverſos ſtatuunt ab illis qui tranſegerunt cum Abraham, cap. XXI. 22. cum intervallum incidat minimum centum annorum. Sed illa ætate non eſt mirum eoſdem eſſe potuiſſe. Alii, ut Noſter, & LXX. potius nomen proprium eſſe exiſtimant viri. Achurath, ſive Achyſas (ex quo fortaſſe nomen Anchyſæ patris A Eneæ inditum) quidam ſuſpicantur; quamvis quibuſdam id nimis curioſum videatur.

V. 33. ABUNDANTIAM. Ecce hic eidem loco, & eidem nomini novam & aliam nominis rationem & ſignificationem ab illa quæ exprimitur Geneſis XXI. 31. nimirum a novo eventu, nempe aquarum repertarum abundantia: ſcilicet שבע *ſchabagh* dextrum ſignificat *ſeptem*, & *iurare*; at *Schabagh* ſiniſtrum, *ſatiari*, *ſaturari*. Levi pronuntiationis mutatione variatur ſignificatus: qui etiam communis eſt, quod ſeptenarius numerus, ſit numerus ſaturitatis & plenus; & quod iuramentum plenam & abundantem facit fidem.

V. 35. QUAE AMBAE OFFENDERANT ANIMUM. מורת *morath* poſſit eſſe nomen ſubſtantivum a מרר *marar*; unde reddunt: *Et fuerunt amaritudo ſpiritus ipſi Iizchak*, *& ipſi Ribkah*. Alii deducunt a verbo מרה *marah*, id eſt *mutare*, *rebellem & inobedientem eſſe*; & tunc quidam faciunt participium. *Et fuerunt* unaquæque earum, *mutans*, *mutabilis ſpiritus*; id eſt, erant leves, & inconſtantes, vel rebellantes, contradicentes, inobedientes, immorigeræ ſpiritus, vel ſpiritu, aut ſpiritui, id eſt animi, vel animo. Nonnulli nomen ſubſtantivum faciunt: *Et fuerunt mutatio*, *mutabilitas*, *contradictio*, *rebellio ſpiritus ipſi Iſaac*, *&c*. Noſter verbum *marah*, ſolet reddere per *rebellare*, *inobedientem eſſe*, *provocare ad iracundiam*, *offendere*, *protervum*, *ſeu contumacem eſſe*, *amarum eſſe*; quæ omnia ſignificata mire hic quadrent in nurus Itzchak, quæ ſoceris erant rebelles, immorigeræ, protervæ, præfractæ, contumaces, amaræ.

MENOCHII.

Verſ. 1. SUPER TERRAM, Chanaam, ubi degebat. POST EAM. De qua fame ſupra cap. XXI. ABIMELECH: non ille de quo in eo cap. XXI. ſed fortaſſe eius filius. Credibile regibus Geraræ nomen commune Abimelech fuiſſe, ut etiam AEgyptii omnes dicti ſunt Pharaones. Abimelech ſignificat Pater meus rex: reges enim & patriæ, & ſubditorum patres eſſe debent.

V. 2. APPARUIT EI DOMINUS.

Cur prohibitus ire Isaac quo pater ipsius Abraham perrexerat, in AEgyptum scilicet? An quod AEgyptiis necessarius fuerat Abrahæ adventus, ut veræ fidei, & religionis doctrina imbuerentur, nunc vero id minus necessarium? An quod voluerit Deus ostendere quod etiam in rerum inopia, & sterili solo suos alere possit? QUAM DIXERO. Nondum enim pervenerat in Gerara.

V. 3. PEREGRINARE IN EA: ad tempus in ea tamquam peregrinus habita.

V. 5. EO QUOD OBEDIERIT. Hebraica reddi etiam possunt: *Merces, quod obedierit*: nam vox Hebraica עקב *ghequev* calcaneum significat, & etiam mercedem, quod fit in opere ultimum. VOCI MEAE, iussioni de necando filio. CAEREMONIAS: tum propriam circumcisionis, tum alias omnibus communes, quas Deus in lege naturæ instituit, quibusque coli voluit. Habuit enim lex naturæ, uti & Mosis, & Christi, suos ritus, sua sacra, & sacramenta.

V. 7. SOROR, cognata. Excusandus ut patet supra cap. xx.

V. 8. IOCANTEM: licentia maritali liberius agentem, quam cum aliena viri graves soleant.

V. 9. MENTITUS. Opinione Abimelech mendacium erat, quia cognationis ignarus erat rex.

V. 10. QUISPIAM DE POPULO. Hebr. *Unus populi*, quod aliqui vertunt, *Primus populi*, & de ipso Abimelech intelligunt. LXX. habent, *Aliquis ex genere meo*. GRANDE PECCATUM: gravem culpam, vel gravem pœnam.

V. 11. QUI TETIGERIT HOMINIS HUIUS UXOREM. Hebr. *Qui tetigerit virum hunc, & uxorem eius*: & tangendi vocem pro nocendi sumunt Chaldæus & Hebræi. MORTE MORIETUR. Eadem mortis pœna postea in lege Mosis statuta.

V. 12. SEVIT, in terra conducta. BENEDIXITQUE EI DEUS; pro, nam benedixerat ei Dominus.

V. 18. QUOS FODERANT. Maluit veteres eruderare, & expurgare, quam novos fodere. I. quia certus illic aquæ venam esse. II. quia facilius, & minus invidiosum: quia iuste utebatur paterno labore, nec poterat ei novum opus denuntiari. III. ut gratam patris memoriam renovaret: quare iisdem nominibus appellari voluit.

V. 19. IN TORRENTE. LXX. *in valle*, quam scilicet interfluebat torrens, vel in ipso sicco alveo torrentis per metonymiam.

V. 20. NOSTRA EST: quia in nostro solo fodistis. Sed hoc iniuste prætexebant, quia consentientibus foderant. CALUMNIAM. Vox Hebraica significat etiam oppressionem, fraudem, iniustitiam.

V. 21. INIMICITIAS: nam toties iterata vexatio fuit indicium odii inveterati.

V. 22. LATITUDO. Hebr. *latitudines*; quasi dicat, Hic puteus latam, liberam, & immunem a Geraritarum invidia, abundantemque nobis, nostrisque pecoribus dabit adaquationem; ideoque vocetur *Latitudo*. DILATAVIT NOS DOMINUS. Metaphora sumpta a redactis in arctum, qui postea evadunt: sic Psal. IV. 1. *In tribulatione dilatasti mihi*.

V. 23. EX ILLO LOCO, ubi ultimum puteum foderat. IN BERSABEE. Finita fame tandem rediit eo unde propter famem exiverat.

V. 24. DEUS ABRAHAM. Sum verus ille Deus, qui cum parente tuo hic pactum pepigi; vel etiam dicitur Deus Abraham; quasi dicat: Omnes quidem creaturæ meæ sunt, sed tamen apud me unus Abraham plus valet quam omnes alii: itaque gaudeo appellari Deus Abraham.

V. 25. EXTENDIT TABERNACULUM: ut ibi sedem & domicilium figeret. UT FODERENT PUTEUM: quærerent, & eruderarent illum quem olim Abraham his locis effoderat.

V. 26. CUM VENISSENT: non tam ut societatem inirent, quam ut specularentur, parati ad bellum, si tenuem, & infirmum; ad fœdus, si validum, & potentiorem invenirent. OCHOZATH. Aliqui putant esse nomen appellativum: unde vertunt, *Et cœtus amicorum eius*. Verum melius LXX. & noster Interpres accipiunt *Ochozath*, quasi nomen proprium. PHICOL. Videtur esse nomen officii potius (ut etiam Abimelech) quam nomen proprium. Etymon, sive interpretatio illius est, *Omnis facies*, quod scilicet omnium militum, quorum dux erat, animi, & oculi in eum conversi. Coniicio fuisse nomen

offi-

officii, quia etiam tempore Abrahæ rex Geraræ Abimelech, & eius dux Phicol appellabatur supra cap. XXI. 22. qui si iidem sint, ille regnaverit, hic vero dux exercitus fuerit plus annis centum.

V. 27. QUEM ODISTIS: quem vos odisse factis ostendistis.

V. 29. NEC FECIMUS QUOD TE LAEDERET. Falsum est hoc, nam ipsis conniventibus pastores iniuste ab usu puteorum suorum arcuerant. AUCTUM BENEDICTIONE DOMINI: quia vidimus te auctum, &c. Vatabl. vertit: *Nam tu es benedictus Domini.*

V. 31. SURGENTES MANE. In iuramenti publici, & solemnis reverentiam ieiuni, & sobrii præstant iuramentum.

V. 33. ABUNDANTIAM. Vox Hebræa *saturitatem* significat; quasi dicat: Ex hoc puteo abundantes latices petemus, & saturabimur.

V. 34. DUXIT UXORES, invito patre iam centenario, ipse quadragenarius. Isaac tamen ne filium contristaret, dissimulavit displicentiam, ut ait Iosephus, qui etiam addit, soceros fuisse dynastas Hethæorum, quod est credibile.

V. 35. OFFENDERANT, malis moribus, & contumacia, & quia manebant idololatræ.

TIRINI.

Vers. 19. FODERUNT IN TORRENTE, id est iuxta torrentem, ET REPERERUNT AQUAM VIVAM, puta fontanam perpetuo scaturientem.

V. 33. APPELLAVIT EUM, puteum, ABUNDANTIAM. Scilicet, ominabatur Isaac, ex hoc puteo, uti pacificam, ita & copiosam pecoribus, ac familiæ adaquationem futuram. ET NOMEN URBI, puteo illi vicinæ, IMPOSITUM EST BERSABEE; id est, puteus saturitatis, seu abundantiæ. Idem tamen verbum *Bersabee* paulo vehementiore aspiratione significat etiam *puteum iuramenti*. Unde ex utroque capite urbi illi impositum est nomen *Bersabee*: prius ab Abrahamo cap. XXI. Genes. vers. 31. quia ibi Abraham & Abimelech mutuo fœdus & fidem iurarunt, uti & hoc cap. Isaac eidem Abimelecho, vel filio potius successori eius, simile fœdus ad eumdem puteum iuravit: posterius ab Isaaco, hoc loco, & hoc versu, ubi ex copia aquarum vocavit *puteum abundantiæ*. Ita Caietanus, & Tostatus.

V. 35. AMBAE, uxores Esau, OFFENDERANT ANIMUM ISAAC, ET REBECCAE. In Hebræo, Chaldæo, & Græco est *offendebant*, nempe quotidie & continuo: cum enim essent ex Hethæis impiis, & idololatris oriundæ, verosimile est etiam ethnicis & superstitiosis illius gentis ritibus magis quam veri Dei cultui addictas fuisse. Forte etiam, quia primogenito nupserant, cui imperium in alios iure debebatur, superbia tumidæ non modo spernebant Iacobum, minorem natu, eiusque modestiæ ac pietati quotidie insultabant; sed socerum quoque, ac socrum, subinde se monentes ac corripientes, ridebant & contemnebant. Unde in Hebræo est: *Erant amaritudo spiritus Isaaco, & Rebeccæ.*

GORDONI.

Vers. 1. VIde cap. XII. de hac sterilitate. Putatur Isaac post mortem patris habitasse in Hebron. Hic narratur nunc venisse in Geraram ad Abimelech, successorem illius de quo cap. XXI.

V. 4. BENEDICENTUR IN SEMINE TUO, hoc est in Christo.

V. 5. EO QUOD OBEDIERIT. Remunerat Deus bona opera.

V. 7. SOROR. Cognatam designat, ut supra cap. XX. de patre, ubi de hoc loquendi modo.

V. 8. IOCANTEM, hoc est, liberius & blandius agentem cum ea.

V. 9. Isaac videtur Regi mentitus; sed fallitur Rex.

V. 12. CENTUPLUM. Locupletatur Isaac, dum pro una mensura centum colligit mensuras. Fertilis quidem terra illa erat; sed accessisse hic videtur peculiaris Dei providentia erga Isaac, præsertim hoc tempore sterili, ex vers. 1.

V. 18. QUOS FODERANT. Placuit ei potius veteres purgare puteos, quam fodere novos.

V. 19. IN TORRENTE: forte in alveo sicco torrentis. AQUAM VIVAM, sponte scaturientem invenerunt servi Isaac.

V. 20. NOSTRA EST: quia nempe in nostro solo est.

V. 22. LATITUDO, designat tum abundan-

undantem aquam, tum libertatem a rixa.
V. 23. Exacta fame, redit Iacob unde digressus est.
V. 27. Nocuerunt, & profitentur se amicos.
V. 32. INVENIMUS AQUAM. Sept. *non invenimus*, οὐχ εὕρομεν; tamen in Regiis, & Complutensi est לו, *nuntiaverunt ei*; non autem לא, quod est non.
V. 33. ABUNDANTIAM. Hic apud Septuaginta est vox, *iuramentum*, ὅρκος. Hieronymus vertit *abundantiam*. Verum Hebr. שבע *schebahh*. Prout ש habet punctum in sinistro, vel dextro cornu, significabit *abundantiam*, vel *iuramentum*. Cum ergo tempore Hieronymi non essent puncta, potuit vox utroque modo intelligi. Ergo Septuaginta concipientes punctum in dextro cornu, vertunt *iuramentum*; sed propterea non voluerunt dicere puteum vocari iuramentum; sed designaverunt hoc modo loquendi, repertam eodem die aquam, & iuramentum interpositum, vers. 31. & ita sensum dant verum. BERSABEE. Vide supra XXI. ubi hoc nomen puteo impositum est. Nunc vero urbi imponitur ab Isaaco; aut si (ut aliqui suspicantur) fuit antea ab Abrahamo nomen Bersabee impositum urbi, potuit etiam iterum imponi ab Isaaco, facta mutatione in sono litteræ ש ut antea diceretur באר שבע, *Beer schevahh*, *puteus iuramenti*: postea vocaretur באר שבע *Beer sevahh*, *puteus abundantiæ*.

CAPUT XXVII.

Iacob matris consilio benedictionem loco Esau accepit: ad cuius odium fugiendum monetur a matre ut in Haran ad Laban concedat.

1 SEnuit autem Isaac, & caligaverunt oculi eius, & videre non poterat: vocavitque Esau filium suum maiorem, & dixit ei. Fili mi? Qui respondit, Adsum. 2. Cui pater, Vides, inquit, quod senuerim, & ignorem diem mortis meæ. 3. Sume arma tua, pharetram, & arcum, & egredere foras: cumque venatu aliquid apprehenderis, 4. fac mihi inde pulmentum sicutve lle me nosti, & affer ut comedam, & benedicat tibi anima mea antequam moriar. 5. Quod cum audisset Rebecca, & ille abiisset in agrum ut iussionem patris impleret, 6. dixit filio suo Iacob: Audivi patrem tuum loquentem cum Esau fratre tuo, & dicentem ei: 7. Affer mihi de venatione tua, & fac cibos ut comedam, & benedicam tibi coram Domino antequam moriar. 8. Nunc ergo fili mi, acquiesce consiliis meis, 9. & pergens ad gregem, affer mihi duos hœdos optimos, ut faciam ex eis escas patri tuo, quibus libenter vescitur: 10. quas cum intuleris, & comederit, benedicat tibi priusquam moriatur. 11. Cui ille respondit: Nosti quod Esau frater meus homo pilosus sit, & ego lenis. 12. Si attrectaverit me pater meus, & senserit, timeo ne putet me sibi voluisse illudere, *& inducam super me maledictionem pro benedictione. 13. Ad quem mater, In me sit, ait, ista maledictio, fili mi: tantum audi vocem meam, & pergens affer quæ dixi. 14. Abiit, & attulit, deditque matri. Paravit illa cibos, sicut velle noverat patrem illius. 15. Et vestibus Esau valde bonis, quas apud se habebat domi, induit eum, 16. pelliculasque hędorum circumdedit manibus, & colli nuda protexit. 17. Deditque pulmentum, & panes, quos coxerat, tradidit. 18. Quibus illatis,

tis, dixit, Pater mi? At ille respondit: Audio. Quis es tu fili mi? 19. Dixitque Iacob: Ego sum primogenitus tuus Esau: feci sicut præcepisti mihi: surge, sede, & comede de venatione mea, ut benedicat mihi anima tua. 20. Rursumque Isaac ad filium suum, Quo modo, inquit, tam cito invenire potuisti, fili mi? Qui respondit: Voluntas Dei fuit ut cito occurreret mihi quod volebam. 21. Dixitque Isaac: * Accede huc, ut tangam te fili mi, & probem utrum tu sis filius meus Esau, an non. 22. Accessit ille ad patrem, & palpato eo dixit Isaac: Vox quidem, vox Iacob est; sed manus, manus sunt Esau. 23. Et non cognovit eum, quia pilosæ manus similitudinem maioris expresserant. Benedicens ergo illi, 24. ait: Tu es filius meus Esau? Respondit, Ego sum. 25. At ille, Affer mihi, inquit, cibos de venatione tua, fili mi, ut benedicat tibi anima mea. Quos cum oblatos comedisset, obtulit ei etiam vinum: quo hausto, 26. dixit ad eum: Accede ad me, & da mihi osculum, fili mi. 27. Accessit, & osculatus est eum. Statimque ut sensit vestimentorum illius fragrantiam, benedicens illi, ait: Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. 28. Det tibi Deus de rore cæli, & de pinguedine terræ, abundantiam * frumenti, & vini. 29. Et serviant tibi populi, & adorent te tribus: esto dominus fratrum tuorum, & incurventur ante te filii matris tuæ. Qui maledixerit tibi, sit ille maledictus; & qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur. 30. Vix Isaac sermonem impleverat, & egresso Iacob foras, venit Esau, 31. coctosque de venatione cibos intulit patri, dicens: Surge pater mi, & comede de venatione filii tui, ut benedicat mihi anima tua. 32. Dixitque illi Isaac: Quis enim es tu? Qui respondit: Ego sum filius tuus primogenitus Esau. 33. Expavit Isaac stupore vehementi, & ultra quam credi potest, admirans, ait: Quis igitur ille est qui dudum captam venationem attulit mihi, & comedi ex omnibus priusquam tu venires? Benedixique ei, & erit benedictus. 34. Auditis Esau sermonibus patris, irrugiit clamore magno; & consternatus, ait: Benedic etiam & mihi, pater mi. 35. Qui ait: Venit germanus tuus fraudulenter, & accepit benedictionem tuam. 36. At ille subiunxit: Iuste vocatum est nomen eius Iacob: supplantavit enim me en altera vice: (*a*) primogenita mea ante tulit, & nunc secundo surripuit benedictionem meam. Rursumque ad patrem: Numquid non reservasti, ait, & mihi benedictionem? 37. Respondit Isaac: Dominum tuum illum constitui, & omnes fratres eius servituti illius subiugavi; frumento, & vino stabilivi eum: & tibi post hæc, fili mi, ultra quid faciam? 38. Cui Esau: Num unam, inquit, tantum benedictionem habes, pater? Mihi quoque obsecro ut benedicas. Cumque eiulatu magno fleret, 39. motus Isaac, dixit ad eum: (*b*) In pinguedine terræ, & in rore cæli desuper, erit benedictio tua. 40. Vives in gladio, & fratri tuo servies: tempusque veniet, cum excutias & solvas iugum eius de cervicibus tuis. 41. Oderat ergo semper Esau Iacob pro benedictione qua benedixerat ei pater: dixitque in corde suo: (*c*) Venient dies luctus patris mei, & occidam Iacob fratrem meum. 42. Nuntiata sunt hæc Rebeccæ: quæ mittens, & vocans Iacob filium suum, dixit ad eum: Ecce Esau frater tuus minatur ut occidat te. 43. Nunc ergo, fili mi, audi vocem meam, & consurgens fuge ad Laban fratrem meum in Haran: 44. habitabisque cum eo dies paucos, donec requiescat furor fratris

tui,

tui, 45. & cesset indignatio eius, obliviscaturque eorum quæ fecisti in eum: postea mittam, & adducam te inde huc. Cur utroque orbabor filio in uno die? 46. Dixitque Rebecca ad Isaac: (*d*) Tædet me vitæ meæ propter filias Heth: si acceperit Iacob uxorem de stirpe huius terræ, nolo vivere.

(*a*) Sup. xxv. 35. (*b*) Hebr. xi. 17. (*c*) Abd. 1. 10. (*d*) Sup. xxvi. 35.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 12. *Et inducam super me maledictionem*. Non est mutanda prima persona *inducam* cum tertia *inducat*.

V. 21. *Accede huc, ut tangam te*. Pro adverbio *huc* alii libri habent *ad me* minus recte.

V. 28. *Frumenti, & vini*. Omitte quod sequitur in quibusdam libris *& olei*. Idem usuvenit infra vers. 37.

COMMENTARIA

SA.

Vers. 2. VIDES QUOD SENUERIM. Hebr. *Ecce ego senui, & ignoro*, &c.

V. 4. PULMENTUM, id est cibos.

V. 7. CORAM DOMINO; id est, Domino approbante & favente.

Vers. 8. ACQUIESCE CONSILIIS MEIS. Hebr. *Audi vocem meam in eo quod præcipio tibi*.

V. 11. PILOSUS. Hebr. *sair* שעיר unde mons Seir.

V. 13. ISTA MALEDICTIO. Hebr. *Maledictio tua*.

V. 16. NUDA. Hebr. *lævitatem*, seu *lævorem*.

V. 17. COXERAT. Hebr. *paraverat*.

V. 19. PRIMOGENITUS, scilicet quantum ad ius successionis, quod emerat.

V. 23. BENEDICENS, idest cum vellet benedicere.

V. 27. CUI BENEDIXIT DOMINUS, idest qui a Domino refertus est variis floribus.

V. 28. RORE. Videtur etiam pluvia intelligenda, & reliqua quibus terra e cælo fecundatur. PINGUEDINE, id est fertilitate. Gotth. addit *& olei*.

V. 30. VIX ISAAC. Hebr. *iam Isaac*. ET EGRESSO. Hebraice, *simul ac egressus*.

V. 34. IRRUGIIT. Hebr. *clamavit*. CONSTERNATUS. Hebraice, *vehementer amaro*.

V. 35. FRAUDULENTER. Fraus quidem videbatur, sed revera mysterium fuit, Deo rem totam disponente.

V. 39. BENEDICTIO TUA. Hebraice, Chald. & LXX. *habitatio tua*.

V. 40. VIVES IN GLADIO; id est, eris vir bellicosus. EXCUTIAS. Id factum sub Ioram Rege Iuda. Vide IV. Reg. 8.

V. 41. LUCTUS; pro, mortis, in qua lugeri solet.

ESTII.

Vers. 11. ET EGO LENIS. Sic legendum per *n* consonantem, & non *u* vocalem, & vox ea significat qualitatem asperitati corporis contrariam, sicut & vox Græca λεῖος.

V. 12. ET INDUCAM SUPER ME MALEDICTIONEM PRO BENEDICTIONE. Sic in prima persona legunt etiam Hebr. Græc. Chald.

V. 14. PARAVIT ILLA CIBOS, SICUT VELLE NOVERAT PATREM EIUS. Non hoc gulæ erat, sed appetebatur, & parabatur quod, & qualiter senili corpori conveniebat.

V. 15. ET VESTIBUS ESAU VALDE BONIS. Hebræorum traditio est olim ad primogenitos pertinuisse ius sacerdotii, ut testatur Hieronymus in Tradit. Hebr. super Genesim, & in epist. CXXVI. ad Evagrium, fuisseque has vestes Esau velut sacerdotales. Sed eam traditionem vanam esse vide I. Paralip. v. & in IV. distinct. XXV. ubi de simonia agitur. Item Exodi

xix.

XIX. & XXIV. Primogeniti erant familiarum principes. Ergo non est verisimile quod erant sacerdotes: quia etsi interdum idem esset rex & sacerdos, ut Melchisedech, id tamen perrarum erat, eo quod officia sint valde diversa, nec in eamdem personam, ut fere sunt mores, ingenia, & occupationes hominum, facile conveniant. Unde nullo modo verisimile est in lege naturæ id fuisse communiter receptum. Item si primogenito ius sacerdotii debebatur, Scriptura alicubi meminisset: sæpe enim de primogenitis loquitur cum significatione dignitatis præ aliis fratribus, nec tamen sacerdotii meminit.

V. 19. Ego sum primogenitus tuus Esau. Quæstio vetus est an Iacob hæc verba loquens mentitus sit. Origenes simpliciter mendacium agnoscit Lib. VI. Stromaton, dicens, Iacob Patriarcham benedictione patris artificioso impetrasse mendacio. At Augustinus ita patrocinium eius suscipit ut omnino a mendacio excusandum putet. Unde de hoc facto Iacob differens cap. x. Libri contra mendacium ait: *Iacob quod matre fecit auctore, ut patrem fallere videretur, si diligenter, & fideliter attendatur, non est mendacium, sed mysterium. Quæ si mendacia dixerimus, omnes etiam parabolæ, ac figuræ significandarum quarumcumque rerum, quæ non ad proprietatem accipiendæ sunt, sed in eis aliud ex alio intelligendum, dicentur esse mendacia.* Augustinum sequitur Magister Sententiarum Lib. III. & Thomas in II. II. ubi de mendacio disputat. Sed huic excusationi obstat, quod mysterium in historia latens non tollit sensum historicum, sicut in Historia Saræ & Agar. Et proinde aut inveniendum est quomodo secundum historiam Iacob non fuerit mentitus (id quod multi ostendere conantur, quia Iacob, etsi non nativitate, iure tamen emptionis erat primogenitus) aut si id per singula eis dicta inveniri non potest, non videtur omnino a mendacio posse excusari.

V. 33. Benedixi ei, et erit benedictus. Istud est quod Apostolus ad Heb. XII. dicit Esau reprobatum, hoc est repulsam passum a patre nolente ei benedictionem impertiri, quam ut primogenitus expectabat. Hanc enim pœnam merebatur homo profanus, hoc est carnalis, & ventri deditus, quod primogenita sua tam vili vendidisset. Noluit autem pater datam alteri benedictionem revocare, quamvis ignorans, & deceptus eam dedisset; sed potius eam confirmavit: quia cognito eo quod Iacob fecerat, cum paululum obstupuisset, statim tamquam Propheta animadvertit rem a Deo geri, volente per hunc modum ostendere, ratum se habere responsum, quod olim Rebeccæ uxori ipsius se consulenti reddiderat, de præeminentia filii minoris. Ita D. Thomas & alii. Vide de his etiam plura, si placet, in Comment. nostro ad Hebr. XII.

V. 37. Dominum tuum illum constitui. Non hoc in ipso Esau impletum est sed vix tandem in eius posteris, subiugatis Idumæis a rege David, II. Reg. VIII. qui tamen paulo post sub rege Ioram iterum iugum excusserunt; de quo similiter hic prophetat Isaac, dicens: *Veniet tempus cum excutias iugum eius.*

V. 43. Nunc ergo, fili mi, audi vocem meam. Hinc disce quod certitudini finis consequendi non repugnat solicita provisio mediorum, & evitatio contrariorum. Certa erat sancta mulier de divino oraculo (*Maior serviet minori*) & tamen eum monet ut fugiat iram fratris, ipsum volentis occidere. Itaque & divina prædestinatio non tollit quoque, sed magis statuit studium bonorum operum, utpote quæ Scriptura docet esse media necessaria ad finem prædestinationis, scilicet ad salutem.

MARIANAE.

Vers. 3. Sume arma tua, pharetram. תְּלִיְךָ *theliecha* deducitur a verbo תלה *thalah*, quod est *suspendere*: sic cum pharetra & gladius suspendantur, Hieron. & Sept. dixere *pharetram*; Chald. & Hebræi fere *gladium* exposuerunt.

V. 7. Benedicam tibi coram Domino: vere, & ex animo: vel, ut precer Deum ut omnia tibi prospera cedant.

V. 11. Et ego lenis. Mallem *levis*, ut Resend in Vincent. putat legendum: sic Sept. *vir lævis*, λεῖος.

V. 12. Inducam. Hebr. sic, & sic Sept. & Chald. quasi dicat: Videbor illi impostor, meque execrabitur.

V. 15. Et vestibus Esau valde bonis. Hebræi putant has vestes sacerdotales, quibus maiores filii instaurabant sacrificia. Hieron. in Tradit.

V. 16. Colli nuda; scilicet, pilis nuda texit.

V. 18. At ille respondit, Audio. Hebraica sic: *Et dixit, Pater mi. Et dixit, Ecce ego. Quis es tu fili mi?* Deest *respondit*, scilicet Isaac, *Audio.*

V. 25. Affer mihi, inquit, cibos. Hebraice, *Affer mihi, & comedam de venatione.*

V. 26. Da mihi osculum. Hebr. *Osculare mihi*, in dativo, qua forma Hebræus Schol. ait significari osculum manui, aut humero impressum: nam osculum oris cum accusativo exprimi debuit, ac dici, *Osculare me.*

V. 27. Cui benedixit Dominus. Qui ager, scilicet a Domino variis floribus vestitus est, ea est agri benedictio.

V. 28. Abundantiam frumenti, et vini. Gotth. addit *& olei*, sed non est in Hebræo, neque in Sept. neque infra vers. 37. ubi repetuntur eadem verba.

V. 33. Et ultra quam credi potest: additum ab Interprete.

V. 34. Benedic etiam et mihi, pater mi. Hebr. *Benedic mihi etiam ego pater mi.* Aposiopesis repetita vers. 38. supplendum, etiam ego attuli cibos; vel, sum filius tuus.

V. 36. Iuste vocatum est nomen eius Iacob. Ab ortu dictus est sic, quia tenuit fratris plantam, quæ עקב *hekeb* vocatur; nunc a supplantando vocat Iacob, quod verbum עקב *hakab* significat, Paranomasia.

V. 39. In pinguedine terrae, et in rore caeli desuper, erit benedictio tua. Hebr. *De pinguedine terræ erit habitatio tua, & de rore cæli desuper*; quasi dicat: In pingui solo, & pluviis irriguo habitabis.

V. 40. Cum excutias. Id factum sub Ioram Rege IV. Reg. VIII. cum Idumæa rebellavit contra Iudæos.

V. 41. Venient dies luctus, id est mortis patris, quo tempore lugeri defuncti solent.

V. 42. Minatur ut occidat te. Hebr. *Consolatur se contra te ad occidendum te*; hoc est, sola spe vindictæ se oblectat, quod Hieron. & Sept. dixerunt *minatur*, ad sententiam respicientes.

V. 43. In Haran. Hic rursus cum aspiratione densissima hæc vox scribitur. Hebr. Sept. *Charran.*

V. 44. Cum eo dies paucos. Hebr. *unos dies*, qui est etiam Hispanismus, ex unitate sumptus, quæ modica est, nempe numeri principium.

V. 46. Si acceperit Iacob uxorem de stirpe huius terrae. Hebr. *Si acceperit Iacob uxorem de filiabus Heth, sicut illæ ex filiabus terræ. Sicut illæ*, nempe uxores Esau; vel *sicut illæ*, quæ in hac regione vivunt.

MALVENDAE.

Vers. 1. Caligaverunt. כהה *cahah* in Kal sexies occurrit. Noster hic, Deuteron. XXXIV. 7. Iob XVII. 7. *caligare*, Isaiæ XLI. 4. *tristem esse*, Zachariæ XI. 17. *tenebrescere*, & *obscurari*, convertit. Quidam *obscurum & turbidum esse* aiunt: unde hic reddunt, *Et obscuri fuerunt oculi eius*, vel *turbidi fuerunt*. Alii, *contrahi, stringi, rugari, corrugari, contrahi in rugas* exponunt: *Et rugarunt, contracti in rugas fuerunt oculi eius*, ut fit humore exhausto.

V. 3. Arma tua. כלי *cheli, vas*, generaliter significat omne vas, instrumentum, supellectilem, utensilia, & quidquid in usum hominis paratur, consummatur, perficitur; estque vas, non tantum ad excipiendum liquorem, seu liquorum capax, sed etiam quodcumque vas, seu instrumentum ad domesticos usus, vel ad alia comparatum. Hinc ponitur pro armis, pro ornatu, &c. Latini quoque vasa appellaverunt omnem supellectilem, & arma, ut *conclamare vasa*. Hinc Paulus dicitur *vas electionis*, id est lectissimum instrumentum, & organum: & Roman. VI. 13. *Et membra vestra arma iustitiæ*; id est instrumenta. Hic *vasa tua*, id est instrumenta venatoria, & omnem venationis apparatum. Pharetram. תלי *theli* omnes *pharetram* interpretantur. Suspicio mihi est, ne consentiente voce, sit illud quod Hispanice dicimus *tabeli*, nempe *cingulum*, seu *balteus* aureis, aut argenteis bullis ornatus, quem transversum ab humero in latus milites, vel venatores, aut qui se fortes iactant,

de-

deterre solent, sic dictus a תלה *talah*, *suspendere*, quod ex eo gladios, enses, & alia arma suspensa, & nunc sclopetos minores, seu pistolas, deferrent. Virgilius XII. AEneidos:

.... humero cum apparuit alto
Balteus, & notis fulserunt cingula bullis.

Alibi vox *theli* in Scripturis non extat.

V. 4. PULMENTUM. Plurale מטעמים *matghamim* masculeum, & מטעמות *matghamoth* femineum septies tantum in Scripturis legitur, & Noster semper *cibos*, *escas*, *pulmentum* exposuit. Consentiunt, esse cibos sapidos & gratos palato, pulmenta sapida, edulia delectabilia, cibos conditos, exquisitos, delicatos, suaves palato dum gustat, cupedias, lautitias, reddunt. Hinc putant, Graecos suas *mattyas*, id est cibos lautos, delicatos, conditos, opiparos, de quibus Athenaeus Lib. XIV. cap. XXIII. desumpsisse. *Matteas* vocat Tertullianus cap. IV. de Testimonio animae, & *mattyolas* Arnobius Lib. VII. adversus gentes. Matthaeae mentio apud Senecam patrem, Controversia 27. & apud Martialem Lib. X. epigram. 59. Quidam *mattyas* in iis auctoribus legendum potius volunt. Macteas etiam Svetonii in Caligula, cap. XXXVIII. existimant. Vide Proverbium *mattyazin*, & interpretes Martialis.

V. 11. ET EGO LENIS. חלק *chalak* proprie *dispertitus*, *divisus*, *diffusus*, *glaber*, *blandus*, *mollis*, *lubricus*, *levigatus*, *laevis*.

V. 12. ATTRECTAVERIT ME. משש *maschasch*, *contrectavit*, *attrectavit*, *manu tentavit*, *palpavit*. Eo verbo usum volunt Christum Lucae XXIV. 38. *Contrectate me*, *palpate me*. Et Ioannes I. Epist. I. 1. reddidit: *Quod manus nostrae contrectaverunt*. NE PUTET ME SIBI VOLUISSE ILLUDERE. Heb. *Et ero in oculis eius*, *sicut*, *tamquam*, *quasi errare faciens*; id est, tamquam seducens, seductor, impostor, deceptor: alii, *subsannator*, *illusor*, *derisor*. Participium Pihel geminatum מתעתע *methaghteagh*, turpem & indignam admodum imposturam, & quae gravissimum ei detrimentum posset inferre, significat. MALEDICTIONEM. קללה *kelalah*, proprie *alleviationem*, *levificationem*, scilicet honoris, & bonorum; vel *vilipensionem*, *despectum*, *contemptum*. *Maledictionem* solent vertere, seu *execrationem*. PRO BENEDICTIONE. Quidam hic reddunt, *Et non auctionem*, ut apponatur alleviationi.

V. 20. VOLUNTAS DEI FUIT UT CITO OCCURRERET MIHI QUOD VOLEBAM. Heb. *Quia occurrere fecit Ens potentissimus tuus faciebus meis*; id est, quia Deus fecit ut cito mihi occurreret praeda, quam captam paravi tibi in cibum. Alii: *Nam occurrere se fecit Dominus Deus ante me*; vel *se mihi obtulit*: mihi adfuit, praesto fuit, Deo iuvante cepi statim praedam. Non tam recte.

V. 28. FRUMENTI. דגן *dagan*, aiunt esse *generale nomen*, *ut Latinis frumentum*, *complectique omnes fruges terrae nascentes in aristis*, *quarum grana tribulis excutiuntur*, *& in horrea reponuntur*. *Frumenta*, inquit Servius, *sunt omnia*, *quae ex se mittunt aristas*; *nec a frugibus distinguenda*.

V. 29. QUI MALEDIXERIT TIBI, SIT ILLE MALEDICTUS. Heb. singulari phrasi, *Maledicentes tibi*, *maledictus*; id est, quisque seorsim & sigillatim ex tibi maledicentibus, sit ille maledictus: nedum cum reliquis communi una involvatur maledictione, sed per se eum sua quemque maledictio tangat, ac si eum solum esset invasura: qui modus loquendi fingnificatum auget. Eodem modo subiungit de benedicentibus.

V. 33. EXPAVIT. חרד *charad* aiunt proprie significare *commotionem apertam*, *& visibilem*, *ac manifestam*, *vel corporis*, *vel animi*, *vel utriusque simul*, *sive ex pia cura & solicitudine*, *sive ex metu mali subito maxime natam & ortam*; & esse contrarium quieti & tranquillitati: verbo *tremendi*, seu *trepidandi* in Kal reddendum putant. Nunc in bonum, nunc in malum sumi volunt, pro anxium esse & solicitum quoquo modo. In bonum accipi notant, II. Regum IV. 13. *Ecce tremuisti*, *trepidasti*, *ad nos omnem tremorem istum*; id est, pia & officiosa tumultuatione circa nos tumultuata & commota es, quod tamen alii reddunt: *Ecce adhibuisti erga nos totam hanc solicitudinem*; seu *in nos omni hac solicitudine usa es*: de pia & officiosa Sunamitidis hospitae Elizaei cura & anxia solicitudine, & sedulitate, in eo excipiendo: quod Noster expressit: *Ecce sedule in omnibus ministrasti nobis*. Atqui existimant Christum ad hoc Sunamitidis factum respicientem, hoc eodem verbo usum, & similem phrasim usur-

 passe,

passe, Lucæ x. vers. 41. quod tamen Lucas explicandi causa duobus verbis exprimere studuerit: *Martha Martha solicita es, & turbaris*, seu *tumultuaris*, *circa multa*. Vide cap. xix. vers. 16. Quidam istud verbum, per *tremiscere* convertunt, cum quis ita tremiscit, ut continuo motu agitetur, neque loco subsistere queat. Aliqui *currendi*, & *festinandi* significationem etiam ei affingunt, quod fit in trepidatione. Observavi verbum *charad* in Kal, ut hic ponitur varie a nostro transferri. I. Sam. xvi. 4. *admirari*, Genesis xlii. 28. *turbari*, Exod. xix. 16. Iudicum vii. 3. Esdræ ix. 4. *timere*, Osee xi. 10. *formidare*, Isaiæ lxvi. 2. & 5. *tremere*, Exodi xix. 18. *terribilem esse*, Ezechiel. xxvi. 16. *attonitum esse*, I. Samuel. xiii. 7. *perterreri*, Osee xi. 11. *avolare*, Isaiæ xix. 16. Ezech. xxvi. 18. *stupere*, Isaiæ xxxii. 11. cap. xli. 5. Ezechiel. xxxii. 10. I. Samuel. xiv. 15. cap. xxi. 1. Isaiæ x. 29. *obstupescere*, I. Samuel. iv. 13. Iob xxxvii. 1. *pavere*. I. Samuel. xxviii. 5. Ruth iii. 8. & hic, *expavere*, II. Reg. iv. 13. *sedulo ministrare*. Hic ergo quidam vertunt: *Et tremuit Itzchak tremore magno vehementer*; id est, commotus seu turbatus est. Sic etiam LXX. ἐξέστη reddiderunt, quod, monente S. Augustino, *commutationem*, *seu commotionem mentis* significat, id est raptum & ecstasim. Alii: *Et formidavit Itzchak formidine magna valde*. Nonnulli: *Et commotus est Itzchak commotione magna valde*.

V. 34. Benedic etiam et mihi, pater mi. Heb. *Benedic mihi etiam, ego, pater mi*. Quidam exponunt: *Etiam ego filius tuus sum, pater mi*. Alii volunt vocem *ego* esse expletivam particulam, & augere affectum: *Benedic mihi, mihi quoque, pater mi*. Vide supra cap. xxiv. vers. 27. & I. Samuel. xxv. vers. 24. & Psalm. lxviii. vers. 14.

V. 36. Iuste vocatum est nomen eius Iacob, supplantavit enim me. עקב *ghakab* in Kal quater tantum legitur in Bibliis; & Noster *supplantare* semper exponit. Nonius: *Supplantare dictum est quasi pedem supponere*. Lucillius Lib. XXIX. *Supplantare aiunt, Græci ὑποσκελίζειν dicunt*. *M. Tullius de Officiis Lib.* III. *Contendere debet, quam maxime potest, ut vincat, supplantare eum quicum certet; at manu pellere nullo modo debet*. Aiunt verbum *ghakab* proprie esse *conculcare*, *pessundare*, *supplantare*, *calcaneare*; id est, calcaneo ferire, contundere, premere, vel, si mavis, *calcidare*. Alii, *apprehendere*, *tenere calcaneo*, proprie *calce intorquere*, & *pessumdare*. Nonnulli, *tortuosum esse*, & *postergare* exponunt, vel *pravum*, *asperum*, *distortum*, *obliquum*, *inæquale*, *calcatu asperum*, & *indomitum esse*. Metaphorice, *circumvenire*, *decipere*, *seducere*, *callide*, *astute*, *fraudulenter*, *versute agere*: quod *supplantare* nostri dixerunt. Verum etymon exprimitur supra cap. xxv. vers. 26. ab apprehendendo & tenendo plantam seu calcaneum. Hic: *Calcaneavit me iste duobus ictibus*; id est, conculcavit me duobus ictibus. Hispanice, *Ya me a dado dos golpes*; vel *supplantavit me duabus vicibus*: *Hecho la zancadilla*.

V. 40. Vives in gladio; id est, inquietam vitam ages, & fines tuos armis tueri cogeris. Tempusque veniet cum excutias, et solvas iugum eius de cervicibus tuis. Hic certant grammatici. Quidam reddunt: *Et erit quod descendere facies, & abrumpes iugum eius de collo tuo*; id est excuties. Alii: *Et erit quando inniteris*, *firmaberis*, *vires acquisieris*, *defricabis iugum eius a collo tuo*. Aliqui: *Et erit quum planges*, *lamentaberis*, *abrumpes iugum*, vel *abrumpendo excuties*, &c. id est, quum duram, molestam, & lamentabilem servitutem aliquamdiu sustinueris, ad eius gravitatem coactus fueris ingemere. Synecdoche. Vide II. Samuel. viii. vers. 13. Putant respexisse hic Patriarcham ad gravem illam calamitatem de qua II. Reg. iii. vers. 27. quum filius regis Idumæorum, captus a Moabitarum rege, fuit in Kircharesetha in holocaustum oblatus: unde indignatio gravis, ac non multo post defectio a regno Iehudæ consecuta est. Sic, inquiunt, usus servatur antecedentis particulæ & *erit*, & propria verbi Hebræi ratio, ut legitur Psal. liv. 3. ut illud taceamus quod magis propheticam illam auctoritatem redolet, si hoc antecedens liberationis signum dixeris prænuntiari. Plerique: *Quum extendes*, aut *extendere facies*, subaudi dominium, vel terminos tuos: *quum dominaberis*, & *rumpes iugum eius*, &c. Et solvas. פרק *porak*, *rumpere*, *abrumpere*, *abstrahere*, *avellere*; & metaphorice, *eripere*, *liberare*, *redimere*; significari-

gnificare notant. Alii *conterendi*, *frangendi*, *confringendi* significatum ei attribuunt. Nec desunt qui, *defricare*, *abrumpere fricando*, *fricare* exponant; quemadmodum pecora, vel iumenta cum parieti, vel arbori sese affricant deterendo iugum. Ridicule: nam nihil nisi sonus & similitudo vocum eos movit. Quando vaticinium huius versus impletum fuerit, abunde hic explanatores differunt. Nonnulli sub Iehoramo rege Iudae volunt, II. Reg. VIII. vers. 20. Existimo, quando ritus, religionem, & Israelitica sacra susceperunt, sub Hircano pontifice. Iosephus Lib. XIII. Originum, cap. XVII. *Hircanus vero etiam Idumeæ urbes cepit Adora, & Marissam; subiugatisque omnibus Idumæis edixit ut circumciderentur nisi mallent e propriis sedibus pelli. At illi amore patriæ admiserunt & circumcisionem, & reliquam iuxta Iudaicos ritus vivendi formulam; atque ex eo primum tempore inter Iudæos censeri cœpti sunt*. Strabo Lib. XVI. pag. 523. *Iudææ extrema occidentalia Casio monti proxima Idumæi occupant. Idumæi quidem Nabathæi sunt; per seditionem autem inde eiecti, Iudæis se adiunxerunt, & eorum leges amplexi sunt*.

V. 41. ODERAT ERGO. שטם *satam* aiunt idem esse quod שטן *satan*, id est *adversari impediendo*, seu *adversando impedire*: unde hic reddunt: *Adversatus est impediendo Esau Iacob*: in omnibus se illi adversarium ostendebat, illi obstans, eique se opponens, ac intestino odio eum prosequens.

V. 42. MINATUR UT OCCIDAT TE. Heb. *Consolans se sibi*, vel *de te*, *ad interficere te*, simili phrasi Isaiæ 1. 24. *Consolabor super hostibus meis, & vindicabor de inimicis meis*. Hispanice apte exprimimus: *Se a aconortado de ti para matarte*.

V. 46. TAEDET ME VITAE MEAE PROPTER FILIAS HETH. קוץ *kutz* in Kal, ut hic ponitur, novies tantum in Scriptura ponitur; & Noster diverse reddidit. I. Reg. XI. 25. & Exod. 1. 13. *odire*, Proverb. III. 11. *abiicere*, Levitici XX. 23. *abominari*, Isaiæ VII. 16. *detestari*, Numer. XXI. 5. *nauseare*, Num. XXII. 3. *non posse ferre*, Isaiæ XVIII. 6. *æstuare*; quamquam alii id velint esse a קיץ *kaiitz*; hic vero *tædere*. Omnia ista significata huic loco recte conveniunt: *Tædet me vitæ meæ: odio habeo, abominor, detestor, nauseo, æstuo, abiicio, ferre non possum vitam meam*. Alii: *Augustiis affecta sum in vita mea*. Quidam: *Fastidio habui vitam meam*. Nonnulli: *Succisa sum in vita mea*; vel *finii vitam meam*; vel *finita sum in vita mea*. Hispanice, *Acabada me tienen la vida*. Nonnulli: *Compuncta fui per vitam meam a facie filiarum Heth*: nempe a קוץ *kotz*, *spina*, quæ pungit; id est, laboravi, & compuncta sum ex vitæ tædio, vitam fastidivi, aversor vitam meam, & fastidio. Nec desunt qui, *æstuavi*. Notant verbum proprie significare *compunctus fuit*, & quando construitur cum ablativo מפני *miphne*, *a facie*, idem esse quod *abhorrescere a re quapiam*: & quando construitur cum Beth, esse, *horrorem*, seu *fastidium*, & *nauseam habere in re aliqua*. Hic utramque constructionem habet: Nauseam, horrorem, fastidium habeo in vita mea, quia abhorresco a filiabus Cheth.

MENOCHII.

Vers. 1. SENUIT ISAAC: annum enim agebat centesimum trigesimum septimum, quamquam adhuc vixit annis 43. nam mortuus est annorum 180. CALIGAVERUNT: tum ætate, tum crebris ægritudinibus. Sic August. Lib. XVI. de Civit. cap. XXX. Non erat cæcus, sed cæcutiebat.

V. 3. ARMA TUA. Hebraice, *Vasa*.

V. 4. PULMENTUM, edulium gustui suave, & delicatum. SICUT VELLE ME NOSTI: quibus scis me libenter vesci. BENEDICAT TIBI ANIMA MEA: ego tibi benedicam; vel, ex animo tibi benedicam.

V. 7. CORAM DOMINO, annuente, favente Domino; vel, ex animo, & vere.

V. 11. EGO LENIS, glaber, non hispidus ut Esau.

V. 12. ILLUDERE. LXX. *despicere*, *vilipendere*, immo insidiari senectuti, & cæcitati. MALEDICTIONEM: sicut accidit Cham, qui patri suo illusit.

V. 13. IN ME SIT; quasi dicat: Nihil periculi est, frustra pavescis, in me recipio bene cuncta cessura.

V. 14. ATTULIT, duos scilicet hœdos, ut scilicet ex iis in pulmentum meliores, & teneriores partes deligerentur.

V. 15. VALDE BONIS. Heb. *desiderabilibus*. LXX. *pulchris*, unde in arca inter

ter odores servabat eas Rebecca, odoratas enim fuisse patet num. 27. Hebræi putant has vestes sacerdotales fuisse, quibus primogeniti sacrificabant. Hieron. in Tradit.

V. 16. CIRCUMDUXIT MANIBUS: in morem chirothecarum, ut tantum exterior pars manuum, & digitorum esset pilosa, interior volaglabra, & depilis. COLLI NUDA: munit partes, quas cæcutiens attrectaturus videbatur.

V. 17. PANES, subcinericios.

V. 19. EGO SUM PRIMOGENITUS TUUS ESAU. Non est necesse laborare in excusando Iacob, aut Rebeccam a mendacio, quod tamen officiosum fuit, & adhibitum ad vendicandum quod sibi divina promissione debebatur; ideoque tantum veniale peccatum, & fortasse nullum, si excusabantur ignorantia, qua putarent aliquando mentiri officiose peccatum non esse. D. Auguſt. Libro contra mendacium Iacobum a culpa mendacii, mysterio, excusare nititur. Vide illum cap. x.

V. 23. BENEDICENS ERGO: certus animo mox benedicere.

V. 24. TU ES FILIUS MEUS? Ut sit omnino certus de persona, iterum interrogat.

V. 26. DA MIHI OSCULUM. Hebr. *Osculare mihi*, in dativo: qua forma Hebræus Scholiastes ait significari osculum manui, aut humero impressum, nam osculum oris cum accusativo exprimi debuit, ac dici, *Osculare me*.

Vers. 27. VESTIMENTORUM FRAGRANTIAM: nec enim vestimentorum fragrantia tanta erat ut a sene remoto posset percipi. AGRI PLENI, fructibus, & floribus. Fortasse vestes florum, & fructuum odorem referebant, nam in arcis mulieres ad gratiam odoris vestibus conciliandam rosarum folia, & mala cydonia, & huiusmodi res odoratas includunt. CUI BENEDIXIT DOMINUS. Tunc Dominus agro benedicit cum vernat floribus, & exuberat fructibus.

V. 28. DE RORE CAELI, ET DE PINGUEDINE TERRAE. Sensus est: Deus tibi det de cælo rorido, & terra fertili, ac pingui ABUNDANTIAM FRUMENTI, ET VINI, hoc est omnium ad cibum, & potum necessariorum.

V. 29. SERVIANT TIBI POPULI. Præcedentia ad opes pertinent; istud ad imperium, & dignitatem. Impleta est hæc benedictio, cum Davidi, Salomoni, & Assamonæis subiecti fuerunt Idumæi, Philistiim, Moabitæ. ADORENT TE TRIBUS: posteri Esau, & Ismaelis. DOMINUS FRATRUM TUORUM, non bello tantum, sed iure primogenituræ. QUI MALEDIXERIT TIBI, SIT ILLE MALEDICTUS, &c. quasi dicat: Deus tuas tuorumque partes & causam aget: qui tui sunt amici, vel inimici, suos censebit.

V. 33. EXPAVIT ISAAC. LXX. verterunt, Isaac raptum in ecstasim magnam vehementer, ut intelligamus in ea abalienatione Deum illi revelasse fraudem Iacob, & voluntatem suam, ne rescindere cogitaret. Vide D. August. quæst. LXXX.

V. 34. AUDITIS ESAU SERMONIBUS, ultimis potissimum verbis confirmatoriis facti, IRRUGIIT: non suam tantum tristitiam, sed ferociam etiam valido clamore quasi rugitu ostendens. Philo, & Eusebius, censent clamorem hunc ab invidentia fraterni incrementi expressum fuisse, quod scilicet eum prætulerat, seque illi subiecerat pater. BENEDIC ETIAM ET MIHI; quasi dicat: An non & ego filius tuus sum, cur ergo debeo benedictione carere?

V. 35. BENEDICTIONEM TUAM, quæ tibi iure naturæ debita erat, nisi te illa indignum præstitisses; vel, quam ego tecum tuam opinabar.

V. 36. ALTERA VICE: secundo, bis, iterum.

V. 37. OMNES FRATRES: omnes cognatos, & consanguineos.

V. 39. DIXIT AD EUM. D. Paulus ad Hebr. XII. 17. Esau licet cum lacrymis benedictionem petierit, adeptum negat; sed de primaria illa iure naturæ debita loquitur, quæ primogenito dari solita, & Iacobo cesserat. IN PINGUEDINE TERRAE, ET IN RORE CAELI DESUPER ERIT BENEDICTIO TUA. Hebr. est: *Erit sessio*, vel *habitatio tua*, quasi dicat habitabis in terra pingui, & fertili, quam Deus fœcundabit immissione roris, & pluviæ.

V. 40. VIVES IN GLADIO; quasi dicat: Fertilem terram occupabis non agricolatione tua, sed vi, raptu, præda. Tales Esau posteri. SERVIES. Impletum sub David, II. Reg. VIII. 14. EXCUTIAS, ET

ET SOLVAS IUGUM. Idumæi regnante in Iuda Ioram rebellarunt IV. Reg. VIII.

V. 41. ODERAT ERGO: memoriam doloris animo fovens, continuam odio materiam suggerebat. IN CORDE SUO: perfecto mentis consensu, & plena deliberatione secreto secum ipse statuit. DIES LUCTUS PATRIS MEI. Hunc nolebat contristare; de matre nihil est solicitus.

V. 44. DIES PAUCOS. Breve pollicetur fore tempus absentiæ, ut facilius persuadeat.

V. 45. CUR UTROQUE ORBABOR FILIO? Utrique consuluit: alterum immunem a periculo, alterum integrum præstat a crimine.

V. 46. NOLO VIVERE. Hebr. *Ad quid mihi vita?* quasi dicat: Si Chananæam, aut Hethæam ducat, tristis, & acerba erit mihi vita, ut mori potius optem quam vivere.

TIRINI.

Vers. 3. CUM VENATU ALIQUID APPREHENDERIS, FAC MIHI INDE PULMENTUM, id est obsonium, edulium: nam pulmentum in Scriptura denotat id omne quod pani additur.

V. 19. DIXITQUE IACOB: EGO SUM PRIMOGENITUS TUUS ESAU, scilicet figuratus, & personatus. Nam & decreto divino *a*, & iure emptionis *b* sum primogenitus tuus; & ut privilegio primogenituræ mihi debito nunc fruar, & solemniter a te benedicar, cum id alia ratione non possim sperare (te nimis propenso in Esau *c*) indui personam eius quem putas esse primogenitum tuum, & FECI SICUT PRAECEPISTI MIHI, scilicet vero primogenito tuo: nam licet materialiter, & ex errore præceperis Esau ut pararet tibi grata cibaria, & ita sese ad benedictionem accipiendam compararet; formaliter tamen intendisti id ei præcipere qui voluntate & decreto divino primogenitus tuus esset: cum autem ego is sim, & iam tibi hæc eadem in eumdem finem pararim, vere affirmare possum, fecisse me *sicut præcepisti mihi*. SURGE, SEDE, ET COMEDE DE VENATIONE MEA, quam non in agro, non in saltu, sed in stabulo venatus sum. Ita S. Augustinus *d*. Simili modo Matth. XI. vers. 14. Ioannes Baptista etiam Christo vocatur Elias, non quoad personam, sed quoad spiritum, & Tobiæ V. vers. 18. Angelus Raphael dicit se esse Azariam, id est adiutorem Dei, filium Ananiæ, id est gratiæ Dei. Nam certum est ex communi Doctorum sententia, cum iusta & prægnans causa subest, licere personam simulare, & mentali restrictione uti. Et cum possit hac ratione sanctus Patriarcha in re tanta commode a peccato excusari, non libenter eum cum nonnullis *e* mendacii vel venialis arguerim: maxime cum iam non puer esset, sed provectæ ætatis vir, utpote septuaginta septem annorum *f*; neque a patre, etiam re deprehensa, arguatur; quin potius magis magisque stabiliatur, dicente patre, *Benedixi ei, & erit benedictus*. Neque obstat, quod paulo post subiungit, *Venit germanus tuus fraudulenter*, qui non agit de mala & illicita fraude, sed de astutia, ut idem sit quod astute, seu callide: unde & Chaldæus vertit, *In sapientia*, seu *sapienter venit*. Allegorice Sanctus Augustinus & Prosper *g* vestes Esau, collare, & chirothecas hœdinas, interpretantur peccata nostra, quæ Christus in se assumpsit, & luit.

V. 40. VIVES IN GLADIO; id est in continuis fere bellis; quasi dicat: Posteri tui erunt bellicosi, & rapaces. Nihilominus FRATRI TUO SERVIES. Ita servierunt Idumæi Iudæis tempore Davidis, Salomonis *h*, & aliorum regum. TEMPUS tamen VENIET, CUM EXCUTIAS, ET SOLVAS IUGUM EIUS DE CERVICIBUS TUIS. Excusserunt enim tempore Ioram *i* filii Iosaphat regis Iudæ, per 800. circiter annos, nempe usque ad Hyrcanum Simonis Machabæi filium, a quo rursus attriti, & subacti sunt, & etiam circumcisionem religionemque Iudaicam suscipere coacti *k*. Caput tamen iterum erigere cœperunt per Herodem Ascalonitam ex Idumæis oriundum, qui cum filiis & nepotibus suis annos plusquam centum Iudæis imperavit usque ad excidium Ierosolymæ: quin & Tito Imperatori in hac urbe expugnanda, ma-

magnis copiis adsuerunt, teste Iosepho *l* & aliis.

(*a*) Gen. xxv. 23.
(*b*) Genes. xxv. vers. 33.
(*c*) Genes. xxv. vers. 28. & xxvii. vers. 1. & seqq.
(*d*) Aug. Lib. contra mendacium cap. x.
(*e*) Chrys. hom. liii. in Genes. Lipomano in Catena Scoto in III. Sent. dist. xxxviii. Adriano quod Lib. I. Lyrano, Caiet. Delrio, a Lapide, Bonfrerio hic.
(*f*) Ut probat Bonfr. hic vers. 1. & alii.
(*g*) Aug. sup. Prosper I. part. præd. cap. xxi:
(*h*) II. Reg. viii. vers. 14. I. Par. xviii. vers. 13. Ioseph. Lib. VII. Antiq. cap. vi.
(*i*) III. Reg. xi. vers. 15. IV. Reg. xiv. vers. 7. IV. Reg. viii. vers. 10. II. Par. xxi. vers. 8. Ioseph Lib. IX. Antiq. ii.
(*k*) Ioseph Lib. XIII. Antiq. cap. xvii. Vide etiam I. Mac. 1. vers. 65.
(*l*) Ios. Lib. XIV. Antiq. initio & Lib. I. Belli.

GORDONI.

Vers. 1. HUius rei Chronologiam dedi ad annum mundi 2215. quo Iacob declinans a fratre, fugit in Mesopotamiam ad Laban, qui est annus a nativitate horum fratrum 77. Post annos quatuordecim natus est Ioseph, ac proinde anno fratrum 91. qui est annus mundi 2229. ut ad eumdem notavi annum. Vide diagramma supra cap. xii. de Iosephi Chronologia postea. Hinc obiter habetur Isaaci cæcitatem durasse annis 43. Nam anno ætatis 60. genuit Iacobum: inde sunt 77. anni usque ad fugam Iacobi, quando caligaverant oculi Isaac, anno ætatis Isaaci 137. inde sunt anni 43. ad mortem Isaaci: obiit enim anno ætatis 180. & proinde mundi anno 2258. Nota hic ex vers. 2. Isaacum mature, ac per annos 43. disponere domui suæ, & præmeditari mortem.

V. 3. SUME ARMA TUA, instrumenta tua, PHARETRAM, tuam, תליך *thelischa*: rad. תלה suspendere.

V. 4. PULMENTUM, edulium, obsonium, seu quicquid ad edendum additur pani.

V. 7. CORAM DOMINO; hoc est, annuente, & favente Domino.

V. 16. COLLI NUDA: texit nuda pilis; seu texit lævorem: hinc aliqui legunt: *Ecce ego levis*. Sept. λεῖος.

V. 19. EGO SUM PRIMOGENITUS TUUS ESAU. Quæstio est; an hic mentiatur Iacob. Sane numquam licet mentiri. August. Lib. contra mendacium. cap. x. ait, esse figuratam locutionem, sicut Matth. xi. Ioannes Baptista vocatur Elias, non in persona, sed in spiritu, & virtute. Tamen si totius sermonis adiuncta, & voces de armis, de venatione, &c. spectentur, erat mendacium, sed officiosum, & leve. At mysterium fuit quod dicebatur. Resp. fuisse mysterium ex parte Dei, non tamen ex parte Iacob: aut etiam fit primogenitus quoad ius illud quod emerat a fratre.

V. 27. AGRI PLENI, hoc est, abundantis herbis fragrantibus, & floribus.

V. 28. Hic, & sequente versu duo capita benedictionis sunt opes, & imperium. Et hic quidem in opibus totus est.

V. 29. SERVIANT. Hactenus de opibus, nunc de imperio in homines, & dignitate. Impleta est benedictio in posteris, & præcipue in Davide, & Salomone. Adde Machabæos. DOMINUS FRATRUM, etiam iure primogenituræ. QUI MALEDIXERIT TIBI, SIT ILLE MALEDICTUS. Hic tandem pœnam dat hostium, ubi non tantum precatio est, sed etiam prophetia.

V. 36. SUPPLANTAVIT. Allusio est ad nomen Iacob. עקב *bhakab* supplantationem significat: יעקב *iabhakob*, paronomasia est. עקב *bhekeb*, planta: hinc יעקב Iacob, quasi supplantator. Vide cap. xxv. vers. 22.

V. 37. OMNES FRATRES, cognatos; nec revocatur solemnis benedictio, præsertim hæc quæ a Deo est.

V. 40. VIVES IN GLADIO: præsertim per posteros: etenim Idumæi bellicosi erant valde. SERVIES, inquit, FRATRI: nempe ut dixi cap. xxv. vers. 23. Nam Idumæi subacti sunt, II. Reg. cap. viii. vers. 14. sed postea excusserunt iugum, III. Reg. cap. xi. vers. 14.

V. 45. & 46. Suadet filio Iacob, ut discedat, ne forte ex rixa cum Esau contingat, utrumque perire. Eligit porro potius mori, quam ut Iacob uxorem ducat ex Hethæis.

CA-



CAPUT XXVIII.

Iacob in Mesopotamiam transiens, videt in somnis scalam cui innitebatur Dominus: & accepta de terra ac seminis multiplicatione promissione, experrectus votum Deo vovet.

1 VOcavit itaque Isaac Iacob, & benedixit eum, præcepitque ei
dicens: Noli accipere coniugem de genere Chanaan; 2. sed
vade, & proficiscere in Mesopotamiam Syriæ, ad domum
Bathuel patris matris tuæ, & accipe tibi inde uxorem de fi-
liabus Laban avunculi tui. 3. Deus autem omnipotens be-
nedicat tibi, & crescere te faciat, atque multiplicet, ut sis
in turbas populorum. 4. Et det tibi benedictiones Abrahæ,
& semini tuo post te: ut possideas terram peregrinationis tuæ, quam pollici-
tus est avo tuo. 5. (*a*) Cumque dimisisset eum Isaac, * profectus venit in
Mesopotamiam Syriæ ad Laban filium Bathuel Syri, fratrem Rebeccæ matris
suæ. 6. Videns autem Esau quod benedixisset pater suus Iacob, & misisset
eum in Mesopotamiam Syriæ, ut inde uxorem duceret; & quod post benedi-
ctionem præcepisset ei, dicens: Non accipies uxorem de filiabus Chanaan:
7. quodque obediens Iacob parentibus suis isset in Syriam: 8. probans quo-
que quod non libenter aspiceret filias Chanaan pater suus: 9. ivit ad Isma-
elem, & duxit uxorem, absque iis quas prius habebat, Maheleth filiam Ismael
filii Abraham, sororem Nabaioth. 10. Igitur egressus Iacob de Bersabee, per-
gebat Haran. 11. Cumque venisset ad quemdam locum, & vellet in eo re-
quiescere post solis occubitum, tulit de lapidibus qui iacebant, & supponens
capiti suo, dormivit in eodem loco. 12. Viditque in somnis scalam stantem
super terram, & cacumen illius tangens cælum, Angelos quoque Dei ascen-
dentes, & descendentes per eam, 13. & Dominum innixum scalæ dicentem
sibi: (*b*) Ego sum Dominus Deus Abraham patris tui, & Deus Isaac: Ter-
ram, in qua dormis, tibi dabo, & semini tuo. 14. Eritque semen tuum qua-
si pulvis terræ: (*c*) dilataberis ad occidentem, & orientem, & septemtrio-
nem, & meridiem: & (*d*) BENEDICENTUR IN TE, & in semine tuo cun-
ctæ tribus terræ. 15. Et ero custos tuus quocumque perrexeris, & reducam
te in terram hanc; nec dimittam nisi complevero universa quæ dixi. 16. Cum-
que evigilasset Iacob de somno, ait: Vere Dominus est in loco isto, & ego
nesciebam. 17. Pavensque, Quam terribilis est, inquit, locus iste! Non est
hic aliud nisi domus Dei, & porta cæli. 18. Surgens ergo Iacob mane, (*e*)
tulit lapidem quem supposuerat capiti suo, & erexit in titulum, fundens
oleum desuper. 19. Appellavitque nomen urbis Bethel, quæ prius Luza vo-
cabatur. 20. Vovit etiam votum, dicens: Si fuerit Deus mecum, & custo-
dierit me in via, per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad vescen-
dum, & vestimentum ad induendum, 21. reversusque fuero prospere ad do-
mum patris mei: erit mihi Dominus in Deum, 22. & lapis iste, quem erexi in

titulum, vocabitur Domus Dei, cunctorumque quæ dederis mihi, decimas offeram tibi.

(a) Osee xii. (b) Infr. xxxv. 1. xlviii. 3. (c) Deut. xii. 20. & xix. 14. (d) Sup. xxvi. 4. (e) Infra xxxi. 13.

BRUGENSIS

ROMANA CORRECTIO.

V. 5. *Profectus venit*. Ne mutes simplex *venit* cum composito *pervenit*.

COMMENTARIA

SA

Vers. 2. VADE. Hebr. *Surge*.

V. 3. ET CRESCERE; pro, id est crescere. SIS IN TURBAS POPULORUM; id est, habeas copiosam posteritatem.

V. 4. POLLICITUS EST. Hebraice, Chald. & LXX. *dedit*. AVO TUO. Hebr. Chald. & LXX. *Abrahæ*.

V. 8. PROBANS, id est intelligens. NON LIBENTER ASPICERET; idest, displiceret ei. Hebr. *Quod malæ essent in oculis patris sui*, &c.

V. 9. NABAIOTH, scilicet primogeniti Ismaelis. Vide supra cap. xxv.

V. 11. QUI IACEBANT. Hebr. *illius loci*.

V. 12. SCALAM. Significabat hæc Christum, cuius summum & imum, divinitas & humanitas. ANGELOS. Vide Ioan. 1.

V. 14. ET IN SEMINE; pro, id est in semine.

V. 18. IN TITULUM, id est instar metæ, seu columnæ. DESUPER. Hebr. *super eius caput*, id est summitatem.

V. 21. ERIT MIHI DOMINUS IN DEUM; id est, colam Dominum ut verum Deum.

V. 22. LAPIS, id est locus in quo lapis. CUNCTORUM. Si hic pecunia etiam intelligitur, offerret res quæ tantum valerent, quantum pecuniæ decima. OFFERAM, scilicet in sacrificium.

ESTII.

Vers. 12. VIDIT IN SOMNIS SCALAM. Mysterium huius visionis breviter explicabimus ex Augustino Lib. XII. contra Faustum cap. xxvi. & in Psalm. cxix. quo posteriori loco etiam reiicit illam expositionem quæ legitur in Commentar. adscripto Hieronym. in eumdem Psalmum, quasi ascendentes intelligerentur proficientes, descendentes vero deficientes. Per scalam itaque Chistus intelligitur, qui in Evangelio seipsum vocat viam, qua nimirum e terra ascenditur in cælum. Per Angelos significati sunt prædicatores Evangelii, qui ascendunt, dum divinæ in Christo naturæ sublimitatem annuntiant, descendunt cum humanæ naturæ humilitatem prædicant. Vel ascendunt per contemplationem, descendunt per actionem. Dominus autem scalæ innixus loquitur ad Iacob, terram ei promittens, & semen benedicendum, quia omnes Dei promissiones quæ ad statum reparationis humanæ pertinent, Christo innituntur, & non nisi per eum adimplentur. Unde quicquid a Deo Patre petimus, hac clausula concludimus, *Per Christum Dominum nostrum*. Ita fere Augustinus, itemque Gregorius I. Parte Pastoral. & S. Thom. II. II quæst. LXXXI.

V. 18. TULIT LAPIDEM QUEM SUPPOSUERAT CAPITI SUO, ET EREXIT IN TITULUM. Quod Hieronymus hic vertit *titulum*, Hebræis significat *statuam*. Idem quoque Hieronymus Oseæ III. vertit *altare*, quomodo & hic verti potuit. Sequitur enim: FUNDENS OLEUM DESUPER: quod de altari conve-

venientius dicitur, quam de statua. Si omnino contenderis statuam intelligi tam hic, quam in Oseæ III. sensus nequaquam incommodus reddi poterit huiusmodi: *Erexit in titulum*; id est, erexit in altum, instar statuæ, & ad eum modum quo gentiles erigere solent statuas: quod ipsum tamen Iacob non fecit, ut lapidem veneraretur, sed pro titulo & monimento. Vide etiam Num. XXXIII. & Deut. VII. ubi duo sunt affinia vocabula, quorum alterum Hieronymus vertit *aras*, alterum *statuas*. Sacrum etiam ritum esse oleum superfundere, ex eo præterea intelligitur, quod & dæmon simius Dei, illud ad sua sacra traxerit. De quo sic Apuleius Apolog. I. ut accusatorem suum impietatis arguat, *Negant*, inquit, *vidisse se qui fuere, unum saltem in finibus eius aut lapidem unctum, aut ramum coronatum*.

V. 20. VOVIT ETIAM VOTUM, DICENS. Exemplum hoc sancti Patriarchæ voventis Deo votum pro prospera profectione ac reditu, & pro evitandis periculis, opponendum est hæreticorum nostri temporis profanæ novitati, dicentium, æque valere, aut etiam plus, opus libere sine voto factum, quam id quod fit ex voti obligatione; quasi non sit homo gratior Deo, qui totum se mancipat Deo per spontaneam obligationem, quam ille qui aliquid propriæ voluntatis sibi reservat.

Sed quæritur, quomodo voveat Iacob se Dominum habiturum pro Deo, cum ad hoc obligatus esset iam ab initio, divina, & naturali lege. Respondeo: Iis verbis, *Erit mihi Dominus in Deum*, non internum cultum significat, sed externum, quem videlicet designat verbis sequentibus, quibus dicit: *Et lapis iste quem erexi, vocabitur domus Dei*, &c. Vovet igitur se in eo loco sacrificaturum Deo, & omnium facultatum suarum decimas allaturum. Id impletum est partim in Iacob postquam rediit, partim in posteritate eius. Nam in hoc loco postea ædificatum est templum Domino, ubi sacrificia, & decimæ a populo Israelitico offerebantur Deo. Sic Sulpitius in Histor. Lib. I. hunc locum intellexit, ita scribens: *Vovitque* (Iacob) *si rebus prosperis revertisset, eum lapidem, titulum sibi domus Domini futurum, decimasque omnium quæ acquisita sibi forent, Domino daturum*.

MARIANAE.

Vers. 3. BENEDICAT TIBI, ET (pro, id est) CRESCERE TE FACIAT. Posterior pars explicatio prioris est.

V. 4. QUAM POLLICITUS EST. Hebr. *quam dedit*; sed dedit pollicendo tantum.

V. 8. PROBANS, cognoscens, scilicet Esau, quod uxores eius priores patri displicerent.

V. 14. ET BENEDICENTUR IN TE, ET IN SEMINE TUO. Hebr. Schol. *In te, id est propter te, & propter semen tuum*. Favet hæc expositio Christianis, qui per Christum benedictas gentes, hoc est donis cælestibus auctas, exponunt.

V. 17. ET PORTA CAELI. Hebræus Schol. *Porta, per quam intelligitur, quæ in cælo de terrestribus sunt definita*. Scala Christus est; divinitas, superior pars scalæ; humanitas, pars inferior.

V. 18. ET EREXIT IN TITULUM, nempe statuam. Sed quoniam vetitum erat titulos aut statuas erigere, dicendum est eo pertinere præceptum, ne statua in formam animantis conformata statueretur; quod Iacob non fecit, sed lapidem erectum in metæ modum statuit. Aut vetitum statuam erigere ad adorandum, quando in Sanctuario Cherubim specie hominis erant. FUNDENS OLEUM DESUPER, id est super caput statuæ: sic Hebr. Itaque non totam statuam inunxit, Sept. *Effudit super summitatem ipsius*.

V. 20. PANEM AD VESCENDUM, ET VESTIMENTUM AD INDUENDUM. Vide modestiam: non petit delicata, & delicias.

V. 22. LAPIS ISTE... VOCABITUR DOMUS DEI. *Lapis*, id est locus ubi est lapis. Hinc suspicantur quidam, eo loco deinde extructum templum. Verum ex Iosue Libro constat, post occisos habitatores Ierusalem, tribum Ioseph ascendisse Bethel, & cepisse eam. Ita Bethel non erat ubi templum extructum est.

MALVENDAE.

Verf. II. **E**T SUPPONENS CAPITI SUO. Hebr. *Et posuit capitalia fibi*. מראשת *meraaſchoth*, quidam ſingulare, alii plurale faciunt: proprie eſt *capitale*, id eſt res quæ ponitur ſubter, vel ſuper, vel iuxta caput, ſive neceſſitatis, ſive ornatus gratia. Quidam *cervical*, *pulvinar*, *pulvinum*, ſeu *culcitram* interpretantur. Feſtus: *Capital linteum quoddam, quo in ſacrificiis utebantur*. Varro Lib. IV. de Lingua Latina, cap. XXIX. *Dictum capital a capite, quod ſacerdotulæ in capite etiam ſolent habere*. Erit quod Hiſpanice dicimus *cabecat*.

V. 12. VIDITQUE IN SOMNIS SCALAM. Myſteria & ſignificationes huius ſcalæ varie & affatim Explanatores enucleant. Quidam ſcalam, iter Iacob in Meſopotamiam; Angelos aſcendentes & deſcendentes, euntis & redeuntis cuſtodes: Deus in ſummitate ſcalæ, quia rei totius moderator & proviſor; ipſe ductor, reductor, & apud ſocerum conſervator: quem ſenſum firmat verſ. 15. Hebræi aiunt, ſcalam iſtam ſignificare divinam providentiam, & quod omnia iſta inferiora dependeant a ſuperioribus, ut auream illam Homeri catenam. Aut ſymbolum eſt Chriſti, qui ſolus cælum terræ coniungit, ipſe ſolus mediator, qui pertingit a cælo uſque ad terram, & ille per quem bonorum omnium cæleſtium plenitudo deorſum ad nos deſcendit, noſque viciſſim ad Deum conſcendimus. Idem, cum ſit caput Angelorum, efficit ut illi membris ſuis terrenis adſint, ac miniſtrent; & ut ipſe dixit Ioan. I. 51. *Amen, amen dico vobis: videbitis cælum apertum, & Angelos Dei aſcendentes & deſcendentes ſupra Filium hominis*. Nimirum hunc ſibi proprie honorem vindicaturus erat, quod poſtquam manifeſtatus eſſet mundo, Angeli aſcenderent ac deſcenderent, miniſtri beneficentiæ Patris erga nos propter ipſum Chriſtum, Hebræor. I. 14. nam ad ſcalam Iacob Chriſtum illis verbis reſpexiſſe, non dubito. Delirium eſt ſomniare Deum in terra ad ſcalæ pedem aſtitiſſe Iacobo; cum ſteterit in cacumine & ſummitate eius, uti Ioſephus, & omnes hactenus intellexere.

V. 18. IN TITULUM. מצבה *matztzebah*. Varie hanc vocem Noſter exprimere ſolet, frequenter *titulum*, frequentius *ſtatuam*. Oſeæ III. 4. *altare*. & cap. X. 2. *aras*, & eodem cap. X. I. *ſimulacra*. Recentiores *ſtatuam* plerique vertunt. In modum *metæ* quidam fuiſſe ſuſpicantur. Nonnulli ſimulacrum ex lapide, ære, aliove metallo, quod alicui mortuo vel viventi olim decernebatur, ad alicuius rei bene geſtæ memoriam. Hebræi aiunt eſſe lapidem, qui ad adorandum erigitur, vel in titulum ſepulcri, ut cippum. Sed latius ſumunt pro omni eo quod memoriæ cauſa, aut ad rei alicuius ſignificationem ſtatuitur, & erigitur. *Monumentum* exponunt. Hic vero proculdubio ſacrum monumentum, vel aram ſignificat, religionis cauſa poſitam & erectam ad adorandum Deum, tamquam locum ſacrum & religioſum, in quo apparuerat Deus, & præſentiam ſuam Iacobo exhibuerat; utque eſſet veluti ſacellum, & memoria divinæ illius viſionis. Clemens Alexandrinus Lib. I. Stromatum, cap. XIII. *Prius itaque quam accurate, perfecteque tenerentur imaginum habitus, veteres columnas erigentes, eas colebant tamquam ſtatuas*, nimirum prava imitatione, ex facto Iacob. Diſcrimen ſtatuunt Hebræi inter *matztzebah titulum*, & מזבח *mizbeach altare*. Primo quod titulus uno conſtaret lapide, altare pluribus; deinde titulus erigebatur ad libationem & fuſionem olei, altare ad ſacrificium. FUNDENS OLEUM DESUPER. Hunc ritum manaſſe ad gentiles, ſed falſo & præpoſtero cultu, qui lapides unguine inungebant, & adorabant, diſces ex Theophraſti Charactere *de Superſtitione*, Clemente Alexandrino Lib. VII. Stromatum, cap. III. Apuleio I. Floridorum, Arnobio Lib. III. adverſus gentes, Minutio initio Octavii, S. Auguſtino Lib. XVI. de Civit. Dei cap. XXXVIII. Plinius Lib. XIII cap. III. *Aquilæ certe ac ſigna, pulverulenta illa & cuſtodiis horrida, inunguntur feſtis diebus: nimirum hac mercede corruptæ terrarum orbem devicere aquilæ*. Vide in Iſai. LVII. verſ. 6. Tituli olim apud Chriſtianos dicebantur maiores & digniores Eccleſiæ. Hinc tituli Cardinalium. Sed de hoc lapide Iacob vide ſelecta quædam in *Euſebianis* Scaligeri, ad numerum M. M. CL. vide & infra cap. XXXV. verſ 14.

V. 19. QUAE PRIUS LUZA VOCA-

BA-

BATUR. Hebr. אולם לוז *ulam luz*, *nomen civitatis prioritati*, vel *principio*, aut *ad prioritatem*, seu *ad principium*, *primo*, vel *primum*. S. Hieronymus: *Ab eo*, *quod supra dixerat: Quam terribilis est locus iste! non est hic nisi domus Dei*, *& hæc porta cæli: nunc loco nomen imposuit: Et vocavit illum Bethel*, *id est domum Dei*; *qui locus vocabatur ante Luz*, *quod interpretatur nux*, *sive amygdalon*. *Unde ridicule quidam verbum Hebraicum Ulam nomen esse urbis putant*, *cum Ulam interpretetur*, *prius*. *Ordo itaque iste est lectionis*: *Et vocavit nomen loci illius Bethel*, *& prius Luza vocabulum erat civitatis*. *Antiquæ enim scripturæ verbo Ulam*, *sive Elem plenæ sunt*, *quod nihil aliud signat nisi ante*, *aut prius*, *vel vestibulum*, *sive superliminare*, *vel postem*. Et in Locis: *Sita autem est Bethel euntibus AEliam de Neapoli in læva parte viæ*, *duodecimo circiter milliario ab AElia*: *& usque hodie parvus licet viculus ostenditur*: *sed & Ecclesia ædificata est*, *ubi dormivit Iacob pergens Mesopotamiam*. *Unde ipsi loco Bethel*, *id est domus Dei*, *nomen imposuit*. Et infra: *Bethel vicus in duodecimo ab AElia lapide*, *ad dexteram euntibus Neapolim*, *quæ primum Luza*, *id est amygdalum vocabatur*: *& cecidit in sortem tribus Beniamin iuxta Bethan & Gai*, *quam expugnavit Iesus*, *rege illius interfecto*. *Porro quod quidam putant*, *secundum errorem Græcorum voluminum*, *Ulamaulas antiquitus nuncupatam*, *vehementer errant*. *Verbum quippe Hebræum*, *& nomen ipsius civitatulæ pariter miscuerunt*: *cum Ulam significet prius*, *id est πρότερον*; *Luza vero amygdalum*, *& fit sensus*: *Vocabatur autem Bethel prius Luza*. *Nec non & hoc quod Beth-aven aliud oppidum suspicantur*, *Hebræi putant eamdem esse Bethel*; *sed ex eo tempore*, *quo ibi ab Ieroboam filio Nabat vituli aurei fabricati sunt*, *& a decem tribubus adorati*, *vocatum esse Beth-aven*, *id est domum idoli*, *quæ antea vocabatur domus Dei*. *Sed & super hoc in Libris Hebraicarum Quæstionum plenius diximus*. In LXX. varie hoc nomen afferunt exemplaria: *Et Ulam Luz erat nomen civitati prius*: *Et Lammaus*, vel *& Ulammaus*, aut *Ulammus nomen civitati prius*: *Ulam* pro nomine proprio acceperunt. Vel ex duabus vocibus unam corrupte conflarunt. *Ulam*, ait S. Hieronymus, *ante*, vel *prius*. Hebræi, & nostri omnes nihil tale significare affirmant: sed *ast*, *at*, *verumtamen*, *certe*, *profecto*, *equidem*, *quidem*, *etenim*, *plane*, *&c.* ut pueri sciunt. Forte Hieronymus vocem עולם *gholam* cum *Ain*, vel postremam huius versus ראשונה *rischonah* in animo habebat. Nec absurde quis hunc locum reddiderit: *Et Ulam Luz nomen urbis a principio*; id est, *porticus*, *vestibulum*, *fornix urbis Luz*: quod ibi forsan esset vestibulum, seu porticus eius civitatulæ: nam Bethel non omnino esse ipsam Luz, sed paulo ab ea se unctam, perspicue dicitur Iosue XVI. 2. Brocardus: *Ostenditur adhuc iuxta Bethel*, *lapis ille in titulum erectus*, *una cum sepulcro Deboræ nutricis Rebeccæ*. Vocatam eam urbem Luz a copia *nucum*, vel *amygdalarum*, vel *avellanarum*, ipsum nomen satis indicat. Sunt eiusmodi nomina Hispanicis oppidis imposita, ut *Nogales*, *Almendral*, *Avellaneda*. Suo tempore appellatam Sargoreg, auctor est Beniamin Itinerarii pag. 39.

MENOCHII.

Vers. I. BENEDIXIT EUM: præcedentes benedictiones confirmans, & ob patienter, & immerito toleratum fratrem adaugens, & illi fauste a Domino iter precans.

V. 2. VADE, ET PROFICISCERE: Divus Augustinus censet iam Isaaco innotuisse conatus Esau: innuunt LXX. qui habent, *Surgens*, *fuge*: sine mora discede, subtrahe te fratris insidiis, & violentiæ: itaque Sapiens ab hac fuga vocavit Iacobum *profugum iræ fratris*, Sapient. X. 10. DOMUM BATHUEL: cui tunc, patre mortuo, præerat Laban.

V. 3. CRESCERE TE FACIAT, ATQUE MULTIPLICET: Deus det tibi fructum ventris copiosum, hoc est multos liberos. IN TURBAS POPULORUM, hoc est populosas: tantam posterorum multitudinem ut multas & populosas gentes exæquet.

V. 4. DET TIBI BENEDICTIONES ABRAHAE: faciat te, tuosque dignos promissionibus Abrahæ. SEMINI TUO POST TE: sit communis benedictio tibi, & semini tu. UT POSSIDEAS, iure hereditario tu, & non Esau. TERRAM PEREGRINATIONIS. terram Chanaam, ad quam redibis, & in qua ut peregrinus habitabis.

V. 5.

V. 5. PERVENIT IN MESOPOTAMIAM. Dicuntur hæc per prolepsim: nam priusquam eo perveniret multa contigerunt, hoc & sequenti capite narranda.

V. 6. BENEDIXISSET, iam secundo.

V. 9. IVIT: fortasse culpam priorum coniugiorum initorum abolere volens, & patri rem gratam facere. Sed inconsulte accipiens uxorem de ancillari stirpe, quæ cum Saræ liberis in partem hereditatis venire non poterat. Peius si fecit contumacia, & parentum contemptu. AD ISMAELEM, Ismaelitas, nam Ismael ante quatuordecim annos obierat.

V. 11. AD QUEMDAM LOCUM, fortuito, & non cogitans in eo pernoctare.

V. 12. SCALAM STANTEM SUPER TERRAM... ET ANGELOS ASCENDENTES, ET DECENDENTES PER EAM. Videtur instituta visio hæc ad consolandum Iacob, qui solitarius, mæstus, & solicitus extra patriam domum peregrinabatur. Angeli ergo descendentes felicem Iacobi abitum in Aram, ascendentes vero felicem eius reditum in Chanaan significant. Ita aliqui.

Verius puto voluisse Dominum Iacobum consolari visione scalæ, quæ symbolum incarnationis Verbi ex Iacobi stirpe. Per scalam ergo significatur Christus descensurus, & nasciturus per varios gradus, & generationes, & genitores, quorum ultimus est Ioseph cum B. Virgine; summus Adam, qui immediate a Deo creatus est. Duo scalæ latera sunt misericordia, & veritas. Scala tangit terram, quia Christus in terris visus est, & cum hominibus est conversatus; tangit cælum, quia secundus Adam est de cælo cælestis, & quia ipse est nobis scala, per quam ad cælum ascendimus. Descendunt Angeli ut hoc mysterium hominibus annuntient, ascendunt ut ardentia Patriarcharum desideria, & orationes ad Deum ferant. Tandem gradus scalæ possumus interpretari Christi virtutes, per quas ascendit ad cælum.

V. 13. TIBI, ET SEMINI TUO. Particula *&* posita est pro id est: dabo tibi. hoc est semini tuo; quod postea impletum in Historia Iosue, & Regum.

V. 15. NISI COMPLEVERO: nisi prius perfecero.

V. 17. QUAM TERRIBILIS EST LOCUS ISTE! &c. Bene Chaldæus huius loci sententiam expressit. *Quam terribilis est locus iste! Non est locus communis, sed locus in quo beneplacitum est coram Deo, & e regione huius loci est porta cæli.* PORTA CAELI, qua viderat inde Angelos prodeuntes, & eo intrantes post scalæ ascensum.

V. 18. EREXIT IN TITULUM: rudem illum lapidem in modum cippi levavit, & in terram erectum defixit in monimentum visionis, ut in reditu eodem loco divini beneficii memoriam recoleret, quod fecit cap. XXXV. num. 3. D. Hieronymus Oseæ III. lapidem hunc vocat altare. FUNDENS OLEUM DESUPER: ut Deo honorem exhiberet, & ei creaturam suam libaret, & lapidem divinæ gratiæ indicem quodammodo honoraret.

V. 19. BETHEL, QUAE PRIUS LUZA VOCABATUR. Prius Luz, vel Luza a nucum, vel amygdalarum copia (*Luz* enim Hebraice nucem significat) dicebatur: a Iacobo dicta est Bethel, id est domus Dei, quod iuxta illam dormiens vidisset Deum innitentem scalæ.

V. 21. ERIT MIHI DOMINUS IN DEUM. Significat se illum peculiari affectu, reverentiaque culturum.

V. 22. LAPIS, QUEM EREXI IN TITULUM, VOCABITUR DOMUS DEI; id est, locus in quo lapis hic, erit mihi sanctus, & pro Dei domo; & super lapide hoc quasi super altari sacrificabo.

TIRINI.

Vers. 12. VIDIT IN SOMNIS SCALAM. Litteraliter voluit Deus mæsto, & anxio Iacobo, iamque exuli, per hanc scalam significare divinam providentiam, & opem de cælo illi ubique affuturam: & Angelos, qui continuo e cælis in terram, & e terra in cælum commeant, ipsi speciatim tum in descensu, seu abitu in Mesopotamiam, tum in ascensu, seu reditu in Palæstinam, auxilio, & solatio futuros: denique Deum perpetuo spectatorem, & fautorem itineris, & negotiorum ipsius futurum. Ita Theodoretus *a*, Gennadius, & alii.

Allegorice scala hæc est Christus, eiusque ex Iacob secundum carnem generatio, cuius tot sunt gradus, quot personæ intermediæ: huius una pars in terris stans denotat

notat humanam naturam Christi; altera cælum contingens, eiusdem divinam naturam. Per hanc scalam non soli Angeli, sed & omnes fideles (qui & ipsi, saltem in futura vita, sunt *sicut Angeli Dei*, Matth. XXII.) continuo ascendunt, & descendunt; id est, familiarem accessum habent ad Deum, & ad vitam æternam. Ita Rupertus, Vatablus, & passim Doctores. Et de hoc aliquid iterum dicam Sapientiæ X. 10.

Tropologice scala hæc est via ad perfectionem, cuius varii gradus, incipientium, proficientium, perfectorum, quibus Deus in vertice sese unit, suaviatur, & deliciatur. Ascensus est cælestium contemplatio; descensus vita activa. Ita S. Gregorius *b*, & S. Thomas.

V. 17. QUAM TERRIBILIS EST LOCUS ISTE! id est, quam venerandus, quam religiosus! nempe propter Dei, & Angelorum præsentiam. Vere NON EST HIC ALIUD NISI DOMUS DEI, ET PORTA CAELI; quasi dicat: Deus hic præsentem se, & familiarem quasi in domestico suo palatio exhibet: hic facilis per ipsum, seu per opem & providentiam ipsius (allegorice per Christum) quasi per apertam portam, aditus patet in cælum, & ad thronum Dei. Unde & nomen loco illi, & urbi vicinæ indidit *Bethel*, id est domus Dei. Ita Rupertus, & Caietanus. Et ne locus memoria excideret, *lapidem quem* noctu capiti *supposuerat*, *erexit in titulum*; id est, posuit in signum & indicium rei ibidem sibi cælitus demonstratæ: & etiam ut hoc signo posset olim in reditu locum agnoscere, ibidemque tam insignis beneficii memoriam recolere; quod & fecit cap. XXXV. constructo illic altari, & sacrificio Deo oblato. Itaque *titulus* hic non significat inscriptionem, ut vulgo usurpatur; sed neque columnam, aut pyramidem; quo sensu dicitur Absalon sibi fecisse titulum *c*. Multo minus significat statuam vel idolum; qua ratione prohibentur tituli Levitici XXVI. Sed idem est quod signum seu indicium rei gestæ; quale hic erat ipsemet lapis cui ante ut cervicali indormierat. Quem tamen etiam oleo unxit, ut hac cæremonia designaret, se illum ipsum lapidem olim erigendo ibidem altari, & locum circumvicinum divino cultui & sacrificio tamquam domum Deo propriam & dicatam destinasse: quod metonymice hic vers. ult. indicat, cum dicit: *Lapis iste vocabitur domus Dei*; id est, locus in quo erexi hunc lapidem, erit Deo dicatus. Ita Chaldæus, Lipomanus, & alii. Et res postea sic gesta docuit cap. XXXV. vers. 7.

(*a*) Theod. quæst. LXXXII. in Genesin. Gennad. in Cat. Græc. Diodorus Tarsensis, a Lapide, &c.
(*b*) Greg. Lib. V. Moral. S. Thom. II. II. quæst. XVIII. art. ult.
(*c*) II. Reg. XVIII. vers. 18. & apud Ioseph. Lib. VII. Antiq. cap. IX.

GORDONI.

Vers. 1. ISaac confirmat priores benedictiones datas Iacobo. Explicat hereditatem, vult simul hac missione subducere eum periculo quod a fratre timebatur.

V. 4. UT POSSIDEAS, tu hereditatem promissam, non vero Esau. QUAM POLLICITUS EST AVO TUO, *Abrahamo*, ex Sept.

V. 8. PROBANS QUOQUE; hoc est, sciens, & experientia deprehendens quod priores quas habebat uxores non placerent patri.

V. 9. IVIT AD ISMAELEM. Iam quidem obierat Ismael, ut noto ad annum mundi 2201. sed ad familiam Ismaelis proficiscitur nunc Esau.

V. 11. Ex lapidibus unum accepit: nam ex vers. 18. unicum elegit lapidem.

V. 12. De hac scala ad litteram, & allegorice multi multa: sed nihil est, ob quod litteralis sensus Lectorem moretur. Vide de allegorico Alcazar. Apocal. cap. IV. vers. 1. Designatur certe Dei providentia erga Iacob, in hoc itinere patriam deferentis.

V. 13. TERRAM, IN QUA DORMIS, nempe Chananæam, DABO TIBI, ET SEMINI TUO, hoc est tibi in semine tuo. Nec dimittam, seu non cessabo, nisi complevero quæ dico.

V. 16. VERE DEUS IN LOCO ISTO. Certe ubique est, sed speciali modo, & favore est hic; & ideo vers. 17. vocat locum terribilem, hoc est sanctum, religiosum, & ob tam insignem Dei præsentiam, vocat domum Dei, nomine imposito Bethel; de quo dixi Iosue VII. & Ieremiæ XLVIII. Bethel est in tribu Ephraim, Iosue

sue XVIII. vers. 13. Sane male a quibusdam putatur Ierusalem. Aliam Bethel dant aliqui cum Pererio, sed in tribu Beniamin. Quicquid sit, Bethel, de qua hic, est eadem cum Luza.

V. 17. PORTA: per quam intelliguntur in terris quæ in cælo de mortalibus decernuntur: unde exeunt Dei dona & iudicia.

V. 18. Offendunt Calvinum loca ista de titulo erecto, altari, unctione, & voto. At Novator est, & læditur hic tantum a seipso. Legat porro infra XXXV. 7. ubi iterum est altare. Ad hoc Patriarchæ exemplum similia agit, & erigit Ecclesia. August. de Civit. Lib. XVI. cap. XXXVIII. putat allegorice hic significari Christum, & Chrisma Christianorum.

V. 19. BETHEL: ubi nunc sit, certatur. Adricho. in Beniamin, num. 42. scribit una leuca distare ab Hai, eversa a Iosue. Vide supra XII. 8. En Bethel vocatur Luz, vel Luza. Ita Vulgatus, & sine dubio olim etiam Septuaginta; sed in codicem LXX. irrepsit mendum; debetque in omnibus codicibus retineri *Luza*. Vide I. Reg. cap. XIII. vers. 4.

V. 22. LAPIS; hoc est, locus iste in quo est lapis, erit mihi sanctus, & pro domo Dei. Iacob vovet Deo decimas. Sed in Calvinum vota similia improbantem dixi suo loco.



CAPUT XXIX.

Iacob a Laban susceptus, septem annis pro Rachel servivit; cui cum supposita esset Lia, septem alios annos pro eadem implere coactus est. Rachele autem sterili, Lia quatuor peperit filios.

1 PRofectus ergo Iacob venit in terram orientalem. 2. Et vidit puteum in agro, tres quoque greges ovium accubantes
iuxta eum: nam ex illo adaquabantur pecora, & os eius
grandi lapide claudebatur. 3. Morisque erat ut cunctis ovibus congregatis, devolverent lapidem, & refectis gregibus,
rursum super os putei ponerent. 4. Dixitque ad pastores:
Fratres, unde estis? Qui responderunt: De Haran. 5. Quos
interrogans, Numquid, ait, nostis Laban filium Nachor? Dixerunt, Novimus. 6. Sanusne est? inquit. Valet, inquiunt: & ecce Rachel filia eius venit
cum grege suo. 7. Dixitque Iacob: Adhuc multum diei superest, nec est tempus ut reducantur ad caulas greges: date ante potum ovibus, & sic eas ad
pastum reducite. 8. Qui responderunt: Non possumus, donec omnia pecora
congregentur, & amoveamus lapidem de ore putei, ut adaquemus greges. 9.
Adhuc loquebantur, & ecce Rachel veniebat cum ovibus patris sui: nam gregem ipsa pascebat. 10. Quam cum vidisset Iacob, & sciret consobrinam suam,
ovesque Laban avunculi sui, amovit lapidem quo puteus claudebatur. 11. Et
adaquato grege, osculatus est eam: & elevata voce flevit, 12. & indicavit ei
quod frater esset patris sui, & filius Rebeccæ: at illa festinans nuntiavit patri suo. 13. Qui cum audisset venisse Iacob filium sororis suæ, * cucurrit obviam ei, complexusque eum, & in oscula ruens, duxit in domum suam. Auditis autem causis itineris, 14. respondit: Os meum es, & caro mea. Et
postquam impleti sunt dies mensis unius, 15. dixit ei: Num quia frater meus
es, gratis servies mihi? Dic quid mercedis accipias. 16. Habebat vero duas
filias:

filias: nomen maioris Lia; minor vero appellabatur Rachel. 17. Sed Lia lippis erat oculis; Rachel decora facie, & venusto aspectu. 18. Quam diligens Iacob, ait: Serviam tibi pro Rachel filia tua minore, septem annis. 19. Respondit Laban: Melius est ut tibi eam dem quam alteri viro: mane apud me. 20. Servivit ergo Iacob pro Rachel septem annis: & videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine. 21. Dixitque ad Laban: Da mihi uxorem meam: quia iam tempus impletum est ut ingrediar ad illam. 22. Qui, vocatis multis amicorum turbis ad convivium, fecit nuptias. 23. Et vespere Liam filiam suam introduxit ad eum, 24. dans ancillam filiæ, Zelpham nomine. Ad quam cum ex more Iacob fuisset ingressus, facto mane vidit Liam: 25. & dixit ad socerum suum: Quid est quod facere voluisti? Nonne pro Rachel servivi tibi? * Quare imposuisti mihi? 26. Respondit Laban: Non est in loco nostro consuetudinis ut minores ante tradamus ad nuptias. 27. Imple hebdomadam dierum huius copulæ; & hanc quoque dabo tibi pro opere quo serviturus es mihi septem annis aliis. 28. Acquievit placito; & hebdomada transacta, Rachel duxit uxorem: 29. cui pater servam Balam tradiderat. 30. Tandemque potitus optatis nuptiis, amorem sequentis priori prætulit, serviens apud eum septem annis aliis. 31. Videns autem Dominus quod despiceret Liam, aperuit vulvam eius, sorore sterili permanente. 32. Quæ conceptum genuit filium, vocavitque nomen eius Ruben, dicens: Vidit Dominus humilitatem meam; nunc amabit me vir meus. 33. Rursumque concepit, & peperit filium, & ait: Quoniam audivit me Dominus haberi contemptui, dedit etiam istum mihi: vocavitque nomen eius Simeon. 34. Concepitque tertio, & genuit alium filium, dixitque: Nunc quoque copulabitur mihi maritus meus, eo quod pepererim ei tres filios: & idcirco appellavit nomen eius Levi. 35. Quarto concepit, & peperit filium, & ait: Modo confitebor Domino: (a) & ob hoc vocavit eum Iudam: cessavitque parere.

(a) Matth. 1. 2.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 13. *Cucurrit obviam ei*. Pro simplici *cucurris* quidam legunt compositum *occurris*:

V. 25. *Quare imposuisti mihi*? Nequaquam addendum est nomen *Liam*.

COMMENTARIA

SA.

Vers. 12. INDICAVIT, pro, iam indicaverat.

V. 14. OS MEUM ES, ET CARO MEA; id est, *consanguineus meus es*, Hebr.

V. 17. LIPPIS. LXX. *infirmis*: alii, *debilibus*.

V. 20. PAUCI: scilicet levis eorum labor, alioqui etiam breve tempus longum videtur amantibus: Augustinus in Genesim quæst. 88.

V. 22. VOCATIS MULTIS AMICORUM TURBIS. Hebr. *Congregavit omnes viros loci*.

V. 25. QUID EST QUOD FACERE VOLUISTI? Hebr. *Cur hoc mihi fecisti?*

V. 31. APERUIT VULVAM; id est, fecundam reddidit.

V. 32. RUBEN, idest *videns filium*. HUMILITATEM, id est afflictionem.

V. 33. SIMEON, id est *audiens*, seu *exauditio*.

V. 34. LEVI, id est *copulatus*.

V. 35. CONFITEBOR; id est, laudabo, seu gratias agam. IUDAM, id est *confessionem*.

ESTII.

Vers. 9. NAM GREGEM IPSA PASCEBAT, scilicet Rachel, ad significandum quod Ecclesia, cuius figuram gerebat, per suos pastores, pascit gregem Christi. Et nota vocabulum *ipsa*: quia non per mercenarios, sed per seipsam pascit, id est per veros pastores, qui sunt præcipua Ecclesiæ membra.

V. 12. QUOD FRATER ESSET PATRIS SUI, ET FILIUS REBECCAE. Pars posterior expositio est prioris. Hoc enim sensu dicit se esse fratrem Laban patris Rebeccæ, quia filius erat Rebeccæ, sororis Laban. Fratris igitur nomen ad filium sororis extenditur, sicut & quum Lot frater Abrahæ vocatur, filius fratris Abrahæ intelligitur. Sic quoque infra vers. 15. *Num quia frater meus es, gratis servies mihi*?

V. 17. SED LIA LIPPIS ERAT OCULIS. Nempe synagoga, veniente Christo, excæcata fuit. Erat enim velamen positum super oculis Iudæorum.

V. 23. ET VESPERE LIAM FILIAM SUAM INTRODUXIT. Laban hac in parte maxime fuit culpabilis, qui auctor fuit rei; Iacob protsus inculpabilis, qui laboravit ignorantia facti, eaque invincibili. Lia ex parte excusanda; scilicet quod laboraret quadam ignorantia iuris, existimans id sibi faciendum quod pater iuberet, nec adulterii crimen esse, si affectu coniugali accederet ad Iacob; tamen & ex parte accusanda, quod accederet ad Iacob ignorantem, & proinde in eam non consentientem.

V. 24. AD QUAM CUM EX MORE IACOB FUISSET INGRESSUS. Verbis illis, *Ex more*, innuitur quomodo Iacob non agnoverit esse Liam, nisi facto mane: nempe quia solebant olim sponsæ obvelata facie traduci ad torum maritalem, pudoris causa: unde & nuptiæ a nubendo, id est velando, apud Latinos dictæ sunt. Lia, re per se honesta & laudabili, ad fallendum generum suum abusus est Laban pater Liæ. Ipsam quoque Liam nihil necesse est a peccato excusari. Esto fuerit typus spiritualis, quod Lia supposita fuerit pro Rachele (quem typum explicat Augustinus Lib. XXII. contra Faustum cap. LI. & seq.) sed & Caiphas impie Christum condemnans prophetavit. Vide nostra in IV. dist. xxx.

V. 27. IMPLE HEBDOMADAM DIERUM HUIUS COPULAE. Quidam hunc locum non satis intelligentes, putant Iacob primo septennio completo, quo ei per fraudem substituta est Lia, servisse septem annis aliis, quibus completis, tandem acceperit Rachelem uxorem. Verum non dicit Scriptura eum post alios annos septem accepisse Rachel, sed post hebdomadam dierum, id est post septem dies. Nuptiæ enim priores cum Lia agebantur diebus septem; quibus completis, etiam Rachelem accepit, ea tamen conditione ut pro ea serviret septem annis aliis. Annotant hoc Hier. & Aug. in Quæst. ET HANC QUOQUE DABO TIBI PRO OPERE QUO SERVIERIS. Nota: pro mercede laboris sui accepisse dicitur Iacob duas filias Laban, nam & supra vers. 15. *merces* vocatur. Non tamen proprie mercedem accepit ipsas personas (non enim illas tamquam rem sui solius iuris accepit) sed ipsarum coniugium, quatenus contractus erat humanus, præsupponens dotem, & similia.

V. 30. AMOREM SEQUENTIS PRIORI PRAETULIT: nec immerito aut indecenter: tum quia Rachelem prius duxerat pactis nuptialibus, tum ob pulchritudinem, quæ honesta est amoris causa, &, ut videtur, quia moribus quoque erat integrior. Nam passa fuerat Lia sibi a patre persuaderi ex parte adulterium, quando supposita fuit pro Rachel. Taceat itaque Calvinus, qui amorem hunc ut carnalem notat in Iacob.

MARIANAE.

Vers. 6. SANUSNE EST? Hebr. *Paxne est ei?* Pacis nomine bona omnia intelligunt. Bellum מלחמה *Milhamah*, ab edendo vocant, quasi voret omnia. VENIT CUM GREGE SUO. Hebr. *veniens* participium, pro *veniebat*, accentu posi-

posito in ultima: sicut e contra vers. 9. *Et ecce Rachel veniebat*, aut *venit*, vox præteriti est propter accentum in priori.

V. 14. Et postquam impleti sunt dies mensis unius. Hebr. *Et habitavit cum eo mensem dierum*. Hebræus quidam: *Mensem dierum*, id est integrum, non partem. Aut forte quoniam non cœpit initio lunæ, voluit significare e duabus lunis aut mensibus triginta dies mansisse, quot in uno mense sunt.

V. 15. Num quia frater meus es gratis servies mihi? Hebr. sic: *Vere frater meus es, servies mihi gratis?* Vox enim הֲכִי *bachi* significat *vere & iuste*. Vide cap. XXVII. vers. 36. Ea hic mutatur significatio.

V. 17. Sed Lia lippis erat oculis. Hebr. *teneris*, quod Sept. dixere *infirmis*; & quidam exponunt *lacrymantibus*. Chald. miror dixisse *pulchris*.

V. 20. Et videbantur illi pauci dies. Hebr. *uni dies*, pro paucis. Et quidem longissimi dies fuerunt, amanti enim omnis mora longa est; sed labor in illis exhaustus modicus videbatur cum mercede collatus.

V. 27. Imple hebdomadam dierum huius copulae. Hebr. *Imple hebdomadam huius*, nempe Liæ. *Hebdomada* referatur ad nuptiarum celebritatem, quam dies septem continuare, solemne est hodie Iudæis, & olim fuit, ut in Lib. Iudicum in nuptiis Samsonis factum legimus.

V. 28. Rachel duxit uxorem. Non expectavit alios septem annos, sed continuo illi data est: sic Hieronym. in Trad. Erat autem Iacob annorum 84. ut ex ortu Iosephi, eiusque, & patris ætate, cum Iacob descendit cum filiis in AEgyptum, perspicitur. Et vides certe susceptum olim, ut mariti uxoribus dotes darent, non contra.

V. 35. Confitebor Domino; pro, laudabo Dominum. Et ob hoc vocavit eum Iudam. Ab hoc fine dubio Iudæi sic dicti sunt: sed quando cœperint sic dici, non constat. Quidam, quo tempore regnum est divisum: sic Euseb. & Epiph. At Lactantius putat, ex quo egressi sunt ex AEgypto, sic dictos, Lib. IV. cap. x. Verum Ioseph. Lib. XI. cap. v. postquam ex captivitate Babylonica redierunt, tunc primum putat id genti nomen fuisse. Elias in Thisbi a captivitate decem tribuum putat.

MALVENDAE.

Vers. 1. Profectus ergo Iacob Heb. *Et levavit Iaghakob pedes suos*. Alii: *Deinde sublatis Iahakob pedibus suis*; id est, non invitus, ac pedes trahens, sed alacris reliquum iter confecit, divino oraculo confirmatus. In terram, vel *in regionem* orientalem. Hebr. *Filiorum orientis*, id est Mesopotamiam, quæ Chenanææ est orientalis. Vide supra cap. xv. vers. 19.

V. 6. Rachel. Hebraice dicitur *ovis*. A mansuetudine & simplicitate ovili videtur nomen nacta, ut Hispanice *chordera*; vel a pulchritudine, quod oves pulcherrime habeantur; vel quia a pueritia oves pascebat, vers. 9.

V. 8. Non possumus: propter lapidis magnitudinem vires nostras superantem; vel ne videantur agere contra morem, non expectatis aliis.

V. 9. Nam gregem ipsa pascebat. Exponunt: Id est, gregem agebat, & observabat in pascuis; sive ordinarie ab ipsa fuisse factum, sive hoc tempore mandatum ipsi intelligas.

V. 10. Quam quum vidisset Iacob, et sciret consobrinam suam, ovesque Laban avunculi sui. Hebr. *Secundum quod vidit Iahakob Rachel filiam Labanis avunculi sui, & pecudes Labanis avunculi sui*: Subaudiunt, *advenisse*. Ellipsis est verbi, quod necesse est repeti ex præcedente versu: cui ellipsi persimilis extat Matth. II. vers. 10. *Videntes stellam*, nimirum *stantem supra ubi erat puer*, &c. Amovit lapidem; vel *evolvit lapidem*: suam operam in devolvendo lapide cum pastoribus contulit. Sic insperato officio animum Rachelis devinciebat sibi antequam innotesceret. Hæc enim ante fuisse gesta quam gentem suam Racheli exponeret omnino probant.

V. 14. Os meum es, &c. Hebr. *Profecto os meum*, &c. Notant Labanem aut exclamatione sibi satisfactum affirmasse, aut honeste rogasse ne pluribus uteretur Iahakob apud se ad probandum factum suum; quasi dicat: Quid multis opus est?

Missa fac ista obsecro: nam *os meum*, *& caro mea es*: hoc commune vinculum tanti est apud me ut alia omnia de quibus videris laborare, aut esse nihil, aut nihil ad me pertinere putem. Sic paralepsis erit, ut supra cap. III. vers. I.

V. 16. LIA, vel *Leah fessam*, seu *fatigatam* significat: forte lippitudine, & morbo oculorum.

V. 17. LIA LIPPIS ERAT OCULIS. Hebr. *Et oculi Leah molles*, *teneri*; id est, tenerrimis erat oculis. Quidam ad pulchritudinem oculorum retulerunt. Habebat oculos teneros, molles, blandos, gratiosos, elegantes, qui allicerent; ac si dicat: Lia commendabatur a formositate & pulchritudine oculorum tantum; cum Rachel nedum oculis, sed tota facie & corpore esset pulcherrima & venustissima. Noster ad morbum oculorum retulit; & fere deformem Liam intelligunt. Habebat oculos teneros, molles, lacrymantes, qui humore defluerent, vel debiles, non satis firmos ad obtutum, ut facile conniverent. Nec desunt, qui in רכות *raccoth*, א initiale deficere putant, pro ארכות *araccoth*, id est *longi*: *Et oculi Liæ*, *longi*. Hispanice, *rasgados*. Alii in eumdem sensum exponunt, *extensi*. Utrumque ad pulchritudinem oculorum spectat.

V. 18. SERVIAM TIBI PRO RACHEL FILIA TUA MINORE SEPTEM ANNOS. Quidam intelligunt: *Pro Rachele*; id est, si des statim Rachelem: non enim ita servitutem paciscebatur ut coniugium usque ad exactum septennium differret; quasi dicat: Si dederis mihi, & ego accepero Rachelem uxorem, postquam ea mihi cesserit, serviam tibi septem annos. Iuxta hanc interpretationem, vers. 20. interiectus est per hysteron proteron; eiusque locus erit post illud vers. 30. *Amorem sequentis priori prætulit*. Unde Rachelem ante primum septennium duxisse putant.

V. 21. QUIA IAM TEMPUS IMPLETUM EST. Hebr. *Quia impleti fuerant dies mei*. Nonnulli interpretantur, non de septennio servitutis exacto, sed de ætate Iacob: completi sunt dies mei; id est, maturus sum plus satis uxori: egisse enim tunc volunt annum quasi septnagesimum sextum, cum pro uxore pacisceretur; quod ita colligunt, si ex centum triginta annis, quos natus erat Iacob, cum sisteretur Pharaoni, infra cap. XLVII. 9. ætatis Ioseph quadraginta anni detrahantur, & quatuordecim anni servitutis Iacobi pro uxoribus, sub quorum fine Ioseph natus est, cap. XXX. 25. Verum omnes intelligunt, Iacob Rachelem post exactum septennium servitutis uxorem accepisse: & series Mosaicæ narrationis id satis demonstrat.

V. 27. IMPLE HEBDOMADAM DIERUM, non annorum. Expleto septennio servitutis pro Rachele, & expleta septimana nuptiarum Liæ, ingressus est Iacob ad Rachel, ac cum ea matrimonium consummavit: non enim post aliud septennium, id est post quatuordecim annos duxit Iacob Rachelem; sed post primum septennium, & septimanam Liæ, ut S. Hieronymus contra Iosephum, & alios hic recte observavit.

V. 31. DESPICERET LIAM. שנא *sana*, *odiit*, *odio habuit*: aiunt esse contemptus & neglectus, quia ea quæ odimus, negligimus, & contemnimus. Dici autem interdum notant per comparationem alterius, quod magis amatur, non quod proprie odio habeatur, ut hic: non oderat Iacob Leam; sed præ Rachel, quam unice amabat, videtur odio habuisse, quod eam negligeret, & despiceret; nec erga eam, eam amoris vim exerebat ut erga Rachelem.

V. 32. RUBEN. Hebr. ראובן *Reuben*, id est *visionis filius*; vel potius *videte filium*.

V. 33. SIMEON. Hebr. שמעון *schimghon*, id est *exauditum*, vel *auditionem*. APPELLAVIT. Hebr. קרא *kara*, *vocavit*, est masculeum. Quidam pro impersonali, seu passivo capiunt, *vocatum fuit*, ut alibi passim. Alii Deo attribuunt, quod hic singulari præsagio ac divino impulsu nomen acceperit, quo præsignificabatur Levitas, Levi posteros Aaroni summo pontifici, & filiis eius sacerdotibus adiunctos, accommodatos, & mutuatos esse debere in ministerio tabernaculi & templi, atque illis ministros & servientes futuros, Num. XVIII. vers. I. & sequentibus, ubi ratio nominis exponitur.

V. 34. IUDAM. Hebr. יהודה *Iehudah*: significat *laudationem*, *laudem*, *confessionem*, *celebrationem*; quasi dicat: illustrem, celebrem, inclytum, laudatum. Et recte divino

vino præsagio, nam ea tribus regia futura erat, & toti genti nomen datura.

MENOCHII.

Verſ. 1. PROFECTUS ERGO, ſolus domo egreſſus: quod colligitur ex verbis ipſius Iacob infra cap. XXXII. 10. *In baculo meo tranſivi Iordanem iſtum, & nunc cum duabus turmis regredior*. IN TERRAM ORIENTALEM, Meſopotamiam.

V. 2. LAPIDE CLAUDEBATUR. Claudebatur puteus, ut poſſent greges ſalubrius, purius, & copioſius potari, cum non liceret cuiquam remoto operculo aquam ſordidare, vel crebrius haurire: neque enim erant copioſi latices, atque ideo cautio neceſſaria.

V. 4. FRATRES: nomen amoris, officii, & ſocietatis: ut paſtor paſtores alloquitur.

V. 5. FILIUM NACHOR. Laban erat filius Bathuelis; ſed vocatur filius Nachor, qui illi erat avus, eo quod celebrius eſſet nomen Nachor, qui caput, & princeps familiæ.

V. 6. ECCE RACHEL. AEvo illo pudicitia cum ſimplicitate vigebat. Puella dives, ſpecioſa, nubilis, ſine periculo, & ſuſpicione inter paſtores verſabatur. GREGE SUO, patris ſui Laban.

V. 7. NEC EST TEMPUS. Oſtendit ſe paſtoritiæ diſciplinæ peritum, & ſe fraterno affectu curare res ipſorum, nam id veſpere faciendum erat.

V. 10. SCIRET: nam ex paſtoribus didicerat, n. 6. AMOVIT LAPIDEM: quia intellexerat ſolam expectari, & iam in futuram coniugem officioſus.

V. 11. OSCULATUS. Indicavit prius quis eſſet, & tunc iuxta provinciæ morem fecit: propinqui enim propinquas oſculabantur. FLEVIT, ex animi teneritudine, & vehementi lætitia.

V. 12. FRATER PATRIS, nepos matruelis. Frater hic cognatum ſignificat. FESTINANS, ut hoſpitalis, & officioſa virgo.

V. 14. OS MEUM, ET CARO MEA: conſanguineus meus. IMPLETI SUNT, poſt integrum menſem quo illi ſervivit.

V. 17. LIPPIS ERAT OCULIS. Lippitudo Liæ videtur fuiſſe ſola debilitas, mollities, & teneritudo oculorum, qua fit ut non poſſint diu in rem aliquam defigi, ſed volubiles ſint, pronique in lacrymas, ita ut pupillæ ſuis orbibus quaſi innatare viderentur: hoc enim ſignificat vox Hebraica רכות *raccot*.

V. 18. SERVIAM TIBI. Iacob inops venerat, non erat unde donationi propter nuptias ſatisfaceret, aut iuxta ævi illius morem, uxorem coemeret, itaque pro pretio ſeptennium ſervit.

V. 19. MANE APUD ME, ſuſcepta gregum meorum cuſtodia.

V. 20. PAUCI DIES. Hebr. *Uni dies*. PRAE AMORIS MAGNITUDINE. Iacobo pretium pro Rachele vile videbatur: alioqui amor impatiens eſt moræ.

V. 21. DA MIHI UXOREM MEAM: iam enim verbis de præſenti matrimonium contractum. INGREDIAR, ut matrimonium conſummem.

V. 22. VOCATIS MULTIS AMICORUM: *omnibus viris loci illius*, LXX. & Chaldæus. FECIT NUPTIAS, convivium nuptiale.

V. 23. ET VESPERE. Virgines enim dum nubebant, verecundiæ cauſa in tenebris viri thalamum adibant.

V. 24. DANS ANCILLAM. Omnino modica dos, & quaſi nulla pro perſonarum conditione. Data ancillula in ſpeciem, ne diceretur indotatam dediſſe: quare poſtea filiæ hanc dotem pro nulla duxerunt, infra XXXI. 14. AD QUAM, Liam, non Zelpham. VIDIT LIAM. Peccavit Lia obtemperando parenti, conſenſit enim in ſtuprum, immo adulterium. Gravius Laban, qui eam ad facinus induxit.

V. 26. CONSUETUDINIS. Videtur Laban ficto ſe conſuetudinis prætextu excuſare: nam ſi obſtaret conſuetudo, quomodo publice nuptias celebrat quaſi daturus Rachelem, quam omnes ſciebant eſſe natu minorem?

V. 27. HEBDOMADAM DIERUM. Septem tantum diebus differuntur nuptiæ Rachelis, dum ſcilicet nuptiæ Liæ per integram hebdomadam celebrantur; ea tamen lege ut poſt adeptam Rachelem ſeptem annis aliis ſerviat.

V. 31. DESPICERET LIAM: minus amaret quam Rachelem. APERUIT VULVAM: fecundam reddidit.

V. 32.

V. 32. RUBEN: quæ vox significat Videte filium, scilicet quem mei misertus mihi largitus est Deus.

V. 33. SIMEON, id est auditio obediens.

V. 34. LEVI, idem est quod copula, cohæsio, adiunctio; quasi dicat: Addidi iam pariendo tres filios marito: igitur deinceps ipse amore mihi adiungetur, & agglutinabitur.

V. 35. IUDAM. Iuda idem est quod confessio, sive laus.

TIRINI.

Vers. 20. VIDEBANTUR ILLI PAUCI DIES, PRAE AMORIS MAGNITUDINE. Nam licet amanti omnis mora longa & gravis esset, quatenus retardabat optatum usum rei amatæ; brevis tamen & levis videbatur quatenus eam conferebat cum excellentia & nobilitate rei quam sibi interea comparabat. Nota, more prisco emi solitas pretio uxores, non solum apud Hebræos, sed & apud Græcos, & Romanos, ut fuse declarat Brissonius *a*. Sic David *b*, *Centum*, inquit, *præputiis Philisthiim despondi mihi Michol* filiam Saulis. Et Oseas Propheta *c* uxorem sibi comparavit *quindecim argenteis, & hordei coro cum dimidio*. Iacob vero cum aliud pretium ad manum non haberet, septem annorum servitutem promittit. Debebat vicissim Laban filiabus dotem de more dare; sed ut minus amans illarum, minusque curans, id neglexit. Quo nomine utraque infra cap. XXXI. vers. 15. graviter quæritur, & merito.

V. 27. IMPLE HEBDOMADAM DIERUM HUIUS COPULAE. In Hebræo, Chaldæo, & Græco solum est: *Imple hebdomadam huius*; id est, expecta donec transeant septem de more dies festi, quibus tui cum Lia coniugii solemnitas celebratur. Iis exactis, tradam tibi quoque Rachelem mox in uxorem; sed ea lege, ut pro ea servias mihi alios septem annos. Turpe enim nimis esset & probrosum Liæ, si, durantibus illius diebus nuptialibus, sororem eius superinduceres. Septem vero dies solemnia nuptiarum celebrari solita, patet etiam ex nuptiis Samson, Iudic. XIV. vers. 12. Fallitur ergo Iosephus, cum dicit, post hebdomadam annorum, seu post septennium a nuptiis Liæ, ductam demum Rachelem. Nam præter clara verba textus huius, etiam anni, quibus Iacob non pluribus quam viginti mansit apud Laban in Mesopotamia, non patiuntur tantas nuptiarum moras *d*.

Tropologice Rachel, & Lia sorores, duæ sunt vitæ, contemplativa, & activa. Primo ducenda est Lia, id est laboriosa (hoc enim Hebraice significat Lia) sed secunda, vita activa; dein speranda Rachel, id est ovis, quæ est symbolum quietis, & contemplationis. Ita SS. Augustinus *e* & Gregorius.

Allegorice Lia designat Ecclesiam Christi militantem; Rachel triumphantem.

V. 32. VOCAVIT NOMEN EIUS RUBEN, id est filium visionis, seu providentiæ divinæ, qua Deus videns me contemptui esse marito meo, providit mihi de filio, æmula sterili relicta: hoc nomine haud dubie me præ illa diliget deinceps maritus meus. Ita grata in Deum mater, voluit etiam in ipso nomine filii perennem beneficii divini memoriam extare, ut quoties illum videret, vel nominaret, toties recordaretur, & gratias ageret divinæ erga se beneficentiæ. Idem observavit in nominibus sequentium prolium suarum, nempe *Simeon*, id est auditio: Quia, inquit, *Dominus audivit me contemptui haberi*, & ideo exaudivit me. *Levi*, id est copula, coniunctio; quasi dicat: Hoc quoque pignore a Deo per me accepto, *copulabitur mihi* maiore affectu *maritus meus*. *Iuda*, id est confessio, laus sit Deo: & sic capite sequenti de aliis.

(*a*) Briss. L. de Ritu nuptiarum.
(*b*) II. Reg. III. 14.
(*c*) Oseæ III. 2.
(*d*) Ut ostendit Bonfr. initio cap. XXVII.
(*e*) Aug. Lib. XXII. contra Faustum cap. LII. Gregor. Lib. VI. Mor. cap. XXVIII.

GORDONI.

Vers. 1. & 2. IAcob (ex cap. XXXII. vers. 10.) venit in Mesopotamiam solus & inops. Puteus clauditur lapide, ne quis vel inficiat, vel hauriat aquam.

V. 4. FRATRES, nomen officii, & amoris.

V. 6. SANUSNE EST? שלום Heb *salom* omnem prosperitatem significat.

V. 11. OSCULATUS; sed prius indicavit quis esset.

V. 12.

V. 12. INDICAVIT QUOD FRATER ESSET PATRIS SUI, ET FILIUS REBECCAE. Per fratrem intellige ex sorore nepotem: nam Iacob filius est Rebeccæ, quæ erat soror Laban, qui pater est Rachelis: ergo Rachel, & Iacob consobrini. אח, *frater*, *propinquus*, *cognatus*. Nec minus late patet nomen Latinum, *frater*, quasi fere alter. Vide cap. XXIV. vers. 50.

V. 14. DIES MENSIS UNIUS: sunt dies triginta FRATER, consobrinus.

V. 17. LIPPIS. Aliqui *lacrymantibus* reddunt. Hebr. *teneris*. Septuag. habent, *infirmis oculis*.

V. 18. SERVIAM TIBI. Vetere more emit servitute uxorem; fere ut dato apud Romanos, & Græcos pretio.

V. 20. Amanti quidem tempus breve, videtur longum; sed labor illius temporis videtur modicus præ amore.

V. 21. UXOREM. Rachelem petit, cum qua verbis erat contractum matrimonium.

V. 23. ET VESPERE. Plutarchus in Lycurgo, virgines viri thalamum olim in tenebris adiisse narrat.

V. 24. ANCILLAM, exigua dos.

V. 27. IMPLE HEBDOMADAM, scilicet dierum, seu septem dies festi cum Lia, & Rachelem habebis. Ergo Iacob cognito errore, consentit in matrimonium cum Lia. Sane hinc collige Iacobum non peccasse: laborabat facti ignorantia invincibili. Peccarunt tamen Laban, & Lia. Duxit vero Iacob Rachelem post septem dies a matrimonio Liæ. Ac deinde post hanc dierum moram pro eadem Rachele servivit septem annos alios. Lia parit Ruben & fratres, vers. 32.

V. 32. RUBEN ראובן a rad. ראה *raa*, quod est videre, dictus filius visionis. Hinc subditur: VIDIT DOMINUS HUMILITATEM MEAM.

V. 34. LEVI, hoc est adhæsio, copula: iam, inquit, adhærebit, mihi maritus.

V. 35. CONFITEBOR DOMINO; id est, laudabo Deum: inde nomen pueri IUDA, hoc est confessio: tandem inde dicti Iudæi; an forte in separatione regni, post mortem Salomonis.

CAPUT XXX.

Rachel sterilis, & Lia parere cessans ancillas suas marito tradunt, ex quibus singulæ binos suscipiunt filios: præter quos Lia duos alios, & filiam parit; Rachel vero Ioseph: quibus natis, Laban de mercede paciscitur cum Iacob, qui hoc modo plurimum ditatus est.

1 CErnens autem Rachel quod infecunda esset, invidit sorori suæ;
& ait marito suo: Da mihi liberos, alioquin moriar. 2. Cui
iratus respondit Iacob: Num pro Deo ego sum, qui privavit
te fructu ventris tui? 3. At illa: Habeo, inquit, famulam Ba-
lam: ingredere ad illam, ut pariat super genua mea, & ha-
beam ex illa filios. 4. Deditque illi Balam in coniugium: quæ,
4. ingresso ad se viro, concepit, & peperit filium. 5. Dixitque
Rachel: 6. Iudicavit mihi Dominus, & exaudivit vocem meam, dans mihi fi-
lium: & idcirco appellavit nomen eius Dan. 7. Rursumque Bala concipiens pepe-
rit alterum, 8. pro quo ait Rachel: Comparavit me Deus cum sorore mea, &
invalui: vocavitque eum Nephthali. 9. Sentiens Lia quod parere desiisset, Zel-
pham ancillam suam marito tradidit. 10. Qua post conceptum edente filium,
11. dixit, Feliciter: & idcirco vocavit nomen eius Gad. 12. Peperit quoque Zel-
pha alterum. 13. Dixitque Lia: Hoc pro beatitudine mea: beatam quippe me
dicent mulieres: propterea appellavit eum Aser. 14. Egressus autem Ruben tem-
pore

pore messis triticeæ in agrum, reperit mandragoras, quas matri Liæ detulit. Di-
xitque Rachel: Da mihi partem de mandragoris filii tui. 15. Illa respondit:
Parumne tibi videtur quod præripueris maritum mihi, nisi etiam mandragoras fi-
lii mei tuleris? Ait Rachel: Dormiat tecum hac nocte pro mandragoris filii tui.
16. Redeuntique ad vesperam Iacob de agro, egressa est in occursum eius Lia,
* &, Ad me, inquit, intrabis: quia mercede conduxi te pro mandragoris filii
mei. Dormivitque cum ea nocte illa. 17. Et exaudivit Deus preces eius: conce-
pitque, & peperit filium quintum, 18. & ait: Dedit Deus mercedem mihi, quia
dedi ancillam meam viro meo: * appellavitque nomen eius Issachar. 19. Rursum
Lia concipiens, peperit sextum filium, 20. & ait: Dotavit me Deus dote bona:
etiam hac vice mecum erit maritus meus, eo quod genuerim ei sex filios: & id-
circo appellavit nomen eius Zabulon. 21. Post quem peperit filiam, nomine Di-
nam. 22. Recordatus quoque Dominus Rachelis, exaudivit eam, & aperuit vul-
vam eius. 23. Quæ concepit, & peperit filium, dicens: Abstulit Deus oppro-
brium meum. 24. Et vocavit nomen eius Ioseph, dicens: Addat mihi Dominus
filium alterum. 25. Nato autem Ioseph, dixit Iacob socero suo: Dimitte me ut
revertar in patriam, & ad terram meam. 26. Da mihi uxores, & liberos meos,
pro quibus servivi tibi, ut abeam: * tu nosti servitutem qua servivi tibi. 27. Ait
illi Laban: Inveniam gratiam in conspectu tuo: experimento didici, quia benedi-
xerit mihi Deus propter te: 28. constitue mercedem tuam quam dem tibi. 29.
At ille respondit: Tu nosti quomodo servierim tibi, & quanta in manibus meis
fuerit possessio tua. 30. Modicum habuisti antequam venirem ad te, & nunc di-
ves effectus es: benedixitque tibi Dominus ad introitum meum. Iustum est igitur
* ut aliquando provideam etiam domui meæ. 31. Dixitque Laban: Quid tibi da-
bo? At ille ait: Nihil volo: sed si feceris quod postulo, iterum pascam, & cu-
stodiam pecora tua. 32. Gyra omnes greges tuos, & separa cunctas oves varias
& sparso vellere; & quodcumque furvum, & maculosum, variumque fuerit, tam
in ovibus quam in capris, erit merces mea. 33. Respondebitque mihi cras iusti-
tia mea, quando placiti tempus advenerit coram te: & omnia quæ non fuerint
varia, & maculosa, & furva, tam in ovibus quam in capris, * furti me arguent.
34. Dixitque Laban: Gratum habeo quod petis. 35. Et separavit in die illa ca-
pras, & oves, & hircos, & arietes, varios atque maculosos; cunctum autem gre-
gem unicolorem, id est albi, & nigri velleris, tradidit in manu filiorum suorum.
36. Et posuit spatium itineris trium dierum inter se & generum, qui pascebat re-
liquos greges eius. 37. Tollens ergo Iacob virgas populeas virides, & amygdali-
nas, & ex platanis, ex parte decorticavit eas: detractisque corticibus, in his quæ
spoliata fuerant, candor apparuit; illa vero quæ integra fuerant, viridia perman-
serunt: atque in hunc modum color effectus est varius. 38. Posuitque eas in ca-
nalibus, ubi effundebatur aqua: ut cum venissent greges ad bibendum, ante ocu-
los haberent virgas, & in aspectu earum conciperent. 39. Factumque est ut in
ipso calore coitus, oves intuerentur virgas, & parerent maculosa, & varia, &
diverso colore respersa. Divisitque gregem Iacob, † & posuit virgas in canalibus
ante oculos arietum: erant autem alba, & nigra quæque, Laban; cetera vero,
Iacob, separatis inter se gregibus. 41. Igitur quando primo tempore ascendeban-
tur oves, ponebat Iacob virgas in canalibus aquarum ante oculos arietum, &
ovium, ut in earum contemplatione conciperent; 42. quando vero serotina ad-
missura erat, & conceptus extremus, non ponebat eas. Factaque sunt ea que
erant

erant ferotina, Laban; & quæ primi temporis, Iacob. 43. Ditatufque eft homo ultra modum, & habuit greges multos, ancillas, & fervos, camelos, & afinos.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 16. *Et ad me, inquit, intrabis*. Confodiendum eft verbum *ait*, quod quidam addunt: *Et ait, ad me, inquit, intrabis*.

V. 18. *Appellavitque nomen eius Iffachar*. Omitte quod fequitur in quibufdam libris, *quod eft merces*.

V. 26. *Tu nofti fervitutem*. Non addas coniunctionem *vero*.

V. 30. *Ut aliquando provideam etiam domui mea*. Non eft omittenda particula *etiam*.

V. 33. *Furti me arguent*. Cave mutes verbum plurale tertiæ perfonæ *arguent* cum fingulari fecundæ perfonæ *argues*.

LECTIONIS VARIETAS.

V. 40. *Et pofuit virgas in canalibus*. Alia manufcripta fide digna omittunt hic illud *in canalibus*, quod legitur fupra verf. 38. & infra verf. 41.

COMMENTARIA

S A.

Verf. 2. PRO DEO, ideft Deus.

V. 3. SUPER GENUA; quafi dicat, quod ubi pepererit, in gremio ponam.

V. 6. IUDICAVIT MIHI; ideft, caufam meam egit. DAN, ideft *iudicans*, feu *iudicium*.

V. 8. ET INVALUI; pro, immo invalui, ideft prævalui. NEPHTHALI, ideft *comparationem*, feu *æquiparationem*.

V. 9. TRADIDIT. Hebr. *Dedit in uxorem*.

V. 11. GAD, ideft *felix*.

V. 13. MULIERES. Hebr. *filiæ*. ASER, ideft *beatitudo*.

V. 14. MANDRAGORAS. Sunt herbæ poma, magnitudine avellanæ, flava & pulchra, radix forma humana. Vide Cantic. VII.

V. 18. ISSACHAR, ideft *merces*.

V. 20. DOTAVIT....DOTE; pro, donavit dono. ZABULON, ideft *habitans*, feu *habitaculum*.

V. 22. APERUIT VULVAM; ideft, fecundam reddidit.

V. 23. OPPROBRIUM: fcilicet opprobrio olim erat fterilitas.

V. 24. IOSEPH, ideft *augmentum*.

V. 27. INVENIAM GRATIAM; quafi dicat: Si tibi carus fum, mane apud me, & conftitue, &c.

V. 28. CONSTITUE, &c. quafi dicat: Dic quam velis mercedem.

V. 30. IUSTUM EST, &c. Hebr. *Et nunc quando faciam & ego pro domo mea?*

V. 32. GYRA....ET SEPARA. Hebr. *Tranfibo feparando*. SPARSO VELLERE; ideft, fparfis in vellere maculis. FURVUM; ideft fubnigrum. Alii *fulvum* legunt.

V. 33. RESPONDEBITQUE, &c. quafi dicat: Apparebo iuftus, nec fraude ulla ufus. CRAS, ideft poftero, feu futuro tempore. PLACITI, fcilicet iuxta conventionem folvendi.

V. 37. PLATANIS: alii, *caftaneis*.

V. 38. CONCIPERENT. Apparet hic quanta fit imaginationis vis.

V. 41. PRIMO TEMPORE, fcilicet martio.

V. 42. SEROTINA, fcilicet feptembri, cum debilior fetus.

ESTII.

Verf. 1. CERNENS AUTEM RACHEL QUOD INFECUNDA ESSET. Quod Iacob legitur habuiffe quatuor uxores, nempe duas forores, & earum ancillas, calumniati funt olim Manichæi, velut incontinentiæ & propenfæ libidinis fignum: calumniatus eft & hoc noftro fæculo Calvinus, detrahens laudibus Patriarcharum, quas apud Aug. aliofque Patres, immo in Scriptura de iis legimus. Quibus refpondetur, polygamiam hanc Iacob, fi Scripturam diligenter infpicia-

ciamus, nullo modo eius intemperantiæ adſcribi poſſe, cum e contra potius eius continentia multis indiciis commendetur. Nam Iacob non aliam uxorem petiiſſe legitur præter unam Rachel; Lia vero per fraudem ei ſuppoſita eſt, ignoranti, & nolenti; quamquam poſtea, ut eam retineret, conſenſit, quadam neceſſitate inductus. Ancillas autem earum accepit, non ſua ſponte, ſed rogatus ab eis, idque non impulſu libidinis, ſed prolis amore. Semper enim præ oculis habebat ſanctus Patriarcha divinam promiſſionem de ſemine eius in immenſum multiplicando.

V. 14. DA MIHI PARTEM DE MANDRAGORIS. Cyprianus in præfat. de Operibus Cardinal. *Rachel*, inquit, *ad odorem, non ad eſum, Liæ mandragoras concupiſcit*. Hæc Cyprianus.

V. 33. RESPONDEBITQUE MIHI CRAS IUSTITIA MEA. Senſus eſt, iuſtitia mea cras, id eſt poſtero tempore, teſtabitur de me, CORAM TE, id eſt in conſpectu tuo, te vidente, & agnoſcente; QUANDO PLACITI TEMPUS ADVENERIT: vel, ut in Heb. ad verbum, *Cum venerit ſuper mercedem meam*: quod Hieron. ſic intellexit: cum venerit tempus pactæ mercedis. Poteſt etiam ſic intelligi: cum iuſtitia mea venerit ſuper mercedem meam; id eſt, cum ob iuſtitiam meam merces mea fuerit aucta, & benedicta a Deo. FURTI ME ARGUENT. Ita recte Sixtina in tertia plurali. Nam & Hebræa, & Græca ſic ſonant: *Et omne quod non fuerit varium &c. furatum erit apud me*; id eſt, imputabitur mihi pro re furtiva, ſcilicet ſi fuerit deprehenſum.

V. 37. TOLLENS ERGO IACOB VIRGAS POPULEAS VIRIDES. Quæritur quomodo Iacob excuſetur a fraude, utpote qui tali arte uſus eſt ad habendum gregem numeroſiorem & meliorem. Reſpondeo, quod uti arte licita ad conſequendum id quod ſibi iure debetur, non fraus eſt, ſed prudentia; atqui pro labore quatuordecim annorum, quibus Iacob ſervierat Laban, merces ei ampla debebatur: igitur eam arte conſequi licuit.

At, dices, laboravit pro Rachel. Reſpondeo, primo quidem ſeptennio ex pacto pro ea ſervivit, ſed ſecundo ſeptennio, non ex animo pactus eſt, utique fraude Laban circumventus. Deinde iure naturæ cum uxoribus ſimul ei dos iuſta & honeſta a patre uxorum debebatur, nec dabatur.

MARIANAE.

Verſ. 2. NUM PRO DEO EGO SUM? id eſt, num Deus ego ſum?

V. 3. ET HABEAM EX ILLA FILIOS. Hebr. *Et ædificabor etiam ego ex illa*. Filii, domus ſunt; ideo ædificare dicuntur qui eos procreant.

V. 6. IUDICAVIT MIHI DOMINUS: vindicavit me, aut ſententiam pro me tulit.

V. 8. COMPARAVIT ME DEUS. Hebr. *Luctationibus Dei luctata ſum cum ſorore mea*: nam verbum פתל *pathal* Hebræis *luctari* eſt.

V. 9. MARITO TRADIDIT. Hebr. *Dedit Iacobo in uxorem*: ſic Sept. ſcilicet Zelpham ancillam.

V. 11. DIXIT, FELICITER. *Gad* ſignificare poteſt *exercitum*, aut *fortunam*, ſeu *fatum*. Hoc poſterius ſecutus eſt Hieron. Sept. Chald. & favet locus Iſaiæ XVI. *Poſuiſti fortunæ menſam*, ubi vox *gad* eſt. Alii quidam deducunt a verbo *gadad*, quod eſt *congregare*, & credunt vertendum *venit exercitus*, nempe filiorum: multos filios habeo. Iuxta alios, *venit fortuna*, quod uno verbo Hieron. dixit, *feliciter*.

V. 14. REPERIT MANDRAGORAS. Non eſt certum דודאים *dudaim* ſignificare *mandragoras*: quidam *lilium* ea voce ſignificari potius volunt: ſane *caniſtrum* ſignificat. Ierem. XXIV. verſ. I. Verum cum Interpretes omnes, ipſi etiam Expoſitores Hebræi in unam ſententiam conſpirent, ea voce hoc loco *mandragoras* ſignificari; non eſt quod nova ſectemur. Sed quare Rachel illas tantopere voluit? Auguſtin. XXII. contra Fauſtum, cap. LVI. ob pulchritudinem, & gratum odorem expetitas a Rachele dicit, non ob aliud. Et ſane mandragoras eſſe odoratas, Cant. VII. verſ. 13. aſſeritur. Epiphanius in Phyſiologo, cap. IV. elephantem feminam ait mandragora guſtata inflammari ad venerem, eaque mari data ſic coire. Iulianus Apoſtata epiſt. ad Calixenam, qui amorem coniugis pietati anteponit, multum mandragoræ bibiſſe ait. Lucian. in Demoſth. encomio, mandragora ſomnum conciliari indicat.

cat. Quidam putant, quoniam vim ad concipiendum habet. Ego in Dioscoride tantum invenio, matrici prodesse, & ciere menses. Forma est ad modum lactucæ, & in medio poma nucibus maiora, quædam grati odoris. Radix crassa, & duplex, complicatis fibris inter se, gemini cruris similitudine. Inde vero natus rumor, maris & feminæ formam & membra eas fibras repræsentare. Ex eo etiam Columella Lib. X. initio illam *semihominem* vocat, id est *andr ogynum*.

V. 23. ABSTULIT DEUS OPPROBRIUM MEUM. Sterilitas tunc probrosa habebatur.

V. 30. AD INTROITUM MEUM. Hebr. *Ad pedem meum, benedixit te Deus*, eadem sententia: unde Hebræis Proverbium, רגלן שובה לפלות, *Bonus pes ad liberandam*.

V. 32. GYRA OMNES GREGES TUOS. Locus difficilis in Hieronymi quidem versione; sic tamen Hebr. *Gyrabo omnes greges tuos hodie. Aufer inde omne pecus punctatum & maculosum, & omne pecus furvum nigrum in ovibus, & maculosum, & punctatum in capris, erit merces mea*. Per *capras* intelligit omne pecus, nempe maculosum: tum auferri cum maculosis, quæ tunc erant, nigrum pecus vult; ne mixturæ varii coloris pecudum tribuerentur fetus qui maculosi prodirent. Itaque Iacob penes se gregem tantum album retinuit. Regia Biblia pro *furvo*, *fulvum* posuere; sed male.

Vers. 33. RESPONDEBITQUE MIHI CRAS IUSTITIA MEA: quam iuste tecum agam, ex effectu apparebit. *Cras*, futuro tempore. QUANDO PLACITI, pacti nempe exequendi. Hebr. *Quando venerit* (supple, tempus) *super mercedem meam ad faciem tuam*, id est coram te.

V. 35. ET SEPARAVIT. Hebr. *Et separavit in die illa hircos fasciatos & maculosos, & omnes capras punctatas & maculosas, omne cui candor in eo* (id est, aliqua candida pars) *& omne nigrum in agnis: & dedit in manu filiorum suorum*, nempe ipsius Laban. Separatur ergo varium omne in capris, & nigrum in ovibus, ne varietati parentum fetus varietas & nigredo tribueretur; & tamen quod ex unicoloribus nasceretur varium, id sibi dari vult Iacob.

V. 40. DIVISITQUE GREGEM IACOB..... ERANT AUTEM ALBA ET NIGRA QUAEQUE, LABAN. Vox *alba* confundit sententiam, & non est in Hebræo; sed hoc modo: *Divisit greges Iacob, & dedit facies ovium ad alligare*, nempe ut includerentur in aliquem locum, ubi iuxta leges positas delectus esset: *& oves nigras Laban: & posuit sibi greges seorsum*, nempe Iacob eos qui ad illum pertinebant, *& non posuit eos iuxta oves Laban*. Sed quare dicit de solis nigris datas Labano? Certe quia albæ quæ nascebantur, semper manebant penes Iacob, ut eas custodiret, & pasceret; maculosæ quæ nascebantur, eius erant, quas separabat a grege Labani: nigras, ne miscerentur cum albis, continuo tradebat Labano. Erat ergo pactum, ut varium in grege, & nigrum Labano continuo traderetur. Album tantum maneret penes Iacob. Ex albo grege nascebantur nigra, alba, & varia. Nigra & alba Labani erant, varia, Iacobi. Ex iis nigra tradebantur continuo Labano, alba manebant penes Iacob, ut ea pasceret Labani nomine, cuius erant. Varia penes eumdem Iacob manebant, sed ut ipsius. Sic loci sententia capiatur, alioqui difficillima.

V. 41. IGITUR QUANDO PRIMO TEMPORE. Voces in Hebræo sunt מְקֻשָּׁרוֹת *mekusaroth*, quam *tempestivam*, seu *primi temporis genituram* intelligunt, & הָעֲטֻפִים *hatiph*, pro qua posuerunt *serotina*. Vides duplicem Iacobi artem: altera, virgas parte corticis detracta varii coloris posuit ante oculos pecudum, quando admissis masculis concipiebant, ex re visa eo tempore sciens permutari fetum ad eam similitudinem. Quod in hominibus sæpe etiam contingere, Hieronym. in Trad. & Isidor. XII. Etym. cap. I. locupletes auctores sunt. Deinde primi temporis fetus ea arte sibi retinuit, nempe, ut Hebræus ait, qui mense Nisan nascebantur; posteriores Labano relinquebat mense Tisri editos, quoniam deteriores illi sunt: tunc enim virgas detrahebat, ne varia nascerentur.

MALVENDAE.

Verſ. 2. NUM PRO DEO EGO SUM? Alii: *An loco Dei ſum ego?* quaſi dicat: Poſſem ne ego mihi arrogare, quod ſolius Dei eſt? Ipſe te ſterilem reddidit, & ſolus poteſt fecundare. Sic infra cap. L. verſ. 10.

V. 6. DAN, id eſt *iudicium*, vel *iudicavit*. Alii, *Cauſam agentis*, *ius dicentis*, vel *iudicium exercentis* filium.

V. 8. COMPARAVIT ME DEUS CUM SORORE MEA, ET INVALUI. Numerabo hic interpretationes. I. *Luctationibus Dei luctata ſum cum ſorore mea: etiam prævalui*. II. *Coniunctionibus Dei coniuncta ſum cum ſorore mea*. III. *Additionibus Dei addita ſum cum ſorore mea*. IV. *Colluctationibus Dei colluctata ſum cum ſorore mea*. V. *Duplicationibus Dei duplicata ſum cum ſorore mea*; id eſt, duplicibus partubus æquata ſum cum ſorore mea, vel duplo maior & ſuperior evaſi. VI. *Conatibus Dei conata ſum cum ſorore mea*. VII. *Complicationibus Dei complicata ſum cum ſorore mea*. VIII. *Contortionibus*, *diſtortionibus Dei contorta*, *diſtorta ſum cum ſorore mea*. IX. *Involutionibus Dei involuta ſum cum ſorore mea*. X. *Calliditatibus*, *verſutiis*, *technis Dei*, *callide egi*, *verſuta ſui cum ſorore mea*. XI. *Verſuris*, *commutationibus Dei*, *commutata ſum ſorore mea*. XII. *Viciſſitudinibus Dei paria feci cum ſorore mea*. XIII. *Subverſionibus Dei ſubverſa ſum cum ſorore mea*. XIV. *Pravitatibus Dei prava facta ſum cum ſorore mea*. XV. *Perverſitatibus Dei perverſa fui*, &c. Verbum פתל *pathal* in Niphal ter tantum in Scripturis reperitur. Noſter hic *comparare* reddidit, Iob. v. 13. & Proverb. VIII. 9. *pravum eſſe*. In Hithpahel ſemel reperitur Pſal. XVII. 27. ubi *perverti* expoſuit. Aiunt eſſe *complicari*, *contorqueri*, *diſtorqueri*: unde ad luctandum transferri, quod complicatione & diſtortione membrorum ſe invicem ſubvertere conentur luctantes, calliditate & verſutia magis quam virtute ac robore: unde etiam metaphorice ſignificare *callide*, *verſute*, *aſtute*, *technis* agere. Notant in novo teſtamento verti per διεστραμμένη *diſtortum*, *obliquum*, *implicatum*, *pravum eſſe*. Matthæi XVII. 17. Actor. xx. 30. Philipp. II. 15. Alii volunt eſſe *vertere duabus viciſſitudinibus*, *diſtorquere verſutia magis quam robore*, *commutare vices duarum rerum*, *pervertere ſummum in imum*, & *e contra*; proprieque dici de commutatione & verſura duarum perſonarum aut rerum. Nihil aptius quam *complicationibus*, *diſtortionibus Dei complicata*, *diſtorta fui cum ſorore mea: etiam potui*, *præpotui*, *prævalui*; quaſi dicat: Verſute, aſtute, callide egi cum ſorore mea, cum hanc technam excogitavi, ut ex ancilla mea filios tollerem, quos meos, in genibus meis natos reputarem: & prævalui, res mihi feliciter ſucceſſit. Complicationes, diſtortiones, ſeu verſutias Dei vocat, id eſt non malas, & a pravo ſpiritu; ſed bonas, licitas, & a Deo inſpiratas: vel maximas, præclaras, artificioſas intelligit, quod nomen Dei rebus adiunctum ad auxeſim poni ſoleat: ſic Canticorum VIII. 6. *flamma Dei*. Ieremiæ II. 31. *Caligo Dei*. Vide Geneſ. I. verſ. 2. Egregie Noſter: *Comparationibus*, *comparavit me Dominus*. Verbum eſt etiam luctæ, aut pugnæ, & gladiatorium (Svetonius in Caligula, cap. XXXV. *Hunc e ſpectaculis detractum repente*, & *in arenam deductum*, *Thraci*, & *mox Hoplomacho comparavit*) quando aliquis alteri in lucta, aut in pugna committitur, & componitur, ut par efficiat.

NEPHTHALI, id eſt, *complicatum*, *diſtortum*, *implicatum*, *comparatum*, *verſutum*, *obliquum*. Alii, *Luctationis*, vel *luctæ meæ filium*.

V. 11. FELICITER. בגד *bagad*. Hic quoque numerandæ verſiones. I. *In excurſione*, ſeu *incurſione*. II. *In fortuna*. III. *Venit proſperitas*. IV. *Venit præliator*, *excurſor*. V. *Venit ſidus bonum*, vel *planeta bonus*, id eſt *auſpicato*. VI. *Venit turma*, ſeu *exercitus*, ſcilicet filiorum; hoc eſt turmatim, & in modum exercitus veniunt mihi filii. VII. *In Marte*, vel *venit Mars*, ut præſagiat filium futurum egregium bellatorem, & fortunatum præliatorem ac ducem. Quidam Hebræorum, *Per Iovem*. VIII. *Venit coactor copiarum*; quaſi dicat: Erit hic egregius exercituum ductor, & imperator inter fratres ſuos. IX. *In latrocinio*, vel *venit latro*. Vide infra cap. XLIX. verſ. 19. Quidam *Bagad* volunt compoſitum ex בא *ba* verbo, id eſt *venit*, unde multa hic exemplaria cum Aleph deſcribunt; alii ex *Beth* præpoſitione, *in*, & גד *gad*.

gad. S. Hieronymus hic exponit, *In procinctu*, quod de apparatu belli Latini dicunt; & nos Hispani de partu mulieris, *Esta encinta*. Utrumque hic quadrat. Melius exponemus, *In excursione*; hoc est, vel prospere mihi res excurrunt; quod Noster *Feliciter* dixit: vel excurrunt mihi filii, turmatim obveniunt, in magna copia. GAD, id est *incursorem*, *excursorem*, *irruptorem*, *Martem*. *Accinctum* Noster interpretatur, Genes. XLIX. 19. seu procinctum dicas. Nec male *latronem*. S. Hieronymus *expeditum*. Quidam, *turmarium*, vel *turmæ filium*.

V. 13. PRO BEATITUDINE MEA. אושר *oscher*, *beatitudo*, *felicitas*, *successus rectus ac bonus*, *laus*, *qua quis felix*, *&* *beatus ab aliis prædicatur*. Hic, *In beatitudine mea*; id est, beata seu felix sum ego, feliciter mihi cessit, felicitati meæ hoc est tribuendum, auspicato mihi hoc contigit: Quamquam etiam hic formam infinitivi possit habere, quæ cum litteris Biclam in naturam nominis transit, & adverbialiter potest reddi; id est, *feliciter*, *præclare*, *recte mecum agitur*. ASER, id est *rectum*, *beatum*, *felicem*, *fortunatum*; vel *beantem*, aut *beantis* filium.

V. 14. MANDRAGORAS. Ineptus essem si omnia quæ hic explanatores de mandragoris disserunt, transcribere vellem. Sint ea in medio, & omnibus ubique obvia. דודים *dudaiim*, quidam volunt significare *violas*; aliqui herbam *satyrion*; nonnulli *poma gratissimi & odoris*, *& saporis*; Hebræorum aliqui *ficus optimas*, *& odoriferas*: nec desunt qui velint esse quod Germanice dicitur, *Iuden tursen*. Alii, *lilia alba* interpretantur; quidam *gelseminum*; alii, *philtbra*, seu *amatoria*. Sunt qui eo nomine generaliter comprehendi volunt omnes *amabiles flores*, qui elegantia & odore grati sunt, quique humiles sunt. Unde *Dudaiim* hic *amabiles flores* exponunt. Certum est vocem suum etymon a figura uberum vel mammarum, vel quod inter ubera deferri soleant, vel ab amore ducere. Si hariolari licet, forsan sint *tubera terræ*, quæ ubera terræ dici possint, quæ maximum naturæ miraculum appellat Plinius Lib. XVIII. cap. 11. & sunt deliciæ ciborum; sed hæc nullum odorem spirare videntur. *Mandragoræ* considerationem Plinius exequitur Lib. XXV. cap. XIII. Vide Tractatum Drusii de *Dudaim*, ad finem Ruth.

V. 18. ISSACHAR sonat *est merces*, vel *vir mercedis*, vel *merces viri*.

V. 20. DOTAVIT ME DEUS DOTE BONA. Verbum *zabad*, & nomen *zebed*, nullibi alibi in Scripturis reperiuntur nisi hic: ubi omnes exponunt, *Dotavit*, *donavit*, *dedit dotem*, *donum*, *datum*. ZABULON, id est *cohabitationem*, *habitaculum*. Quidam, *Donum cohabitationis*, *Donatum filium ad conciliandam cohabitationem viri*. Et verbum זבל *zabal*, *cohabitavit*, alias in Scriptura non legitur. ETIAM HAC VICE MECUM ERIT MARITUS MEUS. Hebr. *cohabitabit mihi vir meus*. Elegans locutio; id est, libenter, mecum versabitur, quia ei sex liberos peperi.

V. 21. DINAM. Hebr. *Dinah*, id est *iudicium*. Præsagio quodam videtur ei nomen indidisse, a indicio illo & clade Sicimitarum propter stuprum eius, cap. XXXIV. Erudite S. Hieronymus: *Hæc transfertur in causam*, *quam significantius Græci Dicen vocant*: *iurgii enim in Sicimis causa extitit*.

V. 23. ABSTULIT. אסף *asaph* aiunt proprie esse *colligere*, *congregare*: & ut Latinis *colligere*, interdum est multa in unum redigere; aliquando carptim auferre, & abstrahere: ita *asaph* Hebræis nunc pro in unum contrahere, seu colligere; nunc pro auferre, abstrahere, seu distrahere sumitur: quod loci, & sensus circumstantia demonstrabit. Nonius cap. IV. *Colligere*, *auferre*. Lucilius Lib. XXX.

.... *Ruis hæc*, *& colligis omnia furtim*.

Plautus Aulularia:

Quin ipse pridem tonsor ungues dempserat.

Colligit omnia, *abstulit præsegmina*.

Sic hic: *Collegit*, *abstulit*, *detraxit opprobrium*, *contumeliam*, *convicium*, *probrum meum*. Huc respexit Elisabeth Lucæ I. 25. quando eadem verba Rachelis imitata, dixit: *Sic fecit mihi Dominus in diebus quibus me respexit*, *ut auferret probrum meum inter homines*. Vide cap. XXXIV. vers. 14.

V. 24. ADDAT MIHI. יוסף *iosepb* quidam existimant esse participium masculeum Kal verbi יסף *iasaph*: *Addens*, *adiungens*, *adiiciens Dominus mihi*, *augens mihi*. Alii futurum Hiphil eiusdem verbi esse volunt, *Ad-*

Addet, *adiiciet mihi*. Unde quidam nomen proprium Ioseph patriarchæ, potius a futuro Hiphil, quam a participio Kal factum putant, quod pleniore scriptura exaratum legitur Psalm. LXXX. 6. יהוסף *Iehoseph*: quocirca *addendum*, vel *adiiciendum* potius quam *additum*, aut *adiectum* interpretandum ducunt: quod mater Rachel hoc nato, alium sibi addendum optabat, & vovebat. Observa eruditionem matronæ, quæ ex duobus verbis cognatis *asaph*, & *iasaph*, nomen filio conflavit, indeque rationem nominis construxit: quod per illum Dominus opprobrium eius collegisset, id est abstulisset; & quod alium sibi addendum sperabat, & certissime præsagiebat. Et coniugatio Hiphil hic magnum & certum incrementum designat.

V. 27. EXPERIMENTO DIDICI. נחש *nichasch*, aiunt significare *curiose & callide observare*, *observatione*, *tentatione*, *& experientia discere artem*, *seu rem aliquam*, *experiri*, *experimentari*; *augurari*, *divinare*, *ominari*, *coniectari*, *augurium facere*, *captare*; *arte illicita arcana tentare*: superstitiosam & reprobatam augurandi artem fere semper in Scriptura denotat. Novies in sacris libris occurrit, & semper Noster *augurandi* verbo, & nomine *augurii* exponit, nisi I. Reg. xx. 33. ubi *accipere omen*, seu *ominari*; & hoc loco, ubi *experimento discere* reddidit. Cum nomine נחש *nachasch* eiusdem thematis cognationem habet, quod *æs*, aut *chalybem*, aut *cuprum* significat, item *serpentem*: fortasse quod sit genus quoddam divinandi per pelves, & ahena: vide Levitici XIX. vers. 26. & serpentes sint incantationibus, & divinationibus apti. Vide Genes. III. vers. I. Hebræi numerant species aliquas divinandi, seu augurandi: nempe Ex buccella ex ore cadente, Ex baculo e manu elapso, Ex filio retrorsum vocante, Ex corvo crocitante, Ex capreolo seu capra sistente & interrumpente, aut remorante, Ex serpente a dextris, & vulpe a sinistris occurrente. Ne quid occipias mane, initio mensis, egressu sabbati. Item augurantes per mustelam, per aves, per stellas, &c. Hic reddunt: *Auguratus fui*; *& benedixit me Dominus causa tui*; id est, augurio & divinatione deprehendi, Deum auxisse facultates meas tua causa; ac si dicat: Tam certo id experimento compertum habeo ac si illud vaticinio, & augurio, aut divinatione didicissem. PROPTER TE. Hebr. *In devolutione tua*, vel *causa tui*, *occasione tui*, seu propter te: tu enim es, qui tot bona in me devolvisti: vel in devolutione tua, qua ex domo paterna ad nos es devolutus: tuo adventu. Vide Genes. XII. vers. 13.

V. 28. CONSTITUE MERCEDEM TUAM. Imperativum נקבה *nakebba* varie reddunt: *explica*, *exprime*, *expone*, *declara*, *nomina*, *nuncupa*, *designa*, *æstima*, *indica*, *præscribe*, *nota*, *fige*, *præfige*, *definito*, *perfora*. Aiunt verbum נקב *nakab* cum Latino *cavo*, *excavo*, ut sono, ita quoque significatione convenire; sed interdum ab Interpretibus verbis *perforandi* & *exscindendi* converti, ut locorum circumstantiis & sensui aptius convenire existimant. Sumi aliquando pro *infamia notare*, *notam infamiæ inurere*, *proscindere nomen alicuius*; quasi configere, perforare, pungere, seu excavare nomen & famam alterius: unde per *blasphemare*, & *maledicere* solet aliquoties reddi. Exempla sunt obvia. Observant quoque, hoc verbum singulariter significare *excavare in dica*, seu *notare & signare foraminibus*, seu *punctis*, uti fieri solet in rationibus, aut dicis mercedum, stipendiorum, portionum, salariorum, distributionum: qua ratione hic accipi volunt: unde reddunt: *Excava mercedem tuam super me*, Possis exponere: *Exscinde mercedem tuam apud me*: *demos un corte en vuestra soldada*, vel *punge mercedem tuam*: *apuntad*, *sennalad*.

V. 30. AD INTROITUM MEUM. Heb. *Ad pedem meum*; id est, ad ingressum vel ad adventum meum, quum primum ad te pedem intuli: sive *per pedem meum*; hoc est, quod ego hinc inde discurrerim, sedulo in omnibus ministraverim, & pedibus meis omnia perlustraverim.

V. 32. VARIAS. נקוד *nakod* octies tantum in Scriptura occurrit, nimirum hoc, & sequenti capite: Noster *varium* ubique interpretatus est: communiter *punctum*, vel *punctatum* exponunt, id est maculis, seu notis quibusdam parvis quasi punctis respersum. & variegatum. Nec displicet quod quidam ex vicinia verbi יקד *iakad*, *ussit*, vertunt *punctum*, *ustum*, *adustum*, *inustum*, id est notis inustis quasi punctis signatum & impressum; uti notæ seu stigmata

mata eiusmodi inuruntur equis, armentis, pecoribus. Virgilius III. Georgicorum :

Continuoque notas & nomina gentis inurunt.

Quamvis *iaustum* hic nigrum intelligi velint. ET SPARSO VELLERE. טלוא *talu* quater in hoc capite legitur : Noster ter *maculosum* dixit. Aiunt proprie esse *obtectum*, *obductum maculis* quibusdam grandioribus, seu latioribus, quales sunt centones, frusta, pittacia, quæ vestibus aut pannis laceris & detritis assuuntur & infarciuntur. Hispanice, *remendados*; ut cum vestis varia frustula assuta habet. Rabbini vero nomine טלוא *talu* utuntur pro *assuere*, *resarcire*, & pro *pittaciis*. Antitheton faciunt nomini *nakod*, ut illud sit notis, seu punctis minutioribus respersum, *talu* latis maculis obductum. Quæ hic Oleastrius de duabus his vocibus differit, sunt vana, futilia, nec ex usu & peritia linguæ; ut his sæpe in Hebraismo nugatur. ERIT MERCES MEA. Nonnulla hic subaudiunt, quæ ex filo & ductu orationis intelligenda videantur, in hunc modum : *Et illud quod deinceps nascetur tale, erit merces mea*; id est, pecudes quæ istis similes posthac nascentur, mihi cedent mercedis loco; quasi dicat : Quæ alba deinceps nascentur, tua erunt; quæ vero variegata, seu multicoloria, & fusca, erunt merces mea. Summam pacti conventi hanc esse volunt : Ego tibi pecudes versicolores & fuscas abducendas tradam; tu mihi unicolores albas custodiendas tantum trade : postea quidquid ex his unicoloribus albis nascetur fuscum, aut varii coloris, merces mea esto; quidquid autem non fuerit eiusmodi, si invenietur penes me, id mihi furto adscribito.

V. 33. RESPONDEBITQUE MIHI CRAS IUSTITIA MEA. Notant verbum ענה *g'hanah* interdum idem valere quod *reddere*, *rependere*; ut Oseæ II. 22. Sic Latinis *respondere*. Virgilius I. Georgicor.

Illa seges demum votis respondet avari Agricolæ.

Servius: *Respondet*, *aut satisfaciet*, *aut consentiet*; *ut*

Dictis respondent cetera matris.

Ita hic : *Et respondebit mihi iustitia mea in die crastino*; id est, aliquando, suo tempore, quandocumque opus erit, iustitia mea pro me satisfaciet, vel mihi consentiet, & rependet ac reddet mihi abunde meritam mercedem. Alii : *Et testificabitur pro me iustitia mea*; id est, ostendet & declarabit quod iuste mihi debetur. Quidam: *Et exaudiet me iustitia mea* : mihi favebit. QUANDO PLACITI TEMPUS ADVENERIT CORAM TE. Hispanice, *Quando llegue el plazo*, id est constitutum tempus: Heb. *Quia*, vel *quum venies*, aut *veniet*, *super mercedem meam*. תבוא *tabo* potest esse secunda persona futuri masculea, *venies*, & tunc tribuitur Laban; & potest esse tertia feminea, *veniet*, ut referatur ad iustitiam : duplici sensu: Quum tu Laban venies ad videndum mercedem meam oculis tuis; vel quum veniet iustitia mea super mercedem meam, te vidente & cernente. Aperte asserit, se a Domino sperare fidei & probitatis suæ certissimum testimonium & fructum, quum Deus ipsum peculio & re familiari quam maxime augebit.

V. 35. HIRCOS. תיש *thaiisch* quater tantum in Scriptura ponitur, & Noster *hircum*, seu *hircos* semper transfert, nisi Proverb. XXX. 31. ubi *arietem* dixit, forsan silvestrem. Consentiunt esse *caprum*, *hircum gregarium*, & *cicurem*, id est marem inter capras, qui gregem antecedat, ac rupes & alta loca facile ac strenue conscendat, vel quod capras fortiter inscendat : ab incessu enim, vel inscensu commendatur eo loco Proverbiorum. Hebr. hic, *Capros circumligatos*, vel *circulatos*, aut *in modum circuli ligatos*, hoc est maculis circumligantibus & cingentibus corpus circundatos: Hispanice *barreados*, *cinchados*, *cennidos*; quasi zonis & fasciis macularum revinctos, virgatos. Quidam hic addunt *circumligatos* in pedibus, aut talis, vel cruribus, nempe qui habebant maculas diversicolores in locis ubi alligari solent, nimirum in cruribus, aut pedibus, seu talis. Sed id frivolum, nec tale quid in Hebræo. Notant, tria hic macularum genera distingui, cingentia, obducta, & punctata; nisi, quod reor, cingentia, & obducta, sint eadem, & unum sit alterius expositio: quod maculæ latiores cingerent corpus. CUNCTUM AUTEM GREGEM UNICOLOREM, ID EST ALBI ET NIGRI VELLERIS, TRADIDIT IN MANIBUS FILIORUM SUORUM. Hebr. *Omne quod albedo in eo*, vel *omne in quo* erat

erat aliquid albi; hoc eſt, quod totum non erat unicolor album, ſed aliquas maculas albas habebat in corpore nigro, nempe diverſicolor; *& omne fuſcum in ovibus*: *& dedit in manu filiorum ſuorum*. Quinque genera, aut quatuor hoc verſu deſcribi videntur, cincta, obducta, punctata, & hæc quidem poterant eſſe nigra, vel fulva in corpore albo; maculæ albæ in corpore nigro; & toto corpore nigra: ut intelligamus, diverſicoloria, & nigra ceſſiſſe Labano; alba ſola Iacobo.

Sed iam inſuperabilis propemodum enaſcitur quæſtio, quod Noſter hic e contrario, unicoloria alba & nigra ceſſiſſe Labano videtur affirmare contra Hebraicam veritatem, contra ſeipſum, verſ. 32. 33. contra ipſa pacta conventa, quæ explicuimus verſ. 32. & contra ipſiſſimam, ut apparet, rei geſtæ veritatem. Explanatores non ſe extricant. Ego ingenue ignorantiam profiteor. Res tota farciretur ſi in Noſtro levi mutatione, pro *unicolorem*, legeremus *omnicolorem*, vel *multicolorem*; quod ab aliis annotatum video: & illud, *Id eſt albi & nigri velleris*, acciperemus, non ſeorſim totum album, & totum nigrum; ſed unamquamque pecudem mixtim albam & nigram, id eſt diverſicolorem. Lyra. Lib. differentiarum veteris Teſtamenti Geneſ. xxx. verſ. 35. *Cunctum autem gregem unicolorem, id eſt albi & nigri* (ſcilicet unius coloris) *velleris, tradidit in manu filiorum ſuorum*. Hæc littera ſonat quod totaliter alba, & totaliter nigra fuerunt tradita filiis Laban paſcenda: quod eſt falſum ſecundum omnes expoſitores Hebraicos & Latinos. Videtur autem littera noſtra primo fuiſſe corrupta per ſcriptores ponentes *unicolorem* pro *omnicolorem*, & poſtea per aliquem imperitum expoſitorem, qui ſequens dictam corruptionem addidit, *Id eſt albi & nigri velleris*, quod non eſt in Hebræo. Et ſic videtur quod iſta fuerit littera noſtra: *Cunctum autem gregem omnicolorem*, id eſt varium in colore quocumque modo, *& omnem rufum dedit in manus filiorum ſuorum*: & ſic eſt eadem cum Hebraica in ſententia. Hæc Nicolaus Lyranus. Quod Hebræi de Elia dicunt, *Thisbi ſolvet dura*; nos huius nodi vindicem Spiritum ſanctum imploremus. Nobis tamen indicare tantum, non mutare permiſſum.

V. 36. GREGES EIUS. Hebr. *Pecudes Laban*. Vox Hebr. לבן *laban* & poteſt eſſe proprium nomen ſoceri Iacob, vel appellativum, id eſt *pecudes albedinis*, ſeu *albas*: ut intelligamus, unicolores albas ceſſiſſe Iacobo.

V. 37. VIRGAS. מקל *makkel*, ſingulariter *baculum*, vel *virgam*, a קלל *kalal* deducunt, nempe a *levitate*, *& tenuitate*. Nec Latinum *baculus* ab Hebraico *makkel* ſono abludit, *m* cum *b* permutato: ſunt enim eiuſdem organi litteræ. POPULEAS. לבנה *libneh* bis tantum invenitur, hic, & Oſeæ IV. 13. utroque loco Noſter *populum* arborem convertit. Conſentiunt omnes eſſe populum, ſic dictam ab albedine corticis, vel quod detracto cortice nimium ſit alba. Græci *leucen* appellant ab albore, ut nos etiam Valentini *alber*. Virgilius ecloga IX.

.... *Hic candida populus antro*
Imminet.

Eius fabulam exequitur Servius ad Eclogam VII. Virgilii. Alii arborem eſſe volunt ferentem reſinam. Populum ad Eridanum fluvium, & in finibus Syriæ reſinam ferre tradit S. Iſidorus Lib. XVII. Originum, cap. VII. electrum ait Dioſcorides Lib. I. cap. CXIV. nonnulli *betullam*: de qua Plinius Lib. XVI. cap. XVIII. *Gallica hæc arbor mirabili candore, atque tenuitate; terribilis magiſtratuum virgis*. Utraque, populus, & betulla, aquatica, candida, & cum voce Hebraica ſono utcumque conveniens. VIRIDES. לח *lach*, *viridis, ſuccoſus, humidus, recens*: opponitur ſicco & arido. AMYGDALINAS. לוז *luz* non alibi in hac ſignificatione invenitur: quidam *nucem*, alii *corylon*, ſeu *avellanam* putant. Servius in I. Georgicorum: *Sane coryli proprie dicuntur: nam avellanæ ab Avellano Campaniæ oppido, ubi abundant, nominatæ ſunt*. Huius caudex & virgæ ob lentorem facile decorticantur: unde quidam putant dictas a Virgilio *eduras corylos*, id eſt non duras, ſed blandas, ac lentas. Noſter *amygdalum* expoſuit, quod Arabice eo nomine amygdalæ vocentur. ET EX PLATANIS. ערמון *gharmon*, Noſter, ſecutus Græcos & Chaldæos, *platanum* dixit, hic, & Ezechiel. XXXI. 8. nam alibi non invenitur. S. Hieronymus hic, *Malo granatum*. Hebræi, ac recentiores volunt eſſe *caſtaneam*, ſic dictam a figura, quam habet denſam & cumulatam. Alii, a denudando, quod facile denudetur,

tur, hoc est decorticetur. Quidam ab involvendo, quod multis putaminibus, & tunicis involvatur. EX PARTE DECORTICAVIT EAS, &c. Hanc partem versus ex Hebræo ita reddunt: *Et decorticavit in eis cortices*, vel *decorticationes albas*, *nudationem*, seu *nuditatem albedinis*, *quæ super baculos*, vel *virgas*. Alii: *Et incidit in illis incisuras albas*, *denudationem candoris*, *qui erat in virgis*. Nonnulli: *Et deglubit eas, ut albedo appareret*, *denudans* scilicet *quod album erat in virgis*; id est, partim decorticavit ipsas virgas; ea autem parte virgæ qua corticem detraxit, albor, qui suberat cortici, apparuit; & ita varia effecta est virga. Illud enim, *denudationem*, vel *expoliationem candoris*, per apparitionem dictum est; id est, ab illis detraxit summam partem corticis multis in locis; qua detracta, reddidit virgas illas variis in locis albas; quasi dicat, fecit ut virgæ illæ essent variorum colorum. Sed nemo melius, & aptius Nostro hunc locum paraphrasi illustravit.

V. 40. Hic versus Hebraice difficilis: eum ad verbum reddidimus: sensum hunc esse putamus: Separavit Iacob agnos, & oves variegatas sibi natas ex stropha illa virgarum, & in unum redegit gregem; fecitque eum antecedere in pascendo, pecudes seu oves unicolores albas, quas ipse primum pascendas acceperat a Laban, ex quibus fetus variegatos tollere se speraverat, & iam tulerat; & istas oves seu pecudes unicolores albas Laban, faciebat respicere illum gregem antecedentem variegatum & discolorem, ut aspectu & contemplatione illorum præcedentium agnorum variegatorum, istæ conciperent, & parerent maculosos, & variegatos fetus, qui ipsi Iacobo cederent in mercedem. Mira industria! Unde illud, *In pecudibus*, seu *in pecore Laban*, non est coniungendum cum illo, *Circumligatum*, *& ad omne adustum*: nam neutrum erat in pecore Laban, quod pascendum acceperat Iacob; sed ad illud, *Et dedit facies pecudum*, hoc modo: *Et dedit facies pecudum*, quæ erant *in*, vel *ex pecudibus* Laban, seu quæ erant pecudes Laban, *ad circumligatum & fuscum*; hoc est, posuit facies pecudum albarum unicolorium, quas pascendas acceperat a Laban, ut aspicerent ad antecedentem ipsas gregem variegatorum. Nec enim eiusmodi traiectiones verborum; & hyperbata insusitata sunt in sacris libris. Insuper Iacob novos illos greges variegatos, qui sibi recens nati fuerant, non miscuit cum grege illo primo unicolore quem acceperat a Labano, sed seorsim ducebat, ac pascebat.

V. 41. QUANDO PRIMO TEMPORE ASCENDEBANTUR OVES. Heb. varie reddunt: *In omni incalescere grex ligandarum*, id est earum pecudum quæ debebant nasci circumligatæ, seu fasciis & maculis vinctæ, de quibus vers. 35. Aliter: *In omni concipiendo oves circumligatas*; id est, cum oves circumligatæ & virgatæ concipere debebant: vel tum cum oves ipsæ, circumligatas & cinctas pecudes concipere debebant. Aliqui: *In omni conceptu ligatarum*, id est robustiorum & fortiorum, cum compactiores oves concipere debebant. Ligatas intelligunt, quæ naturæ robur habebant colligatum ac densum, & vires corporis valentiores. Hebræi & Chaldæi hic מקשרות *mekuschscharoth*, *ligatas* primitiva, & primogenita exponunt, quæ concipiuntur septembri, & in nisan, seu martionascuntur, quæ sunt fortiora & robustiora in pecudibus, utpote genita ex prima admissura. Unde locum explicant: *Quoties coibant oves primitivæ & robustiores*. Nonnulli ligatas eleganter dictas putant oves aut pecudes primogenitas, quæ ex prima admissura nascuntur verno tempore, quando scilicet solent oves ligari tondendi gratia, quasi natæ ligandi seu tondendi oves tempore. Ridicule. Verbum יחם *iacham*, quod *incalescere* vertimus. *Vim verbi Hebraici*, inquit S. Hieronymus, *nisi circumitu exprimere non possum: proprie enim dicitur extremus in coitu calor, quo corpus omne concutitur, & patranti voluptati vicinus est finis*.

V. 42. QUANDO VERO SEROTINA ADMISSURA ERAT. עטף *ghataph* in significatione *serotinandi* singularissimum est, nec reperitur in Scriptura nisi in hoc versu, infinitivum Hiphil, & Pahul Kal. Alioqui verbum proprie est *operiri*, *obtegi*, *obrui*. Unde hic vertunt, *Quum obrueretur grex*, id est in altera admissura. Hispanice admissuram appellamus *cuprir* operire, quod tum feminæ a maribus operiantur, & quasi obruantur, fetarum viribus tunc exhaustis & debilibus: unde qui inde nascuntur,

tur, עטפים *ghatuppim*, id est *obruti*, *effeti*, *confecti*, *infirmi*, ac *debiles* dicuntur. Nescio cur hanc vocem hic quidam *cessantes*, seu *cessantia* verterint. Hanc serotinam admissuram esse aiunt, cum mense martio concipiunt pecudes, & septembri pariunt: quæ robore & virium compactu primam admissuram non æquat. Hebræi quidam annotant, hic esse sermonem de partu ovium, quæ posterius pariunt: quo tempore bona pars ovium parit: ac eo tempore non apponebat Iacob virgas. Tempore enim quo magna pars ovium parit, norat quod venturus esset Laban ad videndum quid oves parerent; ideo non ponebat virgas eo tempore. Ineptissime. Nam virgas Iacob non in partu, sed in conceptu ponebat; & eo consilio in prima admissura, ut sibi compactiores pecudes nascerentur. Observant quidam verbum *ghatsph* proprie esse *indui*, *amiciri*, *operiri*, *obtegi*. Hispanice, & Italice *amantarse*. Unde hic reddunt: *Et cum tegere facerent oves*; vel *cum induerentur*, seu *vestirentur oves*; id est, cum oves vehementer lana operirentur: voluntque esse pulchram descriptionem temporis quo oves non admodum coitui incumbunt, sed potius ut se lana contegant propter adventantem hiemem: ut sit sensus: Cum posteriori admissuræ vacarent greges. Fetus autem huiusmodi hibernales non æque laudantur ac priores. Unde hic etiam עטפים *ghatuppim*, *amictos*, *indutos*, *opertos*, scilicet lana interpretantur, agnos cordos, seu autumnales, serotinos, ex secunda admissura, qui ex ovibus lana contectis nascuntur. Sicuti e contra קשורים *keschurim* dicuntur agni *ligati*, & *tonsi*, qui verno tempore ex prima admissura, quando oves ligantur, & tondentur, nascuntur, qui sunt meliores & compactiores. Sed sunt hæc subtilia, curiosa, aliena. In verbo העטיף *haghatip* scribitur *Pe* magnum, & est prima littera magna quæ ponitur in Hebraicis Bibliis. Ego causam, & mysterium eius non divino; nisi sit forsan ad indicandam mirabilem ac singularem fuisse hanc totam narrationem, atque eximiam artem, & industriam Iacob.

Animadverterunt plerique in tota hac re gesta, tres insignes strophas seu industrias adhibuisse Iacob. Prima fuit virgarum decorticatarum, ad quarum aspectum oves variegata conciperent: nam aspectum, & imaginationem plurimum imprimere fetui, & exemplum mulieris parientis AEthiopem apud Quinctilianum; & Persinæ parientis Chariclæam apud Heliodorum; & mulieris deformis parientis pulcherrimum, apud Hippocratem; & Hispaniensium equarum; & mille alia notissima perspicue demonstrant. Secunda industria facere ut antecederet grex variegatorum, ut ad eorum conspectum pecudes variegatos parerent, vers. 40. Tertia, ponere virgas in prima tantum admissura, & non in secunda sive serotina: ut variegata, quæ sibi obventura erant, fortiora & compactiora nascerentur, vers. 41. 42.

MENOCHII.

Vers. 1. INVIDIT. Si tantum doluit quod infecunda esset, nulla fuit culpa: si optavit sororem sterilem esse, potuit culpa esse lethalis, aut venialis pro affectus, & deliberationis modo. Non mirum in filia Idololatræ hos affectus insurgere. DA MIHI LIBEROS. Zelo ardens, & muliebri inconsiderantia, nec potens ferre desiderii magnitudinem, erupit in verba impatientiæ, quæ etiam speciem habent blasphemiæ. ALIOQUIN MORIAR. Vel sensus est sibi violentas manus illaturam, ut visum est Sancto Chrysostomo: vel sententia est, vitam sibi morte acerbiorem fore.

V. 2. IRATUS, merito ob incivile, insipiens, & blasphemum dictum, qua petebat a viro quod Deo reservatum, nempe secunditatem. NUM PRO DEO EGO SUM? quasi dicat: A Deo, non a me proles postulanda est.

V. 3. PARIAT SUPER GENUA MEA: ut filium quem ipsa peperit ego baiulem, & nascentem pro meo accipiam. Honchala scribit morem fuisse ut quæ alterius prolem volebat adoptare, puerperam gremio insidentem inter pariendum genibus fulciret, & recens natum infantulum super genua sua statueret.

V. 6. IUDICAVIT MIHI DOMINUS; quasi dicat: Cum sorore de fecunditate contendi, ac quodammodo litigavi: iam mihi causam adiudicavit Dominus. DAN, id est iudicium.

V. 8. COMPARAVIT ME CUM SO-

RORE

RORE MEA DEUS. In Hebræo proprie est: *Colluctationibus Dei callide colluctata sum, & prævalui*. Dicuntur colluctationes Dei phrasi Hebraica, colluctationes magnæ; quasi dicat: Cum Lia pro fecunditate, & prolis gloria, colluctata sum, iamque callide eam non amplius parientem vici, dum pro me sterili ingeniose, & astute ancillam meam subrogavi. Inde filium vocavit Nephthali, hoc est colluctantem, concertantem; idque astute & callide.

V. 11. FELICITER. Vox Hebraica ut nunc legitur, significat *fortunam*, vel, *fortunate*, *feliciter*, ita etiam habent LXX.

V. 13. HOC PRO BEATITUDINE: iam etiam ex ancilla sorori æquor; & beata ab omnibus prædicabor.

V. 14. RUBEN, puerulus forte quinquennis lusurus cum æqualibus. MESSIS TRITICEAE, tempore messis serotinæ, ad differentiam messis hordeacæ, nam far, & triticum serotina. Vide Exod. cap. IX. 32. Sane cum mandragoræ vere exeunte floreant, Cantic. VII. 13. fructum ferunt demum autumno. MANDRAGORAS. Olim credebantur vim philtri habere, ut tradunt Dioscorides, & Theophrastus: certe fecunditatem iuvant, ut Medici docent, ideoque a Rachel expetitæ.

V. 15. DORMIAT TECUM. Iacob noctes partiebatur uxoribus; & cum ista competeret Racheli, ius suum sorori cedit.

V. 16. MERCEDE CONDUXI TE: redemi operam tuam coniugalem.

V. 17. EIUS, Liæ bono hæc animo facientis, & Deum orare non cessantis.

V. 18. ISSACHAR, id est merces.

V. 20. DOTE BONA: matrimonio quasi dirempto redintegrando, & reconciliando, Deus mihi novam fecunditatem quasi dotem dedit. ZABULON, idem est quod habitaculum, vel cohabitans; quasi dicat: Ob tot proles meas amabit me, & hilariter firmiterque cohabitabit mihi maritus meus.

V. 23. OPPROBRIUM MEUM, sterilitatem, quæ tunc magno dedecori erat.

V. 24. ADDAT MIHI DOMINUS. Optat Rachel addi sibi secundum filium; inde ex hoc suo voto, & desiderio vocat filium Ioseph. Ioseph ergo idem est quod addens, vel accrescens, ut patet cap. XLIX. 22.

V. 25. NATO AUTEM IOSEPH. Iam postulat Iacob se dimitti, quia expleti septem anni, quibus pro Rachel servierat.

V. 26. NOSTI SERVITUTEM: scis me diligentiam, & fidem quam debui, toto tibi tempore præstitisse. De mercede verbum nullum, quia pro mercede uxores duæ erant.

V. 27. INVENIAM GRATIAM: sine te a me exorari. EXPERIMENTO DIDICI QUIA BENEDIXERIT MIHI DEUS PROPTER TE; quasi dicat: Tu es fortunatus, & ego propter te; tu bonam fortunam tuam tecum in domum meam induxisti. *Benedixerit mihi*, me ditaverit.

V. 28. CONSTITUE; quasi dicat: Pete quod voles, ego dabo. MERCEDEM TUAM. Non est sermo de mercede pro præterito tempore, sed agitur de mercede qua velit inposterum servire: nam retinere volebat: & ad hanc mentem respondet Iacob num. 31. *Iterum pascam, & custodiam pecora tua*.

V. 30. AD INTROITUM MEUM. Hebr. *Ad pedem meum*; id est, simul ac in domum tuam pedem intuli.

V. 32. GYRA OMNES GREGES TUOS. Coge in gyrum oves, & capras tuas, ut simul omnes lustremus, & separemus unicolores a diversicoloribus. SEPARA CUNCTAS OVES. Primum pactum Iacob cum Laban, ut scilicet unicolores fetus, puta toti albi, aut toti nigri cederent Labano, sparsi vero & varii Iacobo. FURVUM, MACULOSUM, ET VARIUM. Furvum est fuscum, sive subnigrum, in quo albedo nigrori mixta est, ut partim album, partim nigrum videatur. Maculosum est quod magnas habet maculas, albas, vel nigras. Varium, sive sparso vellere illud est quod parvulis maculis albis, vel nigris, quasi punctis distinctum, & punctatum est.

V. 33. RESPONDEBITQUE MIHI CRAS IUSTITIA MEA: quam tibi iuste fideliterque servierim futura dies ostendet: spero enim ut vel præter naturæ ordinem me Deus ditet. *Cras*, tempore futuro. PLACITI TEMPUS, in anni fine, quando, iuxta placitum tuum, & pacta inita, portiones utriusque dividentur.

V. 34. FURTI ME ARGUENT: si uni-

unicolores apud me reperiantur, quasi furti reus habear.

V. 35. TRADIDIT IN MANU FILIORUM SUORUM: totum gregem credidit Iacobo, huic autem additi filii Laban pastores, & ipsi futuri sub Iacob, & quasi inspectores eorum quæ gererentur, num scilicet fideliter præstaret Iacob quod promiserat. His traditi greges unicolores ex pacto.

V. 36. TRIUM DIERUM: quale spatium ambulando greges conficiunt. Placuit tanta loci intercapedo, ne ex uno ad alium gregem admissarii transirent, aut ne oves, aut capræ maculosas inspiciendo, similes parerent.

V. 37. TOLLENS ERGO IACOB VIRGAS POPULEAS VIRIDES, ET AMYGDALINAS, ET EX PLATANIS, EX PARTE DECORTICAVIT EAS. Astus hic fuit, & stropha Iacobi, qua licite uti potuit. I. quia rationem illam ab Angelis in somnis doctus est, ut habetur cap. seq. n. 11. II. titulo compensationis, quia a Laban homine avaro opprimebatur, & iustam laborum suorum mercedem extorquere nequibat. III. quia primus Laban pactum violavit cum separaverit oves unicolores a diversicoloribus n. 35. nam ex unicoloribus fere non erant nascituræ nisi unicolores. Porro ars Iacobi naturalis fuit: in coitu enim phantasiæ vis solet esse maxima, mentisque reputatio fetui similitudinem cogitatam, aut visam tunc maxime imprimit.

V. 38. IN CANALIBUS, conchis, vel aquæductibus, quibus aqua infusa detinebatur arte, ne deflueret donec pecora bibissent.

V. 42. SEROTINA. Ovium quædam verno, quædam autumnali tempore concipiebant, arietibus ad eas admissis. *Serotinam* ergo *admissuram* vocat autumnalem septembris; admissuram vero *primi temporis* eam quæ in vere fiebat mense martio.

TIRINI.

Vers. 2. NUM PRO DEO EGO SUM? id est, an putas me esse Deum, ut ex sterili te faciam fecundam? Pulchre Hebræi notant, Deum sibi soli quatuor claves naturæ reservasse. Prima est clavis vitæ seu generationis, ut ex hoc loco patet. Secunda clavis alimoniæ, Psalm. CXLIV. vers. 16. Tertia clavis pluviarum, Deuter. XXVIII. vers. 12. Quarta est clavis sepulcrorum, seu resurrectionis, Ezechiel. XXXVII. vers. 12.

V. 14. REPERIT MANDRAGORAS. Pulchra sunt poma mandragoræ, & odorifera, præsertim quæ masculæ sunt, teste Sancto Ambrosio *a*, Augustino, Cassiodoro, & Levino Lemnio. Formam habent uberum, quo etiam nomine Hebraice hic, & in Canticis, appellantur. Et quia frigidæ admodum, ideo somno conciliando servire, maxime vero menstruis ciendis, matrici purgandæ, profluvio sistendo, refrigerando humectandoque feminarum utero (qui in calidis regionibus, ut erat Mesopotamia, & Iudæa, fervidior iusto sicciorque est) adhiberi solitas. testatur *b* Dioscorides, Theophrastus, Epiphanius, & alii: qui addunt, ex plurium opinione mandragoram vim philtri habere, & idcirco circæam vocari, & pomum amoris. Et hæ videntur causæ fuisse cur Rachel eam tam avide a sorore expetierit, licet frustra: nam, ut ex versibus sequentibus patet, tres adhuc annos sterilis mansit: quibus exactis reddita est fecunda non virtute mandragoræ, sed beneficio solius Dei.

V. 33. RESPONDEBITQUE MIHI CRAS IUSTITIA MEA; quasi dicat: Tibi favebit natura pecorum, quæ alba ex albis, nigra ex nigris procreare solet: quæ omnia ex pacto tibi cedere debent. Sed mihi quoque, uti certo confido, favorabiliter respondebit, seu favebit iustitia mea, id est Deus intuitu iusti laboris mei. *Cras*, id est futuro tempore, QUANDO PLACITI TEMPUS ADVENERIT; id est, quando iuxta placitum tuum, & pacta iam conventa, in fine anni fetus dividendi erunt, ut tibi cedant omnes unicolores, vel toti albi, vel toti nigri; mihi soli furvi, id est subnigri, vel sparsi, id est varii, seu diversi coloris: quos spero singulari Dei providentia etiam ex unicoloribus, licet contra consuetudinem naturæ, procreatum iri. Id vero ne fieret, astu providere conatus est Laban, hac ratione. Omnes diversicolores sibi pascendos desumpsit, & itinere tridui segregavit ab unicoloribus, ne forsan illorum præsentia & aspectu, vel coitu unicolores conciperent,

rent, parerentque diverſicolores. Dein parum fidens Iacobo, cui greges omnes unicolores reliquerat, exploratores ei appoſuit filios ſuos, titulo tenus ut ſubeſſent Iacobo, eumque iuvarent in gregibus cuſtodiendis; ſed re vera ut invigilarent ne quæ aliunde diverſi coloris animantia a Iacobo admiſcerentur unicoloribus. Sed aſtuto aſtutior fuit Iacob, vel potius ab Angelo novam artem edoctus, ut ipſemet aſſirmat cap. XXXI. verſ. 11. & ſequentibus, virgultis ſemidecorticatis decepit Labanum, & licite quidem, non ſolum quia Deus, cuius ſunt omnia, ita volebat, ſed etiam quia debitam ſibi multis nominibus mercedem, uxorumque dotem, ab avaro Laban iniuſte detentam poterat iuſte Iacob arte & aſtu ſibi vindicare, & clam compenſare. Ita SS. Hieronymus *c* & Auguſtinus *d*. Vi naturali hæc facta fuiſſe, egregie & fuſe docent *e* Toſtatus, Franciſcus Valeſius, Leonardus Vairus, Levinus Lemnius, Delrio & alii; licet S. Chryſoſtomus *f* & Theodoretus id miraculo adſcribant, velintque Angelos phantaſiam pecorum vehementius applicaſſe ad virgarum variegatarum attentiorem apprehenſionem, ut colligi videtur ex cap. XXXI. iam citato: & his favet experientia, qua multi cum idem tentaret quod Iacob, ſucceſſu tamen fruſtrati ſunt.

(*a*) Ambroſ. ſerm. XIX. in Pſal. CXVIII. Aug. ſupra cap. LVI. Caſſio. in Cant. VII. verſ. ult. Lemn. cap. II. de Herbis Biblicis.
(*b*) Dioſcor. Lib. IV. cap. LXXI. Theoph. Lib. IX. plant. cap. X. Epiph. in Philologo cap. IV.
(*c*) Hieron. in Quæſt. Heb.
(*d*) Aug. Lib. XVIII. de Civ. cap. V.
(*e*) Toſtar. in hunc locum. Valeſ. de Sacra phil. cap. XI. Vair. Lib. I. de Faſcino. Lemnius Lib. I. de Occultis naturæ mir. cap. IV. Delrio Lib. I. Diſquiſ. magic. cap. III. quæſt. 3.
(*f*) Chryſ. hom. LVII. in Gen. Theol. quæſt. LVIII. in Geneſ.

GORDONI.

Verſ. I. ALIOQUIN MORIAR. Acerbum deſignat dolorem, & impotentem. Ad Deum dirigenda erat petitio.

V. 2. NUM PRO DEO EGO SUM? non ſum Deus.

V. 3. UT PARIAT SUPER GENUA MEA. Senſus eſt: ancilla quidem pariet, & ego partum ut meum fovebo in ſinu meo: an etiam lactabat?

V. 6. IUDICAVIT: defendit cauſam meam.

V. 8. COMPARAVIT ME DEUS. Multa eſt, nec tamen multum neceſſaria concertatio de voce hac Nephthali, unde ſit, ut conſtet de ſignificatu. An ſit a נפתל *niphthal*, in coniug. Niphal. (nam פתל *pathal* in Cal non eſt in uſu) quod ſignificat conari, & luctari in concertatione durum inter ſe. Certe hic Rachel putat ſe ita concertare cum ſorore Lia, ut iam ſe putet ſorori æqualem ſaltem: quia licet in modo pariendi non ſit plena æqualitas; tamen cum accedat maior favor mariti, exiſtimat ſe omnibus expenſis, ſaltem ut æqualem comparari cum ſorore.

V. 11. FELICITER. In Hebræo eſt בגד *bagad*, quod ſignificare poteſt, *venit felicitas*; aut certe in bono eventu: nam גד quod ſignificat bonam ſortunam, & τὸ ב *ba*, poteſt eſſe ſervile, ſignificans *in*; vel poteſt eſſe verbum, ſignificans *venit*.

V. 13. BEATAM, inquit, me fecit: inde nomen inditum: nam Aſer deſignat beatitudinem. De Ruben dixi cap. præcedente.

V. 14. REPERIT MANDRAGORAS. דודים *dodim*, דד, *dad*, *uber*, *mamma*: Septuag. μῆλα μανδραγορῶν. Habent quidem ſpeciem uberum: pulchræ ſunt, ſomnum conciliant, & iuvant fecunditatem in torridis regionibus, ut frigidæ ſunt.

V. 15. DORMIAT. Iacob noctes uxoribus partiebatur, ut hic locus ſubindicat de ceſſione iuris.

V. 18. Sequuntur reliquorum filiorum, immo & tribuum nomina. Iſſachar ſignificat ex mercede natum (data mercede pro copula) יש *ies*, & vox שכר *sachar*, *merces*. Similiter Zabulon ſignificat habitaculum. זבל *zabal*, *habitare*: dixit enim verſ. 20. *Mecum erit*, aut habitabit זבלון *zebulon*.

V. 20. DOTE BONA. Fecunditatem reſtituit, quaſi novam dotem.

V. 23. Sterilitas erat tunc opprobrium.

V. 24. Ioſeph, incrementum deſignat. **Radix* יסף quod eſt addere, ad quod alluſit mater. Hic filius duodecimus natus eſt, exeunte anno 14. & ultimo, quo Iacob ſervivit.

Cronologia Ioſeph indicata eſt capit. XII. Naſcitur anno mundi 2229. & patris anno

anno 91. venditur post 16. annos: servit annis 13. vixit annis 110. moritur anno mundi 2338.

V. 28. CONSTITUE MERCEDEM. Sermo iam est de mercede futuri temporis, & qua velit Iacob deinceps servire. Optat enim Laban eum retinere.

V. 30. AD INTROITUM MEUM: ad meum adventum. Hebr. *ad pedem meum*, phrasi Hebraica.

V. 32. Per vocem GYRA, idem intellige ac si diceret, lustremus gregem, ut ante nos transeant greges. Sic quidem Septuaginta referunt verbum plurale ad gregem; tamen in Hebræo est *transibo*, אעבר *ebbebor*.

V. 33. Agnoscunt hic Interpretes non parvam deinceps obscuritatem, natam præsertim ex varietate versionum, quas conciliare inter se, in tanta narrationis varietate difficile est. Sane pactum unicum hic fuit inter Iacob, & Laban; non vero duplex: ex versu 35. & textu vulgato. Pactum vero fuit ut fetus ex ovibus, & capris, si essent unius coloris, nempe toti albi, vel toti nigri, pertinerent ad Laban; si vero coloris varii, hoc est partim albi, partim nigri, seu survi, cederent Iacobo. Ita cum Hieronymo Pererius. Stat huius loci prior quidem difficultas, quid sit furvum in sorte Iacob. Hebr. חום *hum*. Certe non significat hic totum nigrum: nam Vulgatus habet *furvum*, & schol. ποικίλον, *variegatum*; immo textus vers. 32. subiungit *maculosum*, quasi explicans quid sit τὸ *furvum*: & nisi sic explices, seu pro non toto nigro, erit contradictio in textu, nec stabit bene pactum inter Iacob & Laban. Immo חום etiam fuscum significat, seu subnigrum, & non penitus nigrum. R. Salomon *fulvum* interpretatur. Alterum quod hic parit difficultatem sunt hæc verba:

V. 35. CUNCTUM GREGEM UNICOLOREM. Hoc sic intelligo, quod tantum albi coloris, vel tantum nigri erat tradidit filio. Sic autem intelligi τὸ *unicolorem*, & supplendum esse τὸ tantum, ostenditur primo, quia nisi insequentia verba (id est albi, & nigri velleris) explicantia præcedentem vocem designarent albos tantum, & nigros tantum; darent loco explicationis sensum plane oppositum, & non unicolorem, vi coniunctionis copulantis. Idem colligo ex vers. 35. Heb. כל אשר לבן בו, *omne cui candor in eo*, hoc est pure & solum candidum, ex modo, inquam, & phrasi Hebraica: atque ita stabit facilis sensus: Filiis datus est grex qui totus albus erat, & qui tantum ac totus niger; Iacobo grex reliquus. Eumdem sensum de hac separatione repetit, & explicat versus 40. Quæ autem nascebantur post hanc gregis separationem, dividi debebant iuxta pactum vers. 32. & 33. Et sic (inquit Iacob) cras, seu tempore suo, & quo nascentur fetus, seu bis in anno, stabit placitum, & de tota re iudicium.

V. 37. VIRGAS POPULEAS, &c. Collige ex cap. XXXI. vers. 11. Iacobum edoctum ab Angelo usum fuisse hac arte. Adde porro id actum esse a Iacob titulo compensationis, quando aliter merces laboris extorqueri non poterat.

V. 40. QUANDO PRIMO TEMPORE. Martium intelligunt Interpretes, nempe in mense Nisan. In mense vero Tisri non apponebat Iacob virgas; & tunc nata unius coloris erant Laban. Hæc *serotina* vocantur; & solent esse deteriores fetus, mense septembri.

CA-



CAPUT XXXI.

Iacob, iubente Domino, ad patrem cum omnibus suis tacitus revertitur; quem Laban insequitur: Rachel autem patris idolis ablatis, ipsum quærentem astu decipit: tandemque Iacob & Laban inito fœdere, ad propria quisque discedit.

1 POstquam autem audivit verba filiorum Laban dicentium :
Tulit Iacob omnia quæ fuerunt patris nostri , & de illius
facultate ditatus , factus est inclytus : 2. animadvertit quo-
que faciem Laban , quod non esset erga se sicut heri &
nudiustertius, 3. maxime dicente sibi Domino: Reverte in
terram patrum tuorum , & ad generationem tuam , eroque
tecum : 4. misit , & vocavit Rachel , & Liam in agrum ,
ubi pascebat greges, 5. dixitque eis: Video faciem patris vestri quod non sit
erga me sicut heri & nudiustertius : Deus autem patris mei fuit mecum . 6.
Et ipsæ nostis quod totis viribus meis servierim patri vestro . 7. Sed & pater
vester circumvenit me, & mutavit mercedem meam decem vicibus : & tamen
non dimisit eum Deus ut noceret mihi . 8. Si quando dixit : Variæ erunt
mercedes tuæ : pariebant omnes oves varios fetus : quando vero e contrario
ait : Alba quæque accipies pro mercede : omnes greges alba pepererunt . 9.
Tulitque Deus substantiam patris vestri , & dedit mihi . 10. Postquam enim
conceptus ovium tempus advenerat , levavi oculos meos , & vidi in somnis
ascendentes mares super feminas , varios & maculosos , & diversorum colo-
rum. 11. Dixitque Angelus Dei ad me in somnis , Iacob? Et ego respondi ,
Adsum. 12. Qui ait: Leva oculos tuos, & vide universos masculos ascenden-
tes super feminas, varios, maculosos, atque respersos . Vidi enim omnia quæ
fecit tibi Laban . 13. Ego sum Deus Bethel , (*a*) ubi unxisti lapidem , & vo-
tum vovisti mihi . Nunc ergo surge , & egredere de terra hac , revertens in
terram nativitatis tuæ . 14. Responderuntque Rachel , & Lia : Numquid ha-
bemus residui quidquam in facultatibus & hereditate domus patris nostri? 15.
Nonne quasi alienas reputavit nos, & vendidit, comeditque pretium nostrum?
16. Sed Deus tulit opes patris nostri , & eas tradidit nobis , ac filiis no-
stris : unde omnia quæ præcepit tibi Deus , fac . 17. Surrexit itaque Iacob ,
& impositis liberis, ac coniugibus suis super camelos, abiit . 18. Tulitque o-
mnem substantiam suam, & greges, & quidquid in Mesopotamia acquisierat ,
pergens ad Isaac patrem suum in terram Chanaan. 19. Eo tempore ierat La-
ban ad tondendas oves , & Rachel furata est idola patris sui . 20. Noluitque
Iacob confiteri socero suo quod fugeret . 21. Cumque abiisset tam ipse quam
omnia quæ iuris sui erant , & amne transmisso pergeret contra Montem Ga-
laad, 22. nuntiatum est Laban die tertio quod fugeret Iacob . 23. Qui assum-
ptis fratribus suis , persecutus est eum diebus septem ; & comprehendit eum
in monte Galaad . 24. Viditque in somnis dicentem sibi Deum : Cave ne
quidquam aspere loquaris contra Iacob . 25. Iamque Iacob extenderat in mon-
te

te tabernaculum: cumque ille consecutus fuisset eum cum fratribus suis, in eodem monte Galaad fixit tentorium. 26. Et dixit ad Iacob: Quare ita egisti, ut clam me abigeres filias meas quasi captivas gladio? 27. Cur ignorante me fugere voluisti, nec indicare mihi, ut prosequerer te cum gaudio, & canticis, & tympanis, & citharis? 28. Non es passus ut oscularer filios meos, & filias: stulte operatus es. 29. Et nunc quidem valet manus mea reddere tibi malum; * sed Deus patris vestri heri dixit mihi: Cave ne loquaris contra Iacob quidquam durius. 30. Esto, ad tuos ire cupiebas, & desiderio erat tibi domus patris tui: cur furatus es deos meos? 31. Respondit Iacob: Quod inscio te profectus sum, timui ne violenter auferres filias tuas. 32. Quod autem furti me arguis: apud quemcumque inveneris deos tuos, necetur coram fratribus nostris. Scrutare quidquid tuorum apud me inveneris, * & aufer. Hæc dicens, ignorabat quod Rachel furata esset idola. 33. Ingressus itaque Laban tabernaculum Iacob, & Liæ, & utriusque famulæ, non invenit. 34. Cumque intrasset tentorium Rachelis, illa festinans abscondit idola subter stramenta cameli, & sedit desuper: scrutantique omne tentorium, & nihil invenienti, 35. ait: Ne irascatur dominus meus quod coram te assurgere nequeo, quia iuxta consuetudinem feminarum nunc accidit mihi: sic delusa sollicitudo quærentis est. 36. Tumensque Iacob, cum iurgio ait: Quam ob culpam meam, & ob quod peccatum meum sic exarsisti post me, 37. & scrutatus es omnem supellectilem meam? Quid invenisti de cuncta substantia domus tuæ? Pone hic coram fratribus meis & fratribus tuis, & iudicent inter me & te. 38. Idcirco viginti annis fui tecum? Oves tuæ, & capræ steriles non fuerunt, arietes gregis tui non comedi: 39. nec captum a bestia ostendi tibi; ego damnum omne reddebam: * quidquid furto peribat, a me exigebas: 40. die noctuque æstu urebar, & gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis. 41. Sicque per viginti annos in domo tua servivi tibi, quatuordecim pro filiabus, & sex pro gregibus tuis: immutasti quoque mercedem meam decem vicibus. 42. Nisi Deus patris mei Abraham, & timor Isaac affuisset mihi, forsitan modo nudum me dimisisses. Afflictionem meam, & laborem manuum mearum respexit Deus, & arguit te heri. 43. Respondit ei Laban: Filiæ meæ, & filii, & greges tui, & omnia quæ cernis, mea sunt: quid possum facere filiis, & nepotibus meis? 44. Veni ergo, & ineamus fœdus, ut sit in testimonium inter me & te. 45. Tulit itaque Iacob lapidem, & erexit illum in titulum; 46. dixitque fratribus suis, Afferte lapides. Qui congregantes fecerunt tumulum, comederuntque super eum: 47. quem vocavit Laban Tumulum testis, & Iacob, Acervum testimonii, uterque iuxta proprietatem linguæ suæ. 48. Dixitque Laban: Tumulus iste erit testis inter me & te hodie: & idcirco appellatum est nomen eius Galaad, id est Tumulus testis. 49. * Intueatur, & iudicet Dominus inter nos quando recesserimus a nobis, 50. si afflixeris filias meas, & si introduxeris alias uxores super eas: nullus sermonis nostri testis est absque Deo, qui præsens respicit. 51. Dixitque rursus ad Iacob: En tumulus hic, & lapis quem erexi inter me & te, 52. testis erit: tumulus, inquam, iste, & lapis sint in testimonium, si aut ego transiero illum pergens ad te, aut tu præterieris, malum mihi cogitans. 53. Deus Abraham, & Deus Nachor, iudicet inter nos, Deus patris eorum. Iuravit ergo Iacob per timorem patris sui Isaac: 54. immolatisque victimis in monte, vocavit fratres suos ut ederent panem.

panem. Qui cum comedissent, manserunt ibi, 55. Laban vero de nocte consurgens, osculatus est filios, & filias suas, & benedixit illis; reversusque est in locum suum.

(a) Sup. XXVIII. 11.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 29. *Sed Deus patris vestri*. Pronomen *tui* consulto mutandum est cum *vestri*, ne quis errorem esse putet.

V. 32. *Et aufer*. Non omittatur coniunctio *&*.

V. 39. *Quidquid furto peribat*. Praeferendum est nomen *furto* adverbio *furtim*.

V. 49. *Intueatur, & iudicet*. Non praeponas, *Et adiecit Laban*.

COMMENTARIA

SA.

Vers. 2. HERI ET NUDIUSTERTIUS, idest antea, scilicet fuerat.

V. 7. DECEM, idest multis.

V. 13. SUM DEUS. Nota, Angelum, se Deum vocare: scilicet loquitur Dei nomine.

V. 15. PRETIUM NOSTRUM, idest quod nobis debebatur, pro viri nostri laboribus.

V. 16. PRAECEPIT. Hebr. *dixit*.

V. 20. CONFITERI; pro, indicare.

V. 21. AMNE, scilicet Euphrate, qui Mesopotamiam a Syria dividit. GALAAD, sic postea dictus locus.

V. 24. VIDITQUE, idest sensit, vel audivit: nam Hebr. solum dicitur, *Deus ei locutus in somno*.

V. 34. ABSCONDIT; pro, absconderat, scilicet antea.

V. 35. CONSUETUDINEM FEMINARUM; quasi dicat, patior menstrua. SIC DELUSA SOLICITUDO QUAERENTIS EST. Hebr. *Et scrutatus est, & non invenit idola*.

V. 36. TUMENSQUE, &c. Hebr. nihil de tumore dicitur, sed solum quod sit iratus, & iurgatus.

V. 37. PONE HIC; idest, profer in medium.

V. 38. IDCIRCO. Hebr. *iam*, vel *ecce*. STERILES NON FUERUNT. Hebr. *Non fuerunt abortae*, seu *abortum passae*.

V. 40. AESTU, iungendum cum DIE. GELU, iungendum cum NOCTUQUE.

V. 41. DECEM, idest multis.

V. 42. TIMOR, idest Deus, quem timebat, seu colebat. HERI, idest hesterna nocte.

V. 43. FILIAE, scilicet istae.

V. 45. TITULUM, idest statuam, seu monumentum.

V. 46. FRATRIBUS, idest affinibus, qui venerant cum Laban. Vide supr. num. 23.

V. 47. UTERQUE IUXTA PROPRIETATEM LINGUAE SUAE. Id additum ab Interprete, ut significaret, alterum Syriace, alterum Hebraice locum appellasse *Tumulum testis*.

V. 48. GALAAD: id Hebraeum est: nam Syriace *legar Sahadutha*.

V. 49. DOMINUS. Vide Iudic. XVII. num. 3.

V. 50. TESTIS EST, scilicet nobis separatis. August. in Genes. quaest. XCIX. *Nullus*, inquit, *extraneorum vel nullus Dei testimonio iungendus*. Hebr. *Non est quisquam nobiscum: en Deus testis inter me, & te*; quasi dicat: Ut omnes absint, Deus certe semper testis erit.

V. 52. SI AUT EGO TRANSIERO ILLUM PERGENS AD TE, &c. Hebr. *Quod nec ego illum, transibo ad te, nec tu illum, transibis ad me, ad malum*.

V. 55. DE NOCTE. Hebr. *mane*, seu *diluculo*, scilicet summo mane.

ESTII.

Vers. 7. SED ET PATER VESTER CIRCUMVENIT ME. Significat Iacob se fraude circumventum a La-

 ban,

ban, quantum in illo erat; alioqui Deum prohibuisse, quo minus fraus illius effectum haberet. Fraudem autem intelligit de qua dicit: MUTAVIT MERCEDEM MEAM DECEM VICIBUS. Ubi quidam putant numerum certum positum pro incerto. Sed rectius Hier. & post eum Aug. certum ac definitum numerum intelligunt, ut sensus sit, Laban *decem vicibus*, nempe per denos ovium partus, pactam cum Iacob conditionem mutasse. Cum enim post primam conventionem videret, varium nasci pecus, post fetum dicebat: Volo ut mihi deinceps varia nascantur, tibi unicoloria. Quo audito Iacob virgas decorticatas in canalibus non ponebat. Cum ergo nascerentur unius coloris, mutata conditione Laban, quæ unius essent coloris, sibi nasci volebat, varia Iacob. Atque hoc pacto usque ad decem vices a Laban mutata conditio est; quamquam frustra; cum Iacob ad feturam seu variam, seu unicolorem, virgas aut poneret, aut non poneret. Ne cui autem in sex annis decem pariendi vices incredibiles videantur, dicit Hieron. oves Mesopotamiæ bis in anno parere, sicut & Italiæ, de quibus Virgilius: *Bis gravidæ pecudes*.

V. 30. CUR FURATUS ES DEOS MEOS. Putant quidam non fuisse proprie furtum quod Rachel commisit, auferendo patris sui idola (nam sic vocantur supra vers. 19.) non enim ad colendum, sed ad tollendam a patre occasionem idololatriæ, id ab ea factum esse. Verum bona intentio furti peccatum excusare non potest, sicut nec a furto excusatur qui subducit diviti, ut det pauperi. Non enim sunt facienda mala, ut eveniant bona. Sed iustior excusatio erit, si dicatur occulte abstulisse deos aureos seu argenteos, velut quorum valor seu pretium iure filiabus debebatur pro dote. Sicut enim Laban fraudaverat mercedem Iacob decem vicibus, ita & filias fraudaverat iusta dote. Unde Rachel, & Lia vers. 15. quoque dicunt: *Nonne quasi alienas* (pater noster) *reputavit nos, & vendidit?*

V. 32. QUOD AUTEM FURTI ME ARGUIS: APUD QUEMCUMQUE INVENERIS DEOS TUOS, NECETUR CORAM FRATRIBUS SUIS. Hinc colligi videtur, iuste etiam simplex furtum puniri supplicio capitis. Neque enim Iacob, præiudicio suo aliquem suorum in discrimen mortis vocasset, nisi rigore iustitiæ tale supplicium debitum fuisset. Quæ iustitiæ severitas etiam apud gentiles, maxime in servos, servata est. Unde illud Horatii: *Non furtum feci, non pascens in cruce corvos*. Quod notandum propter quosdam Iurisperitos (quos etiam Lyranus sequitur) qui negant iustum esse secundum iustitiam civilem, ut pro simplici furto quis capitis animadversione puniatur.

V. 34. ILLA FESTINANS ABSCONDIT IDOLA. Hebr. est *theraphim* sicut & supra vers. 19. quod tantum proprie significat *imaginem*. Neque hinc consequens esset, ea proprie esse idola, aut a Laban pro diis culta, nisi ipse Laban vers. 30. vocaret illos deos suos. Hebr. *elohim*: etenim *theraphim* etiam aliquando in bonam partem accipi patet I. Reg. XIX. ubi Michol dicitur accepisse statuam, & posuisse in lecto Davidis, ut hoc pacto eum a morte eriperet. Alii tamen volunt, *theraphim* semper in malam partem accipi; de quo vide Annotata I. Reg. XIX. Osee III. & Iudic. XVII.

V. 40. DIE NOCTUQUE AESTU UREBAR, ET GELU. Ita & LXX. συγκαιόμενος. Quædam tamen exemplaria habent, *Urgebar*, id est premebar; sed correctiora legunt, *Urebar*. Vide Hebr. Et simile est illud Psal. CXX. *Per diem sol non uret te, neque luna per noctem*. Sic Ovidius Lib. III. Tristium eleg. II. *Ustus ab assiduo frigore pontus erat*.

V. 42. NISI DEUS PATRIS MEI ABRAHAM, ET TIMOR ISAAC AFFUISSET MIHI, FORSITAN MODO NUDUM ME DIMISISSES. Per timorem Isaac, verisimiliter intelligitur reverentia, quam vel Laban gerebat erga Isaac adhuc viventem, nolens eum gravius offendere in Iacob; vel quam Isaac ipse gerebat erga patrem suum Abraham; vel denique reverentia Isaac, qua quisque eum merito revereretur, ut virum sanctum, & Dei amicum: nam timor sæpe pro reverentia sumitur.

V. 50. SI INTRODUXERIS ALIAS UXORES SUPER FILIAS. Quæritur an salvo hoc fœdere non potuisset Iacob alias adhuc uxores ducere ad multiplicandum genus. Videtur dicendum, quod in hæc verba Laban Iacob non consenserit, nisi quatenus in hu-

huiusmodi facto esset aliqua iniuria priorum uxorum. Nam Iacob respondens, & fœdus approbans, nihil dicit de uxoribus, sed tantum dicit: *Si aut ego transiero illum* (tumulum scilicet) *pergens ad te*, *aut tu praeterieris*, *malum mihi cogitans*. Et hæc etiam videtur tantum fuisse intentio Laban: nam immediate præcedit: Si affixeris filias meas.

MARIANAE.

Vers. 7. DECEM VICIBUS, id est multis: numerus finitus pro indefinito. Hebr. *Decem numeris*, seu *partibus*; quod est, decem vicibus mutavit mercedem meam Laban.

V. 8. ALBA QUAEQUE ACCIPIES. Vocem עֲקֻדִּים *bakudim*, superiori capite *varia* seu *maculosa* reddidit vers. 35. & 39. sed illomet capite vers. 40. & hoc loco pro eadem voce *alba* reddidit, nescio quid in eo secutus: nam plerique ea voce *succincta* intelligunt, nempe quorum macula cingebat totum corpus: sic verti potest: *Succincta erit merces tua*. Qui enim alba dedisset, cum grex relictus Iacobo a socero omnis albus esset? Sept. ut Hier. *alba* fuerunt: Chald. *maculosa*.

V. 9. SUBSTANTIAM PATRIS VESTRI. מִקְנֵה *mikne* proprie *greges* significat, sic dictos a possidendo, quoniam antiquis ea præcipue possessio erat.

V. 10. SUPER FEMINAS, VARIOS. Hic est eadem vox Hebraica *bakudim*, & Sept. hoc loco *subalbos* verterunt.

V. 13. EGO SUM DEUS BETHEL, qui in Bethel tibi apparui. Angelus se Deum vocat, quia Dei nomine loquitur.

V. 15. COMEDITQUE PRETIUM NOSTRUM; quasi dicat: Nullam dotem nobis dedit, aut quod debebatur pro viri nostri labore, id vendidit Laban, & comedit.

V. 19. RACHEL FURATA EST IDOLA PATRIS SUI. Hebr. *teraphim*, qua voce haud dubium significantur imagines: I. Reg. XIX. vers. 13. *Tulit autem Michol statuam*, Hebraice *teraphim*: & quidem loquentes. Zach. X. vers. 2. *Simulacra locuta sunt inutile*. Itaque reddebant de futuris responsa. Neque umquam invenio eam vocem in bonam partem accipi, sed pro cultu impio. Quod si Osee III. dicas legi vers. 4. *Quia dies multos sedebunt filii Israel sine rege*, & *sine sacrificio*, & *sine teraphim*: ad hoc tempus respexit, quo Iudæi neque pium cultum exercent templo everso, neque idolis sunt dediti.

V. 20. NOLUITQUE IACOB CONFITERI, indicare. Hebr. *Furatus est cor Laban*; id est, & eo ignorante fugit.

V. 21. AMNE TRANSMISSO, nempe Euphrate: nam mons Galaad ultra Iordanem est citra Euphratem. GALAAD sic vocatur per anticipationem. Num. XXVI. vers. 29. a nepote Manasse accepit id nomen.

V. 24. NE QUIDQUAM ASPERE LOQUARIS. Hebr. *Observa tibi*, *ne loquaris cum Iacob a bono usque ad malum*; id est, ne in ira aliquid loquaris, neque bonum, neque malum, id est nihil omnino. Sententiam expressit Hieron.

V. 26. CLAM ME ABIGERES FILIAS MEAS. Hebraice: *Furatus es cor meum*.

V. 36. EXARSISTI POST ME. Pagn. *Persecutus es me*. דלק *dalak* hic *persequi* significat, ut Hebræi credunt: sic Psalm. VII. vers. 14. pro *sagittas suas ardentibus effecit*, explicant *persequentibus* (scilicet me) *sagittas effecit*; id est, paravit Deus.

V. 42. NISI DEUS PATRIS MEI ABRAHAM, ET TIMOR ISAAC. Heb. *Nisi Deus patris mei*, *Deus Abraham*, & *timor Isaac*, id est quem timet Isaac. Iudæi inter alia Dei nomina *timorem* nominant, quod sit timor noster, quem timere debemus omni tempore vitæ, præsertim cum vers. 53. dicatur. *Iuravit Iacob per timorem patris sui Isaac*. Tum quidam Θεὸς dictum putant quasi δέος *timor*, iuxta illud: *Primus in orbe deos fecit timor*.

V. 47. UTERQUE IUXTA PROPRIETATEM LINGUAE SUAE. Adiectum hoc ab Interprete.

V. 50. NULLUS SERMONIS NOSTRI TESTIS EST; quasi dicat: Ut omnes absint, Deus certe testis est.

Vers. 55. LABAN VERO DE NOCTE CONSURGENS. *Mane surgens*, Sept. quod in Hebræo etiam habetur; sed perinde est.

MALVENDAE.

Vers. 2. SICUT HERI ET NUDIUSTERTIUS. כתמול שלשום *chithemol schilschom*. Quidam curiose ob-

servant, quod quando תמול *themol* coniungitur mediante aliqua voce cum שלשום *schilschom* vertendum esse per *heri hesterno*, & dicendum, *Heri*, *& nudiustertius*; quando vero immediate construitur, ut hic, convertendum per adverbium *nudius* solum: & ita hic vertunt tantum: *Sicut nudius tertius*, id est antea. Sed id argutius alii putant, qui reddunt sine coniunctione: *Sicut heri nudius tertius*: & proprie, *Sicut heri nudiustertii*, si Latini hoc ferrent: synecdoche frequens in sacris libris, qua pars proxima pro toto tempore antecedente sumitur. Sic infra vers. 5.

V. 7. DECEM VICIBUS, id est sæpius, ut infra vers. 41. & Numeror. XIV. vers. 22. & Iob XIX. vers. 3. Quidam exponunt, Id est bis fere quotannis: nam ibi fuit Iaghakob a tempore contractus sexennium, infra vers. 41. Vide S. Hieronymum.

V. 10. MARES. עתדים *ghathudim*, hircos, *capros maiores* interpretantur, quasi incumbentes feminis, & quibus grex incumbit ac fidit: idem esse aiunt quod תישים *teiaschim*, cap. præcedenti, vers. 35. Quidam ex circumstantia loci, generale hic esse nomen putant, ut comprehendat hircos & arietes, ut צאן *tzon*, oves, & capras includit. Unde prudenter Noster *mares* dixit. ET DIVERSORUM COLORUM. ברדים *beruddim* hic tantum reperitur & vers. 12. & Zachariæ VI. 3. 6. ubi Noster *varios* reddidit. Quidam hic *conspersos*; alii *separatos*, id est separatim habentes maculas; nonnulli *maculis altis respersos*; plerique *grandinatos*, id est maculis grandineis, seu grandinosis, & in modum grandinis respersos, punctis notatos, quasi grandineis: nec desunt qui *grandine guttatos*, quasi guttas grandinis habentes. ברד *barad*, *grandinare*, & *grandinem* significat. Ego hos esse puto quos capite præcedenti vers. 36. dixit: *Omne quod albedo in eo*, sive *omne in quo aliquid albi*. Porro tria illa postrema nomina huius versus עקדים, נקדים ברדים, *ghakuddim*, *nekuddim*, *beruddim*, quæ vertimus, *circumligatos*, *punctos*, seu *punctatos*, *& grandinatos*, quidam ad hircos, alii ad pecudes referunt; sed ego potius ad fetus nascentes ex iis: quod magis ductui & filo rerum videtur convenire; quasi dicat: Vidi capros, seu arietes ineuntes pecudes; ex quorum congressu extabant circumligati, puncti, & grandinati. Sic vers. 12.

V. 19. IDOLA. תרפים *theraphim*. De hac voce eiusque etymo plura disserui in Antichristo Lib. XI. cap. XIII. videntur hic esse *idola*, seu *simulacra*, quæ domi cultus & religionis causa habebantur, quæ etiam consulebant, & ab iis oracula, & responsa petebant, forsan deorum Penatium, aut Larium. Dicta existimo a רפה *raphah*, *remittere*, quod animos hominum metu & religione remitterent. Aliæ etymologiæ sunt ridiculæ.

V. 34. SUBTER STRAMENTA CAMELI. כר *car* Chaldæi, & Hebræi, & plerique recentiorum *clitellam*, *sellam*, *stramentum*, quod vulgo *basto* dicitur, exponunt. Hebræorum nonnulli putant esse speciem cameli velociter currentis, nempe dromedarii: unde possit hic verti: *Et posuit ea in dromedario cameli*; quasi dicat, in camelo dromedario, qui *car* dicitur. Quidam annotant, *car* significare primo *locum pascuum*, *qui vel falce secatur*, *vel animalibus pascendo abscinditur*. Isaiæ XXX. 32. Psalm. LXIV. vers. ultim. nempe pratum; & poni interdum pro *pabulis camelorum*, vel *stramentis desectis*: Unde hic reddunt: *Et posuit ea in secto camelorum*. Alii, *Inter pabulum camelorum*. Rabbini utuntur hoc nomine pro *pulvillo maiore*: ut possis transferre: *Et posuit ea in pulvillo cameli*.

V. 36. QUAM OB CULPAM MEAM. Hebr. quidam reddunt: *Quæ est amotio mea*, id est *quid est quod ego amoverim*?

V. 39. EGO DAMNUM OMNE REDDEBAM. Hebr. *Ego peccabo eam*; id est, reum me peccati constituebam, culpam errati in me transferebam compensando: non ad te reportando discerptum, aut dilaceratum a feris, sed persolvendo, aut substituendo, vel reponendo aliam pecudem integram & sanam pro discerpta. Communiter vertunt: *Ego expiabam*, *purgabam illud*: quidam: *Ego peccare feceram illud*; hoc est, in me omnem culpam transferebas, quasi mea causa dilacerarentur oves. Notant in futuro אחטנה *achattennah* deesse Aleph radicis: forte ad indicandam hanc singularem errandi & peccandi significationem, quam habet hoc verbum in Pihel, cum in ea coniugatione contrariam habere soleat, nempe *erratum*, *peccatum sustulit*, *expiavit*, *mundavit*, *purgavit*. Ego po-

potius Aleph omissum puto ad indicandum quam minimum in eo delinqueret Iacob, qui semper omnem curam & industriam adhiberet conservando gregi. Alii: *Ego luebam pro eo*; id est, damnum rependebam, ac resarciebam. FURTO PERIBAT. Hebr. *Furatum diei & furatum noctis*: furatum passive, id est, furto ablatum: in Paul גנבתי *genubti* notant Iod esse paragogicum, & addititium. Causam nullam reddunt nisi morem linguæ. Forsan ob euphoniam, vel quod furtum eiusmodi esset insigne & artificiosum, adeo vigilante & custodiente Iacob, & citra ipsius culpam.

V. 42. ET TIMOR ISAAC. Heb. *Pavor*, *metus Isaac*, id est Deus, quem timebat, ac reverebatur pater meus Isaac. Quidam volunt hic *pachad*, *pavorem* usurpari pro vero Deo, metonymice, cui soli pavor, metus, timor, id est cultus, & reverentia, debetur. Latinis *metus* pro cultu, & religione sumitur. Virgilius II. Georgicorum:

Atque metus omnes, & inexorabile fatum
Subiecit pedibus, strepitumque Acherontis avari.

Et VII. AEneidos:

.... *multosque metu servata per annos.*

Servius: *Metu*, *religione quæ nascitur per timorem.*

Petronius:

Primus in orbe deos fecit timor.

Unde hic, *Et religio Itzchak.* Festus: *Deus dictus est, sive a Græco δεὸς, quod significat metum, eo quod hominibus metus sit.*

V. 47. QUEM VOCAVIT LABAN TUMULUM TESTIS, nimirum Syriaca lingua יגר שהדותה *iegar sahaduthah*; & Iacob *Acervum testimonii*, nempe Hebraica lingua גלעד. Unum & idem nomen & significatum, diversis linguis expressum, nempe Aramæa & Hebræa; nisi quod Chaldaice שערותה *sahaduthah*, magis *testimonium*, *martyrium*, quam *testem* significet; עד *ghed*, Hebraice, magis *testem* quam *testimonium*: sed facile utrumque in utraque lingua confunditur. Sicuti יגר *iegbar* Syriace *acervum*, *cumulum*, *tumulum* significat, ut Hebraicum גל *gal*. Ridiculos se propinant qui hic ampullas quæstionum movent. *Tumulus testis*, & *Acervus testimonii* unum & idem re & significatione. Vide S. Hieronymum hic.

V. 48. ET IDCIRCO APPELLATUM EST NOMEN EIUS GALAAD. Nomen eius proprie Hebraice fuit גלעד *ghalghed*, id est tumulus, cumulus, acervus, clivus testis, aut testimonii: nimirum ab eventu fœderis inter Iacob & Laban, quem hic describit Moses. Deinde luxato nonnihil vocabulo, appellatus est Ghilghad, seu Ghileghad, seu ut nostri efferunt Galaad. De quo Eusebius, & S. Hieronymus in Locis Hebraicis: *Galaad, ad quem septimo die profectionis e Charris Iacob profugus venit. Est autem ad tergum Phœnices, & Arabiæ, collibus Libani copulatus; extenditurque per desertum usque ad eum locum ubi trans Iordanem habitavit olim rex Seon Amorrhæorum. Cecidit supradictus mons in sortem filiorum Ruben, Gad, & dimidiæ tribus Manasse. Sed & Ieremias loquitur: Galaad tu mihi initium Libani. A quo monte & civitas in eo condita fortita est vocabulum, quam & cepit de Amorrhæorum manu Galaad filius Machir, filii Manasse.* Brocardus: *Ultra Iordanem sunt varii montes, nempe mons Seir, mons Hermon, mons Libani, & mons Galaad; qui tamen omnes sunt unus mons continuus, nisi quod in diversis locis diversa fortitur nomina. Mons Galaad est altissimus, & videtur reliquorum caput esse ob eminentiam.* Beniamin Tudelensis: *Damasco profectus integro itinere Galaad me contuli, quæ eadem Gilead quondam dicta, amplam regionem aquarum fluviis, & fontibus scatentem, hortis, atque pomariis plenam.* Putant quidam esse *Hippon* Ptolemæi Lib. V. cap. xv. alii *Trachones colles* prope Damascum, Straboni Lib. XVI. pag. 520. Suspicor potius esse montes illos quos idem Strabo ibidem in Cœlesyria non longe a Damasco ita describit: *Arabiam & Ituræam versus sunt montes asperi & altis speluncis insignes: quarum una quatuor hominum millia recipere possit in excursionibus, quæ undique in Damascenos fiunt. Frequentius quidem Barbari in Felicis Arabiæ mercatores grassantur. Quod tamen nunc minus fit sublato Zenodoro latrone.* De quo vide Iosephum Lib. XV. Originum, cap. XIII. Galaad montis & terræ mentio frequens in Scriptura.

V. 49. INTUEATUR. Heb. Et מצפה *mitzphah*, nomen proprium esse volunt loci atque urbis in monte Galaad: in qua postea habitavit Iephthe, Iudicum XI. Inter-

terpretatur *specula*, quod esset in editissimo loco, unde & Iacob sumpsit occasionem indendi nominis, & utendi verbo *speculandi*, cum socero. Constructa proculdubio videtur in eo loco ubi pacta conventa inter Iacob & Laban agitata sunt: de qua non semel redibit sermo. Vide Iosue XI. vers. 3. QUANDO RECESSERIMUS A NOBIS. Hebr. *Quia*, vel *quando abscondemur*, *latebimus*, *vir de sodali suo*; id est, discesserimus alter ab alterius conspectu; quasi dicat, quum nemo nostrum alterum videbit; sive quando quisque nostrum procul aberit a socio suo. Quidam per præsens vertunt: *Quia abscondimur*, *latemus*, *vir de socio suo*; hoc est, quia occulte, vafre, astute, tecte solent agere homines intra se; quasi dicat: Deum latere non poterunt nostræ rationes, & artes, quantumvis inter nos lateant, & sint occultæ.

MENOCHII.

Vers. 1. POSTQUAM AUTEM. Discessus Iacobi tres causæ ponuntur. Prima mordaces calumniæ filiorum Laban; secunda, ipsius odium vultu se prodens; tertia, & præcipua Dei iussio. TULIT. Falso iniquitatis insimulant, dum furtum vocant iustam mercedem, opesque ipsi a Deo datas.

V. 2. FACIEM LABAN. Hæc solet vel invitam invidiam claris notis prodere, ut docet Sanctus Basilius Oratione de invidia. SICUT HERI, ET NUDIUSTERTIUS, sicut prius: est Hebraismus.

V. 3. DICENTE SIBI DOMINO, per Angelum in somnis.

V. 4. RACHEL, ET LIAM. Rachel præponitur ut primaria, & voluntarie sine fraude in uxorem accepta. IN AGRUM: ut sine arbitris mentem suam illis pandere queat.

V. 7. CIRCUMVENIT: pacta me invito, sed non audente contradicere, mutavit. DECEM VICIBUS, multis vicibus: numerus certus pro incerto. Vel etiam vere decem vicibus mutavit, ut Iacob ipse cum Labano expostulat hoc cap. num. 41.

V. 8. OMNES OVES: pleræque, adeo multæ ut ceterarum vix habenda ratio præ paucitate.

V. 10. VIDIQUE IN SOMNIS. Probat Deum Labano abstulisse, & sibi dedisse, quia in somnis illum Deus per Angelum docuit dolum bonum, quo usus.

V. 13. EGO SUM. Hoc addidit, ne putet illusionem phantasiæ, vel dæmonis factum esse. DEUS BETHEL, qui tibi apparui innixus scalæ in Bethel cap. XXVIII. ET VOTUM VOVISTI. Meminit voti ut sibi illud placuisse ostendat, & ut ad illud perficiendum excitet.

V. 14. NUMQUID HABEMUS RESIDUI QUIDQUAM IN FACULTATIBUS, ET HEREDITATE DOMUS PATRIS NOSTRI? Nonne pater nos quasi exheredes fecit? I. dum nos indotatas tibi uxores tradidit. II. dum pretium nostrum, quo nos scilicet tibi coemisti uxores, puta laborem quatuordecim annorum servitutis tuæ, totum sibi usurpavit, ut non tam quasi pater nos in matrimonio, attributa dote, collocasse, quam quasi mango vendidisse videatur.

V. 17. SURREXIT: accinxit se ad iter. IMPOSITIS LIBERIS. Ætas id postulabat, nam maximus natu Ruben nondum quatuordecim annos compleverat; minimus Ioseph vix sexennis.

V. 18. PERGENS AD ISAAC PATREM SUUM. Hunc terminum itineri præfigebat. In via fere decennium posuit, habitando in Sichem, & in Bethel.

V. 19. FURATA EST IDOLA. Huius furti alii alias rationes afferunt. Abstulit vel ne parens illa aspiciendo, vel per illa augurando fugam Iacob cognosceret, & persequeretur; vel ut parenti idola colendi occasionem subtraheret; vel ut deos penates secum extulit, ipsa etiam idololatriæ addicta; vel tandem quia ex pretiosa materia, intentione dotis compensandæ, quam iniuste pater detraxerat, supra num. 15. IDOLA, Hebraice *theraphim*, sunt statuæ humanam formam habentes, ut patet I. Reg. XIX. 3. Præsertim vero vox *theraphim* usu appropriata est iis statuis, quæ opera dæmonum responsa dabant, ut patet Iudic. XVIII. 18.

V. 20. NOLUITQUE CONFITERI. Hebr. *Furatus est Iacob cor Laban*; id est, inscio & ignorante Laban, clanculum aufugit; quasi cor, id est scientiam, & conscientiam Laban secum abstulisset.

V. 21. AMNE TRANSMISSO, Euphrate. MONTEM GALAAD, qui postca

ca num. 48. dictus est Galaad: est prolepsis.

V. 23. FRATRIBUS, valida manu cognatorum, & famulorum, & civium.

V. 26. QUARE ITA EGISTI? Culpat Iacob, cum ipse esset in culpa, fingitque se amicum, cum animo esset infesto.

V. 27. UT PROSEQUERER. Forte ita mos habuit eo tempore prosequendi amicos discedentes.

V. 28. FILIOS MEOS, nepotes ex filiabus.

V. 34. ILLA FESTINANS, male sibi conscia, & ad quid pater veniret suspicata. SUBTER STRAMENTA, sub clitellis. SEDIT DESUPER, ne pater ibi quæreret.

V. 35. IUXTA CONSUETUDINEM FEMINARUM; quasi dicat: Laboro fluxu menstruorum, ideo præ infirmitate assurgere non possum.

V. 36. TUMENSQUE IACOB, præ ira. Falsam causam defendens, sed ignarus. Iacob mitissimus erat, sed sæpius læsa patientia fit furor.

V. 37. FRATRIBUS MEIS, quos tecum adduxisti, mihi affines, tibi consanguineos.

V. 38. NON COMEDI: ut solent mercenarii, qui se, non gregem pascunt.

V. 39. CAPTUM A BESTIA, laniatum a fera. Lex pastoritia permittebat ut si sine pastoris culpa pecus a feris necaretur, ostensa domino parte aliqua residua, noxæ pastor eximeretur. QUICQUID FURTIM PERIBAT: voluisti me non culpam tantum, sed & casum præstare; quod iniustum fuit.

V. 40 AESTU UREBAR, ET GELU: sudabam, & algebam: urebat me sol per diem, & luna per noctem. Sicut calor, sic & frigus adurit, hoc est exsiccat, &, ut habent hic Hebræa, consumit, ac comedit. FUGIEBATQUE SOMNUS, præ solicitudine: boni enim patris familias est ultimum decumbere, & primum de strato surgere.

V. 42. TIMOR ISAAC: Deus, quem timuit, & coluit Isaac. NUDUM, bonis, liberis, uxoribus spoliatum. AFFLICTIONEM, humiliationem.

V. 43. QUID POSSUM FACERE FILIIS, ET NEPOTIBUS MEIS? Deum, a quo fuerat increpatus, timebat: fingit tamen se caritate suorum parcere; quasi dicat: Non patitur natura me meis nocumentum inferre.

V. 44. IN TESTIMONIUM, monumentum fœderis INTER TE ET ME.

V. 45. IN TITULUM, in signum, & monumentum. Vide supra cap. XXVIII. 18.

V. 46. TUMULUM, aggerem largum, latumque, & planum: nam in eo quasi in mensa pransi sunt.

V. 47. IUXTA PROPRIETATEM LINGUAE SUAE. Idem plane diversarum linguarum vocibus significant. Iacob Hebraice locutus; Laban vero natus in Syria, & a stirpe Heber degenerans, Syriacum nomen indidit.

V. 48. GALAAD quid significet statim subiungitur, id est TUMULUS TESTIS.

V. 50. NULLUS SERMONIS NOSTRI TESTIS EST ABSQUE DEO: etiamsi nulli mortalium adsint, interest tamen Deus, quem nihil latet.

V. 51. LAPIS, QUEM EREXI. Hinc contra Mesopotamiam Laban, inde contra Chananæam Iacob, singuli columellam supra tumuli marginem extremum erexerant, terminos quos ad nocendum neutri malo transgredi animo liceret.

V. 53. DEUS NACHOR. Laban Deo vero falsa numina adiungit, Deo Abrahæ, idola Nachor; Iacob per solum Deum Abrahæ, & Isaac iurat.

V. 54. IMMOLATISQUE VICTIMIS, hostiis pro pace, ac fœdere cum socero Laban. VOCAVIT, invitavit, epalo excepit. Trita locutio Iob I. 4. Matth. XXII. 3. Luc. XIV. 9.

V. 55. DE NOCTE, diluculo, summo mane. IN LOCUM SUUM, in Haran.

TIRINI.

Vers. 19. RACHEL FURATA EST IDOLA PATRIS SUI, ex auro, argento, aliave materia pretiosiore conflata. Primo, ut hac via saltem ex parte compensaret damnum dotis sibi iniuste a parente subtractæ: nam paulo ante quærebatur vers. 15. Etiam *comedit pretium nostrum*; quasi dicat: Tantum abest sperare possimus aliquam pro dote pecuniam, vel portionem hereditariam paternam

ternam & maternam, ut ne pretium quidem, quo nos *quasi alienas*, seu tamquam mancipia, tibi vendidit in uxores, potuerimus ex unguibus crudelis & avari parentis ulla arte extorquere: nam maluit ipse illud abligurire & decoquere, quam filiabus alendis ordinandisve impendere. Ita Pererius. Addit Aben Esra, Rachelem ideo furatam esse hæc idola, ne pater illa consulendo rescisceret posset per quod iter Iacob fugam suam instituisset. Itemque ut occasionem & materiam ulterioris idololatriæ parenti subtraheret, inquiunt Basilius, Nazianzenus, Theodoretus. Forte etiam id fecit Rachel, ut deos illos penates haberet secum, sui, suæque fugæ tutelares: nam licet ex marito cognitionem aliquam veri Dei hausisset; more tamen & vitio gentis illius, & in gratiam parentum suorum, simul cum vero Deo colebat etiam idola, quæ Iacob in Chananæa demum sustulit capite XXXV. vers. 5. Et hanc rationem maxime probant Chrysostomus, Rupertus, Gennadius, Caietanus, & Oleaster.

V. 42. NISI TIMOR ISAAC AFFUISSET MIHI. Est metonymia, actus potentiæ pro obiecto *a*. *Timor*, id est is quem timet *Isaac*, scilicet Deus. Patet vers. 53. *Iuravit Iacob per timorem patris sui*; id est, per Deum quem timet, colit, ac reveretur pater. Laban vero ibidem iurat per *Deum Abraham*, & per *Deum Nachor* fratris Abrahæ; hoc est, per Deum verum quem colebat Abraham, simul & per falsos deos quos colebat Nachor idololatra parens Laban. Hoc exemplo Iacob docent Theologi, licere fidelibus excipere iuramentum, immo in necessitate etiam exigere, ab infidelibus, licet sciant iuraturos per falsos deos: quia non nisi permissive id excipiunt.

(*a*) Proleg. de Idiotism. Heb. num. 46.

GORDONI.

Vers. 1. EX hoc murmure, & quasi calumnia, contra Iacob, cogitare ille cœpit de reditu. Vox TULIT habet insinuationem furti.

V. 2. Facies animum ostendit. HERI, sicut prius.

V. 7. CIRCUMVENIT, saltem mutando toties quæ promittebat: nam Laban videns eventum favere Iacobo, mutavit sæpe pactum: modo unum colorem eligebat, modo alium; & ita subinde Iacob mutabat industriam. Quod subdit, DECEM VICIBUS, est numerus certus pro incerto, hoc est sæpius: satis indicat variata pacta.

V. 9. SUBSTANTIAM, possessionem gregis. Radix קנה, *possidere*: hinc מקנה *mikne*, *possessio*, vel *grex*.

V. 10. Monetur in somno per Angelum, quo bono dolo uti debeat.

V. 13. DEUS BETHEL; hoc est, qui per Angelum in Bethel locutus est.

V. 14. NUMQUID HABEMUS RESIDUI QUIDQUAM? hoc est, nihil superest quod expectemus nobis ex bonis paternis, cum nos habeat pater ut alienas.

V. 15. COMEDIT PRETIUM NOSTRUM: dotem non concessit, eam comedit, consumpsit.

V. 17. IMPOSITIS LIBERIS. Ex his Ruben annum decimum quartum; Ioseph minimus sextum attingebat. ABIIT. Contigit hic reditus Iacob, anno mundi 2235. quando adhuc vivebat Isaac pater eius, ex diagrammate, quod dedi cap. XII. Hæsit tamen aliquot annis in Sichem, & Bethel, antequam adiret patrem: quod notat Abulensis. Vide cap. XXVII. initio, ubi de Isaaco superstite, & de Bethel, cap. XXVIII.

V. 18. PERGENS, ad Isaac patrem. Habitat Iacob in Sichem & Bethel aliquot annis; nec tamen omisit invisere patrem, ut infra cap. XXXV. vers. 27.

V. 19. FURATA EST IDOLA. תרפים *teraphim*, imagines humanæ formæ. Aliquando statuæ sunt, quæ, agente dæmone, dabant responsa, ut habemus ex Iudic. cap. XVIII. vers. 18. Hæc teraphim ut idola coluit Laban. Ridiculus est Calvinus, cum ait tales esse imagines Papistarum. μορφώματα quidem sunt, non εἴδωλα. Plura Exod. cap. XX.

V. 20. NOLUITQUE IACOB CONFITERI SOCERO SUO QUOD FUGERET. Hoc ipsum dicit, sed alio loquendi modo, Textus Hebr. *Furatus*, inquit, *est Iacob cor Laban*.

V. 21. AMNE TRANSMISSO, Euphrate: nam mons Galaad est inter Euphratem & Iordanem.

V. 23. FRATRIBUS, hoc est cognatis, more Scripturæ.

V. 26.

V. 26. τὸ ABIGERES reprehensionem habet.

V. 28. FILIOS MEOS, nepotes sane.

V. 35. IUXTA CONSUETUDINEM: fluxum menstruum obtendit.

V. 36. EXARSISTI: persecutus es me.

V. 37. CORAM FRATRIBUS, quos tecum adduxisti, cognatos tuos, & mihi affines.

V. 39. Postulabat hoc lex pastorum de laniato a feris. At iniustum fuit ut Iacob præstaret culpam furti.

V. 42. ET TIMOR ISAAC; hoc est, Deus, quem timet, & colit pater meus Isaac. Actus ponitur pro obiecto, ut etiam mox vers. 53.

V. 46. FECERUNT TUMULUM instar mensæ, ibique comederunt.

V. 47. UTERQUE IUXTA PROPRIETATEM LINGUAE SUAE. Hoc additum est a nostro Interprete, ad maiorem explicationem; nec alibi est. Sicut etiam versu 48. addita sunt illa verba, *Id est, tumulus testis*. Sic Noster Hebræam vocem interpretatur.

V. 48. NOMEN EIUS GALAAD. In signum fœderis erigitur titulus & tumulus. Unde nomen loci postea Galad, Galaad, & Galatidis regio, quasi sit tumulus testis: quod satis expressit textus Heb. גל & עד, *Gal* & *hhed*, *tumulus testis*. Claudit Tribum Gad, & protenditur ad Libanum. Vide Adrichomium in Manasse, num. 50. & 51. ubi montem Galad, regionem, & iter Iacob describit.

V. 53. Nachor iste putatur frater Abrahæ, & avus huius Laban, quem aliqui notant fuisse idololatram; ac proinde coniungit Deum verum cum deo falso. Vide vers. 42. de timore.

V. 54. NOCTE; hoc est, antequam elucesceret, seu diluculo.

CAPUT XXXII.

Iacob, visis Angelis, nuntios, & munera ad fratrem suum Esau territus mittit, interea cum Angelo luctans; & benedictionem, ac nominis mutationem tacto femoris nervo accepit.

1 * IAcob (*a*) quoque abiit itinere quo cœperat: fueruntque ei
obviam Angeli Dei. 2. Quos cum vidisset, ait: Castra Dei
sunt hæc: & appellavit nomen loci illius Mahanaim, id est
Castra. 3. Misit autem & nuntios ante se ad Esau fratrem
suum in terram Seir, in regionem Edom: 4. * præcepitque
eis, dicens: Sic loquimini domino meo Esau: Hæc dicit fra-
ter tuus Iacob: Apud Laban peregrinatus sum, & fui usque in præsentem diem.
5. Habeo boves, & asinos, & oves, & servos, & ancillas: mittoque nunc lega-
tionem ad dominum meum, ut inveniam gratiam in conspectu tuo. 6. Reversi-
que sunt nuntii ad Iacob, dicentes: Venimus ad Esau fratrem tuum, & ecce
properat tibi in occursum cum quadringentis viris. 7. Timuit Iacob valde; &
perterritus divisit populum qui secum erat, greges quoque, & oves, & boves,
& camelos, in duas turmas, 8. dicens: Si venerit Esau ad unam turmam, &
percusserit eam, alia turma, quæ reliqua est, salvabitur. 9. Dixitque Iacob: Deus
patris mei Abraham, & Deus patris mei Isaac: Domine qui dixisti mihi: Re-
vertere in terram tuam, & in locum nativitatis tuæ, & benefaciam tibi: 10. mi-
nor sum cunctis miserationibus tuis, & veritate tua quam explevisti servo tuo.
In baculo meo transivi Iordanem istum; & nunc cum duabus turmis regredior.
11. Erue me de manu fratris mei Esau, quia valde eum timeo: ne forte veniens

Ddd per-

percutiat matrem cum filiis. 12. Tu locutus es quod benefaceres mihi, & dilatares semen meum sicut arenam maris, quæ præ multitudine numerari non potest. 13. Cumque dormisset ibi nocte illa, separavit de his quæ habebat, munera Esau fratri suo, 14. capras ducentas, hircos viginti, oves ducentas, & arietes viginti, 15. camelos fetas cum pullis suis triginta, vaccas quadraginta, & tauros viginti, asinas viginti, & pullos earum decem. 16. Et misit per manus servorum suorum singulos seorsum greges, dixitque pueris suis: Antecedite me; & sit spatium inter gregem & gregem. 17. Et præcepit priori, dicens: Si obvium habueris fratrem meum Esau, & interrogaverit te, Cuius es? † aut, Quo vadis? aut, Cuius sunt ista quæ sequeris? 18. respondebis: Servi tui Iacob: munera misit * domino meo Esau: ipse quoque post nos venit. 19. Similiter dedit mandata secundo, & tertio, & cunctis qui sequebantur greges, dicens: Iisdem verbis loquimini ad Esau, cum inveneritis eum. 20. Et addetis: Ipse quoque servus tuus Iacob iter nostrum insequitur: dixit enim: Placabo illum muneribus quæ præcedunt, & postea videbo illum, forsitan propitiabitur mihi. 21. Præcesserunt itaque munera ante eum, ipse vero mansit nocte illa in castris. 22. Cumque mature surrexisset, tulit duas uxores suas, & totidem famulas, cum undecim filiis, & transivit vadum Iaboc. 23. Traductisque omnibus quæ ad se pertinebant, mansit solus: 24. & ecce vir luctabatur cum eo usque mane. 25. Qui cum videret quod eum superare non posset, tetigit nervum femoris eius, & statim emarcuit. 26. Dixitque ad eum: Dimitte me, iam enim ascendit aurora. Respondit: Non dimittam te, nisi benedixeris mihi. 27. Ait ergo: Quod nomen est tibi? Respondit, Iacob. 28. At ille, Nequaquam, inquit, Iacob appellabitur nomen tuum, sed Israel: quoniam si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra homines prævalebis? 29. Interrogavit eum Iacob: Dic mihi, quo appellaris nomine? Respondit: † Cur quæris nomen meum? Et benedixit ei in eodem loco. 30. Vocavitque Iacob nomen loci illius Phanuel, dicens: Vidi Deum facie ad faciem, & salva facta est anima mea. 31. Ortusque est ei statim sol, postquam transgressus est Phanuel: ipse vero claudicabat pede. 32. Quam ob causam non comedunt nervum filii Israel, qui emarcuit in femore Iacob, usque in præsentem diem: eo quod tetigerit nervum femoris eius, & obstupuerit.

(a) Isa. xlviii. 16.

B R U G E N S I S

Romanae Correctiones.

V. 1. *Iacob quoque abiit itinere quo cœperat*. Alii legunt: *Iacob autem abiit in itinere quod cœperat*. Coniunctionem *quoque* mutant cum *autem*, addunt præpositionem *in*; denique pro ablativo *quo* scribunt accusativum *quod*.

V. 4. *Præcepitque eis*. Servandum est præteritum *præcepit*, non substituendum præsens *præcipit*.

V. 18. *Domino meo Esau*. Pronomen primæ personæ *meo* non est mutandum cum pronomine tertiæ personæ *suo*.

V. 29. *Cur quæris nomen meum?* Sequitur in quibusdam libris *quod est mirabile*; sed non est illud huius loci, verum Iudic. xiii. vers. 18.

Lectionum Varietas.

V. 17. *Aut, Quo vadis? aut, Cuius sunt ista?* Quidam libri loco duplicis *aut* disiunctivæ, legunt duplicem & copulativam.

COM-

COMMENTARIA

SA.

Verf. 4. FRATER TUUS. Heb. Chald. & LXX. *fervus tuus.*

V. 5. INVENIAM GRATIAM; ideft, gratus fim.

V. 10. MINOR, ideft inferior; quafi dicat, indignus tot beneficiis in me tuis. ET VERITATE, id eft fide promifforum. IN BACULO; id eft, nihil habens præter baculum; quafi dicat, cum folo baculo.

V. 15. FETAS: alii *lactantes*. TAUROS VIGINTI: ita LXX. fed Hebr. & Chald. *Tauros decem.*

V. 20. DIXIT, fcilicet apud fe. Sunt autem verba hæc Moyfis, non autem ipforum nuntiorum.

V. 21. CASTRIS, fcilicet loco quem Caftra vocavit. Vide fup.

V. 22. MATURE. Hebr. Chald. & LXX. *nocte.*

V. 25. NERVUM. Hebr. *curvaturam*: LXX. *latitudinem*. EMARCUIT. Hebr. *mota loco fuo*, feu *luxata*, fcilicet coxendix, id eft os femoris, quod in ifchium inferitur, id eft in curvaturam feu cavitatem offis fuperioris, in qua & vertitur.

V. 26. ASCENDIT; pro, oritur, feu orta eft. BENEDIXERIS; id eft, aliquid boni impertieris.

V. 28. APPELLABITUR, fcilicet tantum. ISRAEL, ideft *princeps cum Deo*: non eft autem nunc impofitum, fed prædicitur imponendum, fcilicet infra cap. xxxv. Hieron. CONTRA DEUM; ideft, in lucta cum Angelo, Deum repræfentante.

V. 30. PHANUEL, id eft *facies Dei*. FACIE AD FACIEM, ideft clare. SALVA FACTA; quafi dicat, nec tamen mortuus fum.

V. 32. NERVUM, ideft contrahentem, & moventem femur. OBSTUPUERIT: alii, *contractus fueris.*

ESTII.

Verf. 4. SIC LOQUIMINI DOMINO MEO ESAU. Quæritur quomodo hoc non contrarietur benedictioni paternæ, qua Ifaac ad Iacob dixerat: *Efto dominus fratrum tuorum*: immo & ad ipfum Efau: *Dominum tuum illum conftituit*: Refpondeo: Hæc prædicta funt ab Ifaac, non tam in perfonis Iacob & Efau, quam in utriufque pofteris. Adde, quod Iacob non agnofcit Efau dominum, tamquam illi fubditus fit ut fervus, fed tantum civili more eum ita vocat, ut animum eius fibi infenfum leniat.

V. 10. MINOR SUM CUNCTIS MISERATIONIBUS TUIS. Non eft fenfus: Indignus fum miferationibus tuis, quafi fignificet fe male meritum. Sed hic fenfus videtur effe: Meritis non affequor, non æquo miferationes, feu beneficia tua. Eft enim id quod folemus benefactori alicui dicere: Plus beneficiorum mihi præftas, quam promereri queam.

V. 25. QUI CUM VIDERET, QUOD EUM SUPERARE NON POSSET. Quæritur an Iacob auctæ fuerint vires, an Angelo diminutæ. Refpondetur: Neutrum; fed Angelus affumpfit corpus, in quo Deus pofuit motivam virtutem inferiorem ea quæ erat in Iacob, non quod in eo corpore fuerit vera animæ potentia, fed virtus quædam fimilis. Aut certe dicendum effet, Angelum (qui utique potuiffet illo corpore affumpto fic uti ut Iacobum luctando fuperaret) victum fuiffe volentem; id eft, ufum fuiffe per illud corpus virtute motiva remiffius. Sed prior fententia verior eft: nam fequitur: *Qui cum videret, quod eum fuperare non poffet*: Ergo vere non poterat eum fuperare. TETIGIT NERVUM FEMORIS EIUS. Hoc quid præfiguraverit, vide apud Rupertum in fine Lib. I. in Matthæum pulchre. Nervus autem femoris non debet intelligi genitale membrum: tum quia propter hoc Iacob non claudicaffet pede; tum quia poftea genuit Beniamin; tum quia omnino diverfus eft ille nervus femoris, a

cu us esu abstinent Iudæi usque in præsentem diem.

V. 28. NEQUAQUAM IACOB APPELLABITUR NOMEN TUUM, SED ISRAEL. Constat ex tota historia sequenti, eum adhuc Iacob fuisse appellatum, & quidem frequentius quam Israel. Sensus igitur est: Posthac non solum vocaberis Iacob, sed etiam altero nomine augeberis, ut dicaris Israel; quasi dicat: Quia non solum supplantasti fratrem hominem (id sonat Iacob) sed etiam in lucta superasti Deum, id est Angelum vices gerentem Dei. Arbitror & sic posse intelligi: in posteris tuis non appellaberis nomine Iacob, sed Israel; puta, posteri eius non Iacobitæ, sed Israelitæ nomine patronymico dicti sunt.

V. 29. CUR QUAERIS NOMEN MEUM? Vide ad similem locum Iudicum XIII.

V. 30. VIDI DEUM FACIE AD FACIEM, ET SALVA FACTA EST ANIMA MEA; quasi dicat, nec tamen mortuus sum; licet ea sit vis gloriosi aspectus Dei, ut mortalis homo eum sustinere non possit. Nec tamen intelligitur de Dei visione beatifica, sed qua videtur in illustri & gloriosa admodum specie, in qua decet Deum repræsentari. Vide Exod. cap. XXIV. & XXXIII. Num. XII. & alibi. Vel forte probabilius, quod receptum erat opinione hominum, moriturum quempiam si Deum videret, eo quod homo mortalis, & peccator plane indignus reputabatur qui Deum oculis aspiceret. Unde & Manue pater Sampsonis Iudic. XIV. dicebat: *Moriemur, quia vidimus Dominum*; & Petrus ad Iesum: *Exi a me, quia homo peccator sum.*

MARIANAE.

Vers. 2. ET APPELLAVIT NOMEN LOCI ILLIUS MAHANAIM, ID EST CASTRA. Vox *Mahanaim* est in numero duali, & significat gemina castra, nempe Angelorum ex una parte, & familiæ Iacob ex altera. Est autem locus ultra Iordanem, non procul a monte Galaad.

V. 4. HAEC DICIT FRATER TUUS IACOB. *Servus tuus* est. Hebr. sic Sept. & Chald.

V. 10. MINOR SUM: indignus sum. ET VERITATE, promissis tuis. IN BACULO MEO: in solo baculo, omni ope destitutus transivi Iordanem.

V. 15. TAUROS VIGINTI. Sic Sept. sed Hebr. *decem*. ET PULLOS EARUM DECEM. Vox, *earum* Hebr. non est, sed bene suppletur.

V. 20. PLACABO ILLUM MUNERIBUS. אֲכַפְּרָה *acaphrah* significat, *auferam indignationem eius*, *placabo*; sed addit *faciem eius*, quoniam in facie indignatio apparet. FORSITAN PROPITIABITUR MIHI. Sept. Chald. *Forsitan suscipiet faciem meam*. Dicerem potius, *Levabit faciem meam*, ut est Hebr. Mos est delinquentium ut demittant faciem.

V. 22. MATURE SURREXISSET. Quidam *mane*: Hebraice, *nocte*: sic Sept.

V. 24. ET ECCE VIR LUCTABATUR CUM EO USQUE MANE. Hunc antiqui Patres volunt esse Dei Filium, qui ludicris certaminibus se ad vera compararet. Vocatur autem *vir*, quod loqueretur ut homo, & in humana forma appareret. De hac lucta Osee XII. vers. 4. ubi dicitur invaluisse ad Angelum, & rogasse eum, ac flevisse; nempe Angelus flevit.

V. 25. TETIGIT NERVUM FEMORIS EIUS. Nempe ut eum prosterneret lucta, more eorum qui crura adversarii cruribus innectunt, ut eum subvertant. In Hebræo est כַּף *caph*, quæ vox *volam*, seu *palmam* significat. Quærunt autem Hebræi cur sic vocetur curvatura femoris, quæ est prope acetabulum, & finis coxendicis. In quo non est opus laborare, sed certe curvaturam femoris significat. גִּיד *ghed*, quæ vox est in vers. 32. *nervum* significat, seu *musculum*, qui tactu Angeli luxatus est, & a quo Iudæi abstinent, rei gestæ argumento.

V. 28. NEQUAQUAM IACOB APPELLABITUR NOMEN TUUM: certe non solum. Quo ex loco satis constat, falli antiquos, qui *Israel* dicunt significare *videns Deum*, cum potius significet *vincens Deum*. Sic Hieronymus in Tradit. accusat priorem etymologiam. QUANTO MAGIS CONTRA HOMINES. Hebr. *Et cum hominibus & prævalebis*; sed prior & valet *quanto magis*, ut posuit Hieronymus; posterior & sumitur pro *etiam*:

iam : Cum hominibus etiam prævalebis .

V. 30. FACIE AD FACIEM. Clare vidit Deum. ET SALVA FACTA EST ANIMA MEA. Antiquis persuasum erat, neminem videre Deum quin continuo moreretur. Exodi XXXIII. vers. 20. *Non videbit me homo, & vivet*: & Iudic. III. vers. 22. Samsonis pater mortem timet, quia vidit Deum.

MALVENDAE.

Vers. 2. CASTRA DEI. מחנה *machaneh* aiunt significare *residentiam, confidentiam, desidentiam*, id est *turmam, aciem, copias, agmen*, quod vel ad quietem, vel ad pugnandum, aut ad oppugnandum, vel obsidendum aliquam urbem demittit se, & considet, & residet in aliquo loco. Nomen militare esse consentiunt omnes. Noster per *castra*, per *turmam* solet vertere. Alii hic *castrametationem, aciem, agmen*; nonnulli *tentorium* reddunt. Notant dici tam de loco, quam de exercitu. MAHANAIM. מחנים duale est, & significat *binas turmas, duas acies, bina castra*, seu *castra gemina, duo agmina*. Forsan quia vidit duas turmas, aut legiones, seu agmina Angelorum. Quidam, nam ibi ipsius, & Angelorum exercitus coniuncti erant, & eos contemplabatur Iaghakob. Quamquam dualis forma non semper præcise duo significet, ut in *schamaiim, misraiim*, cum possit esse plurale. Fuit urbs in tribu Gad, Iosue XIII. 26. cuius mentio alibi occurret in sacris libris. Romani multis locis castrorum nomen indidere; & in Hispania oppidum Bæticæ *Castra gemina*, Plinio Lib. III. cap. I.

V. 3. IN TERRAM SEIR, IN REGIONEM EDOM. Hallucinatur perspicue Brocardus, & alii, qui putant in alio monte Seir, ultra Iordanem prope montes Gelboe, supra lacum Genasaritticum, proximo itineri venientis Iacob e Mesopotamia tunc habitasse Esau; cum hic diserte dicatur, habitasse tunc in Seir regionis Edom, nempe iuxta desertum Pharan, cis Iordanem, non longe a mari mortuo. Vide supra cap. XIV. vers. 6.

V. 10. MINOR SUM. Priorem partem huius versus ita alii clarius ex Hebræo transferunt: *Inferior, impar sum omnibus beneficiis, totique illi fidei quam præstitisti servo tuo*; id est, fateor me indignum fuisse cui tot beneficia tam bona fide conferres: ne dum eo me dignum iudicem, quod petiturus sum.

V. 12. QUOD BENEFACERES. Heb. *Benefaciendo benefaciam tibi*. Formula Hiphil hic ingentem beneficentiam & benignitatem denotat ut vers. 9. quasi dicat, maximis beneficiis te afficiam, & augebo.

V. 16. ET SIT SPATIUM. רוח *revach, respiratio, aura, relaxatio, spatium, interstitium, intercapedo, dilatatio, progressio, protensio*: hic reddunt: *Et respirationem ponetis inter gregem & gregem*, id est relaxationem, seu spatium relaxationis, quo possit aura transire.

V. 20. PLACABO ILLUM MUNERIBUS. Heb. eleganti phrasi exprimitur: *Tegam, operiam, oblinam facies eius in munere*, seu *in donario*. Hispanice: *Cubrirle é la cara con el presente*. Communiter reddunt: *Expiabo, propitiabo, placabo, propitiam mihi reddam*. Verbum כפר *chipper* in Pihel, proprie est *tegere, operire, abscondere*, vel *immunditiam*, vel *sordes*, vel *erratum*, vel *reatum errati*, vel *iram*, vel *offensionem amovere, tollere a conspectu, ne amplius appareat*, aut *sit*. Solent reddere verbis *expiandi, purgandi, depurgandi, emundandi, lustrandi, placandi, deliniendi*. Similem phrasim habes cap. XX. vers. 16. *Operimentum oculorum*.

V. 22. VADUM IABOK. Eusebius, & S. Hieronymus in Locis Hebraicis: *Iabok fluvius, quo transmisso luctatus est Iacob adversus eum qui sibi apparuerat; vocatusque est Israel. Fluit autem inter Ammam, id est Philadelphiam, & Gerasam in quarto millario eius; & ultra procedens, Iordani fluvio commiscetur*. Topographi sacri aiunt eum fluere ex montibus Arabiæ, seu Galaad, & influere in Iordanem, non procul ab eo loco ubi Iordanis stagnum Genesaræ exit.

V. 24. VIR LUCTABATUR CUM EO. Verbum אבק *abak* non alibi extat in Scriptura nisi hoc loco, & vers. 25. & bis quidem in formula Niphal, quæ significationem passivam solet habere. Quidam hic volunt habere significationem activam, exponuntque, *Colluctatus est*: intorquendo vehementer studuit evertere: sumpta metaphora a vento, qui intorquendo se, aliquem

quem evertit, dispellitque, ad colluctatores, qui similiter student se vi evertere. Unde hic reddunt, *Et colluctabatur vir cum eo*. Alii ab אבק *abak* nomine, id est *pulvere*, deducunt, ut sit idem quod Latinis, in arenam, seu pulverem descendere, quod est luctatorum, qui pulvere ad luctam utebantur. Svetonius in Nerone, cap. LIV. *Ut in publica fame Alexandrina navis nuntiaretur pulverem luctatoribus aulicis advexisse*. Virgilius:

Fulva luctantur arena.

Qui usus pulveris in lucta fuerit, docent artis gymnasticæ explanatores. Vide Plinium Lib. XXXV. cap. XIII. Forsan quod in lucta pulvis spargatur & excitetur pedibus luctantium. Virgilius III. Georgicorum:

Et sparsa ad pugnam proludit arena.

Nonnulli conferunt cum verbis חבק *chabak amplexus est*, & cum אבך *abac*, *implicatus est*: quod luctantes sese *amplectantur*, *& brachiis implicent*. Nec desunt qui exponant, *pulvere in lucta excitato conspergi*. Aliqui futiliter id verbum per *anhelare* reddunt: quod luctantes crebros anhelitus mittere soleant. Ad verbum, *Pulverizatus fuit*, id est colluctatus: nec sine mysterio posita hic coniugatio Niphal passiva, quod qui luctabatur, volebat se vinci a Iacob. USQUE MANE. Hebr. *Usque ad ascendere auroram*. Quidam exponunt: *Donec*, vel *usque dum inciperet apparere aurora*, aut *oriretur aurora*. Alii: *Donec recederet*, *& abiret aurora*. Vide cap. XVII. vers. 22. Sic vers. 26. infra.

V. 25. TETIGIT NERVUM FEMORIS EIUS. כף *caph* proprie *curvitatem*, *curvaturam*, *cavum*, *cavitatem*, *concavitatem*, femoris eius. Quidam vertunt *palam*; alii, *sinum*; nonnulli *pixidem*; aliqui *acetabulum*. Observant, *vertebram & cotylen*, id est ossis concavitatem illam, in quam absconditur, & immittitur summa pars ossis femoris, & in qua vertitur, quam Græci ischion vocant, nempe sinum & concavitatem, seu pixidem coxæ, item significare *os femoris*, sive *caput illud femoris*, id est os illud rotundum, *quod in ischion*, *seu cavitatem illam inseritur*. Aiunt, os illud rotundum suo loco motum & luxatum fuisse; non acetabulum seu pixidem, aut cotylen. Quidam vertunt: *Et tetigit coxendicem femoris eius*; *& luxata est coxendix*. Alii: *Et tetigit volam femoris eius*: quod caro quæ est circum os superioris iuncturæ, eo loco speciem volæ habeat: tendinem quidam appellant, quo caput femoris iungitur acetabulo, & hunc dici a Nostro nervum; atque hunc tetigisse, seu læsisse Angelum luctantem. Seu potius luxavit nervum, quem acetabulum, seu cotyla ossis sacri transmittit in coxam, id est nervum illum qui cotylam cum femore committit, & iungit; ut se exponet vers. 32.

V. 28. NEQUAQUAM, INQUT, IACOB APPELLABITUR NOMEN TUUM; hoc est, non tantum Iacob appellabitur nomen tuum: neque enim primum nomen adimit, sed novum addit, ac binominem facit. Similis eclipsis I. Samuel. VIII. 7. FORTIS FUISTI. שרה *sarah*, duobus tantum locis reperitur in Scriptura, hic, & Osee XII. ubi Noster, *Directus est*. Voluit idem esse cum ישר *iaschar*, *rectum*, *directum esse*. Sed *iaschar* est cum Schin dextero, cum *sarah* in Osee sit sinistrum. Aiunt significare *principem esse*, *obtinere principatum*, *dominium*, *præcipuum esse*, *principaliter*, *superabiliter*, *seu strenue agere*, *superiorem esse*, *superare*. Idem cum שרר *sarar*, & שור *sur*, sinistris. Unde hic vertunt, *Principaliter egisti cum Deo*: alii, *Superabiliter egisti cum Deo*: quidam, *Principatum habuisti*, *obtinuisti cum Deo*, vel *principem egisti cum Deo*: nonnulli, *Princeps fuisti cum Deo*: plerique, *Dominatus es cum Deo*; id est, victoriose egisti, victorem te præstitisti, & eo fuisti superior. Locum nos ita reddemus: *Quia principasti*, *principaliter te habuisti*, *cum Deo*, *& cum hominibus*, *& præpotuisti*, *prævaluisti*. Varie exponunt: Quia strenue egisti cum Deo, etiam hominibus prævalebis; vel quanto magis hominibus prævalebis? ut secundum & sumatur pro *etiam*, vel *quanto magis*; nec futurum convertat in præteritum more linguæ. Alii: Erit nomen tuum Israel, quia heroice te gessisti cum Deo, & cum hominibus, & prævaluisti: iuste hoc nomen feres, quia cum luctam seu pugnam strenue inieris cum Deo & hominibus, utrisque prævaluisti. Atque hoc est genuinum nominis Israel etymon, *Princeps Dei*, *Principaliter agens*, vel *se gerens cum Deo*. Pulchre Oseas locum hunc exposuit cap. XII. 3. *In utero calcaneavit fra-*

fratrem suum, *& in agone suo* שרה *sarah principavit*, *principaliter egit*, id est *victoriose cum Elohim*; *&* ישר *iasar* (hoc est ex שור *Jur*, *principavit ad Angelum*, *& praepotuit*: *flevit*, *& supplicavit pro gratia*. Quidam annotant, pugnam, seu luctam Iacob cum Angelo, laesionem, seu luxationem coxendicis, & claudicationem, eo omnia spectasse, ut eiusmodi luctae praeexercitamento voluerit Deus Iacobum metu liberare ab adventu fratris, & fidem eius de praesidio divino confirmare, dum ei robur subministrat etiam cum Angelo luctanti: ut sciret, se praevaliturum fratri, qui tam strenuus cum Angelo stetisset; atque intelligeret, se non sua, sed caelesti virtute stetisse, ut non succumberet: ob id relictam ei claudicationem.

V. 30. VIDI DEUM FACIE AD FACIEM. Quidam curiosius, *vidi* exponunt pro *pugnavi*, *manum conserui*. Hispanice, *Me affronte cara a cara*. Sic verbum *videndi* sumi notant. II. Regum XIV. 8. & 11. & cap. XXIII. 30. pro *congredi*, & *confligere*: qua etiam ratione Latini *cernere* olim dixere, pro *certare*, *pugnare*. Virgilius XII. AEneidos:

Inter se coiisse viros, & cernere ferro:

Ubi Servius: *Vera & antiqua lectio haec est*; *nam Ennium secutus est, qui ait:*

Olli cernebant magnis de rebus agentes.
Posteritas coepit legere, *& decernere*.

Quo etiam modo, *cernere* pro *dimicare & contendere* usurpasse Pacuvium, Accium, Ennium, docet Nonius cap. IV. § 69. Sed simplicius est ut de visione intelligatur. ET SALVA FACTA EST ANIMA MEA. Bifariam accipiunt. Primo, Et tamen non sum mortuus, quamvis Deum viderim. Ea enim tunc erat opinio, ut qui Deum, vel Angelum vidisset, statim esset moriturus. Secundo, Ereptus sum & liberatus a fatre meo Esau, iram eius evasi, confirmatus divino hoc oraculo. Locum Peniel, vel Phanuel describunt sacri topographi. Brocardus: *Ostenditur autem hodie locus Phanuel ultra Iordanem ad orientalem plagam*. Locus est prope torrentem Iabok, nempe inter Iordanem & Iabok; & interpretatur *Facies Dei*, vel *Locus aspectus Dei fortis*, vel *aspectae & visae faciei Dei fortis*.

V. 32. NERVUM. Hebr. *Nervum* נשה *naschah*. Haec vox *naschah* non alibi occurrit in Scriptura nisi bis in hoc versu: quam varie reddunt. *Nervum oppressionis*, *nervum contractionis*, id est nervum qui se contraxit, & dimovit a loco suo; quasi dicat: Abstinent a tendine illo, seu musculo qui in Iacob contractus, & dimotus fuit a loco suo; nempe, non edunt partem illam coxendicis, seu volam, aut carnem musculosam instar volae, quae est super, vel circa ischion, & cotylen. Alii *nervum extractum*: quidam *nervum mobilem*, id est dissilientem: nonnulli *nervum luxatum*, seu *deficientem*: aliqui *nervum obruitionis*, id est stuporis, qui obstupuerat, & obtorpuerat; sive *nervum obstupefactum*. Nec desunt qui *nervum oblivionis*, seu *obliviosum*, id est nervum luxatum, & torpidum, quasi loci sui, & officii oblitum. Aliqui *nervum mutuatum*, quem acetabulum seu cotyle ossis sacri transmittit in coxam, tamquam si mutuo illi concederet. Aiunt, esse primum e quatuor nervis in femur progredientibus, qui in externam femoris cutem per ramos disseminatus, absumitur in musculis illis qui exterius femoris latus occupant. Quem quia deprehendere difficile est, Iudaei totam illam carnem musculosam non comedunt. נשה *naschah* potest esse nomen substantivum, & adiectivum: *nervum obruitionis*, seu *oppressionis*; & *nervum obrutum*, sive *oppressum*.

MENOCHII.

Vers. 1. ITINERE QUO COEPERAT, a monte Galaad in Chananaeam. ANGELI DEI. Comitatus illum fuerat Angelus custos Mesopotamiae cum suis usque ad confinia; nunc in limite Chananaeae provinciae huius praeses ei obviam procedit cum suis inferiorum Angelorum cohortibus. Apparuit ergo illi utraque turma instar acierum ordinatarum hinc inde auxilio eius parata. Diodorus Tarsensis putat Angelum Chananaeae fuisse S. Michaelem principem populi Israel.

V. 2. CASTRA DEI, caeli legiones ordinatae, quarum summus Imperator Deus Sabaoth, id est exercituum.

V. 3. MISIT AUTEM. Dei providentia factum ut dum Iacob in Mesopotamia moratur, Esau, indignatus parentum voluntatem in Iacob propensiorem, Chananaeam reliquerit, & montana habitationi dele-

delegerit, ut sic Iacobi posteris liberá cederet Chananææ possessio. NUNTIOS ANTE SE, exploraturus quo animo erga se esset Esau. IN TERRAM SEIR. Hoc nomen, & sequens, *Edom*, per prolepsim posita.

V. 4. DOMINO MEO. Non cedit iuri suo primogenituræ, &c. sed utitur blanda compellatione, ut leniat hominis ferociam. FRATER TUUS. Hebr. habetur, *Servus tuus*, ut etiam apud LXX. USQUE IN PRAESENTEM DIEM; quasi dicat: Non est cur discessus meus, vel absentia mea tibi sit suspecta: duram tot annis servitutem servivi quasi exul, & mercenarius: misereri te par est, & fratrem domo non arcere.

V. 5. HABEO BOVES. Non iactat divitias, sed indicat fratri se nec gravem futurum, nec dedecori propter egestatem, nec reditu paternas opes imminuturum.

V. 6. REVERSIQUE, nuntiarunt Esau placatum, & amoris, honorisque causa obviam venire. QUADRINGENTIS VIRIS: vel ad suam ostentandam potentiam, vel ut magis Iacob honoraret, vel ut se securum redderet: nam multos timet is quem multi timent.

V. 7. TIMUIT: quia Esau violentus, & quia sciebat Esau existimare se ab Iacob offensum. DUAS TURMAS: ita ut in singulis pretiosiora quæque ultimo essent loco; ideo secundum turmæ agmen extremum Rachel claudebat, & Ioseph.

V. 8. SALVABITUR, effugio, vel cædis saturitate.

V. 10. MINOR CUNCTIS MISERATIONIBUS: nulla vel minima gratia, vel miseratione tua dignus. VERITATE, fide in promissis. IN BACULO MEO: solus, scipioni, seu pedo innixus. IORDANEM ISTUM: quem ex edito loco a longe conspicio, & te favente cogito transmittere.

V. 11. MATREM CUM FILIIS. Adagialis loquendi formula; id est, nulli parcat.

V. 13. IBI, in Mahanaim.

V. 15. CAMELAS FETAS, quæ recens pepererant, & pullos lactabant.

V. 20. FORSITAN, id est utique: habet enim particula illa vim continuandi, & affirmandi. Ioan. VIII. 19. *Si me sciretis, forsitan & Patrem meum sciretis.*

V. 21. NOCTE ILLA, cuius die præcedente munera miserat, postridie summo mane uxores, liberos, familiam, gregesque traduxit per vadum Iaboc.

V. 22. VADUM IABOC, torrentem, seu fluviolum: fluit duobus fere milliaribus ante Iordanem.

V. 24. VIR LUCTABATUR CUM EO. Hic vir fuit Angelus, ut patet Osee XII. 3. Hoc cap. num. 30. vocatur Deus, quia Deum repræsentabat. Videtur fuisse Angelus custos Iacob, & lucta ad eum finem instituta est ut spem Iacob conciperet se cum Esau prospere acturum, illo placato, & officiis superato: hoc enim est quod ait Angelus num. 28. *Quoniam si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra homines prævalebis?* Videtur autem hæc lucta non imaginaria, sed corporea fuisse, quia Angelus sibi corpus aptaverat.

V. 25. QUI CUM SUPERARE NON POSSET. Deus concursum suum, & vires resistendi subtraxit Angelo, ut a Iacobo teneretur, & vinceretur. TETIGIT, percussit, seu læsit, ut Iacob intelligeret se non suis viribus, sed peculiari Dei auxilio prævaluisse angelicæ creaturæ. NERVUM FEMORIS. Caput illud ossis femoris, quod in cotylen, seu acetabulum inseritur, & cum illa nervo ligatur, percussum est. EMARCUIT, nimia luxatione, & extensione inutilis factus fuit, vel loco motus est.

V. 26. ASCENDIT AURORA. Nolebat Angelus specie humana a quoquam videri, & mox adfuturi erant famuli Iacob. NON DIMITTAM TE. Ita loquitur desiderio benedictionis, quam cum lacrymis petiisse insinuat Oseas XII. 3.

V. 28. ISRAEL dicitur a שרה אל *sara el*, id est *dominatus est Deo*, quod scilicet prævaluisset contra Angelum, qui Deum referebat. CONTRA HOMINES, contra Esau, & ceteros tibi infensos.

Vers. 29. CUR QUAERIS NOMEN MEUM? Noluit Angelus indicare nomen suum, ne posteri Iacob illum adorarent ut Deum: fuerunt enim Iudæi in superstitionem proclives. BENEDIXIT EI. Benedixerat ei facto, cum nomen eius mutavit, nunc etiam verbo benedicit; sed qua formula Scriptura non expressit. Fortasse precatus est illi benedictiones Abrahæ, & semini eius promissas.

V. 30.

V. 30. PHANUEL, id est *facies Dei*. VIDI: non tantum vidi Angelum in facie corporea, sed cum eo etiam manus conserui, & victor evasi. SALVA FACTA EST ANIMA MEA: erat enim vetus persuasio eos qui Angelos vidissent, morituros. Vel sensus est, liberatus sum metu fratris: unde Oseas cap. XII. habet, *Confortatus sum*: certam spem concepi me a fratre non violandum.

V. 31. CLAUDICABAT. Abulensis, & alii passim docent Iacob illico ab Angelo sanatum, antequam ad Esau perveniret.

V. 32. NON COMEDUNT. Iacob, & posteri non abstinuerunt se omni nervo, sed isto tantum. Vatablus per nervum intelligit ipsum musculum qui est propinquus acetabulo, de quo diximus num. 25.

TIRINI.

Vers. 1. FUERUNT EI OBVIAM ANGELI DEI. Quinam isti Angeli? Respondeo: Præsides & custodes Chananææ, duce S. Michaele Archangelo, inquit Diodorus Tarsensis. Sicut enim adversus Laban habuerat Iacob in Mesopotamia comites & tutelares Angelos illius regionis, qui iussu Dei salvum & incolumem iam illum deduxerant ad confinia Chananææ cis amnem, scilicet Euphraten; iam in confinio Chananææ, cum maior exinde metus periculumque immineret ab offenso iratoque fratre suo Esau, occurrit nova Angelorum Chanaanitidis custodia, qua etiam adversus hunc, omnesque alios hostes suos perpetuo defenderetur. Unde Iacob conspectis binis his Angelorum castris, scilicet aliorum redeuntium in Mesopotamiam, & aliorum excipientium sese in Chanaanitide, *appellavit nomen loci illius Mahanaim*, id est *bina castra Dei*. Ita Hebræi, & passim Interpretes.

V. 24. VIR LUCTABATUR, id est Angelus specie & habitu viri; sed qui personam Dei repræsentaret. Patet Oseæ XII. vers. 3. ubi vocatur *Angelus*: & hic vers. 28. ubi *Deus* appellatur. Addit Oseas ibidem, flevisse Iacob cum luctaretur cum Angelo.

Petes: Quis hic Angelus? Origenes, Hieronym. *a* & alii quidam, teste Procopio Gazæo, putarunt fuisse dæmonem. Sed dæmon personam Dei non repræsentat: neque Iacob petiisset a dæmone sibi benedici. Georgius Venetus *b* putat fuisse Angelum custodem Esau, qui Iacobum vi cogere voluerit ad restitutionem primogenitorum olim fratri subtractorum. Sed absit ab Angelo sancto ut repugnet decreto divino, quo cesserant Iacobo primogenita. Dico ergo, fuisse Angelum custodem Iacobi. Ita Patres Græci, & Latini.

Petes secundo: Cur ille luctatur cum cliente suo? Respondeo: Ut hac lucta & victoria spem anxio illi faciat fratrem quoque suum Esau facilius superandi: nam nihil ab homine metuendum ei qui etiam Deum superare posset *c*.

Petes tertio an fuerit corporalis lucta. S. Hieronymus, & Glossa interlinearis dicunt, spiritualem fuisse; S. Thomas & Rupertus, imaginariam: sed reliqui Patres veram & corporalem luctam fuisse affirmant. Et verbum luctandi, & nervus femoris contractus, & stupor tibiæ, & claudicatio Iacobi id prorsus evincunt.

Petes quarto: Cur tetigit, seu tangendo læsit, nervum femoris Iacobi; vel (ut habent Hebræa, Chaldæa, Græca) iuxta curvaturam femoris Iacob? Respondeo: Ut ipsa læsione certus redderetur primo de veritate luctæ & victoriæ: deinde se non suis, sed solius Dei viribus Angelo prævaluisse.

Petes quinto an manserit perpetuo claudus. Respondeo, verosimilius non nisi ad aliquod tempus claudicasse: quia vel sic fiebat abunde satis intentioni & scopo Angeli iam dicto. Ita Hebræi, & Tostatus.

Petes sexto quid sibi vult nomen Israel ab Angelo inditum Iacobo. Respondeo: Idem quod *dominans* seu *prævalens Deo*. Ita enim hic explicat ipsemet Angelus, & S. Hieronymus *d* cum Theodotione, Symmacho & Aquila, & Septuaginta interpretibus. Neque vero patiuntur litteræ Hebrææ, ut idem significet quod *vir videns Deum*, licet Philo, Nazianzenus, Hilarius, Chrysostomus, Eusebius, Augustinus, Prosper & alii quidam sic exposuerint.

Tropologice, S. Thomas, & S. Gregorius *e* hanc luctam dicunt esse orationem, qua videmus Deum quasi *facie ad faciem*, seu vere nobis præsentem, ac vim illi facimus, eidemque prævalemus ac domina-

mur: atque omnibus hostibus superiores reddimur.

Allegorice, claudicavit Iacob, id est posteri Iacob Iudæi post tragicam cum Christo luctam: nam pars una credens & inhærens Christo, sursum ivit; altera incredula & rebellis, deorsum. Ita S. August. *f* Potest & allegorice hæc lucta Iacobi cum Deo, dici figura fuisse Christi, totas sæpe noctes in oratione luctantis cum Deo, maxime vero in horto Gethsemani.

(*a*) Orig. L. III. Periarchon. Hieron. in VI. Ephes.
(*b*) Georgius Ven. Tom. I. sect. III. problem. 234.
(*c*) Hieron. supra.
(*d*) Hieron. in QQ. Heb.
(*e*) Gregor. homil. XIV. in Ezech. & in Psal. VI. poenitent.
(*f*) Aug. serm. XXX. de Tempore.

GORDONI.

Vers. 1. ANGELI. Putatur Angelus Michael (cum suis) custos Chananææ occurrisse Iacobo redeunti in Chananæam, in qua non amplius iam habitabat Esau.

V. 2. CASTRA DEI SUNT. מחנה אלהים *mahane Elohim*. Locus est ultra Iordanem, citra montem Galaad.

V. 3. De Seir vide cap. XXI. & Ezech. cap. XXV. vocatur mons in Idumæa orientali respectu Palæstinæ (putatur patria Iob) trans Iordanem, quam aliqui distinguunt ab altera Idumæa, quæ australis est, & quam post Adrichomium asseruit Torniellus anno mundi 2319.

V. 4. DOMINO MEO. Sic lenit animum fratris, non cedit iure primogenituræ.

V. 10. MINOR SUM, indignus donis tuis. VERITATE, idest promissione. IN BACULO, solus & inops.

V. 15. CAMELOS FETAS. Intellige lactantes, ut satis explicant Septuaginta.

V. 21. IN CASTRIS. In Hebr. *Mechanaim*. Non videtur esse locus aliquis proprius, sed appellativum nomen. Pagninus vertit, *cum turma*, ubi in Hebræo est מחנים *machanaim*, vel מחנה, *machane*.

V. 22. VADUM IACOB. De hoc torrente agit Hieronymus de Locis Hebraicis. Oritur e montibus Galaad, & influit in Iordanem, eo loci ubi Iordanis erumpit e lacu Genezareth.

V. 24. VIR LUCTABATUR: Angelus est: Patres, & August. Lib. XVI. de Civit. cap. XXXIX. auctoritate Deus dicitur. Hieronymus alicubi (sed ex sententia Origenis) ait fuisse dæmonem. Bonus Angelus iste est, & a quo Iacob petit benedictionem. Vult se vinci, ut spem addat Iacobo. Lucta hæc non imaginaria, sed corporea est: quod indicant nervi stupor, & apud Septuaginta, παλαίω. Non superat Angelus, Deo etiam fortassis concursum negante, & ut sic constaret Iacobo se tutum futurum apud Esau.

V. 26. ASCENDIT AURORA. Certe quia non expediebat, ut oriente sole Iacob retardaretur a progressu. Et in hunc etiam finem facit Iacob, ut Angelus illi bene precetur.

V. 28. Non adimitur Iacobo hoc quod habet, & quod retinebit, nomen; sed datur illi nomen dignius, & per excellentiam vocabitur Israel. Ceterum interpretatio huius nominis non est, vir videns Deum, ac si diceres איש ראה אל *is roe el*: forte rectius aliter. Nam Hebr. est ישראל *Israel*, ubi nec est א, nec ש, cum puncto in dextro cornu. Consule porro textum Hebraicum, ubi in nominis interpretatione est denotatum verbum שרה *Sara*, quod est principem esse: & sic habet: *Quia dominans*, seu *princeps fuisti cum Deo*: *chi sarita hhim Elohim*: vel *quia fortis fuisti contra Deum*.

V. 29. CUR QUAERIS NOMEN MEUM? Addunt aliqui codices: *Quod est mirabile*. Sed addi hoc loco non debet: nam non est in codicibus correctioribus: non est in Hebræo, nec in editione Septuaginta correctiore, nec denique in Sixtina Romana & Regia; immo nec in versione Hieronymi correctiore habetur; tamen Iud. XIII. vers. 18. Hæc interrogatio denotat Deum esse ineffabilem nomine quod ipsum comprehensive exprimat.

V. 30. PHANUEL. פניאל, *peniel*: radix פנה, *videre*. Hic ergo *Phanuel*, visio Dei, aut videns Deum. Septuaginta reddunt, εἶδος θεοῦ, *faciem Dei*. Non est clara Dei visio.

V. 32. An fuerit Iacob curatus ab Angelo; aut quando postea, non constat. Nervus in animalibus, quem non comedunt Iudæi, est nervus non quicumque, sed femoris.



CAPUT XXXIII.

Iacob ab Esau occurrente benigne excipitur, ægreque adigit ut munera accipiat, domumque revertatur: & sic Iacob in Salem profectus agri partem emit, fixisque tabernaculis altare erexit.

1 ELevans autem Iacob oculos suos, vidit venientem Esau, &
cum eo quadringentos viros: divisitque filios Liæ & Ra-
chel, ambarumque famularum: 2. & posuit utramque an-
cillam, & liberos earum in principio; Liam vero, & filios
eius, in secundo loco; Rachel autem & Ioseph novissimos.
3. Et ipse progrediens adoravit pronus in terram septies,
donec appropinquaret frater eius. 4. Currens itaque Esau ob-
viam fratri suo, amplexatus est eum: stringensque collum eius, & osculans
flevit. 5. Levatisque oculis, vidit mulieres, & parvulos earum, & ait: Quid
sibi volunt isti? & si ad te pertinent? Respondit: Parvuli sunt, quos dona-
vit mihi Deus servo tuo. 6. Et appropinquantes ancillæ, & filii earum, in-
curvati sunt. 7. Accessit quoque Lia cum pueris suis: & cum similiter ad-
orassent, extremi Ioseph & Rachel adoraverunt. 8. Dixitque Esau: Quænam
sunt istæ turmæ quas obviam habui? Respondit: Ut invenirem gratiam co-
ram domino meo. 9. At ille ait: Habeo plurima, frater mi: sint tua tibi.
10. Dixitque Iacob: Noli ita, obsecro; sed si inveni gratiam in oculis tuis,
accipe munusculum de manibus meis: sic enim vidi faciem tuam quasi vide-
rim vultum Dei: esto mihi propitius, 11. & suscipe benedictionem quam at-
tuli tibi, & quam donavit mihi Deus tribuens omnia. Vix fratre compellen-
te suscipiens, 12. ait: Gradiamur simul, eroque socius itineris tui. 13. Di-
xitque Iacob: Nosti domine mi, quod parvulos habeam teneros, & oves, &
boves fetas, mecum: quas si plus in ambulando fecero laborare, morientur
una die cuncti greges. 14. Præcedat dominus meus ante servum suum; & ego
sequar paulatim vestigia eius, sicut videro parvulos meos posse, donec ve-
niam ad dominum meum in Seir. 15. Respondit Esau: Oro te, ut de po-
pulo qui mecum est, saltem socii remaneant viæ tuæ. Non est, inquit, ne-
cesse: hoc uno tantum indigeo ut inveniam gratiam in conspectu tuo domi-
ne mi. 16. Reversus est itaque illo die Esau itinere quo venerat in Seir.
17. Et Iacob venit in Socoth: ubi ædificata domo, & fixis tentoriis, appel-
lavit nomen loci illius Socoth, id est tabernacula. 18. Transivitque in Sa-
lem urbem Sichimorum, quæ est in terra Chanaan, postquam reversus est de
Mesopotamia Syriæ; & habitavit iuxta oppidum. 19. Emitque partem agri
in qua fixerat tabernacula, a filiis Hemor patris Sichem, centum agnis. 20.
Et erecto ibi altari, invocavit super illud fortissimum Deum Israel.

COMMENTARIA

S A.

Verſ. 4. STRINGENSQUE. Hebr. & Chald. *Ceciditque ſuper*. FLEVIT. Hebr. *fleverunt*.

V. 10. DEI, id eſt Angeli.

V. 11. BENEDICTIONEM, ideſt munus. OMNIA, ſcilicet mihi; quaſi dicat, qui me locupletavit.

V. 14. VESTIGIA EIUS. Hebraice, *Veſtigia familiæ*, ſeu *gregis*.

V. 18. SALEM. Ioan. IV. dicitur Sichar. Hic, ſecundum Hieronymum, tradunt Hebræi ſanatum ſemur Iacob. Dicebatur hæc civitas tempore Hieronymi Neapolis.

V. 19. AGNIS: alii *nummis*, ſeu *denariis*. Vide Ioſ. ult.

E S T I I.

Verſ. 3. ADORAVIT PRONUS IN TERRAM SEPTIES. Non hoc adulationis erat, ſed honoris pro more gentis.

V. 10. SIC VIDI FACIEM TUAM QUASI VULTUM DEI. Non eſt exiſtimandum ſanctum Patriarcham Iacobum præ timore tam ſuiſſe perturbato animo ut in eam adulationem prorumperet qua fratrem ſuum Eſau Dei appellatione honorare vellet; verum ſciendum eſt, recte ac vere tribui hominibus eas proprietates per participationem quæ per excellentiam ſoli Deo competunt, ut bonitatem, clementiam, iuſtitiam, ſapientiam. Quin, & quod in proprietatibus frequentiſſime accidit, id aliquando etiam in ipſo nomine uſuvenit. Ita apud Latinos proverbium eſt, *Homo homini Deus*: quod dicitur propter beneficentiam quam homini exhibet. Ita & ad Moyſem dicit Dominus: *Ego te conſtitui Deum Pharaonis*: quod dictum eſt propter potentiam quam adverſus eum per prodigia exercebat. Ita quoque iudices propter iuſtitiæ adminiſtrationem aliquoties in Scriptura dii vocantur. Ad hunc ergo modum Iacob dicit ſe vidiſſe faciem fratris, quaſi vultum Dei, quia videlicet ab eo tam benigne ac placido vultu ſuſcipiebatur. Poteſt etiam ita verti, *Quaſi viderim vultum Angeli*: nam vox Hebr. *Elohim* interdum pro Angelis ponitur; ut in Pſal. VIII. *Minuiſti eum paulo minus ab Angelis*. Ita ſenſus erit: vultus tuus tam ſerenus, & gratioſus mihi apparuit quam vultus Angeli.

V. 14. DONEC VENIAM AD DOMINUM MEUM IN SEIR. Quæritur quomodo Iacob a mendacio excuſetur, qui fratri promiſerit ad eum venturum in Seir, quo tamen veniſſe non legitur. Reſpondet Aug. in Quæſt. non eſſe mendacium, ſi aliquid promittatur, quod poſtea ob cauſam iuſtam, mutato conſilio, non præſtetur. Dici etiam poteſt nihil obſtare quin etiam forte venerit illuc ad fratrem, licet Scriptura non commemoret.

M A R I A N AE.

Verſ. 1. DIVISITQUE FILIOS LIAE ET RACHEL. Heb. *Super Liam & Rachel*: ſic Hieron. vertit in Tradit. Chald. *Cum Lia, & cum Rachel*. על *hal* enim ſignificat *cum*, uti ſuperiori cap. verſ. 11. *Percutiat matrem cum filiis*. Loco *cum* eſt ea vox polyſema Hebræis.

V. 3. DONEC APPROPINQUARET FRATER EIUS. Hebraice: *Donec appropinquaret ad fratrem ſuum*: ſic Sept. & Chald.

V. 4. ET OSCULANS FLEVIT. Heb. *Et oſculatus eſt eum*. Hebraica vox *oſculatus eſt*, quatuor punctis notata ſuperius eſt. Heb. Schol. iis notis deſignari putat, Eſau id ex animo non feciſſe. Ego potius credo ſignificari, eam vocem redundare, & in aliis codicibus non eſſe, certe in multis.

V. 5. QUID SIBI VOLUNT ISTI? ET SI AD TE PERTINENT? Hebr. *Qui iſti tibi?* ac ſi diceret: Qui iſti, ut ſint tecum? ſic Hebræus; nempe, quorſum hi tecum ſunt? Quocumque modo vertas, ſententia non diſcrepat.

V. 8. QUAENAM SUNT ISTAE TURMAE? Hebraice: *Quæ tibi omnes turmæ?* ſed vox *tibi* in ea lingua ſæpe redundat.

V. 11. SUSCIPE BENEDICTIONEM, munus. DONAVIT MIHI DEUS TRIBUENS

BUENS

BUENS OMNIA, scilicet quæ habeo. Hebraice: *Quia largitus est mihi Deus, & quia sunt mihi omnia*; id est, nihil mihi deest.

V. 14. SEQUAR PAULATIM VESTIGIA EIUS. Cuius? num Esau? Heb. *Sequar vestigia operis* (gregis) *quod ante me est, & vestigia puerorum*. Sed *gregem* Hebraice *opus* vocat, sicut Hispanice *rem familiarem hazienda* vocamus.

V. 18. TRANSIVITQUE IN SALEM URBEM SICHIMORUM. Hebr. *Et venit Iacob Salem urbem Sichem*. In quo Hieronym. in Tradit. se torquet quomodo *Salem* sit *Sichem*, cum constet Ierosolymam potius vocatam *Salem*, & Ioan. IV. *Sichem* urbs vocatur *Sichar*. Sed nimirum vox illa potest esse nomen urbis, quod sequitur nostra Vulgata, sequuntur Sept. aut potest esse nomen adiectivum, significans idem quod *perfectus, sanus, incolumis*. Hoc secutus Chald. dixit, *Et venit sanus*. Sequitur Pagninus cum vertit, *Venit incolumis*. Et Hieronymus in Tradit. affert, Hebræos prædicare, in ea urbe Iacobo femur restitutum, atque ex eo *Sichem* vocatam *Salem*. Hæc urbs tempore Hieronymi vocabatur Neapolis.

V. 19. CENTUM AGNIS. Vox קְשִׂיטָה *kesitah* & *ovem* significat, & *monetam meghæ*, seu *gheræ*, id est oboli pondere. Chald. hoc loco, & Hebræi fere numum putant fuisse. Noster & Sept. *agnos* posuere. Stephanus Actor. VII. vers. 16. emptum agrum ait pretio argenti, non *agnis*. Idem nodus occurrit Iob ult. II. cum refertur singulos amicos post redditam sanitatem dedisse illi ovem unam, ubi vox eadem Hebraice est. Et sane in tanta copia pecoris, & a viris principibus, quale donum esset ovis una? Fuit ergo pecunia, & quidem aurea, & magni ponderis, Ovis dicta, quod ovis forma percussa esset: ut & apud Latinos pecunia dicta est eadem de causa, & quod ea in commerciis uterentur vice pecudum, cum quibus merces alias mutare solebant antea.

MALVENDAE.

Vers. 7. EXTREMI IOSEPH, ET RACHEL. Hebr. *Et postea adductus fuit, accessus fuit*, passive, si ita loqui liceat, *Ioseph, & Rachel*. Est dignum notatu, quod cum verbum נגש *naghasch* vers. 3. de Iacob, vers. 6. de ancillis, & vers. 7. de Leah ponatur in formula Kal, activa, vel neutra; quando vero hic de Ioseph dicitur, ponitur in Niphal formula passiva: forsan quia Ioseph adhuc puerulus ipse per se accedere vel non scivit, vel non potuit; sed admonitus, aut iussus accedere, aut adductus fuerit. Quamvis alii in Niphal neutram significationem id verbum habere velint.

V. 10. NOLI ITA, OBSECRO. Hebr. *Non, obsecro:* ellipsis vocis contrariæ; id est, *ne, quæso, recuses*. Sic infra vers. 15. Proverb. XXVIII. vers. 16. I. Timoth. IV. vers. 3. Sapient. III. vers. 13. ESTO MIHI PROPITIUS. רצה *ratzah* mirabilem significationem habet. Aiunt significare *occurrere animo*; hoc est, favore & benevolentia prosequi, prono & prompto animo esse, accurrere animo & affectu, bonam habere voluntatem erga aliquem, ut suo modo conveniat cum verbo רוץ *rutz*, *currere*. Quando construitur cum accusativo, vel affixis pronominibus, ut hic, tunc licebit vertere, *Acceptare, acceptam habere, approbare, gratum habere, bene velle, amore, benevolentia, & prona voluntate prosequi*. Noster varie solet vertere pro varia verbi constructione, uti suis locis ostendemus. Hic varie reddunt, *Et complacuisti mihi, & bene voluisti me, & acceptasti me, & gratum, acceptum habuisti me, & gratum mihi fecisti, beneplacitum habuisti me, & suscepisti me*.

V. 13. FETAS. עלות *ghaloth* volunt esse participium femineum verbi עול *ghol*, id est *lactantes, nutrientes, educantes*, quibus lac in ubera ascendit, & subinde ad nutricationem accrescit, quo prolem educent, & enutriant. Conferunt cum verbis יעל *iaghal, profuit*, & cum עלה *ghalah*, *ascendit*, nempe animantes, quæ lactando prosunt, & quibus in ubera lac ascendit. Quinquies hæc vox occurrit, & Noster semper *fetas* convertit, nisi I. Samuel. VI. 10. ubi *lactantes* dixit: quam genuinam volunt esse significationem: unde omnes fere hic *lactantes, nutrientes* fetus exponunt. Quod Noster transtulit *fetas*, intelligunt, non gravidas, sed partu iam exoneratas, & lactantes: qua etiam ratione Latini locuti sunt. Servius in illud Virgilii I. AEneidos.

Loca

.... *Loca feta furentibus austris*,
hæc annotat :

Loca feta, *nunc plena* ; *veluti est* , *Feta armis*. *Sciendum est etiam*, *fetam dici & gravidam*, *& partu liberatam*; *ut*

Fecerat, *& viridi fetam Mavortis in antro*.

Enixam eam fuisse , *lac quod pueris præbebat*, *ostendit* . *Item fetam* , *gravidam* ; *ut est*,

Non insueta graves tentabunt pabula fetas.

Ergo quia feta medius sermo est , *bene hoc loco epitheton discrevit*, *dicens* , *Graveis fetas : ut bonum facinus*, *& malum facinus dicimus*; *& bonum venenum*, *& malum venenum*. Eadem & fusius habet Nonius cap. IV. num. 211. Ego existimarem *ghaloth* esse a verbo *ghalah* , *ascendit* ; atque hic cum nonnullis, *ascendentes* verterim, id est gravidas , quod iis uterus ascenderet , & intumesceret : vel quod eas mares ascenderint , ut cap. XXXI. vers. 10. dicuntur hirci ascendentes super pecudes ; quasi dicas, *ascensas*, seu *inscensas* . Aut quod eis ubera ascenderent, id est lacte intumescerent, ad lactandum. Nam quod alii dicunt, dictas hic *ascendentes* , quod revera ascenderint in terram, quæ erat altior, & in ascensu fatigetur grex , aliis locis hæc notatio non conveniet. Quid si hic, *ascendentes super me*, sit, quas ego fero, porto, duco , meæ curæ & deductioni impositæ ? quod videtur imitatus Isaias XL. 11. Ascendentes, *fetas ipse portabit* . Et Christus in Evangelio de ove perdita : *Imponit eam in humeros suos*. QUAS SI PLUS IN AMBULANDO FECERO LABORARE. Heb. *Et impellent*, *pulsabunt eos*, vel *impetum facient in eos*. Verbum דפק *daphak* ter tantum reperitur in Scriptura. Canticor. v. 2. Iudicum XIX. 22. Noster *pulsare* dixit.

V. 14. ET EGO SEQUAR . Verbum אתנהלה *ethnahalah* in Hithpahel reddunt , *Adducam*, *adducere me faciam* , *me adducam*, *me deducam*. Magnam curam deducendi, sustentandi, & fovendi significat , ut si mater manu ducat puerum sustentando eum. Quidam reddunt : *Ego autem præbebo me ducem* . PAULATIM : reddunt, *Sensim*, *leniter*, *pedetentim* , *placide* , *quiete*, *lente*; quasi *abscondite*, *clam*, *tacite*, *absque strepitu* , *& impetu* . In לאטי *leitti* Iod quidam volunt esse paragogicum, nimirum ad indicandum quam placide ac leviter Iacob cuperet deducere greges & puerulos suos; quasi dicat, lenissime, placidissime . Alii volunt esse pronomen primæ personæ : inde hic vertunt : *Et ego deducam me ipsum lenitati meæ*, vel *ad lenitatem meam*, *ad quietem meam*, *ad lentitudinem meam* : lente, pro commoditate mea: Hispanice , *Con mi quietu* : alii, *submisse* , *dimisse* : nonnulli, *ad suave meum* : aliqui, *ad absconditum mei*, id est sine strepitu , qui celeritate actus excitatur. VESTIGIA EIUS. Hebr. *pedi*, vel *pedem operis*. מלאכה *melacah* notant generaliter significare quamlibet rem quæ ad ministerium, & usum hominum cedit, sive sint artes, sive pecora, sive opera alia industria & labore parta, ut sunt opes, substantia , greges . Exponunt *opus*, *opificium*, *industriam* , *artificium*, *ministerium*, *ministeriale*. Hic quidam reddunt, *Ad pedem gregis* : alii, *ad pedem substantiæ*, vel *ad pedem verum istarum*. Sic sumitur hæc vox Exodi XXII. vers. 8. & Exod. XXXVI. vers. 7. ut includat familiam, greges, armenta, & omnia quæ erant ipsi Iaghakobo. Nonnulli, *Iuxta modum ministerialis*, id est pecoris; *Ad pedem*, id est iuxta gressum , ut poterunt ingredi greges, & parvuli; vel iuxta passum, Hispanice, *Al passo*, *de mis reses* , *i de mis ninnos*. Sed melius, *Ad pedem operis*: elegantissimus Hebraismus, & Hispanismus , *al pie de la obra*; id est , operi intentus & assistens, curansque necessaria operi .

V. 17. SOCOTH. S. Hieronymus : *Suchoth est autem usque hodie civitas trans Iordanem hoc vocabulo*, *in parte Scythopoleos*. Sonat *scenas*, *tuguria*, Hispanice *cabannas*. Iter Iacob clare ostendit situm huius urbis. Transvadato amne Iabok, venit Phanuelem, inde in Suchoth, inde transmisso Iordane venit Salem & Sichem.

V. 18. TRANSIVITQUE IN SALEM URBEM SICHIMORUM . Hebræi & Chaldæi interpretes consentiunt, Salem hic non esse nomen proprium urbis , sed appellativum, & ad Iacob referendum ; exponuntque : *Et venit Iacob integer*, *sanus* , *incolumis* , rebus omnibus salvis , & integris, nullum in itinere passus incommodum, *in urbem Sichem* . S. Hieronymus :

Tra-

Tradunt Hebræi, quod claudicantis femur Iacob ibi convaluerit, & sanatum sit: propterea eamdem civitatem curati atque perfecti vocabulum consecutam. Et sane verisimum est, illud tradere plerosque Hebræorum, sed sua fide. Ceterum hanc interpretationem amplexi sunt plerique recentiorum: ex Catholicis Lyranus, Caietanus, Sanctes, Oleastrius, Forerius, Lippomanus, Honcala; ex Protestantibus Leo Iudas, Immanuel Tremellius, & Franciscus Iunius, Mercerus, Drusius, Buxtorfius. At hic Salem nomen proprium urbis esse, ipsam Sichem, alio nomine dictam Salem, vel eius ditionis, Noster, & plurimi alii intellexere. Eusebius, & S. Hieronymus in Locis: *Salem civitas Sicimorum, quæ est Sichem: sed & alia villa ostenditur usque in præsentem diem, iuxta AEliam contra occidentalem plagam hoc nomine. In octavo quoque lapide a Scythopoli in campo vicus Salumias appellatur.* In Salem ditionis Sichem regnasse quondam Melchizedekium, cap. XIV. vers. 18. annotavimus. Hic quoque Salem nomen urbis accepere LXX. Interpretes: quod etiam secuti sunt Forsterus, Montanus, & Schindlerus.

V. 19. AGNIS. קשיטה *kesitah*, Iob XLII. 11. *ovem*, Iosue XXIV. 32. *novellis ovibus*, dixit Noster: nec alibi hæc vox occurrit: *agnum*, sive *agnam*, interpretati quoque sunt LXX. & Chaldæi. Hebræi constanter affirmant esse genus *nummi*, seu *pecuniæ*, aut *monetæ*. Quidam eorum volunt esse idem quod מעה *meghah*, quæ sedecim grana hordei pendit; alii, continere quatuor מעות, *meghoth*, nempe sexaginta quatuor grana hordei; nonnulli pendisse quatuor שעלים *schegkalim*, cum quatuor insuper *meghoth*, id est quatuor ferme argenti uncias, seu octo siclos. Nummum ergo exponunt etiam Reuchlinus, Caietanus, Steuchus, Lippomanus, Honcala, Sanctes, Leo Iudas, Forsterus, Mercerus, Masinus, Avenarius, Marinus, Immanuel Tremellius, Iunius, Schindlerus, Buxtorfius, & ipse etiam Montanus in Ephron. Forsterus & Avenarius, *nummum grossum* esse volunt, a קושת *koscheth*, *firmitate*, & *castitate*, quod esse soleat signum, & firmamentum contractus mutui. Sed *koscheth*, est cum Scin dextro, & *kesitah*, cum Scin sinistro. Reuchlinus, & Steuchus *obolum*, vel *denarium* vertunt: male. Tremellius, & Iunius, Drusius, Schindlerus, & Buxtorfius aiunt esse nummum, vel pecuniam, agni, vel pecudis imagine signatam & percussam: sic apud Athenienses βοῦς nummus bovis imagine cusus: unde proverbium, *Bos in lingua*, de quo vide Erasmum Chiliadis primæ Centuria VII. adagio 18. & Gilbertum cognatum Centuria I. adagio 32. & apud alias gentes, nummi variorum animantium figuris percussi: quod etiam Montanus observavit. Stephanus Actorum VII. 16. *kesitah*, *pretio argenti*, exposuit: quod magis cum nummis, quam cum agnis convenire videtur: & sane haud multum interest inter pecudem & pecuniam, cum pecunia a pecu dicatur. Varro Lib. IV. de Lingua Latina: *Pecunia a pecu: a pastoribus enim horum vocabulorum origo: quod in pecore pecunia tum consistebat pastoribus.* Plinius Lib. XVIII. cap. III. *Pecunia ipsa a pecore appellabatur. Servius rex, ovium, boumque effigie primum æs signavit*: qui locus mire hunc nostrum illustrat. Huc etiam referunt illud Plauti in Truculento:

> *Ego propere minas oves in crumena hac in urbem detuli.*

Servius ad illud Maronis ecloge 1.

> .... *nec cura peculi*,

inquit: *Peculi autem, aut antique dixit, quia omne patrimonium apud antiquos peculium dicebatur, a pecoribus, in quibus eorum constabat universa substantia: unde etiam pecunia dicta est a peculio. Aut certe & hoc ad morsum temporum pertinet: nam modo tantum servi peculium dicimus: ut invidiose patrimonium suum dixerit peculium, ac si servus esset: quia se diu apud Mantuam servisse memoravit.* Festus: *Peculium servorum a pecore dictum est, ut pecunia patrum familias.* Hebræi quidam hic reddunt: *Centum margaritis*, ut *kesitah*, sit *margaritum*, seu *margarita*: ridicule & fanatice. Observant hic, constructionem nominis מאה *meah*, *centum*, quod postposita ei nomina fere semper sint singularia, modo tamen collectivo, nedum in annis (de qua constructione diximus Genes. V. vers. 3.) sed etiam in aliis rebus. Iudicum XVII. 2. *Et centum argentum.* Iudicum XXI. 12. *Quadringentas excussam, virginem.* Genes. XXXII. 7. Genes. XXXI. 1. *Quadringenti vir.* Hic *in centum agno*, vel *grosso*.

V. 20. INVOCAVIT SUPER ILLUD FOR-

FORTISSIMUM DEUM ISRAEL. Heb. *Et vocavit ei El Elohim Israel.* Noster retulit ad Dei invocationem & cultum in illo altari a Iacobo peractum; quod etiam Chaldæi interpretes intellexere: alii ad inscriptionem & titulum altaris commodant; quasi inscripserit altari *potentissimo & fortissimo Israelis*, duobus nominibus Dei, singulari, & eiusdem plurali, utroque unius & eiusdem significationis.

MENOCHII.

Vers. 1. DIVISITQUE. Iacob divino quamvis fretus auxilio, & promissis, alacer fratri occurrit; ita tamen suas uxores, & filios disposuit ut quos maxime diligeret, longius a periculo removeret.

V. 3. IPSE PROGREDIENS, sequens primam, secundam vero turmam præcedens, ut decebat patrem familias pro carissimis pignoribus se primum periculo offerre. ADORAVIT: genu in terram & capite submisso, civilem fratri, ut natu maiori, honorem exhibuit. SEPTIES potest accipi pro *sæpius*, potest etiam accipi definite.

V. 5. QUID SIBI VOLUNT? Quæ causa ut tali ordine me excipiant? Sunt ne tui?

V. 8. QUAENAM SUNT ISTAE TURMAE, primæ gregum dono missorum. Audierat a pastoribus; sed iterum rogat, ut occasionem habeat ex fratris responso non acceptandi munus. UT INVENIREM GRATIAM: observantiæ meæ contestandæ gratia misi munusculum, ut digneris mihi benevolus esse, & præteritorum oblivionem animo admittere.

V. 9. SINT TUA TIBI: nec his egeo, nec opus tibi ad condonationem: nam placatus sum.

V. 10. NOLI ITA, abnuere quæ offero. SI INVENI GRATIAM IN OCULIS TUIS: si bona fide mihi reconciliatus es, & ex animo condonas. MUNUSCULUM. Vox Hebræa מנחה *mincha* significat proprie munus, quod vel Deo vel homini superiori, ad contestandam eorum excellentiam, & offerentis subiectionem offertur. QUASI VIDERIM VULTUM DEI: visus est mihi vultus tuus inclytus, augustus, veneratione dignus, & quædam imago Dei. ESTO MIHI PROPITIUS: censebo te mihi bene velle, & propitium mihi esse, si a me oblata non repudies.

V. 11. BENEDICTIONEM, munus de benedictione, qua Deus mihi benedixit; particulam bonorum, quibus me Dominus cumulavit.

V. 12. GRADIAMUR SIMUL, in terram meam Seir.

V. 13. NOSTI, DOMINE MI, QUOD PARVULOS HABEAM TENEROS, ET OVES, ET BOVES. Causam reddit veram, & idoneam ne simul gradiantur. FETAS, hoc est lactentes. CUNCTI GREGES, multi, plerique: est hyperbole.

V. 14. AD DOMINUM MEUM IN SEIR. Ita nunc proponebat Iacob; sed postea mentem mutavit, Esau veritus ingenium.

V. 15. DE POPULO, de comitibus, aut militibus meis.

V. 17. IN SOCOTH; quæ ita postea dicta est a tentoriis Iacob. AEDIFICATA DOMO, tugurio.

V. 18. SALEM: nomen urbis, quæ etiam Sichem, & Sichar est dicta: Ioan. IV. 5. HABITAVIT IUXTA OPPIDUM: ante Salem tentoria sua defixit, & habitationem castrorum vallo circumdedit.

V. 19. EMITQUE, modum agri non ita magnum, eo quod Sichimitæ non alia lege permittebant eum in suis finibus habitare, nisi quid proprium possideret. FILIIS HEMOR. Hemor fuit princeps Sichimorum, eius subditi hic vocantur filii: quia princeps patriæ pater esse debet. CENTUM AGNIS, vel permutatione centum agnorum, vel pretio agnorum dato, vel centum nummis, quibus agni figura esset impressa: nam Act. VII. 16. dicitur emisse pretio argenti.

V. 20. FORTISSIMUM DEUM ISRAEL. Videtur aliquibus inscriptio aræ addita in hæc verba concepta: *Ara Dei fortis Israel.*

TIRINI.

Vers. 10. VIDI FACIEM TUAM QUASI VIDERIM VULTUM DEI, scilicet speciosissimum, longeque gratissimum: nam quæ excellentissima in unoquoque genere sunt, Hebræi dicunt esse Dei,

verbi

verbi gratia, *Montes Dei*, id est celsissimi, &c. Non ergo adulatio hæc est, sed ut summum hyperbole, qua Iacob significat, conspectum fratris sibi iucundissimum, optatissimumque accidisse. Et vero cum præter omnem expectationem eum benevolo in se animo comperisset, a quo non nisi omnia hostilia metuerat, cum veritate poterat dicere, se vultu conspectuque illius placido & amico non secus recreari quam si Dei ipsius benigno aspectu fruitus fuisset. Ita Tostatus, & alii.

Acta omnia Iacobi & Esau ordine annorum digesta habes in Chronico cap. XVI. posteros vero amborum, cap. XLVI.

GORDONI.

Vers. 3. ADORAVIT PRONUS IN TERRAM. Civilem fratri reverentiam. וישתחו *veiiʃtahu*. Septuaginta habent προσεκύνησεν. שחה, *incurvari*.

V. 10. MUNUSCULUM. In Hebr. מנחה *mincha*: est munus Deo, vel etiam homini oblatum. Addit ad favorem conciliandum, videri vultum veneratione dignum.

V. 11. BENEDICTIONEM, rem Dei benedictione commissam mihi.

V. 14. SEQUAR VESTIGIA EIUS. Heb. *Vestigia operis quod ante me est*, scilicet gregis & puerorum. DONEC VENIAM. Dissensio inter Interpretes est, an sit mentitus hic Iacob, quia non ivit postea ad fratrem in Seir. Verum Scriptura non dicit eum non ivisse; quin etiam probabile est ivisse, quamvis hoc non exprimatur a Mose.

V. 17. SOCHOT. Hebr. סכות *succoth*; Septuag. vertunt σκηνὰς, *tabernacula*, Explicant sic vocem Hebraicam: סוך *soch* est *tabernaculum*, Rad. סכך *saccach*, *tegere*.

V. 18. SALEM. Nunc Salem, nunc Sichem dicta urbs est; immo tandem Sichar, Ioan. IV. vers. 5. Hieronymus etiam de Locis Hebraicis eamdem facit urbem Sichem hanc & Salem; sicut porro ille distinguit Salem hanc Sichimorum, a Salem quæ est iuxta Scythopolim, ubi Ioannes baptizavit, Est Scythopolis iuxta mare Genezareth.

V. 19. Sichimorum princeps est iste Hemor. Non male aliqui hic per patrem, & filios, intelligunt hunc principem, & subditos; ut certe princeps debet esse pater populi. Alii aliter. Per centum agnos, animalia intelligo, non autem nummos: erat enim tunc in usu rerum commutatio: nec est discedendum a proprietate vocis.

V. 20. ET ERECTO ALTARI INVOCAVIT SUPER ILLUD FORTISSIMUM DEUM ISRAEL. Septuaginta θυσιαστήριον. Hebr. מזבח *mizbeach*. En sacrificium. En etiam aut inscriptionem huius altaris, אל אלהי ישראל *el Elohe Iʃrael*, si legas *vocavit*; aut certe *fortissimum Deum Israel* (*vaiikra lo*) *invocavit super illud* (non autem *vocavit illud*) & hanc lectionem posteriorem docent Vulgatus, Septuaginta, & Hieronymus.

CAPUT XXXIV.

Ob Dinæ raptum ac ſtuprum, Sichemitæ prius circumciſi, a Simeone & Levi Dinæ fratribus perimuntur, atque a reliquis Iacob filiis urbs eorum vaſtatur: quapropter Simeon & Levi a patre arguuntur.

1 EGreſſa eſt autem Dina filia Liæ ut videret mulieres regionis
illius. 2. Quam cum vidiſſet Sichem filius Hemor Hevæi,
princeps terræ illius, adamavit eam; & rapuit, & dormivit
cum illa, vi opprimens virginem. 3. Et conglutinata eſt ani-
ma eius cum ea, triſtemque delinivit blanditiis. 4. Et per-
gens ad Hemor patrem ſuum, Accipe, inquit, mihi puellam
hanc coniugem. 5. Quod cum audiſſet Iacob, abſentibus fi-
liis, & in paſtu pecorum occupatis, ſiluit donec redirent. 6. Egreſſo autem
Hemor patre Sichem ut loqueretur ad Iacob, 7. ecce filii eius veniebant de
agro: auditoque quod acciderat, irati ſunt valde, eo quod fœdam rem opera-
tus eſſet in Iſrael, &, violata filia Iacob, rem illicitam perpetraſſet. 8. Lo-
cutus eſt itaque Hemor ad eos: Sichem filii mei adhæſit anima filiæ veſtræ:
date eam illi uxorem: 9. & iungamus viciſſim connubia: filias veſtras tradite
nobis, & filias noſtras accipite. 10. Et habitate nobiſcum: terra in poteſtate
veſtra eſt, exercete, negotiamini, & poſſidete eam. 11. Sed & Sichem ad pa-
trem, & ad fratres eius ait: Inveniam gratiam coram vobis; & quæcumque
ſtatueritis, dabo: 12. augete dotem, & munera poſtulate, & libenter tribuam
quod petieritis: tantum date mihi puellam hanc uxorem. 13. Reſponderunt
filii Iacob Sichem, & patri eius in dolo, ſævientes ob ſtuprum ſororis: 14.
Non poſſumus facere quod petitis, nec dare ſororem noſtram homini incir-
cumciſo: quod illicitum & nefarium eſt apud nos. 15. Sed in hoc valebimus
fœderari, ſi volueritis eſſe ſimiles noſtri, & circumcidatur in vobis * omne
maſculini ſexus: 16. tunc dabimus, & accipiemus mutuo filias veſtras ac no-
ſtras; & habitabimus vobiſcum, erimuſque unus populus: 17. ſi autem cir-
cumcidi nolueritis, tollemus filiam noſtram, & recedemus. 18. Placuit obla-
tio eorum Hemor, & Sichem filio eius: 19. nec diſtulit adoleſcens quin ſta-
tim quod petebatur expleret: amabat enim puellam valde, & ipſe erat incly-
tus in omni domo patris ſui. 20. Ingreſſique portam urbis, locuti ſunt ad
populum: 21. Viri iſti pacifici ſunt, & volunt habitare nobiſcum: negotien-
tur in terra, & exerceant eam, quæ ſpatioſa & lata cultoribus indiget: filias
eorum accipiemus uxores, & noſtras illis dabimus. 22. Unum eſt quod differ-
tur tantum bonum: ſi circumcidamus maſculos noſtros, ritum gentis imitan-
tes. 23. Et ſubſtantia eorum, & pecora, & cuncta quæ poſſident, noſtra
erunt: tantum in hoc acquieſcamus, & habitantes ſimul, * unum efficiemus
populum. 24. Aſſenſique ſunt omnes, circumciſis cunctis maribus. 25. Et ec-
ce die tertio, quando graviſſimus vulnerum dolor eſt, arreptis, duo filii Ia-
cob, Simeon & Levi fratres Dinæ, gladiis, ingreſſi ſunt urbem confidenter:
(a) interfectiſque omnibus maſculis, 26. Hemor, & Sichem pariter necave-
runt,

runt, tollentes Dinam de domo Sichem sororem suam. 27. Quibus egressis, irruerunt super occisos ceteri filii Iacob, & depopulati sunt urbem in ultionem stupri. 28. Oves eorum, & armenta, & asinos, cunctaque vastantes quæ in domibus & in agris erant, 29. parvulos quoque eorum, & uxores duxerunt captivas. 30. Quibus patratis audacter, Iacob dixit ad Simeon & Levi: Turbastis me, & odiosum fecistis me Chananæis, & Pherezæis habitatoribus terræ huius. Nos pauci sumus: illi congregati percutient me, & delebor ego, & domus mea. 31. Responderunt: Numquid ut scorto abuti debuere sorore nostra?

(a) Inf. xlix. 6.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 15. *Omne masculini sexus*. Interpres dedit neutrum *omne*, non masculinum *omnis*.

V. 23. *Unum efficiemus populum*. Futurum indicativi *efficiemus* non est mutandum cum præsenti imperativi *efficiamus*.

COMMENTARIA

S A.

Vers. 1. MULIERES. Hebr. *filias*. *Vers.* 3. CONGLUTINATA; quasi dicat, vehementer amavit. TRISTEMQUE. Hebr. *puellamque*. LXX. *virginemque*.

V. 10. IN POTESTATE VESTRA. Hebr. *coram vobis*. EXERCETE. Hebr. *habitate*.

V. 19. INCLYTUS, id est honoratissimus, seu præcipuus.

V. 21. CULTORIBUS INDIGET. Id non est Hebr.

V. 22. UNUM EST QUO DIFFERTUR, &c. Hebr. *Verum in hoc consentient nobis viri ad habitandum nobiscum*, &c.

V. 25. SIMEON ET LEVI. Hi principes & auctores, sed cum illis alii plurimi: August. in Genes. quæst. CVIII.

V. 28. VASTANTES. Hebr. Chald. & LXX. *accipientes*, seu *rapientes*.

ESTII.

Vers. 1. EGRESSA EST AUTEM DINA, UT VIDERET MULIERES. Dicit Iosephus Lib. I. Antiq. cap. XXVII. fuisse in civitate illa Sichimorum solemnitatem quamdam, ad quam Dina curiositate ducta, accurrebat, ut mulieres eius civitatis videret, quia in diebus solemnibus solent ornatiore cultu procedere. Locus hic moralis est, & aptissimus ad exhortandas virgines, ut non facile prodeant in publicum, & virorum conspectui se obiiciant vagantes, & curiose agentes: quod & Apostolus Paulus damnat in iunioribus viduis I. Tim. V. *Simul autem*, inquit, *& otiosæ discunt circuire domos, non solum otiosæ, sed & verbosæ, & curiosæ, loquentes quæ non oportet*. Et in primis nusquam magis periclitatur pudor virginum quam in encœniis, atque aliis huiusmodi solemnitatibus, & cœtibus.

V. 14. NEC DARE SORAREM NOSTRAM HOMINI INCIRCUMCISO: QUOD ILLICITUM, ET NEFARIUM EST APUD NOS. Quæritur quomodo hoc non sit mendacium, quandoquidem & Iacob ipse accepit filias Laban hominis incircumcisi. Et cui potuissent alioqui dare nuptui Dinam sororem suam, nisi incircumciso? Dici potest, alicui ex filiis Esau. At Abraham ipse si filiam habuisset, cui dedisset nisi incircumciso? Non enim poterat quemquam non generis sui cogere ad circumcisionem: nec ulla Scriptura significat id fuisse necessarium illo tempore. Interim quorumdam opinio est Dinam postea traditam fuisse sancto Iob in matrimonium, addentes quod esset circumcisus, & ex filiis

liis Esau. Vide Pererium, & Caietanum.

V. 25. ARREPTIS .... SIMEON, ET LEVI...GLADIIS. Quæritur an factum horum fratrum commendari debeat, vel certe excusari possit. Quidam enim non excusant tantum, verum & commendant, eo quod Iudith dicat in oratione sua cap. IX. Deum dedisse Simeoni patri suo gladium &c. Respondeo factum illud potius reprehendendum; maxime cum illud reprehendat ipse Iacob Patriarcha, tenuiter quidem hoc capite, gravissime autem in lectulo mortis, quando pro benedictione, duobus his fratribus, propter hoc factum, reliquit maledictionem, Genes. XLIX. 6. Deinde ratio reprehensionis multiplex est. Primo quia fraude & mendacio circumciderunt habitatores Sichem; tum quia sacramento suæ religionis, id est circumcisione, ad hoc abusi sunt ut eos interimerent; quasi si quis baptizare se simulans, inimicum suum submergat; ac tertio, quia defuit legitima auctoritas. Ea enim erat penes Iacob, tam quam principem familiæ, quem constat non consensisse. Denique quia innoxios cum nocentibus peremerunt. Neque enim ullo modo verisimile est totam civitatem in flagitium unius hominis consensisse. Ad illud quod obiectum est contra ex Libro Iudith, cap. IX. respondebitur eo loco, sicut & Genes. XLVIII. ad illud quod ex eo loco obiicitur.

V. 30. ILLI CONGREGATI PERCUTIENT ME. Quæritur quomodo hic metus consistat cum fide promissionum ipsi, & patribus eius factarum. Responderi potest, non esse verba metuentis, nec diffidentis, sed obiurgantis filios suos, ut qui temeritate sua, quantum in ipsis erat, frustrarent divinas promissiones; cum potius debuissent ea facere quæ ad illas implendas tenderent, scientes ea quæ Deus promittit, per ordinaria media (nisi Deus aliter ostendat) esse expectanda: veluti si quis absolutam accepisset a Deo promissionem æternæ salutis, deberet tamen ille voluntate sua nihilominus media necessaria ad salutem suscipere. Potest etiam dici, quod cum metu hoc sui, & familiæ interitus, potuit consistere fiducia veritatis promissionis divinæ: nempe eodem modo sicut Abraham paratus fuit filium unicum, in quo promissiones acceperat, immolare: utpote, ut est Hebr. XI. 19. arbitrans, *quia & a mortuis suscitare potens est Deus*.

MARIANAE.

Vers. 2. VI OPPRIMENS VIRGINEM. Hebr. *Et humiliavit illam*: sic Sept. vel, ut alii, *& afflixit illam*.

V. 3. TRISTEMQUE DELINIVIT BLANDITIIS. Hebr. *Et locutus est ad cor puellæ*, nempe quæ illi placerent: loquendi forma Hebraicæ linguæ frequens.

V. 7. REM ILLICITAM PERPETRASSET. Hebr. *Et sic non fiet*. Sept. οὐχ οὕτως ἔσαι: *non ita erit*. Aut fortassis futurum pro præterito: *Et non ita factum est*: nihil simile nobis accidit.

V. 9. ET IUNGAMUS VICISSIM CONNUBIA. Iungite connubia nobiscum. Sept. ἐπιγαμβρεύσασθε ἡμῖν: *sumite ex nobis generos*; quod vim Hebraicæ vocis exprimit: nam חָתָן *hathan*, *gener* est.

V. 10. TERRA IN POTESTATE VESTRA EST. Hebr. *ad facies vestras*, id est coram vobis, ad nutum vestrum. EXERCETE, habitate.

V. 12. AUGETE DOTEM, ET MUNERA. Sponsi dotem puellis dabant, munera eius cognatis, uti Eliezer fecit cum Rebecca, & cognatis. AUGETE, petite quantum velitis.

V. 13. IN DOLO. Responderunt filii Iacob, nempe communicato inter se consilio: nam Iacob dixit in morte: *In consilium eorum non veniat anima mea*.

V. 14. HOMINI INCIRCUMCISO: QUOD ILLICITUM ET NEFARIUM EST APUD NOS. Hebr. *Homini cui* עָרְלָה *barlah* (id est *præputium*) quia חֶרְפָּה *herpah* (id est *ignominia*) *ipsum nobis*. Ego utraque voce putabam *pudenda* significari: priori, cum præputio, qualia Gentes habebant; & fortassis ab hac voce deducitur Hispanis *burla*, quod Iudæi incircumcisos illuderent: posteriori, eadem præputio sublato; ac si diceret: Vobis est membrum cum præputio, nobis *herpa*, id est sine illo: unde puto Latinis fluxisse *verpam*, & *verpum*, pro circumciso. Nec mirum, honestatis causa pro membro *ignominiam* posuisse: nam & quo loco in Paulo legimus: *Quorum Deus venter est*, *& gloria in confusio-*

fusione ipsorum: ad Philip. III. vers. 19. Græce est, atque ita August. legit sermone XV. de Verbis Apostoli: *Gloria in pudendis eorum*; nempe, quod circumcisi essent, & non ex Gentibus, in eo tantum gloriabantur.

V. 21. QUAE SPATIOSA ET LATA CULTORIBUS INDIGET. Hebr. *Et terra ecce lata manibus coram eis*. *Manibus*, id est spatiis: sic in Psalm. *Hoc mare magnum, & spatiosum manibus*. Ducitur autem metaphora ex eo, ut Hebræus ait, quod sicut manus præbet homini omnia necessaria, sic terra, præsertim lata, sic mare. Vel sicut nos maris partes *sinus* vocamus, sic partes maris, & terræ Hebraica lingua vocat *manus*.

V. 22. UNUM EST QUO DIFFERTUR. Hebr. *Verumtamen in hoc consentiunt nobis viri ad habitandum nobiscum*.

V. 23. ET SUBSTANTIA EORUM. Hebr. *Greges eorum, & substantia, & omnia iumenta eorum, nostra erunt*.

V. 25. SIMEON, ET LEVI. Hi principes consilii occidendi Sichimitas, sed alii cum illis plurimi: Augustinus in Genes. quæst. CVIII.

V. 27. DEPOPULATI SUNT URBEM. Hebraice, *diripuerunt*.

V. 28. VASTANTES QUAE IN DOMIBUS. Hebr. *Diripuerunt, acceperunt quæ in urbe, quæ in agro*.

V. 30. NOS PAUCI SUMUS. Hebr. *Et ego homines numeri*; nempe, mecum pauci sunt. Notanda autem vox מְתֵי *Methei*, quæ a motiendo deducta, proprie *mortales* significat, quod Latine etiam dicitur. Quæ vox mortuos etiam significat, solis punctis discrepans: nam cum scribitur מְתִים *mortales homines*, quando מֵתִים *mortuos* significat. Parum nos a mortuis discrepare ea vocum similitudo indicat, vel mortuos potius esse propter peccatum.

MALVENDAE.

Vers. 3. TRISTEMQUE DELINIVIT BLANDITIIS. Optime Hebraismum exposuit: *Et locutus fuit super cor puellæ*. Notant, quod ubique in Scriptura hæc phrasis, *Loqui super cor alterius*, idem valet quod Latinis blanda, suavia, & iucunda loqui, quæ cor libenter audit: item, placare, mulcere, delinire, persuadere, reconciliare, pacatum & tranquillum reddere alterius animum. Quidam hic reddunt: *Et locutus fuit quæ erant puellæ cordi*; id est, accommodavit sermonem suum ad animum puellæ, & ad gratiam eius dixit, fecitque omnia, ut eam consolaretur, & in amorem sui pelliceret. Eamdem phrasim reperies Genes. L. 21. Iudicum XIII. 3. Ruth II. vers. 13. II. Samuel. XIX. vers. 7. Isaiæ XL. 2. Oseæ II. vers. 14.

V. 5. QUOD CUM AUDISSET IACOB. Hebræa addunt: *Et Iacob audivit, quia taminavit Dinam filiam suam*. Verbum טמא *tame*, idem omnino voce & significatione cum Latino *tamino*; atqui Latinum ex Hebræo traxisse originem nullum esse dubium, plerique existimant; quamvis simplex *tamino* non sit in usu, sed eius composita, *contamino, attamino, intamino*; sed istud *intamino* in contraria significatione. Ergo hic exponunt: *Quod contaminasset, polluisset, inquinasset, violasset, vitiasset, construpasset Dinam filiam suam*. Quidam: *Quod temerasset Dinam filiam suam*: quo verbo usus est Tacitus Annal. I. *Eamdem Iuliam in matrimonio Agrippæ temeraverat*. Festus: *Temerare, violare sacra, & contaminare: dictum videlicet a temeritate*. SILUIT. Verbum החריש *becherisch* in Hiphil ista omnia complectitur: *cessavit, siluit, subticuit, cogitavit, aravit mente, fabricatus est*: & formula Hiphil significatum intendit; quasi dicat: Animo secum multa versabat, tacitum volvens sub pectore vulnus. Aliqui exponunt, *Dolorem continuit*, neque respondit, donec cum filiis revertentibus consilia communicasset.

V. 7. IRATI SUNT VALDE. Omisit clausulam huic proxime antecedentem: nam Hebraice additur: *Et dolore affecti sunt homines*. Verbum עצב *ghatzab* positum hic in Hithpahel, vivum & acerrimum dolorem notat. Ex verbo: *Et dolore sauciaverunt, discruciaverunt se ipsos homines*. Vide Genes. VI. vers. 6. Quod ait, *Irati sunt valde*, quidam reddunt: *Accensa fuit ira ipsorum valde*: alii, *Et commovit eos vehementer*. FOEDAM REM. נבלה *nebalah, defluentiam, marciditatem, languiditatem, flacciditatem, insulsitiem, fatuitatem, stultitiam, insipientiam*. Aiunt hoc nomine vocare Scripturam factum contra publi-

blicam honestatem, vel contra mandatum Dei, vel contra naturam, & simul illud factum turpitudo, vituperium, & ignominia comitatur: est *flagitium, facinus malum, fatuitas cum scelere coniuncta, nequitia, contumelia, nefarium factum, turpe, indecorum, nefas, res fœda, & abominanda, labes*, Hispanice *mengua*, ut stuprum, sacrilegium, &c. Quidam reddunt, *Abiectionem fecit*.

V. 8. SICHEM FILII MEI ADHAESIT ANIMA FILIAE VESTRAE. Verbum חשק *chaschak* fere semper cum Beth nota ablativi; nisi semel Isaiæ XXXVIII. ubi cum accusativo construitur: notantque significare *esse animo facili ac propenso in aliquem; voluptatem & delectationem habere in aliquo; circumplecti, implicari, circumcingi vehementi amore, desiderio erga aliquem; flagrantissime concupiscere*. Hic reddunt: *Sichem filii mei voluptatem habuit anima eius in filia vestra*: alii, *Sichem filius meus propensa est anima eius in filiam vestram*: quidam, *Sichem filius meus amore propendet animus eius erga filiam vestram*: nonnulli, *Sichem filius meus complacet sibi anima eius in filia vestra*: aliqui, *Sichem filii mei anima eius deperit filiam vestram*; vel *filius meus ex animo diligit filiam vestram*; id est, tenetur maximo desiderio filiæ vestræ. Id verbum in Kal octies legitur in Scriptura, & Noster semper diversimode convertit. Deuter. X. 15. *conglutinari*, Deuter. VII. 7. *iungi*, Deuter. XXI. 11. *adamare*, I. Regum IX. 19. *placere*, II. Paralip. VIII. 6. *velle*, Psal. XC. 14. *sperare*, Isaiæ XXXVIII. 17. *eruere*, hic *adhærere*. Et quidem omnes aliæ significationes, huic loco recte conveniunt, ut, *Sichem filii mei conglutinata est, iuncta est anima eius in filia vestra*; vel *Sichem filii mei placet sibi anima eius in filia vestra*; vel *vult, adamat, sperat anima eius in filia vestra*: nec illud erit alienum, *Sichem filii mei eruta est anima eius in filia vestra*: Hispanice, *Vuestra hiia le a arrancado, robado el alma*. Sic sæpe queruntur amatores sibi eripi animam.

V. 9. ET IUNGAMUS VICISSIM CONNUBIA. Verbum חתן *chatan* proprie est *affinitatem contrahere per mutuas desponsationes, & connubia*: atque hic locus geminam verbi significationem exprimit, cum declarat quid sit affinitatem contrahere, nempe dando suas, & recipiendo vicissim aliorum in connubium. Et positum in Hithpahel, magnam & arctissimam affinitatem denotat.

V. 10. NEGOTIAMINI. סחר *sachar* proprie est *circumire, circumgyrare, circulare, lustrare, perlustrare, circumlustrare, circumperagrare locum, aut regionem*: & quia merces de loco in locum circumquaque circumferuntur a negotiatoribus & mercatoribus, ideo hoc verbum Hebræis idem significat quod Latinis *negotiari, mercari, nundinari*, id est circumire negotiandi causa, circumferre merces, aut fora circumire, nundinas frequentare. Nec aliene hic exposuerim, *Et negotiamini eam*, id est pasturis, & culturis exercete. Sic Noster vertit verbum *sachar* infra vers. 21. Alias Iacob & filii parum mercaturis intendebant. *Negotiari terram* est non sinere eam otiari: unde *negotium* Latinis dictum, inquit Festus, *Quod non sit otium*. Vide vers. 21. ET POSSIDETE EAM. Hebr. *Et apprehendimini in ea*; id est, detinete vos in ea, figite radices, ne facile discedatis.

V. 12. AUGETE DOTEM. מוהר *mohar* proprie *festinantia, accelerantia*: inde notant significare *dotem*, quod festinanter, & celeriter & promittatur desponsatis, & detur nuptis; aut quod homines festinare faciat ad nuptias: nam ea magis moventur quam forma. PUELLAM HANC. Notabis toto hoc capite vocari Dinam נער *naghara, excussam*: & recte sane, quia ei iam ereptus & excussus pudor, ac virginitas: & fortasse deficit ultimum He in nomine, ad denotandam imminutam eis integritatem.

V. 19. AMABAT ENIM PUELLAM VALDE. Verbum חפץ *chaphetz* quando construitur cum Beth, ut hic, volunt reddendum per, *beneplacitum habere, sibi complacere, voluptatem, oblectationem capere in aliquo*: & in eadem constructione idem fere esse cum verbo רצה *ratzab*, de quo diximus cap. XXXIII. vers. 10. Græci utrumque reddiderunt verbo εὐδοκεῖν, *bonam voluntatem habere, beneplacere, complacere*. Nec dubium quin Pater æternus alterutro usus sit in ea constructione Matthæi III. 17. cap. XII. 18. & cap. XVII. 5. *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*: unde hic vertunt: *Quia complacuerat, beneplacitum habebat in filia Iacob*: alii, *Quia amabat, deperibat filiam Iacob*. IN-

C I Y-

CLYTUS. נכבר nichbad, *gravis*, *honoratus*, *gloriosus*, *splendidus*, *excellens*, *præstans*, *inclytus*, *nobilis*, *clarus*. Putant hanc vocem abstracte redditam a Petro Epist. II. cap. II. vers. 10. *Doxas*, *glorias*, *dignitates non horrent*, *non verentur conviciis incessere*: abstractum pro concreto; id est, viros gloria, & maiestate præditos, nempe magistratus, qui gloria & maiestate pollent, vocanturque dii, & qui eos violaverit, crimine læsæ maiestatis accersitur. Sichem supremum a patre magistratum in urbe obtinebat: ut apud nos regis primogenitus, quem principem vocamus, dicitur gubernator generalis.

V. 20. INGRESSIQUE PORTAM URBIS. Exponunt: Quo solebant cives convenire, & ibi publica negotia transigere, ut nunc in curiis. Vide supra cap. XXIII. vers. 10.

V. 21. QUAE SPATIOSA ET LATA. Hebr. *Lata manuum*. Quidam exponunt: *Latam manibus*, hoc est finibus, locis, recessibus, vallibus. Sic Psalm. CIII. 25. *Mare magnum*, *& spatiosum manibus*, hoc est finibus: sic brachia maris appellamus. Subtilius alii annotant, quando יד iad, *manus* cum voce רחב rachab, *latum* construitur, tunc figurate capi pro terminis, seu limitibus. Hebræi enim manum vocant tantum spatii seu loci quantum alicuius potestati subiectum est, & quousque potestas aut ditio ipsius extenditur. Solebant enim in limitibus collocare manum, quæ disiungebat ditiones, ac demonstrabat quousque potestas, seu regio, aut ditio alicuius protendebatur. Unde hic intelligunt: *Terram latam manibus*, id est spatiis, limitibus, terminis, ditionibus. Sic Isaiæ XXII. 18. quidam exponunt: *Ecce ampla spatiis est*; id est, nobis est spatiosior quam ut eam possimus colere soli.

V. 25. DIE TERTIO, qui vulneratis, ex sententia medicorum, est criticus. CONFIDENTER. Alii, *secure*: amphilogon: nam & cives secure agebant, nihil hostile a familia Iaghakobi metuentes, & filii Iaghakobi secure ingressi sunt, nihil sibi a graviter decumbentibus metuentes. Illud prius nonnulli Chaldæum secuti magis probant.

V. 30. NOS PAUCI SUMUS. Hebr. *Et ego mortales numeri*. Notant quidam ut rem non indignam scitu, Hebræis eisdem litteris, & pari forma dici מתים *metim* cum Tseri, *mortuos*, & מתים *methim* cum Sceva, *homines*, *viros*, *vivos*, quasi dicas *mortales*. Et ut Latini a conditione sua homines vocant mortales, ita etiam Hebræi vocant eos similiter *methim* cum Sceva; quasi mysterio indicetur vivos a mortuis punctulo uno tantum distingui: tam prope mortem sumus. Nisi quod Hebræi, quantum ex sacris litteris deprehenditur, paulo arctius hoc vocabulo utantur, pro viris, seu hominibus, seu mortalibus eiusdem familiæ, tribus, sortis, societatis, vel civitatis, aut reipublicæ. Observant insuper, quod quando hoc nomen pluralis numeri *methim* absolute ponitur, tum pusillum, & imbecillum numerum denotare, ut Isaiæ XLI. vers. 14. similiter cum construitur cum nomine מספר *mispbar*, *numerus*; ut *mortales numeri*, ut hic; vel cum adverbio מעט *megbat*, *parum*, *mortales paucitatis*, vel *parum*: tum etiam significare parvam manum, exiguum, infirmum, & pusillum cœtum, qui collatione alterius rei, vel partis valde est paucus, pusillus, infirmus, invalidus, imbecillis; immo veluti mortuus, aut morti destinatus, & veluti oves ad mactationem. Cum vero utrumque & *mispbar*, & *megbat* simul cum *methim* coniungitur, ut I. Paralipomen. XVI. vers. 19. tum maiorem diminutionem significare; quasi diceret, non solum paucos, sed paucissimos numero. Sed hic, *Et ego mortales*, vel *viri*, *numeri*, vel *paucus numero*. Aliqui subaudiunt *mibi*: *Et ego*, *homines numeri mibi*; id est, cum sint mihi pauci homines. Sumus pauci mortales, infirmi, imbecilles, invalidi, & quasi morti iam destinati inter barbaros istos, qui plures, & fortiores nobis sunt. Ego non dubito istud quoque מתים *methim* cum Sceva esse a מות *muth*, *mori*, quamvis alii reclament. Volunt comprehendere utrumque sexum, & viros, & mulieres. Phrasim istam, *Viri*, seu *mortales numeri*, id est pauci, qui facile præ paucitate numerari possunt, reperies etiam Deuteron. IV. 27. XXXIII. 6. I. Paralipom. XVI. 19. & Psal. CIV. vers. 12. Sic *anni numeri* Iob XVI. vers. 22. & *reliquiæ numeri* Isaiæ XXI. vers. 17.

V. 31. UT SCORTO. זונה *Zonah*, *meretrix*, *scortum*: scribitur cum Zain magno: & hæc secunda littera magna, quæ po-

ponitur in Bibliis Hebraicis. Ego mysterium & rationem non eruo. Fortasse ad indicandum rarum & tragicum hunc Dinæ & Sichem casum. Vide cap. xxx. vers. 42. Hanc Dinam volunt Chaldæi interpretes, postea nupsisse Iob. Fides penes ipsos isto.

MENOCHII.

Vers. 1. DINA, filia Iacob ex Lia, tum annorum forte quindecim. UT VIDERET MULIERES. Heb. *filias*, puta virgines æquales suas. REGIONIS. Tunc festum fuisse ait Iosephus, ad quod convenerant.

V. 2. FILIUS EMOR HEVAEI, de stirpe Hevæi, filii Chanaam, nepotis Cham: Genes. x. 17. PRINCEPS TERRAE, filius principis terræ.

V. 3. CONGLUTINATA EST ANIMA EIUS: impotenter eam amavit. DELINIVIT BLANDITIIS. Hebraice, *Locutus est ad cor puellæ*. Loqui ad cor, est verba grata, & consolatoria dicere.

V. 5. QUOD CUM AUDISSET, a comitibus Dinæ, qui effugerant. SILUIT, dissimulavit quod corrigere non poterat, Deo totum permittente.

V. 6. EMOR PATRE SICHEM. Indulget filio, qui debebat corripere. LOQUERETUR AD IACOB, de futuris nuptiis.

V. 7. IN ISRAEL, contra Israel patrem Dinæ.

V. 8. ADHAESIT ANIMA: deperit filiam vestram.

V. 10. TERRA IN POTESTATE VESTRA EST: habitate eam, & colite arbitratu vestro.

V. 11. INVENIAM GRATIAM CORAM VOBIS: annuite precibus meis. QUAECUMQUE STATUERITIS, DABO, in compensationem iniuriæ, & donationem propter nuptias.

V. 12. AUGETE DOTEM: uxorem de more comparabo; sed vos quod vultis pretium statuite. MUNERA POSTULATE, etiam amplissima vobis dari, ut mos sponsæ fratribus dare.

V. 13. IN DOLO, fraudulenter: non enim sic illos intendebant ad Dei cultum allicere, sed vulneris dolore ægros opprimere. Iacob doli fuit ignarus.

V. 14. NON POSSUMUS. Iacob filiis permisit ut responderent quod ipsis videretur: illi capita contulerunt, & dolum meditati, crudelitati pietatem prætexunt.

V. 15. IN HOC VALEBIMUS FOEDERARI: ita demum licebit mutuis iungi connubiis. SIMILES NOSTRI, ritum eumdem circumcisionis usurpantes.

V. 17. TOLLEMUS: discedentes dehonestatam adducemus, vos Deo puniendos relinquentes.

V. 18. HEMOR, ET SICHEM: Hemor, qui spe lucri movebatur, & volebat filio complacere; Sichem, cui præ amore nihil difficile.

V. 19. INCLYTUS, totius familiæ honoratissimus.

V. 20. PORTAM, ubi prætorium erat; & iudicia, concionesque fiebant, & forum vænalitium.

V. 21. PACIFICI SUNT, &c. Triplex ad persuadendum ratio adhibetur. I. necessitas communis terræ colendæ, & inhabitandæ. II. voluptas coniugiorum, ductis mulieribus ex Mesopotamia, quæ Chananæis pulchriores. III. lucrum, quia participes futuri opum Iacob.

V. 23. NOSTRA ERUNT, non proprietate, sed commercio, & communicatione civili.

V. 25. QUANDO GRAVISSIMUS VULNERUM DOLOR: quod verum esse confirmat Hippocrates Libro de Fracturis. Vide Valesium sacræ philosophiæ cap. XII. DUO FILII, non sine suorum comitatu. Tunc Simeon viginti unius, Levi viginti annorum erat. CONFIDENTER, ut in oppressos dolore, & nihil tale suspicantes. INTERFECTIS OMNIBUS MASCULIS. Multiplex in hoc facinore peccatum. Mendacium; perfidia; erga parentem inobedientia, quem ista non probaturum satis intelligebant; iniustitia belli, cum penes illos summa potestas non esset, sed penes parentem Israel; sacrilegium, quod circumcisionis sacra cæremonia ad iniustam cædem abusi; crudelitas, quod ultra modum sævierint; temeritas, quod Iacob, & totam illam familiam in magnum discrimen adduxerint, irritatis Chananæorum populis. Quod si in Libro Iudith cap. IX. vers. 2. laudari videtur hoc factum, iustitia tantum Dei laudatur, qua Sichimitarum impuritas, & violentia vindicata est, Deusque dicitur gladium Simeoni dedisse,

ad

ad eum modum quo datus est postea Chananæis, & Assyriis, ut divinæ iustitiæ administri essent ad punienda peccata, sceleris ipsi interim non immunes.

V. 26. TOLLENTES DINAM DE DOMO SICHEM, ubi a die stupri mansit.

V. 27. DEPOPULATI, diripuerunt quæ placebant, cetera vero perdiderunt.

V. 29. PARVULOS QUOQUE EORUM, ET UXORES DUXERUNT CAPTIVAS. Cum cædes, & deprædatio fuerint iniustæ, credendus Iacob, ubi rescivit, & potuit, captivos omnes liberos dimisisse, & quæ supererant bona restituisse.

V. 30. TURBASTIS, metu, & angore. ODIOSUM FECISTIS. Hebr. *Me fœtere fecistis*. CHANANAEIS, ET PHEREZAEIS, qui sunt Hevæis vicini.

V. 31. NUMQUID UT SCORTO ABUTI DEBUERE SORORE NOSTRA? Iratorum frivola excusatio.

TIRINI.

Vers. 25. DUO FILII IACOB, SIMEON, ET LEVI, tamquam principes, & auctores crudelis, & nefandi consilii, manu famulorum stipati patrarunt hanc cædem. Ubi nota multiplex istorum peccatum. Primum imprudentiæ & temeritatis, cum adolescentes vix annorum viginti, inscio & invito patre, rem tam arduam, tam periculosam in medio vicinorum hostium aggressi sunt. Secundum iniustitiæ, & usurpationis iuris alieni, cum privata auctoritate, nullo iusto titulo, bellum moverunt, principe familiæ suæ nec probante, nec consulto, penes quem tamen unum illud ius erat. Tertium perfidiæ, & proditionis, cum ulciscuntur iniuriam iam a se condonaram, & iusta satisfactione abolitam, mutuoque fœdere, quin & connubio extersam. Quartum sacrilegii, cum ad dolos & fraudes suas, & iniustam cædem abutuntur circumcisione, re apud ipsos sacratissima. Quintum crudelitatis & tyrannidis, cum graviter læsos & afflictos, idque ex suggestione sua, & in gratiam sui, iamque quasi moribundos, hostiliter invaserunt & iugularunt. Sextum oppressionis innocentum: neque enim solum raptorem, eiusque familiam, sed & omnes urbis masculos, etiam innoxios, & omnium inscios, iugularunt, pueros, & feminas captivas abduxerunt, agros, & domos spoliarunt, greges prædati sunt, mœnia suffoderunt. Unde & gravissime eos reprehendit Iacob, & moriturus etiam maledixit, Genes. XLIX. vers. 5.

Dices. Iudith IX. vers. 2. dicitur *Deus dedisse Simeoni gladium, in* ultionem horum Sichimitarum, *& uxores horum, ac filias dedisse servis suis in prædam, qui zelaverunt zelum Dei*. Respondeo: Non aliter fecit hæc Deus quam sicut Nabuchodonosori præcepit expugnare Tyrum, & aliis tyrannis dat vires, animos, opes, & arma ad puniendum rebelles; ut scilicet vindicta iusta sumatur, quam illi promeriti fuerant. Cumque huic voluntati Dei pareant tyranni, subinde etiam præmiis afficiuntur a Deo, licet alioquin & ipsi tyranni, & actus tyrannici, quibus in hoc exequendo utuntur, extreme displiceant Deo. Sic enim & in præsenti factum. Volebat Deus ulcisci probrosum raptum & stuprum Dinæ vix quindecim annorum puellulæ *a*: usus ad id est zelo Simeonis, & Levi, qui totis animis eo ferebantur; & in hoc serviebant nutui, & intentioni Dei, quod zelo pudicitiæ ultionem ex raptore eiusque complicibus sumptum ibant, & ex hoc capite digni erant laude ac præmio; sed quatenus zelus hic imprudens, ac perfidus fuit, & limites excessit modestiæ, ac iustitiæ, eatenus non servierunt nutui, & voluntati Dei; sed gravissime peccarunt, & puniri meruerunt, ac puniti sunt. Simili modo obstetrices AEgyptiæ, quæ mendacio suo tutatæ sunt vitam infantium Hebræorum, *b* benedictæ fuerunt a Deo, non propter mendacium, sed propter pium affectum, & beneficium Hebræis impensum. Nam potest in uno eodemque opere aliquid esse boni, quod præmiet Deus; & aliquid mali quod oderit, & puniat.

(*a*) Chronic. cap. XVI.
(*b*) Exod. cap. I. vers. 20.

GORDONI.

Vers. I. ERant fere ætate æquales Dina, & Ioseph. Nata Dina est ante reditum Iacob e Mesopotamia circa annum 2235. Iob vero floruit in Idumæa anno 2444. Figmentum itaque est quod

ait Rupertus ex Philone, Dinam postea uxorem Iob datam. 200. annorum & amplius est intervallum. Hæc a Sichem oppressa est fere anno decimo post reditum patris e Mesopotamia, annum agens fere decimum sextum. Hæc acta apud Sichimos. Anno vero insequente, aut circiter, cum pater habitaret in Hebron, ad convallem Mambre, venditur Ioseph, ex cap. XXXVII. vers. 14.

V. 2. EMOR HEVAEI, ex progenie Hevæi filii Chanaan nepotis Cham. Gen. x. 17.

V. 12. Quicquid sit hoc nostro, & sub Romanis sæculo, de iure dotium, de quo nihil hic attinget dicere, hærere oportet in verbis Scripturæ, asserentis Sichimos obtulisse tum dotem (forte ob illatam iniuriam) tum munera alia.

V. 14. Inire coniugia cum incircumcisis fuit a tempore Abrahami, apud eius posteros probrosum, & ex traditione illicitum. Tempore vero Mosis cœpit, ex Lib. Deut. cap. VII. esse in præcepto ne hoc fieret. Vide Esther cap. [illegible] & Exod. XXXIV.

V. 15. IN HOC VALEBIMUS: ita licebit inire coniugium.

V. 20. PORTAM, ubi tribunal, & ubi iudicia exercebantur.

V. 23. NOSTRA ERUNT, civili communicatione, non proprietate: partem efficient Reipublicæ.

V. 25. GRAVISSIMUS VULNERUM DOLOR. Negat Calvinus die tertio dolorem esse gravissimum. Sed non advertit, verba hæc esse Mosis, non Simeonis, Audax per inscitiam corruptela est. Ratio doloris est, quia secundo die ad locum vulneris fluit tantum pituita; tertio vero bilis acris & urens; quarto die effluens sanguis inflat, & febrim excitat. Dubium hic non est quin peccaverint filii Iacob in modo. Vide Iudith IX. 13. Sichem antiqua sedes Abraham, & Iacob, & postea metropolis Samariæ, sita in monte Ephran. Simeon, & Levi non fuerunt hi soli, sed principes in hac cæde.

V. 27. Certum est filios Iacob varie, & graviter hic deliquisse, in dolo, in rupto fœdere, occisione innocentium, & direptione bonorum: quod si factum hoc videatur laudatum Iudith IX. vers. 2. est hoc ex alio capite. Video hic solicitos esse aliquos ut ostendant quomodo possit idem actus vituperari, & laudari, esse bonus, & malus. De hac re ex professo dixi Lib. I. Operis Theologici. Et difficultas est de actu interno, unde puto resultare formalem bonitatem. Et mihi quidem probabilius est, cum similia exempla proponuntur, intervenire plures actus internos, & eorum unum posse esse bonum, alterum simpliciter malum. Bonus erat zelus iustitiæ in filiis Iacob, & quem exercere poterant moderate, cum non haberent alium iudicem; sed vitiosus erat actus voluntatis de dolo, de violata fide, de excessu in vindicta, Restat tantum denominatio actus externi.

V. 28. OVES EORUM. Putatur Iacob in digressu dimisisse captivos, & ablata bona restituisse quoad potuit.

V. 30. ODIOSUM CHANANAEIS, & his qui vicini sunt Hevæis. NOS PAUCI. Ita Noster expressit quod est in Heb. מתי *methi*, *mortalis*. Extenuat potentiam resistendi, & numerum; quasi diceret, vicinos morti, a voce מות, mortuus est, hinc מתים, mortales, & מתים mortui: illud per: hoc per ··

CA-

CAPUT XXXV.

Ubi Iacob idola suorum iuxta Sichem defodisset, iubente Domino ascendit in Bethel, ubi Debora moritur: nascitur Beniamin cum morte matris Rachel: Ruben cum Bala dormit: numerantur filii Iacob, cuius pater Isaac moritur.

1 INterea locutus est Deus ad Iacob: Surge, & ascende Bethel, &
habita ibi, facque altare Deo qui (*a*) apparuit tibi quando fu-
giebas Esau fratrem tuum. 2. Iacob vero convocata omni do-
mo sua, ait: Abiicite deos alienos qui in medio vestri sunt,
& mundamini, ac mutate vestimenta vestra. 3. Surgite, & a-
scendamus in Bethel, ut faciamus ibi altare Deo: qui exaudi-
vit me in die tribulationis meæ, & socius fuit itineris mei. 4.
Dederunt ergo ei omnes deos alienos quos habebant, & inaures quæ erant in au-
ribus eorum; * at ille infodit ea subter terebinthum, quæ est post urbem Si-
chem. 5. Cumque profecti essent, terror Dei invasit omnes per circuitum civita-
tes, & non sunt ausi persequi recedentes. 6. Venit igitur Iacob Luzam, quæ est
in terra Chanaan, cognomento Bethel: ipse, & omnis populus cum eo. 7. AE-
dificavitque ibi altare, & appellavit nomen loci illius, Domus Dei: ibi enim (*b*)
apparuit ei Deus cum fugeret fratrem suum. 8. Eodem tempore mortua est De-
bora nutrix Rebeccæ, & sepulta est * ad radices Bethel subter quercum: voca-
tumque est nomen loci illius, Quercus fletus. 9. Apparuit autem iterum Deus
Iacob postquam reversus est de Mesopotamia Syriæ, benedixitque ei, 10. dicens:
(*c*) Non vocaberis ultra Iacob; sed Israel erit nomen tuum. Et appellavit eum
Israel, 11. dixitque ei: Ego Deus omnipotens, cresce, & multiplicare: gentes,
& populi nationum ex te erunt, reges de lumbis tuis egredientur. 12. Ter-
ramque quam dedi Abraham, & Isaac, dabo tibi, & semini tuo post te. 13.
Et recessit ab eo. 14. Ille vero erexit titulum lapideum in loco quo locu-
tus fuerat ei Deus, libans super eum libamina, & effundens oleum, 15. vo-
cansque nomen loci illius, Bethel. 16. Egressus autem inde, venit verno tempo-
re ad terram quæ ducit Ephratam: in qua cum parturiret Rachel, 17. ob diffi-
cultatem partus periclitari cœpit. Dixitque ei obstetrix: Noli timere, quia &
hunc habebis filium. 18. Egrediente autem anima præ dolore, & imminente iam
morte, vocavit nomen filii sui Benoni, id est filius doloris mei: pater vero ap-
pellavit eum Beniamin, id est filius dexteræ. 19. Mortua est ergo Rachel, &
sepulta est in via quæ ducit Ephratam, hæc est Bethlehem. 20. Erexitque Iacob
titulum super sepulcrum eius: (*d*) Hic est titulus monumenti Rachel, usque in
præsentem diem. 21. Egressus inde, fixit tabernaculum trans turrem gregis. 22.
(*e*) Cumque habitaret in illa regione, abiit Ruben, & dormivit cum Bala con-
cubina patris sui: quod illum minime latuit. Erant autem filii Iacob duodecim.
23. Filii Liæ: primogenitus Ruben, & Simeon, & Levi, & Iudas, & Issachar,
& Zabulon. 24. Filii Rachel: Ioseph, & Beniamin. 25. Filii Balæ ancillæ Ra-
chelis; Dan, & Nephthali. 26. Filii Zelphæ ancillæ Liæ: Gad, & Aser. Hi

sunt filii Iacob, qui nati sunt ei in Mesopotamia Syriæ. 27. Venit etiam ad Isaac patrem suum in Mambre, civitatem Arbee, hæc est Hebron: in qua peregrinatus est Abraham, & Isaac. 28. Et completi sunt dies Isaac centum octoginta annorum. 29. Consumptusque ætate mortuus est; & appositus est populo suo senex & plenus dierum: & sepelierunt eum Esau & Iacob filii sui.

(a) Sup. xxviii. 13. (b) Sup. xxviii. 18. (c) Sup. xxxii. 28. (d) Inf. xlviii. 7. (e) Inf. xlix. 1.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 4. *At ille infodit ea*. Retinendum est neutrum *ea*, non mutandum cum feminino *eas*.

V. 8. *Ad radices Bethel, subter quercum*. Legendum est *subter*, quod locum inferiorem significat; non *super* contrarium, tametsi hoc sit in Romana anni 1593. editione: error est enim typographicus.

COMMENTARIA

SA.

Vers. 2. VESTIMENTA, scilicet acceptis vestibus mundis.

V. 4. EA, scilicet simul cum idolis. TEREBINTHUM: alii, *quercum*.

V. 6. BETHEL; id est, Deus Bethel.

V. 7. DOMUS DEI. Hebr. *El*.

V. 8. DEBORA. quæ, scilicet mortua Rebecca, se ad Iacob contulerat. RADICES: scilicet est Bethel in monte sita.

V. 10. IACOB: subintellige, tantum. Vide sup. cap. xxxi.

V. 11. CRESCE, scilicet posteritate. ET MULTIPLICARE: explicatio præcedentis. ET POPULI; pro, id est populi.

V. 12. DEDI, id est promisi.

V. 15. VOCANSQUE; pro, iam vero vocaverat, vel, iterum vocavit, sicut & Deus bis ipsum vocavit Israel, scilicet cap. xxxii. & xxxv.

V. 16. VENIT VERNO TEMPORE, &c. Hebr. *Erat adhuc quasi milliare terræ ad veniendum Ephrata, & peperit*, &c. Chald. *Cum adhuc esset spatium terræ, ut ingrederetur Ephratam*. &c. Vide IV. Reg. v. ubi idem verbum Hebraicum vertit Hieronymus. *Electo terræ tempore*. LXX. utrobique Hebraicum verbum posuerunt, quasi nomen proprium, scilicet Χαβραθὰ *chabratha*; quamquam Hebraice est *chibrat*.

V. 19. MORTUA, scilicet cum esset 36. annorum secundum Hebræos. Iacob vero obiit cum esset 97. annorum.

V. 20. TITULUM, id est statuam, seu columnam. SUPER, id est iuxta.

V. 22. CONCUBINA, idest uxore minus principali. Vide sup. cap. xxv. & Iudic. xix. I. Paral. 1.

V. 26. NATI SUNT EI IN MESOPOTAMIA; scilicet, fere omnes: August. in Genes. quæst. cxvii.

V. 27. ARBEE: scilicet id erat nomen civitatis. Vide supra cap. xxiii.

V. 29. CONSUMPTUSQUE; pro, consummatus, idest perfectus, vel quasi dicat, deficiens præ senio.

ESTII.

Vers. 2. ABIICITE DEOS ALIENOS, QUI IN MEDIO VESTRI SUNT. Sed quid? An putandum est sanctum Patriarcham Iacob permisisse ut in sua familia colerentur dii alieni? Nullo modo. Unde ergo habebant Deos alienos? Supra dictum est Rachel furatam fuisse idola patris sui. Deinde advehebant secum prædam urbis Sichimorum, in qua verisimile est, eos idola complura reperisse, quæ propter pretium auri, & argenti, ex quibus facta erant, simul asportaverant. Proinde Iacob metuens, ne illorum aspectu, pulchritudine, ac præsentia inducerentur ad colendum ea, voluit eadem ab eorum conspectu removeri, immo penitus tolli: quod & fecit, infodiens ea tamquam anathemata, & res detestabi-

les

les subter terebinthum, ita ut ne quidem aurum, & argentum in suos usus voluerit convertere. Qua in re commendatur nobis magna perfectio, & zelus Iacob pro religione veri Dei; quamquam tamen neque uxores Iacob, neque filii facile fuerint participes criminis idololatriæ, sed tantum servi, & ancillæ ex gentibus idolorum cultoribus. Iacob enim habuisse numerosissimam familiam patet tum cap. XXXII. vers. 7. ubi dicitur *populum suum* (vox multitudinis est) *distribuisse in duas turmas*; tum quod ausi sint Simeon, & Levi, raptim aliquibus ex familia paterna (etiam ipso inscio) collectis, Sichem invadere cap. XXXIV. Nec mirum, nam & avus eius Abraham iam tunc subito potuit colligere exercitum CCCXVIII. armatorum, Genes. XIV.

V. 16. VENIT VERNO TEMPORE AD TERRAM QUAE DUCIT EPHRATAM. Similiter cap. XLVIII. *Eratque vernum tempus, & ingrediebatur Ephratam*. Nihilominus Hebræa hoc loco sic habent: *Et profecti sunt de Bethel, & erat adhuc quasi milliare terræ ad veniendum in Ephrata*. Sic Pagninus. Pro *miliari*, Arias *tractum* posuit, Vatablus *iugerum*; eademque diversitas Interpretum est similiter cap. XLVIII. Et sane causa nominandi verni temporis adhuc nulla apparet.

V. 18. RACHEL VOCAVIT FILIUM SUUM BENONI. Expositiones illæ *Benoni*, ID EST FILIUS DOLORIS MEI, & *Beniamin*, ID EST FILIUS DEXTERAE, non sunt in Hebræo (neque enim idem seipsum interpretatur) tamen consulto Hieronymus utriusque nominis interpretationem adiecit, ad excludendum errorem eorum qui perperam nomen Beniamin interpretantur *tamquam filium dierum*. Et similem errorem annotavit Hieron. in vocabulo *Israel*, quod in libro nominum interpretatum esse dicit *videns Deum*: quam etiam interpretationem dicit omnium pene sermone tritam, & reperiri apud magnæ auctoritatis scriptores; cum vera interpretatio nominis *Israel* sit quæ supra cap. XXXII. vers. 28. aperte indicatur, *Fortis contra Deum*, vel *princeps cum Deo*. Et videant hinc studiosi, quam acute Hebræa sint excutienda.

V. 21. FIXIT TABERNACULUM TRANS TURREM GREGIS. De turre gregis vide S. Hieron. super Micheæ IV.

V. 22. ET DORMIVIT CUM CONCUBINA PATRIS SUI. Crimen hoc grande Ruben primogeniti sui, etsi Iacob ad tempus dissimularit, metuens maiora mala (nam ut vidimus cap. præced. Ruben ferox erat) tamen moriens, illud egregie punivit, Genes. XLIX. quando dixit ad illum: *Non crescas, quia ascendisti cubile patris tui*. Item quando ab eo abstulit ius primogenituræ, quo ad duplicem portionem, quam dedit Ioseph; qui propterea etiam contrario vocabulo vocatur *filius accrescens* eodem cap. XLIX. de quo & I. Paralip. v. Item ablatum est ab eo ius primogenituræ, quo ad principatum, qui translatus est ad tribum Iuda, his verbis, *Non auferetur sceptrum de Iuda*, iisdem locis citatis. Denique iuxta multos, Deus quoque ob hoc scelus abstulit a Ruben ius primogenituræ, quo ad sacerdotium, quando postea tribum Levi deputavit, eamque solam, ad ministerium tabernaculi.

V. 29. ET APPOSITUS EST, scilicet Isaac, *populo suo*. LXX. habent: *Et appositus est ad genus suum*: ex qua versione Ambrosius Libro I. de Abel, & Cain cap. II. quærit mysterium, cur Scriptura nunc dicat, *ad genus suum*, nunc *ad populum suum*. Sed contra Hebræam veritatem, quæ tantum habet: *Et collectus est ad populos suos*.

MARIANAE.

Vers. 2. MUTATE VESTIMENTA; quasi dicat, munda vestimenta sumite.

V. 4. INFODIT EA SUBTER TEREBINTHUM, scilicet idola. Quidam codices legunt *eas*, sed male. Gotthici, & Romani, *ea*. אלה *ælah* genus est arboris. Noster, & Sept. *terebinthum* dixere: Chald. *quercum*. Hebræus Schol. *Genus est arboris infrugiferæ*, ulmus nempe. POST URBEM SICHEM. In Hebr. *cum Sichem*; sed *cum* Chald. sumpsit pro *iuxta*. Sept. & Hebr. pro *in Sichem*.

V. 7. ET APPELLAVIT NOMEN LOCI ILLUS, DOMUS DEI. Hebr. *Appellavit nomen loci illius, Deus Bethel*. Sed *Bethel* est idem quod *domus Dei*.

V. 8. MORTUA EST DEBORA NUTRIX REBECCAE. *Debora* Hebr. & Græ-

Græce. Hinc vero nutricis nomen proprium *Debora* est translatum in cap. XXIV. verſ. 59. per errorem, nam in correctis codicibus eo loco id nomen *Debora* non est, neque esse debet. SUBTER QUERCUM: אלון *alon*. Sæpe pro hac voce superius Hieron. reddidit *convallem*: hoc loco tum ipse, tum Sept. *quercum* posuerunt. Et fortassis locis omnibus ea est legitima interpretatio, quam semper Græca editio certe sequitur.

V. 9. APPARUIT AUTEM ITERUM DEUS. Quod hoc versu & proximo dicitur de mutatione nominis Iacob, repetitio est eius quod refertur cap. XXXII.

V. 12. QUAM DEDI. Deum promittere, dare est, propter certitudinem. Ergo terram quam dedi, id est quam promisi.

V. 16. EGRESSUS AUTEM INDE, VENIT VERNO TEMPORE AD TERRAM. Græce: *Descendens autem Iacob de Bethel, fixit tabernaculum suum ultra turrim Gader*. Et videtur olim ita fuisse Hebraice, quando Hieronym. ait in Tradit. Hebræos affirmare, eo loco deinde templum extructum, & vocari turrim *Ader*, id est *gregis*, propter pecora, quæ ad sacrificia afferebantur. Proferunt in eam rem Michæam, qui cap. IV. turrim gregis templum vocat. Ipse potius putat esse aliam turrim, quæ prope Bethlehem eo nomine sita erat, ubi pastores erant qui ad Christum natum venerunt: & ex eo mysterio a Iacobo id nomen accepit. Porro pro *verno tempore*, Hebr. est *chibrath* כִּבְרַת, quod quidam interpretantur, *Sicut milliare terræ usque ad Ephrata*: alii, & inter eos Chald. *Venit cum adhuc esset spatium terræ, ut ingrederetur Ephratam*. De quo Genes. XLVIII. verſ. 7.

V. 19. MORTUA: scilicet cum esset annorum triginta sex, obiit Rachel secundum Hebræos. Iacob autem tunc erat annorum 97.

V. 21. EGRESSUS INDE, FIXIT TABERNACULUM TRANS TURRIM GREGIS. Quod Hebr. est hoc loco positum, Sept. posuerunt verſ. 16. Pro *gregis* est Hebr. *Gader*: sic quæ ex Hieron. sunt posita superius verſ. 16. in hunc locum magis transferantur.

V. 22. BALA CONCUBINA. Ancilla viro coniuncta, uxor absque contractu & sponsalibus, in sacris litteris iam uxor, iam concubina vocatur: ut Cetura, uxor appellatur Genes. XXV. verſ. 1. & concubina I. Paral. I. verſ. 32. QUOD ILLUM MINIME LATUIT. Hebr. *Et audivit Israel*. Porro in Hebraicis Bibliis sequitur intervallum, & in eo circulus; indicans nempe deesse aliquid: fortasse quod in Sept. est, *Et malum apparuit in conspectu eius*. Aut fortasse circulus indicat ordinem esse inversum: nam quæ sequuntur de filiis Iacob, cum fine proximi capitis post Esau filios melius cohærerent. Psal. LXXXV. Hebræis LXXXVI. verſ. 11. similem circulum invenio in Bibliis Ven. qua significatione, non assequor. Certe sæpe significat ibi libri medium esse, quod in Isaiæ observo cap. XXXIII. verſ. 20.

V. 26. NATI SUNT EI IN MESOPOTAMIA, ferme omnes: nam non omnes ii filii in Mesopotamia sunt nati. Augustin. in Genes. quæst. CXVII.

V. 29. APPOSITUS EST POPULO suo; id est, sepultus est cum maioribus suis. Alii, *Adiunctus est iustorum animabus*, quas vocat populum suum. Quod Abulensis nisi de iustis dictum negat. Genes. XVII. & XXV. cap.

MALVENDAE.

Verſ. 2. MUNDAMINI. טהר *tahar* est in formula Hithpahel, ut non qualemcumque munditiem, sed seriam & accuratam indicet, corporis, & animæ. AC MUTATE VESTIMENTA VESTRA. חלף *chalaph* est ex Hiphil, quæ formula etiam denotat magnam mutationem, & puritatem vestimentorum. Erant sacrificaturi in Bethel: opus erat insigni puritate & munditie etiam in vestibus. Id quod etiam more receptum apud Romanos: unde *pura vestimenta* dicebant. Festus: *Pura vestimenta sacerdotes populi Romani cum sacrificabant, habere soliti erant, id est non obsita, non fulgurita, non funesta, non maculata: ex hac causa* (lego) *ex cadavere*. Servius in IV. AEneidos: *Sane in sacris pura vestis appellatur, quæ neque funesta sit, neque maculam habeat ex homine mortuo*. Equidem filii Iacob polluti erant cæde recenti.

Verſ. 3. SURGITE, ET ASCENDAMUS IN BETHEL, &c. Hebr. omnia sunt præterita: *Et surreximus, & ascendimus*

mus Bethel, & feci ibi altare, &c. ad indicandam propositi firmitatem & certitudinem. Simile habes cap. XLIII. vers. 8. & alibi sæpe: vel, *Ut surgamus, & ascendamus*, &c.

V. 4. ET INAURES QUAE ERANT IN AURIBUS EORUM. Quidam ad deos referunt: *Quæ erant in auribus deorum*. Synechdochice, totum ornatum, & mundum deorum. Alii volunt insignia fuisse alicuius superstitionis, quæ cultores deferrent: quæ omnia sustulit Iacob, cum ne post hac ea ut superstitionis insignia gestarent, tum ne imposterum ad novos deos conflandos materia essent ac irritamentum. INFODIT EAS. Notant, tota familia locum ignorante, ut præsens malum tolleretur, & a futuro caveretur. SUBTER TEREBINTHUM. אלה *elah*, Noster Iudicum VI. vers. II. 19. II. Samuel. XVIII. vers. 9. 10. 15. I. Paralip. X. 12. Isaiæ I. 30. Ezechiel. VI. 13. Iosue XXIV. 26. *quercum* convertit; at I. Samuel. XVII. 2. Isaiæ VI. 13. Osee IV. 13. & hic *terebinthum*, secutus Græcos, qui eam vocem nunc *terebinthum*, nunc *quercum* solent interpretari. Quidam observant, esse speciem *quercus*, alii *ulmum* esse arbitrantur, alii *tiliam*; seu potius, congruente voce, *ilicem* esse existimant, & dictam ab *alah*, *adiurare*, *imprecari*, quod diris imprecationibus devota sit, ne cædatur: sicut Gentiles tales arbores & silvas *sacras* & *incæduas* dixere: vel dictam ab expansione & prominentia ramorum. Alii *ulmum*, vel *pinum*, vel *abietem*, aut *elatem*, conveniente voce; nonnulli *castaneam*; plerique *robur*: voluntque ab איל *eial*. *robore*, & *fortitudine* nomen habere. Quidam arbitrantur hunc locum illum ipsum esse qui Genes. XII. 6. dicitur *Elon*, *Moreh quercus*, seu *ilex Moreh*: quod stare recte potest: nam quercus Moreh fuit apud Sichem; hæc autem Iacobi etiam apud Sichem fuit. Hanc quoque quercum esse volunt, sub qua Iosue erexit titulum, cap. XXIV. 26. & quæ Iudicum IX. 6. vocatur Quercus stationis; seu statuæ, a titulo illo seu lapide a Iosue erecto, & statuto.

V. 5. TERROR DEI, id est maximus, & divinitus immissus. Sic sopor Dei, I. Samuelis XXVI. vers. 12. Vide Genes. I. vers. 2.

V. 6. & 7. De his duobus versibus vide cap. XXVIII. vers. 19.

V. 8. SUBTER QUERCUM. De voce אלון *allon* diximus cap. XII. vers. 6. & cap. XIII. vers. 18. Chaldæi hic *planitiem*, *vallem*, *convallem* interpretantur: quod non displicet.

V. 11. DE LUMBIS TUIS. חלצים *chalatzaiim*, duale, *lumbi*: quidam ita dictos putant ab extrahendo, quod ex iis extrahatur genus humanum, seu genitale semen: alii a cingendo, quod accingantur armis ad militiam, vel quod circa illos accingantur vestes ad iter, vel ut quis sit expeditior: nonnulli a laxitate dictos volunt. Inepte aliqui hic *renes* exponunt.

V. 14. LIBANS SUPER EUM LIBAMINA. Ridicule quidam: *Et colavit super eam colationem*: æque futiliter alii, *Et extendit super eam extensionem*. נסך *nasac* in liquidis *fundere*, aut *libare* significat.

V. 16. VENIT VERNO TEMPORE AD TERRAM QUAE DUCIT EPHRATAM. Heb. *Et fuit adhuc* כברת *chibrath*, *terræ ad venire Ephrathah*. Nominis constructi *chibrath*, Caph, potest esse radicale, a כבר *chabar*, & potest esse servile, *quasi*, *sicut*, *circiter*, *fere* ברת *barath*, *terræ*, a ברה *barah*. Iuvat hic varias percensere explanationes. LXX. *Et factum est dum appropinquaret in Chabratha ad veniendum in Ephrata*. Aquila: *Et factum est in itinere terræ introiens in Ephratha*. Chaldæus, Rabbi Scelomoh, Rabbi Moses Gerundensis, Lyranus, Sanctes, Vatablus, Robertus Senalis, Avenarius, Marinus, Schindlerus, Buxtorfius: *Et fuit adhuc milliare*, vel *quasi*, *fere milliare terræ ad veniendum Ephrathah*. Rabbi Scelemoh in Genes. XLVIII. vers. 7. vult esse *mensuram terræ* bis mille passuum, quale erat iter sabbati. Kimchi putat significare *tantum viæ spatium*, *quantum confici potest a mane usque ad tempus sumendi cibum*: id quod Vatablus etiam, & Avenarius sequuntur. Caietanus: *Et fuit adhuc sicut prandium terræ ad veniendum Ephrathah*; id est, tantum spatium terræ quantum durat prandium, vel quantum itur usque ad prandium. Drusius: *Et fuit adhuc circiter diætam terræ ad veniendum*, &c. id est, quantum spatium terræ viator conficit a mane ad ientaculum, ante prandium. Georgius Agricola: *Et fuit adhuc sicut stathmos terræ*, id est iter unius diei; vel *sicut prandium terræ*: quod itinere unius diei perfecto

cto prandere, vel potius cœnare consuevissent Hebræi. Rabbi Menachem, Reuchlinus, Oleastrius: *Et fuit adhuc multum spatium terræ*, &c. Sed hi nesciverunt, sepulcrum Rachel a Bethlehem non distare nisi dimidium milliaris, seu leucæ. Forsterum miror, qui ait *chibrath* significare *terram quæ sarculo ferreo quasi cribrum apparatur*; ipseque *funiculum* exponit, ac ita locum reddit: *Et fuit adhuc funiculus terræ ut veniretur ad Ephrathah*. Mercerus: *Et fuit adhuc parasanga terræ*, &c. Rheuchlinus, Leo Iudas, Clarius, Avenarius, Marinus, Pomarius: *Et fuit iugerum arvi*, vel *stadium terræ*, &c. Aben Ezra, Steuchus, Pellicanus, Honcala: *Et fuit spatium*, *intervallum terræ*, &c. Montanus: *Et fuit quasi tractus terræ*, &c. Immanuel, Iunius, Schindlerus: *Et fuit adhuc quasi portio*, *pars*, *pauxillum*, *exiguum terræ*, &c. *cum superesset adhuc exiguum spatium itineris conficiendum*. Quidam, *Quasi buccea terræ*: non male. Hispanice diceremus, *Un bocado*, *un piedaço de tierra*, id est exiguum terræ: Moses Gerundensis ait, se aliquando Ierosolymam profectum, oculis suis vidisse sepulcrum Rachel non nisi milliare unum Italicum a Bethlehem distare: quod Beniamino Tudelensi consentit. Hispanicus interpres, *Como media lega de tierra*. Ex verbo: *Et fuit adhuc multiplicatio terræ*, id est spatium terræ: consona voce Hispanice, *una chebrada*, id est spatium terræ confragosum. Hispanicus interpres: *I avia aun como media legua de tierra*. Tremellius, & Iunius: *Et fuit adhuc planum*, seu *campus terræ*. Ter tantum in Scriptura hæc vox habetur, & Noster ubique *vernum*, *electum tempus* exponit, hic, & cap. XLVIII. vers. 7. & II. Regum v. 19. S. Hieronymus: *Sed melius est si transferatur: In electo terræ tempore cum introiret Ephrata. Porro vernum tempus significat, cum in florem cuncta rumpuntur, & anni tempus electum est. Vel cum transeuntes per viam, carpunt, & eligunt e vicinis agris quodcumque ad manus venerit, diversis floribus invitati*. Plerique Hebræorum volunt in כברת *chibrath*, Caph esse servile, & notam similitudinis, vocemque esse ברה *barah*, id est *cibus*: unde interpretantur: *Et fuit sicut*, vel *secundum cibum terræ*; id est, quando terra dat cibum seu fruges, nempe verno tempore: quod quadrat S. Hieronymo. Alii a ברא *bara* deducunt: *Secundum procreationem terræ*: eodem sensu: quum terra incipit procreare & gignere fructus. Quidam, *Circa viridationem terræ*, quando cuncta virescunt. S. Hieronymus a ברר *barar*, *eligere*, derivasse videtur: *Secundum*, vel *circa electionem terræ*; hoc est, *in electo terræ tempore*, nempe verno. Quidam hariolantur S. Hieronymum sumpsisse *chibrath*, pro *chebarah*, id est *cribro*, & interpretatum illud tempus quo terra hiscit foraminibus & rimis instar cribri, ob æstum vernum scilicet. Sed id frivolum est.

V. 17. OB DIFFICULTATEM PARTUS PERICLITARI COEPIT. Notabis, quod verbum קשה *kaschah*, difficultatem partus significans, in præcedenti versu ponitur in Pihel, in hoc autem in Hiphil, quæ coniugatio significatum intendit: ut innueret crevisse amplius dolorem, ac difficultatem partus.

V. 18. BENONI. בן־אוני. Varie etymon elucidant. I. *Filium doloris mei*. II. *Filium luctus mei*. III. *Filium roboris mei*, patientiæ, virtutis, fortitudinis meæ; id est, in quo supremum robur, & vires meas consumpsi. IV. *Filium concupiscentiæ meæ*: & intelligunt de effectu concupiscentiæ, id est de dolore illo qui sequitur concupiscentiam, seu venerem; quasi dicat: Hic dolor fructus est concupiscentiæ meæ. BENIAMIN, IDEST FILIUS DEXTERAE, id est dilectum, & carum: nam dextera, quæ honoratior est sinistra, amplectimur, & apprehendimus nobis caros & dilectos: quod filii, qui postremo nascuntur, soleant esse parentibus cariores. Alii, quod dextera symbolum sit ac hieroglyphicum potentiæ, roboris, fortitudinis, firmitatis, felicitatis. Inde illud Maronis:

> *Nate meæ vires, mea magna potentia solus.*

Et quod parentes senes filiolos minimos ad dexteram habere soleant, ut ab his deducantur, & iis tamquam scipionibus innitantur. Nec desunt qui, quamvis id non probet Hieronymus, Beniamin exponant, *Filium dierum*, id est senectutis.

V. 19. EPHRATAM: HAEC EST BETHLEHEM. Frustra sunt qui putant, Bethlehem dictam Ephrathah ab uxore Caleb primi, I. Paralip. 11. multo enim iam

tem-

tempore ante sub Iacobo appellabatur Ephrata : nam quod I. Paralipom. II. 51. Salma dicitur pater Bethlehem ; & cap. IV. 4. Hur primogenitus Ephratha vocatur etiam pater Bethlehem : non sic est intelligendum, quasi ipsi primi eius urbis conditores exstiterint; sed quod instauratores, vel in ea rerum potiti. Quem morem loquendi observavimus Genes. XXII. vers. 21. Porro Ephratam dictam a copia frugum, quod esset fertilis; & Bethlehem, quod frumenti, panisque esset feracissima, non est dubium. S. Hieronymus in Epitaphio Paulæ : *Ephratha regio uberrima, atque carpophora*. Eusebius, & S. Hieronymus in Locis Hebraicis : *Ephratha regio Bethlehem civitatis David, in qua natus est Christus. Est autem in tribu Iuda; licet plerique male existiment in tribu Beniaminis, iuxta viam ubi sepulta est Rachel, in quinto milliario ab Ierusalem in eo loco qui a* LXX. *vocatur Hippodromus*. Et de Bethlehem : *Bethlehem civitas David in sorte tribus Iudæ, in qua Dominus noster atque Salvator natus est, in sexto milliario ab Ælia, contra meridianam plagam, iuxta viam quæ ducit Chebron : ubi & sepulcrum Iesse, & David ostenditur, & mille circiter passibus procul turris Ader, quæ interpretatur turris gregis, quodam vaticinio pastores dominicæ nativitatis conscios significans. Sed prope eamdem Bethlehem Regis quondam Iudææ Archelai tumulus ostenditur; qui semitæ ad cellulam nostram e via publica divertentis principium est*. Iosephus Lib. V. Antiquit. cap. II. disserte scribit Bethlehem triginta & amplius stadia ab Ierusalem distasse. Itinerarium Ierosolymitanum Burdegalense vetustum : *Ab Ierusalem euntibus Bethlehem millia quatuor: super strata in parte dextera est monumentum ubi Rachel posita est uxor Iacob: inde millia duo a parte sinistra est Bethlehem, ubi natus est Dominus noster Iesus Christus : ibi basilica facta est iussu Constantini* : de qua Eusebius Lib. III. Vitæ Constantini, cap. XL. Nec omittenda fuerunt ista Brocardi : *Porro ad Bethlehem civitatem David, ad austrum sitam tres sunt leucæ* (a Ierusalem) *in cuius sinistra parte est via quæ ducit in Hebron : in qua viatori quoque occurrit, si parum ad dexteram declinet, sepulcrum Rachelis, cui pyramis pulchra imminet, a Iacob in titulum monumenti extructa. Est Bethlehem sita in colle arcto, & oblongo, habens in occidente, & in declivi loco collis ingressum, ubi etiam est cisterna iuxta portam, de qua David bibere desideravit, cum esset in præsidio. In extremitate vero orientali sub rupe quadam, quæ erat iuxta murum civitatis, fuit, secundum morem illius terræ, locus pro stabulo, habens præsepe in rupe excisum, ubi mundi Salvator de Virgine natus, & reclinatus fuit, cum locus alius commodior in diversorio non esset. quam præsepe, in quod mundi Creator & Redemptor reponeretur. Hic hodie sacellum est extructum nobilissimum, stratum marmore, & marmoreis erectum columnis, ut vix hodie inveniri possit locus sacer illo pulchrior : ut etiam Sultanus tentarit hinc asportare columnas, & alia crusta marmorea, quibus parietes nitent, ad decorandum palatium suum Babylonicum; sed serpente subito apparente, & terrorem incutiente, desistere coactus est a concepto proposito. Videntur quoque iuxta hanc Ecclesiam indicia quædam monasterii, in quo lectus, & sepulcrum D. Hieronymi peregrinis ostenditur. Item ostenditur locus occisionis Innocentium puerorum, & sepulcra Paulæ & Eustochii, haud longe ab hac Ecclesia*. Sed Bethlehem pluribus describunt sacri topographi, qui terram esse aiunt rerum omnium copia præstantem, amœnitate arborum, hortorum, pratorum, herbarum, florum insignem. Sed recte cum Prudentio licet exclamare :

O sola magnarum urbium
Maior Bethlehem, &c.

V. 20. EREXITQUE IACOB TITULUM SUPER SEPULCRUM EIUS, &c. Beniamin Tudelensis : *Inde* (ab Ierosolymis) *duabus parasangis Bethlehem Iudæ distat, cui dimidii fere milliaris spatio Rachelis sepulcrum proximum est in bivio : estque tumulus constructus lapidibus duodecim, iuxta numerum filiorum Iaghakob ; supraque tumulum est testudo quatuor columnis innixa. Porro tumuli lapides, Iudæorum illac prætereuntium nominibus multis & variis incisi sunt. Ager oppidi aquarum rivos, & puteos, & fontes habet*.

V. 21. TURREM GREGIS. De hac vide quæ diximus ex S. Hieronymo versu præcedente : de qua quoque agit Epistola XXVII. Descriptores terræ sanctæ aiunt, campum esse uberrimum, pascuis & grandibus olivis refertum, mille tantum passus a Bethlehem dissitum.

V. 26. QUI NATI SUNT EI IN MESOPOTAMIA SYRIAE. Exponunt: Etsi Beniamin in itinere est natus, maioris tamen partis ratione dicuntur Padane Syriæ editi: quare aut Beniamin Padane conceptum dicendum est, aut intelligendum de omnibus excepto Beniamine: quod genus synecdoches in narrationibus planis receptum est, ut infra cap. XLVI. vers. 15. Exod. XII. vers. 40. Iudicum IX. vers. 5. Ioan. XX. vers. 24. I. Corinth. XV. vers. 5.

V. 29. MORTUUS EST. Notant, etsi Isaaci mors statim post Iacobi reditum describitur; tamen diu postea contigisse, cum iam Iceph fuisset a fratribus venditus, & ultra duodecim annos captivus: esse itaque hic anticipationem.

MENOCHII.

Vers. 1. INTEREA, dum Iacob accolarum incursum pavet, Deus illius metum discutit, & consolatur. FACQUE ALTARE, ut promisisti cum lapidem erigeres. DEO, QUI APPARUIT TIBI; mihi, qui apparui: loquitur de alio in tertia persona. Sic Numer. XII. 6. dicitur, *Propheta Domini*, hoc est meus.

V. 2. DEOS ALIENOS: quia forte tunc audiverat Rachelem furatam idola Laban, aut etiam aliquid adhæserat aliquibus de præda Sichimorum, idolum scilicet aliquod aureum, vel argenteum. MUTATE VESTIMENTA: exuite sordida, induite munda, ut hoc cultu externo munditiam animi profiteamini.

V. 3. SOCIUS FUIT, itu in Mesopotamiam, & reditu in Chanaan.

V. 4. INAURES, quæ idolorum auribus appendi solebant, vel in quibus idololatræ deorum suorum imagines sculpebant. INFODIT, prius confracta, ac liquefacta; sicut fecere Moyses, & Ezechias, Exod. XXXII. 20. & II. Reg. XVIII. 4. Potuisset materiam in usum sacrum convertere, sed noluit, ne quod vestigium superesset profani cultus. SUBTER TEREBINTHUM. Vox Hebræa *terebinthum*, & *quercum* significat. Masius Iosue ult. n. 26. putat hanc esse terebinthum, seu quercum More, iuxta quam Abraham primo aram Deo erexit Gen. 11. 6.

V. 5. TERROR DEI, ingens, & a Deo missus, ne auderent insequi discedentem.

V. 6. QUAE EST IN TERRA CHANAAN, ad differentiam alterius Iud. 1. 26. OMNIS POPULUS, numerosa eius familia.

V. 7. APPELLAVIT: prius inditam appellationem supra cap. XXVIII. 19. confirmavit.

V. 8. DEBORA. Fuit hæc nutrix Rebeccæ matris Iacob, quæ cum ea ex Haram venit in Chananæam ad Isaac. Tradunt Hebræi hanc Deboram a Rebecca remissam in Haran, ut inde revocaret Iacob, ac in itinere, dum cum Iacobo redit, mortuam esse, ut hic dicitur. AD RADICES BETHEL, ad imum montis, in quo Bethel. QUERCUS FLETUS: sic vocata propter planctum quem ibi fecit familia Iacob.

V. 9. APPARUIT AUTEM ITERUM DEUS IACOB. Proxime apparuerat, quando iussit eum in Bethel ascendere; nunc rursus apparet postquam eo pervenerat. BENEDIXITQUE EI: cum nominis novi confirmatione, gratiæ donis, & virtutibus animum adauxit.

V. 10. NON VOCABERIS ULTRA IACOB: non amplius solo nomine Iacob, sed etiam novo Israel appellaberis.

V. 11. OMNIPOTENS: ut scias præstare me posse quæ promisi. CRESCE, ET MULTIPLICARE: cresces & multiplicaberis. GENTES, ET NATIONES. Tribus Israel, numero gentibus, & nationibus pares.

V. 12. TIBI, ET SEMINI TUO DABO: tibi dabo, quia semini tuo dabo.

V. 14. TITULUM: qui simul esset titulus, id est monumentum huius apparitionis, & promissionis divinæ, & simul esset altare, unde super eum Iacob sacrificat, & libat; id est, effundit in honorem Dei libamina, vinum scilicet.

V. 16. VERNO TEMPORE. Hebr. est כברת *chibrat*, quod deducitur a radice ברה *bara*, quæ *cibare* significat, addito Caph servili, quod *secundum*, vel *iuxta* significat; quasi dicat, iuxta tempus, quo terra cibum, & segetem effert: quod S. Hieronymus aliquando vertit *tempus viridationis*.

V. 18. BENIAMIN. Rachel moriens vocavit filium *Benoni*, id est filium doloris; sed pater illum appellat *Beniamin*, id est *filium dexteræ*: ut enim ostenderet se

forti

forti animo hunc casum ferre, nomen auspicatius indidit, & filium dexteræ nominavit, quia robur præcipuum in dextera. Vocatus etiam est filius dexteræ, quia fuit patri carissimus, utpote natu minimus, & in senectute genitus.

V. 19. VIA QUAE DUCIT EPHRATAM, inter Ierusalem, & Bethlehem.

V. 20. TITULUM. Columellam, pyramidem perelegantem fuisse ait Borchardus.

V. 21. TURREM GREGIS. Turris *Eder*, id est gregis, mille tantum passibus distat a Bethlehem: iuxta hanc turrem multi docent Angelum apparuisse pastoribus nocte nativitatis Christi.

V. 22. DORMIVIT CUM BALA. Hinc Iacob spoliavit Ruben sua primogenitura, eique moriens maledixit Genes. XLIX. 4. Balam autem deinceps Iacob non attigit, utpote hoc incestu pollutam, sicuti David abstinuit concubinis quas Absalom incestaverat, II. Reg. XVI. 22.

V. 26. NATI SUNT IN MESOPOTAMIA, fere omnes, nam Beniamin natus iuxta Bethlehem.

V. 27. CIVITATEM ARBEE. In Cariat-Arbe, sive Hebron. PEREGRINATUS, sine fixo domicilio.

V. 29. CONSUMPTUSQUE AETATE, deficiente calore naturali, & exarescente humido radicali, quod calorem naturalem pascit, & conservat, sicut flamma lucernæ pascitur oleo. APPOSITUS EST POPULO SUO, patribus in limbo. Vide dicta supra cap. XXV. num. 8. PLENUS DIERUM, satur vitæ. SEPELIERUNT, apud Rebeccam, quæ prius obierat. ESAU, ET IACOB. Filiorum munus est parentum iusta curare.

TIRINI.

Vers. 4. INAURES QUAE ERANT IN AURIBUS EORUM, scilicet idolorum, puta anathemata, monilia, variaque ornamenta alia statuis appendi solita, quæ S. Augustinus *a* vocat deorum phylacteria. Voluit enim Iacob in plenam idololatriæ detestationem hæc omnia confracta in terra defodi, neque ullis usibus adhiberi permisit. Sic & posteris Iacobi præcipit Deus Deuter. VII. *Sculptilia eorum igni combures: non concupisces argentum, & aurum de quibus facti sunt; neque assumes quidquam ex eis.*

V. 21. TRANS TURREM GREGIS. Locus erat pascuis uberrimus, unico milliari distans Bethlehemo, sic vero similiter dictus quod ibi Patriarcha suos greges pascere soleret. Estque idem locus, in quo Angeli pastoribus nato Christo apparuerunt, Luc. II. Ita Hieronymus, *b* & Tostatus. Unde & Helena templum ibidem sub nomine sanctorum Angelorum construxit, teste Adrichomio *c*.

(*a*) August. in Gen. quæst. CXI.
(*b*) Hieron. hic, & de Locis Hebraicis.
(*c*) Adrich. de Locis sanctis.

GORDONI.

Vers. 1. IACOB post cædem Sichemorum, inde (ne a vicinis aliquid mali eveniret) Deo movente, venit Bethel (de qua supra cap. XXVIII.) ubi solvit votum, & habitare iubetur: quo pervenit ex vers. 6. 14. & 15. Inde vero versus Ephratam, vers. 16. hæc est Bethlehem, ubi moritur Rachel, vers. 19. Illinc venitur ad turrim gregis, vers. 21. ac tandem venit ad patrem, vers. 27. scilicet in Mambre, seu Hebron, ubi moritur Isaac.

V. 2. ABIICITE DEOS ALIENOS. Sed unde hi dii alieni? An de Idolis a Rachele sublatis apud Laban in Mesopotamia; aut quæ servi asportasse secum potuerunt ex illa regione? An non etiam potuerunt ibidem fecisse in direptione Sichemorum? At quid illud, MUNDAMINI? Potest intelligi aliqua purificatio Iudæis postea non insueta. Nec absurdum est ut qui iter aggredientur in Bethel, mutent vestimenta, sive itineris, sive voti solvendi causa.

V. 3. SOCIUS, & dux euntis in Mesopotamia, & redeuntis in Chananæam.

V. 4. IN AURIBUS EORUM, certe deorum, ut apparet: nisi etiam forte servi Iacob superstitiose quoque inaures habuerint. SUBTER TEREBINTHUM Hebr. אלה, *ela*. Aliqui etiam *quercum* vertunt. Apud Septuag. *quercus excelsa*. Nec est improbabile esse illam de quam cap. XII. vers. 6. Hebr. *elon moreh*, *quercus moreh*.

V. 6. IN TERRA CHANAAN: nam

est alia de qua Iudic. cap. I. vers. 26. Populus, familia.

V. 7. De Bethel supra cap. XXVI. vers. 18. Altare erigit, & nomen loci prius a se inditum confirmat. Inscriptionem attigi ad cap. XXXIII. vers. 20. Demum hic vers. II. reponuntur promissiones.

V. 8. Subter quercum. Hebr. אלן *elon* : sic Hieronymus *quercum* vertit, alibi *convallem*. Sept. *τὸ* אלן vertunt *quercum*.

V. 9. De nomine Iacob vide supra cap. XXXII.

V. 10. Confirmatur nomen Israel Iacobo impositum supra cap. XXXI.

V. 16. Hic & tribus sequentibus versiculis agitur de nato Beniamin, & sepulcro Rachel prope Ephrata, seu Bethlehem; ubi plurimum sudatur quid significet in Hebr. כברת *chibrat* ; an vernum tempus, ut Hieron. & Eugub. An spatium parvum terræ, quo distabat a Bethlehem sepulcrum Rachel : & aliis *τὸ* כ est servilis littera; aliis radicalis. Sane designari spatium terræ, & mensuram (verbi gratia mille passuum) insinuant Sept. & videntur deduxisse *chabrata* a radice כבר, *chabar*, nec male (quicquid dicat Eugubinus) quia ubi reperitur in Scriptura כברת semper apponitur vox ארץ terra. Et apud Hebræos ברת *berath*, erat certa mensura. Sept. nomen Hebraicum retinent ; cum deesset Græca vox. Est porro versio Hieronymi probabilis, qui IV. Reg. v. vers. 19. vertit, *Electo terræ tempore*. Et hinc vult ברת *berath* esse a radice ברה *bara*, eligere : & *τὸ* כ servile erit. In re tam obscura eligat quod vult Lector. Vide IV. Reg. V. 19.

V. 18. Id est filius doloris mei. אוני *doloris mei*. Adiecta est hæc nominis explicatio ab Interprete. און *on* est dolor, vel afflictio. In hoc suburbano Bethlehemitico natus quoque Christus Dominus. Nascitur Beniamin anno mundi 2245. Iacobi anno 107. anno insequente venditus est Ioseph.

V. 20. Hic est titulus monumenti Rachel. Hæc erat tituli, vel pyramidis inscriptio. Non est novum erigi titulos, & monumenta defunctorum. Intelligere vero potuit Moses vel ex relatione, vel ex revelatione extare titulum suo tempore.

V. 21. Trans turrim gregis. Septuag. *Turrem Gader*. Heb. עדר *hhader*. Vide Hieron. de Locis Hebr. Ibi Angeli pastoribus apparuerunt. Sic forte vocatur, quia Iacob ibi greges suos pascebat. Distat 1000. passibus a Bethlehem, ubi Iacob gregem pavit. Ierusalem vero & Bethlehem distant 6000. passuum. Ceterum Micheæ IV. vers. 8. templum Hierosolymitanum vocatur turris gregis, sed tropice.

V. 22. Dormivit. Ideo Ruben privatus est primogenitura, & ei maledixit pater moriens Genes. XLIX. vers. 4.

V. 26. Nati in Mesopotamia. Solus Beniamin natus in Chanaan. Omittit interdum Scriptura minorem numerum; aut de eo non curat, ex more loquendi.

V. 27. Venit Iacob ad patrem in Hebron, anno circiter trigesimo a digressione in Mesopotamiam ; puto tamen interiecto tempore, aliquoties visitasse patrem officii causa. Ceterum an nunc contigerit vivente adhuc Isaaco, venditio Ioseph, dixi satis suo loco. Moritur Isaac in Hebron Iacobo presente, cum esset Iacob annorum 120. mihi est annus mundi 2258. De hac civitate hic nominata vide cap. XXIII.

V. 29. Populo suo, maioribus, aut sanctis. Sepelierunt, apud Rebeccam.

C A-



CAPUT XXXVI.

Esau cum uxoribus & filiis a fratre Iacob ob nimiam utriusque opulentiam separatur: filiorum Esau genealogia cum habitatione describitur.

1 HAE sunt autem generationes Esau, ipse est Edom. 2. Esau
accepit uxores de filiabus Chanaan: Ada filiam Elon He-
thæi, † & Oolibama filiam Anæ filiæ Sebeon Hevæi: 3. Ba-
semath quoque filiam Ismael sororem Nabaioth. 4. (*a*) Pe-
perit autem Ada, Eliphaz: Basemath genuit Rahuel: 5.
Oolibama genuit Iehus & Ihelon & Core. Hi filii Esau
qui nati sunt ei in terra Chanaan. 6. Tulit autem Esau
uxores suas, & filios & filias, & omnem animam domus
suæ, & substantiam, & pecora, & cuncta quæ habere poterat in terra Cha-
naan; & abiit in alteram regionem, recessitque a fratre suo Iacob. 7. (*b*)
Divites enim erant valde, & simul habitare non poterant: nec sustinebat eos
terra peregrinationis eorum præ multitudine gregum. 8. (*c*) Habitavitque E-
sau in monte Seir, ipse est Edom. 9. Hæ autem sunt generationes Esau pa-
tris Edom in monte Seir, 10. & hæc nomina filiorum eius: (*d*) Eliphaz fi-
lius Ada uxoris Esau: Rahuel quoque filius Basemath uxoris eius. 11. Fue-
runtque Eliphaz filii: Theman, Omar, Sepho, & Gatham, * & Cenez. 12.
Erat autem Thamna, concubina Eliphaz filii Esau, quæ peperit ei Amalech.
Hi sunt filii Ada uxoris Esau. 13. Filii autem Rahuel: Nahath, & Zara,
Samma, & Meza. Hi filii Basemath uxoris Esau. 14. Isti quoque erant filii
Oolibama * filiæ Anæ filiæ Sebeon, uxoris Esau, quos genuit ei, Iehus, &
Ihelon, & Core. 15. Hi duces filiorum Esau: filii Eliphaz primogeniti Esau:
dux Theman, dux Omar, dux Sepho, dux Cenez, 16. dux Core, dux Ga-
tham, dux Amalech. Hi filii Eliphaz in terra Edom, & hi filii Ada. 17.
Hi quoque filii Rahuel filii Esau: dux Nahath, dux Zara, dux Samna, dux
Meza. Hi autem duces Rahuel in terra Edom: * isti filii Basemath uxoris E-
sau. 18. Hi autem filii Oolibama uxoris Esau: dux Iehus, dux Ihelon, dux
Core. Hi duces Oolibama filiæ Anæ uxoris Esau. 19. Isti sunt filii Esau, &
hi duces eorum: ipse est Edom. 20. (*e*) Isti sunt filii Seir Horræi, * habi-
tatores terræ: Lotan, & Sobal, & Sebeon, & Ana, 21. & Dison, & Eser,
& Disan. Hi duces Horræi, filii Seir, in terra Edom. 22. Facti sunt au-
tem filii Lotan: Hori, & Heman. Erat autem soror Lotan, Thamna. 23.
Et isti filii Sobal: Alvan, & Manahat, & Ebal, & Sepho, & Onam. 24.
Et hi filii Sebeon: Aia, & Ana. Iste est Ana qui invenit aquas calidas in
solitudine, * cum pasceret asinos Sebeon patris sui: 25. habuitque filium Di-
son, & filiam Oolibama. 26. Et isti filii Dison: Hamdan, & Eseban, & Ie-
thram, & Charan. 27. Hi quoque filii Eser: Baalan, & Zavan, & Acan.
28. Habuit autem filios Disan: Hus, & Aram. 29. Hi duces Horræorum:
dux Lotan, dux Sobal, dux Sebeon, dux Ana, 30. dux Dison, dux Eser,
dux

dux Dison : isti duces Horræorum qui imperaverunt in terra Seir. 31. Re-
ges autem qui regnaverunt in terra Edom antequam haberent regem filii
Israel, fuerunt hi : 32. Bela filius Beor, nomenque urbis eius Denaba. 33.
Mortuus est autem Bela, & regnavit pro eo Iobab filius Zaræ de Bosra. 34.
Cumque mortuus esset Iobab, regnavit pro eo Husam de terra Themanorum.
35. Hoc quoque mortuo, regnavit pro eo Adad filius Badad, qui percussit
Madian in regione Moab: & nomen urbis eius Avith. 36. Cumque mortuus
esset Adad, regnavit pro eo Semla de Masreca. 37. Hoc quoque mortuo, re-
gnavit pro eo Saul de fluvio Rohoboth. 38. Cumque & hic obiisset, succes-
sit in regnum Balanan filius Achobor. 39. Isto quoque mortuo, regnavit pro
eo Adar, nomenque urbis eius Phau : & appellabatur uxor eius Meetabel,
filia Matred filiæ Mezaab. 40. Hec ergo nomina ducum Esau, in cognationi-
bus, & locis, & vocabulis suis: dux Thamna, dux Alva, dux Ietheth, 41.
dux Oolibama, dux Ela, dux Phinon, 42. dux Cenez, dux Theman, dux
Mabsar, 43. dux Magdiel, dux Hiram : hi duces Edom habitantes in terra
imperii sui, ipse est Esau pater Idumæorum.

(a) I. Paral. I. 29. (b) Sup. XIII. 6. (c) Iof. XXIV. 4. (d) I. Par. I. 34. (e) I. Par. I. 38.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 11. *Et Cenez*. Sequitur in quibusdam libris *Et Chore*, sed superflue.

V. 14. *Filia Ana filia Sebeon*. Cave scribas masculinum *filii* pro feminino *filia*, priori præsertim loco.

V. 17. *Isti filii Basemath uxoris Esau*. Minime redundant hæc verba.

V. 20. *Habitatores terra*. Non mutandus nominativus pluralis *habitatores* cum genitivo singulari *habitateris*.

V. 24. *Cum pasceret asines*. Pro masculino *asinos* non est substituendum femininum *asinas*.

LECTIONUM VARIETAS.

V. 2. *Et Oolibama filiam Ana filia Sebeon*. Pro genitivo feminino *filia* alii legunt accusativum *filiam*, alii genitivum masculinum *filii*. Legantur Notationes nostræ in varias Bibliorum lectiones.

NOTATIO.

V. 2. Quatuordecim ex scriptis nostris codicibus habent : *Esau accepit uxores* &c. *Ada* &c. *Et Oolibama filiam Ana, filii Sebeon Hevai* : atque hi Regiorum Bibliorum Latino textui, Rabano, & Græcis libris consentiunt. Alii quatuordecim, cum Parisiensium quinque scribunt : *Filiam Ana filia Sebeon Hevai*: atque his Hebræa, & Chaldæa suffragantur, quamvis vertendum potius videatur: *Filiam Ana filiam Sebeon Hevai*. Et sane hoc modo, accusandi inquam casu, tria manuscriptorum nostrorum legere comperimus; unum, quod Abbas S. Iacobi Leodiensis mutuo dedit; alterum, quod Collegium Trilingue annumeravit; tertium, quod D. M. N. Augustinus Hunnæus contribuit. Et quidem primum Leodiense nonnullam indicat factam mutationem; secundum vero, & tertium omni exceptione maiora sunt. Est aliud manuscriptum, quod Atrebatense collegium suppeditavit, quod illis accedens *filia* legit. Videtur autem minus probanda ea lectio, *Filiam Ana filia Sebeon Hevai*, quod sensum non habeat, nisi aut nugacem, aut falsum. Vel enim significatur, Oolibama filiam fuisse Anæ & filiæ Sebeon Hevæi, id est filii & nurus Sebeon Hevæi, quod est Anæ & uxoris eius (in quem sensum Hunnæi R legit, *Filiam Ana filiam filia Sebeon Hevai*) id quod frivolum est : vel significatur, Oolibama filiam fuisse Anæ, & Anam filiam fuisse Sebeon Hevæi, quod verum non est. Fuit enim Ana (ut ex 24. huius capitis versu constat) filius Sebeon Hevæi. Itaque præferenda videtur lectio ista: *Filiam Ana filiam Sebeon Hevai*, ut ad Oolibamam utrumque referatur, quæ & Anæ fuit filia, & Sebeonis ; ac Sebeonis quidem, quia ex filio Ana neptis. Fortassis autem ad hanc tollendam obscuritatem, LXX. ut habet prima lectio, *Filiam*

Anæ

Ana filii Sebeon Hevæi transtulerunt. Eadem est versu 14. lectionis diversitas: novendecim enim nostrorum manuscriptorum, cum quinque Parisiensium legunt *filia Sebeon*; duodecim *filii Sebeon*. *Filiam*, ut loco non convenit, ita nulla legunt: & illa quidem Hebræis & Chaldæis; hæc autem Græcis libris consonant.

COMMENTARIA

S A.

Vers. 2. ADA. Hæc sup. cap. XXVI. dicitur Basemath. OOLIBAMA cap. XXVI. dicitur Iudith. FILIAE. Hebr. & Chald. *filiæ*; at LXX. *filii*.

V. 3. BASEMATH cap. XXVIII. dicitur Maheleth. ELIPHAZ, de quo in Iob: Hieron.

V. 6. HABERE POTERAT. Hebr. *acquisierat*.

V. 9. EDOM, id est *Idumæorum*.

V. 16. FILII ELIPHAZ. Hebraice, Chald. & LXX. *Duces Eliphaz*.

V. 20. FILII SEIR, scilicet qui ante Esau principes erant: Hieronymus.

V. 24. AQUAS CALIDAS. Alii, *mulos*, scilicet iunctis equo & asina: forte legendum, *equas*.

V. 31. REGNAVERUNT, scilicet post duces.

V. 33. IOBAB. Hunc quidam putant Iob; at Hebræi dicunt, Iob esse de stirpe Nachor: Hieron.

V. 40. HAEC ERGO. Hebr. & Chald. *Et hæc*: LXX. *hæc*. ESAU, scilicet filiorum.

E S T I I.

Vers. 2. ET OOLIBAMA FILIAM ANAE, FILIAE SEBEON. Intricata est hic lectio. Nam pro *Anæ filiæ Sebeon*, quasi Ana femina fuisset, reposuerunt nonnulli masculinum *Anæ filii Sebeon*. Et omnino constat Anam virum fuisse, patremque Oolibama, & filium Sebeon hoc ipso cap. vers. 24. Nihilominus in Hebræo est femininum, sed quod verti potest vel per genitivum, vel per accusativum. Certe veritas historiæ requirit, ut hoc vers. 2. in accusativo legatur, *Filiam Anæ, filiam Sebeon*; paulo post vero vers. 14. uti legitur, utrumque in genitivo; sed utrumque hoc sensu, nempe ut Oolibama uxor Esau, dicatur & filia Anæ, & filia Sebeon; non quasi habuerit duos patres, sed quod Sebeon fuerit eius avus, sicque hic filia pro nepote ponitur: quod mirum non est, nam & Abraham Lot nepotem suum vocat fratrem Gen. XIII. vers. 8. Vide Notationes eruditas in hunc locum Francisci Lucæ.

V. 8. HABITAVITQUE ESAU IN MONTE SEIR, IPSE EST EDOM. Videndum quomodo hic locus non repugnet ei qui est cap. XXXII. ubi dicitur Iacob rediens ex Mesopotamia misisse nuntios ad fratrem suum in terram Seir, in regionem Edom; quin quod XXXIII. cap. dicit Iacob se secuturum vestigia Esau, donec veniat in Seir; immo & Esau reversus dicitur illo die itinere quo venerat in Seir. Quomodo igitur hic tandem dicitur a fratre suo Iacob recessisse, & habitationi suæ delegisse montem Seir? Respondet Augustin. & recte Esau, post fratris Iacob in Mesopotamiam discessum, noluisse habitare cum parentibus suis, partim quod indigne ferret se benedictione fraudatum, partim quod uxores suas videret parentibus suis exosas esse, uti supra dictum est; ac tum cœpisse habitare in monte Seir. Ceterum post reditum fratris sui, reparata cum eo amicitia, reversum esse ad parentes in terram Chanaan; ubi cum patrem Isaac mortuum simul sepeliissent, ut dicitur capite præced. in fine; quia eos iam ditatos illa terra, sicut hic dicitur, capere non poterat, rursum abscessisse in Seir; atque ibi gentem Idumæorum ab Edom, seu Esau sic dictam propagasse.

V. 15. HI DUCES FILIORUM ESAU: & rursum in fine vers. 40. *Hæc ergo nomina ducum Esau in cognationibus, & locis, & vocabulis suis*. Confer diligenter quæ sunt I. Paralip. 1.

V. 24. ISTE EST ANA QUI INVENIT AQUAS CALIDAS IN SOLITUDINE. Pro *aquas* quidam *equas* legendum suspicantur. Vide Oleastrum hic.

V. 33. ET REGNAVIT PRO EO IOBAB. Quidam, ut Græci, putant hunc esse Iob, cuius patientiæ exemplum Scri-

ptu

ptura integro Libro proponit. Hieron. repugnat in Lib. Traditionum Hebraicarum in Genesin. Sed postea de hoc plenius, cum ad illum Librum ventum erit.

MARIANAE.

Vers. 2. ADA FILIAM ELON. Tres uxores Esau videntur fuisse binomiæ propter cap. XXVI. & XXVIII.

V. 4. PEPERIT AUTEM ADA, ELIPHAZ. Hic numeratur inter amicos Iob, ut Hieronym. affirmat, neque tempora discrepant.

V. 9. ESAU PATRIS EDOM, id est *Idumæorum*, ut vertit Chald.

V. 20. FILII SEIR: qui ante Esau Principes ibi erant, hoc loco numerantur: Hieronym.

V. 24. ET HI FILII SEBEON: AIA ET ANA. Quidam Hebræus pro *Aia* putat legendum *Veaia*, & *Vau* initio positum non putat adventitiam, & coniunctionem, sed radicalem. Video tamen alios omnes legere, & reddere illud nomen per *Aia*, aut per *Abia*, nempe *Vau* coniunctionem putant. INVENIT AQUAS CALIDAS. In Hebræo est vox ימם *iemim*, quam Græci intactam reliquerunt. Sept. & Theodotion in singulari τὸν ἰαμὶν. Sym. & Aquila in plurali τοὺς ἰαμὶν. Male in Regiis legitur ἰαμὶν. Chald. vertit *gigantes*, seu *fortes*. Hebræi plerique putant esse *mulos*, פרדים *peradim*, ex mixtione equi & asinæ, quod Aia mixtionem eam primus excogitavit, & fecit. Neque vero nova ea opinio est, sed ante Hieron. tempora frequens. Quod ex ipso constat in Trad. ubi ait, ea voce significari *maria*, seu *aquarum congregationem*: nempe *Aia* lacum invenit in solitudine, aut aquarum venam. Et quidem Hebr. iisdem litteris *maria* significantur, sed puncta sunt alia. Ait etiam ea voce in lingua Punica significari *aquas calidas*, quod ipse in nostra Vulgata est secutus. Sed inter alia a plerisque ait *mulos* ea voce intelligi. Quam interpretationem nec reiicimus, nec probamus.

V. 33. REGNAVIT PRO EO IOBAB. Plerique Patres hunc putant *Iob*, sed utraque vox Hebraice multum discrepat: & inter filios Nachor Hus ponitur, in qua ipse regione habitabat. Sed & hoc cap. vers. 28. ponitur Hus alter in monte Seir, a quo pars eius regionis dicta videtur; quando Thren. IV. vers. 21. *Gaude & lætare Edom, quæ habitas in terra Hus*. De qua poterat intelligi fuisse Iob, esseque Iobab, nisi litteræ utriusque vocis discreparent tantopere. FILIUS ZARAE DE BOSRA. Ex hac urbe putant fuisse Iob, nempe qui eumdem faciunt Iobab. Sane de ea Isaias cap. LXIII. *Quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra*? Et forte sic est dicta a munitione: nam ea voce Hebraice *arx* significatur. Unde quod de Didone finxerunt emisse a Mauris quantum terræ corio bovis tegeret, quod βύρσα Græce, id est *corium* significet, est verosimilius emisse aream arci extruendæ, quam *bosra* sive *bvrsa* significat Hebraice.

V. 40. ET VOCABULIS SUIS. Hebr. *In nominibus suis*. Quisque enim de suo nomine partem quam possidebat, & regionem vocavit: id ea verba significant. Ex iis quæ hoc capite extremo dicuntur de Regibus Edom, satis constat, filios non successisse ibi patribus, sed electione potestatem dari.

MALVENDAE.

Vers. 9. PATRIS EDOM. Constat provinciam Idumæam, & Idumæos dictos ab Edom, Esau, qui eam regionem obtinuit, & in ea ipse & posteri imperitarunt. Iosephus: *Esaus Hebrone fratri concessa, habitavit in Saira; & Idumææ dominatus est a se ipso denominatæ. Adomus enim cognominatur*. Et postea de filiis Esau: *Hi habitaverunt Idumææ regionem, quæ Gobolitis dicitur. Quondam enim late patentem terram Idumææ nomen complectebatur*. Eusebius, & S. Hieronymus in Locis: *Idumæa regio Esau: quæ ex eo, quod ille Edom vocabatur, nomen accepit. Est autem circa urbem Petram, quæ nunc dicitur Gabalene*. De Gabalene diximus cap. XIV. vers. 6. Strabo Lib. XVI. pag. 523. *Iudææ extrema occidentalia Casio proxima Idumæi occupant, & lacus. Idumæi quidem Nabathæi sunt; per seditionem autem inde eiecti, Iudæis se adiunxerunt, & eorum leges amplexi sunt. Ad mare autem Sirbonidis maiorem occupavere partem, & quæ deinceps sunt usque ad Ierosolymam, mari omnia vicina*. Miscet veris falsa. Male lacum Asphaltiten vocat Sirbonidem, cum sit longe diversus. Idumæam de-

describunt Plinius Lib. V. cap. XIII. & XIV. Ptolemæus Lib. V. cap. XVI. & alii. Ptolemæus, inquit: *Idumæa, quæ tota est ab occasu Iordanis fluvii*. Solinus cap. XXXVII. *Idumæa, palmis opima*. Poetæ quoque Idumæam a palmis celebrant. Virgilius III. Georgicorum.

Primus Idumæas referam tibi, Mantua, palmas.

Et Lucanus:

.... *& arbusto palmarum dives Idume.*

Celebres in Scripturis Idumæi: quos sæpius conveniemus.

V. 15. HI DUCES. אלופים *alluphim* fere omnes exponunt *ductores, duces, tribunos, doctores, magistros, rectores, principes*. Hebræi notant אלוף *alluph* corona tantum a rege distare, ac eo esse inferiorem. Ego ab אלף *eleph*, *chiliade*, *chiliarchos* proprie reddiderim: quos alibi Scriptura distinctius כרי אלפים *sare alephim*, principes chiliadum, vel chiliarchiarum appellat. Verbum *Magistri* non male quadrat. Festus: *Magistrare, regere, & temperare est. Magistrare, moderari: unde magistri non solum doctores artium, sed etiam pagorum, societatum, vicorum, collegiorum, equitum dicuntur: quia omnes ii magis ceteris possunt. Unde & magistratus, qui per imperia potentiores sunt quam privati. Magistri dicuntur in omnibus rebus, qui magis ceteris possunt; ut magistri equitum, magistri populi; item ludorum Apollinis, dixerunt antiqui*. Magister populi vocabatur *dictator*, cuius erat summa potestas in populum, ut auctor est Varro Lib. IV. de Lingua Latina, cap. XV. Virgilius de Pastoribus usurpat hoc nomen, Æneidos XII.

.... *pavidi cessere magistri.*

Servius: *Proprie magistri sunt militum; pastores pecorum. Sed reciprocæ sunt istæ translationes: nam & ductor militum, pastor vocatur; & magistros pecorum dicimus. Cicero: Nominat hominem, quem magistrum pecoris esse dicebat. Magister autem est pecoris, ad quem omnia pertinent animalia. Item pastor ut rex, & revera pastor est, & ductor exercitus, ut Homerus, Pastorem populorum*. De tribunis, aut magistris militum idem Virgilius in IX.

.... *& rerum dedit esse magistros.*

Haud ergo hic male, *Isti tribuni, ductores, magistri filiorum Esau*: qui in familiis & tribubus suis magis ceteris poterant, & erant veluti tribuni, & chiliarchæ, quod Esavitæ per tribus & chiliarchias distributi essent.

V. 20. ISTI SUNT FILII SEIR HORRAEI. Opportuna est hic S. Hieronymi observatio: *Postquam enumeravit filios Esau, altius repetit & exponit qui ante Esau in Edom terra principes fuerunt ex genere Chorræorum, qui in lingua nostra interpretantur Liberi. Legamus diligenter Deuteronomium* II. *vers.* 22. *ubi manifestius scribitur, quomodo venerint filii Esau, & interfecerint Chorræos, ac terram eorum hereditate possederint. Idcirco autem Chorræorum recordatus est, quia primogenitus filiorum Esau ex filiabus eorum acceperat concubinam* (nempe Timnagh, e vers. 12. & 22.) *Quod autem dicitur Theman, & Kenez, & Amalek, & reliqua; sciamus postea regionibus Idumæorum ex his vocabula imposita*. Vide supra cap. XIV. vers. 6. Quidam Hebræorum hic illud, *Seir Horræi*, appellative exponunt, *Seir nobilis, inclyti*: perperam, cum sit nomen gentilitium.

V. 21. DISON. Infra vers. 26. Hebraice vocatur *Disan*.

V. 24. ISTE EST ANA, QUI INVENIT AQUAS CALIDAS IN SOLITUDINE. Pro *aquas calidas*, Hebraice est ימים *iemim*: quæ vox quam semper difficilis fuerit, & abstrusi significatus, illud manifesto argumento fuerit, quod LXX. Aquila, Symmachus, Theodotion, vetustissimi Interpretes, eam in suis translationibus ininterpretatam reliquerint, nescientes plane quid esset: nam si a ים *iam*, aut ימים *iamim*, aut מים *maim*, esset; haud difficile fuisset significatum eius a mari, aut aquis eruere. Vocem peregrinam esse, nec in Hebræa, nec in vicinis linguis originem habere, plerique volunt. De ea eruditissime hic S. Hieronymus disserit: quem consule. Nullibi nisi hic reperitur. Hebræi constanter omnes *mulos* vertunt. Qui eiusmodi fabulam commenti sunt, quia hoc capite vers. 20. Sebeon & Ana dicuntur fratres, & vers. 24. Sebeon dicitur pater Anæ; inde hariolati sunt, Sebeonem cum matre sua fuisse congressum, ac genuisse ex ea per nefandum incestum ipsum Anam. Aiunt ergo, quia Ana fuit פסול *passul*, id est *profanus, nothus, spurius, pollutus, illegitimus*: idcirco invexit in mundum פסולים *pessulim*, *profana, polluta, & immunda*,

spuria, *ac illegitima* animalia, nempe *mulos*. Sed perspicue diversus fuit Ana vers. 20. ab Ana vers. 24. nam ille patruus, hic nepos eius ex fratre fuit; quasi vero inusitatum sit diversos eodem appellari nomine. Existimant igitur Hebræi, istum Anam invenisse in deserto mulos, id est procreationem mulorum, sive artem, qua generantur muli: procreatio enim mulorum artificialis potius videtur, quam naturalis: nam cum is Ana pasceret asinos patris sui Sebeon coniunxit ac commiscuit duas species, nempe asinorum & equarum, ex quorum mixtura nati sunt muli: atque ut rem novam ac singularem, memoratam e Mose. Ceterum muli generantur etiam ex equo & asina. Varro Lib. II. de Re rustica, cap. VIII. *Nam muli & hinni, bigeneri atque insititii, non suopte genere ab radicibus: ex equa enim & asino fit mulus; contra ex equo & asina hinnus. Uterque eorum ad usum utilis, partu fructus neuter*. Ex equo & asina *burdo* quoque dicitur. Plinius Lib. VIII. cap. XLIV. *Equo & asina genitos mares, hinnos antiqui vocabant; contraque mulos, quos asini & equa generarent*. Vide de hinnis Columellam Lib. VI. cap. XXXV. Fortasse utrumque genus primum excogitavit Ana. Ergo *iemim* hic *mulos* interpretantur Hebræi omnes, Lyranus, Caietanus, Sanctes, Steuchus, Reuchlinus, Vatablus, Leo Iudas, Clarius, Fagius, Munsterus, Pellicanus, Forsterus, Mercerus, Honcala, Pomarius, Marinus, Avenarius, Buxtorfius, Drusius, Immanuel, Iunius. Etymon varie enucleant: quidam ab אים *aiom*, quod novum genus, monstrificum, & horrendum, ac formidabile sit; vel quod muli soleant esse duri, indomiti, crudeles. Alii a תמם *thamam*, quod muli sint consummati, & perfecti ex duobus animalium speciebus, ut etiam cognationem habeat cum תאמים *theomim*, *gemellis*, seu *geminis*, quod muli sint veluti gemelli ex gemina specie. Sed si nomen est peregrinum, frustra erit etymon illi ex Hebraica lingua accersere. Nihil horum probat Schindlerus, vultque in prima rerum creatione iam fuisse mulos, nec eorum generationem inventum fuisse Anæ. Alii, *iemim* hic *maria*, seu *aquarum congregationes*, aut *lacus*, *stagna*, *paludes*, quæ forsitan in deserto invenerit Ana, interpretantur. Alii *thermas*, *aquas calidas*, vel *sulphuratas*, iuxta linguæ Punicæ significationem, ut annotat S. Hieronymus, exponunt, quod secutus est Noster, in quo quidam subtiliter restituunt, *Equas calidas*, ut suos mulos statuant. Nec desunt qui nostrum velint legisse, חמים *chamim*, *calores*, intellexisseque *aquas calidas*: quod ego non credo. Chaldæus interpres dixit, גבריא *ghibbaraia*, quod quidam *gigantes* interpretatur; alii *fortes prævalidos*; quasi dicat, animalia fortia, ac robusta, ut sunt muli, qui ferunt onera gravia. Nonnulli, uti refert S. Hieronymus, ימים *iemim*, putant esse *asinos velocissimos*, ex onagris & asinabus generatos; quam mixturam Ana invenerit. Ego obscuritatem vocis non illustro: quare tutius est amplecti versionem quam probat Ecclesia.

V. 31. ANTEQUAM HABERENT REGEM FILII ISRAEL. Hebr. *Antequam regnaret rex filiis Israel*. Quidam exponunt: Id est, gubernator unicus, & ordinarius, Moses, ut Deuteron. XXXIII. vers. 5. Iudicum XVII. 6. & I. Samuel. XXI. vers. 12. Alii ad Saulis tempora referunt. Sed primum est rectius; quasi dicat: Ad hanc usque nostram ætatem, cum nondum Israelitæ ab AEgyptiorum servitute liberati proprium haberent gubernatorem, administrationem liberam, quæ me gubernatore cœpit, octo isti qui sequuntur in Edomæa regnaverunt.

V. 32. NOMENQUE URBIS EIUS DENABA. Eusebius & S. Hieronymus in Locis: *Dannaba civitas Balach, filii Beor regis Edom, post quem regnavit Iob; licet mihi videatur longe aliter: & est usque hodie villa Dannabach in octavo milliario Areopoleos pergentibus Arnonem; & altera Damnalia super montem Phogor in septimo lapide Esbus*; id est, Hesebon. Est autem eisdem testibus Areopolis urbs Moabitarum.

V. 33. IOBAB FILIUS ZARAE. Hunc plerique antiquorum & recentiorum putant esse sanctum Iob, reclamante passim S. Hieronymo, & Hebræis, qui eum de stirpe Nachor fratris Abraham faciunt, Genes. XXII. vers. 21. quod mihi magis probatur: nam in eodem nomine, litteræ nominis non sunt eædem. BOSRA. בצרה *botzrah*, insignis Idumææ civitas, cuius non semel in Scriptura occurret mentio, ut Isaiæ LXIII. vers. 1. a munitione nomen habet;

bet; quasi *munitionem*, aut *arcem* dicas, quod vel arx esset, vel urbs munitissima. Hinc primum nomen Carthaginis Byrsam, vel Bysram factum fuisse nonnulli existimant, quod Phœnices Carthaginis conditores, lingua Chananæa, hoc est ipsa Hebræa, uterentur. Virgilius I AEneidos:

.... *facti de nomine Byrsan:*

quamvis ipse Virgilius, & alii Byrsam corium, tergum bovis intelligant. Vide Deuteron. IV. vers. 43.

V. 34. THEMANORUM. Eusebius, & S. Hieronymus in Locis: *Theman regio principum Edom in terra Gebalitica, a Theman filio Eliphas, filii Esau sortita vocabulum. Sed & usque hodie est villa nomine Theman distans ab urbe Petra quinque millibus: ubi & Romanorum militum præsidium sedet: de quo loco fuit Eliphaz rex Themanorum. Unus quoque filiorum Ismael appellabatur Thiman. Sciendum autem, quod omnis australis regio Hebræis Theman dicitur*. In Notitia orientalis Imperii, in Palæstina: *Cohors quarta Palæstinorum, Themanæ*, scilicet stativa habebat. Sonat Hebræis תימן *theman, dexterum*, quia respicientibus orientem, australis plaga ad dexteram est. Plinius Lib. VI. cap. XXVIII. *Nabatæis Thimanæos iunxerunt veteres; nunc sunt Taveni, Svelleni, Saraceni*.

V. 35. ET NOMEN URBIS EIUS AVITH. Eusebius, & S. Hieronymus in Locis: *Gethaita, pro qua in Hebræo positum est Avith, civitas Adad, qui quartus regnavit in Idumæa terra, quæ nunc Gabalene dicitur*.

V. 36. MASRECA. Eusebius, & S. Hieronymus in Locis: *Masracha civitas regni Edom, circa Gabalene*.

V. 37. DE FLUVIO ROHOBOTH. Hebr. *de Rechoboth fluvii*. Eusebius, & S. Hieronymus in Locis: *Roboboth iuxta fluvium*, ubi *erat rex Edom; & usque hodie est præsidium in regione Gabalena, & vicus grandis, qui hoc vocabulo nuncupatur*. De hoc præsidio puto in Notitia Imperii hæc scribi: *Ala secunda Felix Valentiniana apud præsidium*. Et mox: *Cohors quarta Phrygum, præsidio*. Ut hic Noster dixit, *De fluvio Roboboth*, I. Paralipom. 1. 48. ait: *De Roboboth, quæ iuxta amnem sita est*. Ridicule hic quidam Chaldæos paraphrastas secuti, *fluvium*, seu *amnem*. Euphratem intelligunt: quid enim urbi Idumæ, seu Gabaliticæ cum Euphrate, a quo plusquam octo dierum itinere distat. Remotius alii hic reddunt, *Ex Rechobotis ad flumen sitis*; intelliguntque Orobam Ptolemæi ad Tigrim sitam. Vide supra cap. X. vers. 11.

V. 39. NOMENQUE URBIS EIUS PHAU. Hebr. *Phagnu*. Eusebius, & S. Hieronymus in Locis: *Phogo civitas Hadar regis, quæ est in region: Gabalitica*.

V. 41. DUX PHINON. Iidem Eusebius, & S. Hieronymus: *Phenon castra filiorum Israel in deserto. Fuit autem quondam civitas principum Edom, nunc viculus in deserto; ubi æris metalla, damnatorum suppliciis effodiuntur, inter civitatem Petram & Zoaram*. Huius loci meminere Eusebius Lib. VIII. Historiæ ecclesiasticæ, cap. XVII. S. Athanasius Epistol. ad Solitarios, & Martyrologia 4. Maii. Fuit Phinon XXXVI. mansio filiorum Israel in deserto, Numerorum XXXIII. 42. sic dictus fortasse locus a stupore & consternatione, qua afficiuntur qui in metallariis serviunt, quibus membra stupent ac torpescunt. Vide Lib. VI. de Antichristo. cap. XXVIII.

V. 42. DUX CENEZ. Eusebius, & S. Hieronymus in Locis: *Cenez regio principum Idumæorum*. Vide supra cap. XV. 19. DUX MABSAR. Iidem Eusebius, & S. Hieronymus: *Mabsar usque ad præsentem diem vicus grandis in regione Gabalena: & appellatur Mabsera, ad urbem Petram pertinens*.

V. 43. DUX MAGDIEL. Iidem: *Et hæc in regione Gabalena*. Sic ergo videmus, duces istos seu chiliarchos Idumæorum a terris quibus imperabant, seu potius terras ab ipsis sumpsisse vocabula. Non una fuit causa ut dynastas Idumæorum tam accurate Moses percensuerit, cum in gratiam Esau primogeniti Iacob, tum quod Idumæi gens clara & inclyta fuerint, & tandem ad Iudaismum transierint.

MENOCHII.

Vers. 1. GENERATIONES. Enumerantur Esau generationes, ut ostendatur non irrita fuisse benedictio patris, & quia Idumæos cum Iudæis in unam gentem coalituros, Deus ab illis pro fratribus haberi voluit: Deut. XXIII. 7. IPSE EST EDOM, Esau, qui alio nomine Edom appellatur.

V. 2. Ada filiam Elon Hethaei. Hæc Gen. xxvi. 34. vocatur Iudith filia Beeri: nam olim tam viri, quam mulieres non uno tantum nomine vocabantur. Sic Iacob dicitur etiam Israel; Esau, Edom; Sara, Iesca.

V. 6. Abiit in alteram regionem, in Idumæam, quo iam ante abierat propter parentum offensam, ut patet cap. xxxiii. vers. 3. sed mortuo patre cum pascua tam multis gregibus non sufficerent, eodem rediit. Factum est hoc nutu divino, ut terra Chanaan Iacobo cederet, cui promissa fuerat.

V. 7. Divites. Imitatus est Esau consilium proavi sui Abrahæ, qui eadem de causa separatus est a Lot nepote suo.

V. 8. Ipse est Edom: ipse non mons, sed Esau.

V. 9. Patris Edom, Idumæorum.

V. 10. Filiorum eius. Nomine filiorum nepotes quoque comprehendit, sicut Matth. 1. 2. Christus dicitur *filius David filii Abraham*.

V. 15. Hi sunt duces filiorum Esau. Hic recensentur duces, num. vero 31. reges, rursum num. 40. duces in Idumæa regnantes: quia Idumæi primo amplexi sunt aristocratiam, in qua duces ex optimatum sententia rempublicam gubernabant; deinde amplexi sunt monarchiam, & reges habuerunt; tandem iterum amplexi sunt aristocratiam. Porro tam duces, quam reges electione, non successione veniebant ad principatum: quare non defunctorum filii, sed alii habenas imperii capessunt.

V. 24. Qui invenit aquas calidas. Pro *aquas calidas*, in Hebræo est ימים *iemmim*, quod vocabulum Hebraizantes mulos significare affirmant, sed Noster bene vertit: non enim cum iisdem punctis legit, sed ימים *iammim*, id est *aquas*, calidas nimirum, & medicinales.

V. 31. Antequam haberent regem, hæc Moses, ut & multa alia dicit prophetico spiritu. Alii putant addita post Mosem ab eo, qui diaria Mosis digessit. Tempore enim Mosis nulli adhuc reges in Israel.

V. 33. Iobab. Hic est Iob, speculum patientiæ.

TIRINI.

Vers. 4. Eliphaz. Hic, ex plurium sententia, est ille Themanites, seu Themanorum rex, amicus, & magnus (ut vocant) patruus Iobi; vel (ut verisimilius existimo) hic Eliphaz est avus alterius Eliphaz, qui in tertio gradu cognatus Iobo (ut dixi in eius Genealogia *a*) ipsum accessit, & cum duobus aliis solatus est afflictum, & ulceribus plenum. Erat autem noster hic senior Eliphaz primogenitus Esau; Iob vero, seu Iobab abnepos fuit Esau, tertius ab illo, quintus ab Abrahamo; secundus a morte Esau rex Idumææ, ut hic patet vers. 33. & expresse affirmant LXX. Interpretes in fine libri Iob, & fere omnes Patres ac Doctores, præter S. Hieron. qui cum Rabbinis quibusdam mavult, Iobum fuisse filium Nachor fratris Abrahæ. Sed altera opinio ut communior, ita & verosimilior est: quam tenent Philo, Aristæas, Athanasius, Chrysostomus, Augustinus, Theodoretus; & ex recentioribus Abulensis, Pererius, a Lapide, Pineda, & alii *b*. Secundum quam sententiam dicendum, Iob natum esse sub id tempus quo mortuus est Isaac eius abavus; & pertigisse ad tempora Mosis: nam vixit ducentis & pluribus annis: Iob cap. ult. vers. ult.

Petes qua ætate mortuus sit Esau. Respondeo, id nusquam ex Scripturis colligi posse; sed verosimile est, supparem fuisse Iacobo fratri suo.

Petes secundo an damnatus sit. Respondeo, verosimilius videri non fuisse damnatum. Nam delicta iuventutis facile expiavit maturior ætas: & amicus ille occursus quem fratri e Mesopotamia reduci exhibuit hic cap. xxxiii. communis sepultura Isaaco parenti exhibita cap. xxxv. forsan & convictus cum Iacobo communis apud senem parentem, saltem pacificus a fratre recessus post obitum parentis cap. xxxvi. certo declarant, ipsum se ad meliorem frugem recepisse. Et unde alioquin abnepos eius Iob virtutum exemplar, unde amici Iobi suam hauserunt pietatem, si non a parente & avo suo Esau? Quod Malachiæ 1. dicitur, *Esau odio habui*, non ad personam, sed ad posteros Esau maxime spectat, estque sermo de reiectione non a salute æterna, sed a temporali benedictione paterna, & iure pri-

primogenituræ, ut diximus cap. XXVII.

V. 24. QUI INVENIT AQUAS CALIDAS IN SOLITUDINE. Hebræum *immim*, quo modo legunt Rabbini recentiores, Eugubinus, Vatablus, Caietanus, Pagninus, Forsterus & Tigurini vertunt *mulos*; quasi hic Ana primus mulorum procreationem adinvenerit, adactis asinis in equas: Chaldæus *fortes*, vel *gigantes* vertit. Sed dico cum S. Hieronymo *c*, *iammim* (sic est in Hebræo) proprie significare collectionem aquarum; & hic de vere calidis, seu tepentibus, ac consequenter medicam vim habentibus aquis, Scripturam intelligendam esse; quales etiam hodie in thermis Aquensibus, & aliis quibusdam locis reperiuntur: quas quia primus hic Ana detexit, earumque usum frequenti experimento corporibus salutarem esse deprehendit, ac prodidit; earumdem inventor hic dicitur, & rei novæ auctor perhibetur.

V. 37. DE FLUVIO ROHOBOTH. Hebræa, Chaldæa, & Græca legunt, *De Rohoboth fluvii*, id est de civitate Rohoboth sita iuxta fluvium Euphraten, de qua dixi Genes. X. vers. 11. & rursus dicam I. Paral. 1. vers. 48.

(*a*) Cronici cap. XLVI.
(*b*) Philo citatus ab Abulensi hic. Aristæus apud Eusebium Lib. IX. de Præparat. Evang. cap. ult. Athanas. in Synopsi. Chrysost. homil. XXI. di patientia Iob. Aug. Lib. XVIII. de Civit. cap. XLVII. Theodor. & reliqui hic. Pineda in cap. 1. Iob. vers. 1.
(*c*) Hieron. in QQ. Heb.

GORDONI.

Vers. 2. HOc capite describuntur posteri, & duces in familia Esau: in quorum catalogo videntur interdum nomina variari hic, & supra cap. XXVI. An quia plura unius (præsertim uxoris) nomina; an quia unius viri plures uxores; aut plurium idem nomen. Certe uxores Esau videntur binoniæ. At quomodo vers. 24. eadem nomina dantur viris quæ mulieribus? Ita quidem est in Latina editione; sed omnino puto hæc nomina ut dantur viris habuisse olim in Heb. aliquam diversitatem: ad quod facit illud quod aliqui dicunt in Hebræo *τὸ Vau* in virorum nominibus non esse coniunctivum, sed velut radicale. Denique hic non eadem notatur persona, licet daretur esse idem comune nomen, ut quotidie videmus contingere. ADA vocatur Iudith Genes. XXVI. 34.

V. 6. Sane cum redibat Iacob e Mesopotamia, cap. XXXII. habitabat Esau ad montem Seir: quomodo nunc post mortem patris sui Isaac, dicitur eo ivisse? Solvit hoc August. Quæst. CXIX. in Genes. quando Iacob venit ad patrem, eodem etiam tunc venisse Esau: & cum duo hi filii parentassent patri, tunc Esau rediisse Seir.

V. 8. IPSE EST EDOM. Non montem designat, sed ipsum Esau.

V. 9. ESAU PATRIS EDOM. Idumæorum.

V. 15. DUCES. Nunc duces vocat, nunc reges: unde aliqui notant mutatam tunc formam regiminis in hac nominis mutatione. Putantur tamen omnes ex electione constituti, non iure successionis.

V. 24. AQUAS CALIDAS, ימים. Ex mutatione punctorum ita mutant Scriptores significationem huius vocis Hebraicæ, ut ex re facili effecerint quæstionem difficilem. ים & ימים *maria*, *aquæ*. Sed recte sub iisdem litteris mutationem punctorum, Septuaginta, & Hieronymus *aquas calidas* dant; & certe, quod est probabilius, vim medicam habentes. Passim tales sunt in Gallia, & alibi.

V. 31. ANTEQUAM. Si non est hoc adiectum ab eo qui diaria Mosis digessit, sed ab ipso Mose; debuit ipse spiritu prophetico prævidisse futuros reges Israelitarum.

V. 33. IOBAB. Aliqui putant hunc esse Iob; sed in Hebr. nominum litteræ valde discrepant. Et Iob vixisse cum Mose aliqui arbitrantur.

CA-

CAPUT XXXVII.

Ioseph fratres apud patrem accusans, visaque somnia narrans, fratrum odium in se concitat: quare primum volentes illum occidere, consilio Iudæ vendunt Ismaelitis inscio Ruben: a patre autem lugetur, & in Ægypto Putiphari venditur.



1 HAbitavit autem Iacob in terra Chanaan, in qua pater suus
peregrinatus est. 2. Et hæ sunt generationes eius: Ioseph
cum sedecim esset annorum, pascebat gregem cum fratri-
bus suis adhuc puer: & erat cum filiis Balæ, & Zelphæ
uxorum patris sui: accusavitque fratres suos apud patrem
crimine pessimo. 3. Israel autem diligebat Ioseph super
omnes filios suos, eo quod in senectute genuisset eum:
fecitque ei tunicam polymitam. 4. Videntes autem fra-
tres eius quod a patre plus cunctis filiis amaretur, oderant eum, nec pot-
erant ei quidquam pacifice loqui. 5. Accidit quoque ut visum somnium referret
fratribus suis: quæ causa maioris odii seminarium fuit. 6. Dixitque ad eos:
Audite somnium meum quod vidi: 7. Putabam nos ligare manipulos in agro;
& quasi consurgere manipulum meum, & stare, vestrosque manipulos circum-
stantes adorare manipulum meum. 8. Responderunt fratres eius: Numquid
rex noster eris, aut subiiciemur ditioni tuæ? Hæc ergo causa somniorum,
atque sermonum, invidiæ, & odii fomitem ministravit. 9. Aliud quoque vi-
dit somnium, quod narrans fratribus, ait: Vidi per somnium, quasi solem,
& lunam, & stellas undecim adorare me. 10. Quod cum patri suo, & fratri-
bus retulisset, increpavit eum pater suus, & dixit: Quid sibi vult hoc so-
mnium quod vidisti? Num ego, & mater tua, & fratres tui adorabimus te su-
per terram? 11. Invidebant ei igitur fratres sui; pater vero rem tacitus con-
siderabat. 12. Cumque fratres illius in pascendis gregibus patris morarentur
in Sichem, 13. dixit ad eum Israel: Fratres tui pascunt oves in Sichimis:
veni, mittam te ad eos. Quo respondente, 14. Præsto sum; ait ei: Vade,
& vide si cuncta prospera sint erga fratres tuos, & pecora: & renuntia mihi
quid agatur. Missus de Valle Hebron, venit in Sichem: 15. invenitque eum
vir errantem in agro, & interrogavit quid quæreret. 16. At ille respondit:
Fratres meos quæro, indica mihi ubi pascant greges. 17. Dixitque ei vir:
Recesserunt de loco isto: audivi autem eos dicentes: Eamus in Dothain. Per-
rexit ergo Ioseph post fratres suos, & invenit eos in Dothain. 18. Qui cum
vidissent eum procul, antequam accederet ad eos, cogitaverunt illum occide-
re: 19. & mutuo loquebantur: Ecce somniator venit: 20. venite, occidamus
eum, & mittamus in cisternam veterem: dicemusque: Fera pessima devoravit
eum: & tunc apparebit quid illi prosint somnia sua. 21. (a) Audiens autem
hoc Ruben, nitebatur liberare eum de manibus eorum, & dicebat: 22.* Non
interficiatis animam eius, nec effundatis sanguinem; sed proiicite eum * in
cisternam hanc, quæ est in solitudine, manusque vestras servate innoxias.

Hoc

Hoc autem dicebat, volens eripere eum de manibus eorum, & reddere patri suo. 23. Confestim igitur ut pervenit ad fratres suos, nudaverunt eum tunica talari & polymita, 24. miseruntque eum † in cisternam veterem, quæ non habebat aquam. 25. Et sedentes ut comederent panem, viderunt Ismaelitas viatores venire de Galaad, & camelos eorum portantes aromata, & resinam, & stacten in AEgyptum. 26. Dixit ergo Iudas fratribus suis: Quid nobis prodest si occiderimus fratrem nostrum, & celaverimus sanguinem ipsius? 27. Melius est ut venumdetur Ismaelitis, & manus nostræ non polluantur: frater enim & caro nostra est. Acquieverunt fratres sermonibus illius. 28. *Et prætereuntibus Madianitis negotiatoribus, (b) extrahentes eum de cisterna, vendiderunt eum Ismaelitis, * viginti argenteis: qui duxerunt eum in AEgyptum. 29. Reversusque Ruben ad cisternam, non invenit puerum: 30. & scissis vestibus pergens ad fratres suos, ait: Puer non comparet, & ego quo ibo? 31. Tulerunt autem tunicam eius, & in sanguine hædi, quem occiderant, tinxerunt: 32. mittentes qui ferrent ad patrem, & dicerent: Hanc invenimus: vide utrum tunica filii tui sit, an non. 33. Quam cum agnovisset pater, ait: Tunica filii mei est: fera pessima comedit eum, bestia devoravit Ioseph. 34. Scissisque vestibus, indutus est cilicio, lugens filium suum multo tempore. 35. Congregatis autem cunctis liberis eius ut lenirent dolorem patris, noluit consolationem accipere; sed ait: Descendam ad filium meum lugens in infernum. Et illo perseverante in fletu, 36. Madianitæ vendiderunt Ioseph in AEgypto Putiphari eunucho Pharaonis, magistro militum.

(a) Inf. xlii. 12. (b) Sap. x. 13.

BRUGENSIS

Romanae Correctiones.

V. 22. *Non interficiatis animam eius, nec effundatis sanguinem*. Utrumque verbum secunda persona legitur, *interficiatis*, *effundatis*; neutrum prima, *interficiamus*, *effundamus*.

ibid. *In cisternam hanc*. Pronomen *hanc* non est commutandum cum nomine *veterem*.

V. 28. *Et prætereuntibus Madianitis*. Nec hic nomen *Madianitis* cum altero *Ismaelitis*.

ibid. *Viginti argenteis*. Denique nec hic numerus minor *viginti* mutandus est cum maiore *triginta*.

Lectionum Varietas.

V. 24. *In cisternam veterem, qua non habebat aquam*. Non absque causa omittitur ab aliis manuscriptis nomen adiectivum *veterem*.

COMMENTARIA

S A.

Vers. 2. SEDECIM. Hebr. Chald. & LXX. *septemdecim*. Dicitur autem Isaac tunc fuisse 167. annorum. Iacob autem 107. ACCUSAVITQUE FRATRES SUOS APUD PATREM CRIMINE PESSIMO. Hebr. *detulit ad patrem infamiam eorum malam*.

V. 3. POLYMITAM, idest ex variis liciis, seu filis, adeoque diversorum colorum.

V. 10. NUM EGO, ET MATER TUA, ET FRATRES TUI ADORABIMUS TE: id in Christo impletum: Aug. in Genes. quæst. cxxiii.

V. 20. CISTERNAM VETEREM. Hebr. Chald. & LXX. *unam cisternam*. QUID ILLI PROSINT. Hebr. *Quid erunt*, vel *fuerint*.

V. 23.

V. 23. TALARI. Hebr. *sua*.

V. 24. VETEREM. Hebr. *vacuam*.

V. 25. STACTEN, idest myrrhæ liquorem.

V. 27. MELIUS EST UT VENUMDETUR. Heb. *Venite, & vendamus eum*. POLLUANTUR. Hebr. *sint in eum*.

V. 28. VIGINTI ARGENTEIS, scilicet siclis. LXX. *viginti aureis*.

V. 34. CILICIO. Hebr. *facco*.

V. 35. INFERNUM, idest inferos, ubi olim Patres, secundum Hieron. epist. xxv. nunc Limbus dicitur. Quidam tamen sepulcrum intelligunt; sed repugnat quod dicit, *ad filium meum*.

V. 36. EUNUCHO, idest principi, seu cubiculario. Vide cap. xxxix. MILITUM. Hebr. *coquorum*: scilicet sic vocat Scriptura milites, quod more coquorum homines mactent. Alii carnifices putant significari.

ESTII.

Verf. 2. ACCUSAVITQUE FRATRES SUOS CRIMINE PESSIMO. Quod fuerit illud crimen, præstat ignorare, quam curiose scrutari, cum Spiritus sanctus illud exprimere noluerit. Nec debemus esse nimium male suspicaces de peccatis aliorum occultis. Sed cur Ioseph non prius corripuit fratres, quam eos apud patrem accusaret? An quia videbat id sine fructu futurum? Nempe quod iunior esset, & solus; fratres autem multi, & natu maiores. Hebræa sic habent: *Et retulit Ioseph infamiam eorum malam ad patrem eorum*. Septuaginta habent velut contrarium sensum: *Et attulerunt contra Ioseph vituperium malum ad Israel patrem suum*: & hoc magis convenit in eam rem, cuius typum Ioseph gerebat. Nam Iudæi Christum accusabant blasphemiæ, ipse autem Christus negat se accusaturum Iudæos apud Patrem. Nihilominus cum versio Latina ex Septuaginta habeat conformiter Hebræo: *Attulit autem Ioseph vituperium malum ad Israel*: propter dictum typum lectio nostra & Hebræa non sunt mutandæ.

V. 3. ISRAEL AUTEM DILIGEBAT IOSEPH. Sed quare non potius diligebat Beniamin, utpote minimum natu? Ad hoc respondeni potest, Ioseph tantum comparari cum filiis grandioribus, quorum mentio præcessit; Beniamin vero adhuc admodum puer erat. Alii attendentes, quod in Hebræo ad verbum legitur, *Eo quod filius senectutis esset ipse*, hoc modo exponunt: Israel præ ceteris diligebat Ioseph, eo quod filius sapiens esset, quodque in eo senilis quædam gravitas morum, & sapientia reluceret. Quam expositionem habet etiam interpres Chaldæus.

V. 3. FECITQUE EI TUNICAM POLYMITAM. Videat qui velit de hac tunica prolixe Liranum, Burgensem, & Replicatorem. *Polymiton* Græc. id est *multis filis contextum*, quasi multorum filorum.

V. 5. ACCIDIT QUOQUE UT VISUM SOMNIUM REFERRET. Somnia hæc sua Ioseph non legitur interpretatus, sicut postea interpretatus est somnium Pharaonis. Nempe non videtur ei Deus suorum somniorum adhuc intelligentiam eo tempore revelasse, ne forte efferretur in superbiam; tum etiam quia satis proclive erat patri, & fratribus ex ingenii sagacitate coniectare quid ea somnia sibi vellent. Unde & notanter de patre legitur quod rem tacitus considerabat.

V. 7. & 9. CIRCUMSTANTES ADORARE MANIPULUM MEUM: ac deinde: ALIUD QUOQUE VIDIT SOMNIUM.... QUASI SOLEM, ET LUNAM, ET STELLAS UNDECIM ADORARE ME. Priori in somnio nihil significatur de patre & matre, sed tantum in posteriori. Quæ diversitas duorum somniorum ipso etiam eventu comprobata est: nam primum quidem soli fratres ob escas emendas missi in AEgyptum, Ioseph ut principem terræ adoraverunt, ut habetur infra cap. XLII. & XLIII. Postmodum vero cum patre, totaque familia iidem fratres in AEgyptum commigrantes, simul quoque universi eum adoraverunt. Nec movere debet, quod mater eius Rachel, iamdudum antea mortem obierat: nam sane Bala, quam Rachel sibi substituerat, eratque patris eius uxor, ac proinde noverca, adhuc tunc cum ingrederentur AEgyptum vivere potuit. Quod si dicas, non legi, nec etiam patrem ipsum adorasse Ioseph; immo contrarium videatur, nempe quod Ioseph ipsi patri honorifice occurrerit cap. XLVI. respondeo somnium hoc saltem impletum,

qu a

quia Iacob antequam sciret Ioseph esse principem AEgypti, cap. XLIII. per filios mittit ad eum munera, quæ non solent offerri sine adoratione, & quidem totius familiæ suæ nomine; itaque etiam nomine uxoris, vel uxorum, quæcumque tunc superfuerint. Hinc & toties filii Iacob ad Ioseph cap. XLIV. *Cum ergo ascendissemus ad famulum tuum patrem nostrum* : & rursum, *Si intravero ad servum tuum patrem nostrum*.

V. 16. FRATRES MEOS QUAERO. Figuram Christi nota in his verbis. Nempe Christi fratres erant Iudæi, de quibus dicit Matth. XV. 24. *Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israel*.

V. 28. ET PRAETEREUNTIBUS MADIANITIS.... VENDIDERUNT EUM ISMAELITIS. Pro eo quod priori loco est *Madianitis*, quædam exemplaria etiam habent *Ismaelitis*, sed male : nam *Madianitis* legunt constanter omnia mss. suffragantur etiam Hebræa, Chaldæa, & Græca, quomodo etiam infra legitur, omnibus exemplaribus consentientibus: *Madianitæ vendiderunt Ioseph in AEgypto*. Sed quomodo ergo iidem modo Ismaelitæ vocantur, modo Madianitæ; cum constet Ismaelem, & Madian diversos fuisse filios Abrahæ; & Madianitarum gentem diversam fuisse ab Ismaelitis seu Agarenis? Ad hoc respondet Augustinus in Quæst. Agar & Ceturam forte fuisse eamdem feminam; sic & nationes has fuisse permixtas. Ferte etiam hanc solutionem firmant, quæ sunt Iudicum VII. & cap. VIII. de Madian, & Amalec.

V. 29. VENDIDERUNT EUM VIGINTI ARGENTEIS. Septuaginta habent *aureis*, χρύσων. Forte iis viginti argenteis, valentibus parvos aureos. Sane *argenteis* legendum esse, non *aureis*, testatur quoque S. Hieron. in XXVI. Matthæi.

V. 35. DESCENDAM AD FILIUM MEUM LUGENS IN INFERNUM. Vel infernus lymbum patrum significat, vel generaliter per infernum significatur status mortuorum. Porro verba sunt significantia magnitudinem doloris; quasi dicat : Morior præ dolore : *Tristis est anima mea usque ad mortem*. Nequaquam vero potest de sepulcro accipi : nullo enim modo sperabat Iacob commune sepulcrum cum Ioseph, utpote quem existimabat a fera devoratum. An vero alibi aliquando nomine inferni sepulcrum significetur, vide Iob XVII.

MARIANAE.

Vers. 2. ETHAE SUNT GENERATIONES EIUS, scilicet Iacob. Quo loco melius cohærent quæ cap. XXXV. sunt posita a vers. 23. usque ad 26. & post illos sequitur quod de Ioseph hic narratur. Quidam per generationes intelligunt quæ evenerunt ipsi Iacob. IOSEPH CUM SEDECIM ESSET ANNORUM. Hebr. & Græce, *decem & septem* : sic etiam Chald. Iacob erat annorum 107. Nimirum expleverat annum 16. cœperat 17.

V. 3. FECITQUE EI TUNICAM POLYMITAM. Hebr. פַּסִּים *pasim*. Quidam *tunicam talarem*, alii *manicatam* vertunt. Hieron. *polymitam*, idest *varii coloris*; quod dixit etiam Chald. Vis quidem vocis פסים nota non est. *Frusta* quidam significare putant, quasi vestis ex multis ac variis partibus, & quasi centonibus; alii fila tenuia & varia, ex quibus tunica esset contexta. Hebræus כתנת *chethoneth*, *tunicam intimam* interpretatur *tenuem & mollem*, quam camisiam dicimus, & ab ea videatur χιτὼν deduci Græcis, Latinis *tunica* litteris transpositis.

V. 18. COGITAVERUNT ILLUM OCCIDERE. Vox Hebraica *hithnachelu* aliquid amplius quam cogitationem significat, nempe quæ in opus prodit. Sept. proprius vim vocis expressere cum dixere, *malignati sunt*. Ego dicerem, *mente machinati sunt eum occidere*; sed perinde est.

V. 20. IN CISTERNAM VETEREM. Hebr. *in unam cisternarum* : sic Sept. & Chaldæus.

V. 21. NITEBATUR EUM LIBERARE. Hebr. *Liberavit eum*. Sept. *Abstulit eum de manibus eorum* : prohibuit cædem.

V. 22. IN CISTERNAM HANC. Heb. *in puteum hunc* : אל הבור הזה. Sunt duæ voces Hebraicæ in putei significatione בְּאֵר & בור hoc discrepantes, quod *bear*, *puteum manantis in eo aquæ* : *bor*, *exterius infusæ*, significat, certe *cisternam*, ut posuit Hieron. Schol. Hebræus ait, *bear* significare *puteum effossum* tantum; *bor*, *adiecto ædificio*, & *parietibus*.

V. 23. NUDAVERUNT EUM. Hebr. *Fecerunt nudare*; nempe, ut ipsemet eam tunicam exueret. TALARI. Hebr. *sua*.

V. 24. VETEREM. Hebr. & Gotth. non est vox *veterem*.

V. 28. VENDIDERUNT..... VIGINTI ARGENTEIS. Sept. *viginti aureis*. Porro argenteis singulis sicli pondus erat: sic puto.

V. 35. CONGREGATIS AUTEM CUNCTIS LIBERIS EIUS. Hebr. *Surrexerunt omnes filii eius, & omnes filiæ eius*, ut scilicet Iacob consolarentur. Filias vocat Dinam, & nurus. DESCENDAM AD FILIUM MEUM LUGENS IN INFERNUM. Sept. εἰς ᾅδου. Chald. לשאול *lifeol*. Pagn. & Leo Iudæ pro *inferno*, *sepulcrum* posuere: neque hoc loco multum referebat. Id significare vult: Moriar, nam mortuo filio vivere non possum. Istud cavendum, ne voce שאול *seol* dicamus semper significari *sepulcrum*; unde gradus fiat ad negandum Christi ad inferos descensum. Psalmo sane xv. vers. 10. *Non derelinques animam meam in inferno*, Lucas certe Act. II. vers. 27. & Sept. in eo Psalmo pro voce *seol* ᾅδην dixere, quæ vox manifeste *infernum* significat. Inter Iudæos, Kimhi in Psal. IX. vers. 18. in ea verba, *Convertantur peccatores in infernum*, vocem לשאולה *lisolah* ait tum *gehennam*, tum *secundam mortem* significare, ה litteræ indicio, quæ in fine vocis *seol* additur; quod etiam hoc loco Gen. fit.

V. 36. PUTIPHARI EUNUCHO. Mitto Iudæorum fabulam quam in Trad. Hieronym. refert: sed certe vir ille eunuchus non fuit, qui uxorem habuit, & filiam, quæ Iosepho nupsit. Sed mos eorum regum, qui in obsequiis domesticis eunuchis utebantur fere, id præstitit ut regum intimi, & vero ministri omnes vocarentur eunuchi. Porro vox Hebraica סריס *feris principem* significare potest, quod Chald. hic reddit; & vox *eunuchi* a benevolentia derivata, facit, ut in alios præter spadones possit convenire principi gratos. Quod autem additur MAGISTRO MILITUM, Septuag. dixere ἀρχιμαγείρῳ, hoc est, *equorum principi*, alii, *principi lanionum*; id enim vox Hebr. טבחים *tababim* significat, sive *mactantium*. Verum eodem referuntur omnia: nam & Nabuzardan dux militum, valet idem quod princeps coquorum. Porro laniones, coqui, & mactantes iidem erant: coqui ipsi pecudes occidebant, quas coquere volebant. Tunt eæ voces transferuntur ad milites, quoniam ut illi pecudes, ita ipsi homines mactant. Sed & vox μαγειρεύειν Græcis *occidere* significat: Hieronymus in. Tradit.

MALVENDAE.

Vers. 2. HAE SUNT GENERATIONES EIUS, id est eventa, casus incidentia, res gestæ, historiæ Iacob: nam hic non numerat eius progeniem aut genealogiam, quia id iam fecerat cap. XXXV. vers. 23. Vide Gen. II. vers. 4. & Genes. VI. vers. 9. quasi dicat, ista contigerunt ipsi Iacob. ADHUC PUER; ET ERAT CUM FILIIS BALAE, ET ZELPHAE. Hebr. *Et ipse excussus* puer adhuc) *cum filiis Bilhah, & cum filiis Zilphah*. Quidam intelligunt quod versabatur, nutriebatur, educabatur cum &c. quod illi, utpote filii secundariarum uxorum, non adeo typho ac fastu tumebant ut alii, qui non patiebantur sibi æquari, nedum præferri Iosephum. Illi ergo æquiores & benigniores erant Iosepho. Alii hic puerum, seu excussum non tam ætate, quam ministerio capiunt, cuius ratione Iosue ætate maturus, puer, id est minister, Mosis dicitur, Exodi XXXIII. II. & Giezi puer Elizei, II. Regum IV. 12. quasi dicat: Patri, fratribusque ministrabat. & utrisque pro mediastino erat. Nonnulli in peiorem partem intelligunt, quod erat minister cum filiis Balæ, &c. id est eo utebantur tamquam famulo, & vilioribus filiis inserviebat, excussus atque extrusus ad illorum ministerium, quasi contumeliæ causa. ACCUSAVITQUE FRATRES SUOS APUD PATREM CRIMINE PESSIMO. Hebr. *Et venire fecit Ioseph* דבתם *dibbatham infamiam eorum malam ad patrem eorum*. דבה *dibbah* novies in Scriptura occurrit. Noster Numeror. XIII. 33. cap. XIV. 36. per *detrahere* convertit, Prov. XXV. 10. per *exprobare*, Psal. XXX. 14. *vituperationem* dixit, Proverb. X. 18. Ieremiæ XXX. 10. *contumeliam*, Ezechiel. XXXVI. 3. *opprobrium*, hic *crimen pessimum*. Aiunt significare recitationem, relationem, seu murmur alicuius facti turpis, & mali odoris, sive ve-

verum sit, sive falsum; semperque accipi in malam partem, & congruere significatione cum nomine דפי *dophi*, *infamia*, *diffamatione*; reddendumque volunt vocabulo *infamiæ*, *diffamiæ*, seu *diffamationis*, aut *infamationis*, *detractionis*. Alii *fumum* exponunt. Plerique putant generaliter significare *sermonem malum*, & *turpem*, *oblocutionem*, *rumorem*, *convicium*, *contumeliam*, *detractionem*, *infamiam*, *diffamationem*. Conferunt cum דב *dab*, *stercus*; quasi sit *oblocutio*, *murmur*, *mussitatio stercorea*, *putris*, *putens*, *prave olens*, ac si dicas *graveolentiam*. Notant, quod quando nomen דבה *dibbah* construitur cum verbo יצא *iatzah* in Hiphil, id est *proferre*, significare infamiam falsam, hoc est falso alicui illatam, ut Numeror. XIII. 33. & Proverb. X. 18. ubi vero subiungitur verbo בוא *bo* in Hiphil, id est *venire fecit*, de infamia vera, hoc est, cuius nomine vere aliquis defertur, esse intelligendum; ut hic. Alias ubi reperitur sine alterutro verbo, ex loci circumstantia & sensu deprehendendum esse de utra infamia vera, an falsa sit sermo. Ergo hic convertunt: *Et detulit Ioseph famam eorum malam ad patrem ipsorum*, id est factum mali odoris. Melius reddideris: *Oblocutionem*, *murmurationem*, *rumorem*, *detractionem eorum malam*. Passive possit intelligi; id est, detulit aliquod eorum turpe factum probrosum, contumeliosum, infame; & active, id est oblocutionem, detractionem, murmurationem, qua ipsi patri & fratri obloquebantur, & detrahebant; nimirum quod inique faceret Iacob, qui natu posteriorem maioribus amore & dignatione præferret. Quidam non tam recte exponunt, quod contestatus ac conquestus fuerit apud patrem de contumeliis, quibus ipsum afficiebant. Alii: *Deferebat eorum male actam vitam ad patrem*.

V. 3. EO QUOD IN SENECTUTE GENUISSET EUM. Heb. *Quia filius senectutum ipse ei*. Noster intellexit quod in senectute genuisset eum. Sic de Beniamin cap. XLIV. vers. 20. Alii quod eo in senectute sua impensius oblectabatur. Nonnulli quod maturitate iudicii, ingenio, sapientia, prudentia senilem præferret ætatem. TUNICAM POLYMITAM, id est *multifilam*, *multiliciam*, *variam*, *variegatam*, *diversicolorem filorum* & *liciorum varietate contextam*. Hebr. *Tunicam* פסים *passim*. Quidam vocem פס *pas* ex Chaldaico significato derivant, id est *manus*, *vola*, *particula*; exponuntque, *Tunicam particularum*, *frustulorum*, *tunicam manuum*, idest quæ ex particulis, frustulis variorum colorum, quæ manus magnitudinem non excederent, consuta erat. Alii, *Tunicam filorum*, *liciorum*, quæ ex diversicoloribus filis & liciis contexta erat. Hispanice dicimus *zarzaan*. Cuiusmodi vestes orientalibus etiam nunc sunt in usu. Nonnulli, consentiente voce Latina, *Tunicam passam sparsam*, id est variam multiplicium colorum, & filorum diversitate figuratam, pictam, confectam. *Togam palmatam*, & *pictam* aliqui putant. Chaldæi reddiderunt hic פרגות *paracoth*. *Paragaudem* quidam intelligunt, genus vestis, cuius meminere Trebellius Pollio in Claudio, Flavius Vopiscus in Aureliano: quam vocem ibi elucidant Casaubonus, pag. 225. & Salmasius, qui ex Hesychyo eruit Parthicam fuisse vestem. Rabbini voce *paracoth* utuntur pro *velis*, *cortinis*, *aulæis*. Ego secutus Nostrum Psalm. XI. vers. 2. facile reddiderim, *Tunicam minutorum*, seu *deminutorum*, id est minutorum frustorum, seu minutarum particularum & centonum. Mire variegatam, & diversitate consutam, vel confectam. Quinquies hæc vox in divinis libris occurrit, ter in hoc cap. vers. 2. 23. 32. & I. Samuel. XIII. 18. 19. ubi *talarem* Noster exposuit.

V. 10. NUM EGO, ET MATER TUA, ET FRATRES TUI ADORABIMUS TE? Magnas hic cient expositores quæstiones, quomodo possit istud intelligi de matre, quæ vel iam tum mortua fuit, vel certe Iosephum non adoravit. Quidam verba refutantis esse volunt; ac si dicat: Quomodo mater tua, quæ iam obiit, te est adoratura? Vel, Ergo resurrectura erit mater tua, quæ te adoret? Alii de matre, id est noverca, ut Lea, intelligunt, aut alia ex concubinis. Sed Lea videtur iam defuncta ante ingressum Iacob in AEgyptum, e Genes. XLIX. vers. 31.

V. 17. IN DOTHAIN. Eusebius, & S. Hieronymus in Locis Hebraicis: *Dothain, ubi invenit Ioseph fratres suos pecora pascentes; qui usque hodie in duodecimo a Sebaste* (Samaria) *milliario contra aquilonis plagam ostenditur*. Brocardus: *De Nason villa in Tobia tres sunt leucæ ad Dotaim*

castrum sub monte Bethuliæ, ubi Ioseph erravit cum quæreret fratres suos. Castrum seu oppidum Dothaim situm sub monte Bethuliæ, est admodum amœnum : nam habet circumiacentes vineas, oliveta, & ficeta; abundatque pascuis pinguibus : ubi usque in hodiernum diem ostenditur cisterna, si incolis fides sit adhibenda, in quam Ioseph missus fuit. Per hunc locum transit iter a Syria in AEgyptum. Vide II. Regum XVI. vers. 13.

V. 18. COGITAVERUNT. Verbum נכל *niccel* in Hithpahel tantum hic occurrit, & Psalm. CIV. 25. ubi Noster *dolum facerent* vertit. Sed varie locum interpretantur. I. *Et consummaverunt eum ad occidendum eum*; id est, consummato consilio cogitaverunt eum occidere; seu *concluserunt ut occiderent ipsum*. II. *Et machinati sunt contra eum, ut interimerent eum*. III. *Et acclinaverunt se ad occidendum eum*; id est, machinati sunt ei necem. Ut verbum *niccel* consonet cum Latino *inclino*, *acclino*. IV. *Et dolosos se reddiderunt in eum ad occidendum*. V. *Et fraudulenter agebant cum eo, ut occiderent ipsum*. VI. *Et insidiati sunt, insidias struxerunt in eum, ut interficerent eum*. Aiunt significare *consummavit*, *perfecit animo*, *seu apud se*, scilicet malum, *machinatus est* malum, *concepit in animo* malum, *excogitavit* malum., *insidiatus est dolose*, *insidias struxit*, *molitus est dolos*, *callidus*, *versutus fuit*; & semper, ac ubique in malum, ad insidias, fraudes, dolos, machinationes, technas sumitur. Conferunt cum verbo כלה *chalah*, *consummavit*, *perfecit*, *conclusit*.

V. 25. VIDERUNT ISMAELITAS VIATORES. Pro voce *viatores*, Hebraice est אורכה *orechah*, nomen substantivum, quod bis tantum legitur in Bibliis, hic & Isaiæ XXI. 13. ubi Noster *semitas* vertit. Aiunt esse *viatorium*, *comitatum*, *cohortem*, *cœtum commeantium*, *turbam*, seu *turmam viatorum*, *itinerantium*. Italice *comitiva*. Consentiente voce, proprie est quam in oriente vocant *caravanam*. Alii *cafilam*. Vox, & res notissima orientalibus, præsertim Arabibus, quibus tantum in Scriptura tribuitur, nempe longum agmen camelorum, iumentorum, & hominum itinerantium, & merces suas, seu res ad certa loca portantium, per vastas etiam orientis solitudines. Caravanarum frequentissima mentio, & usus in itinerariis orientalibus. Vide Ludovicum Vartomannum Lib. I. suarum Peregrinationum, cap. XV. & XX. Scaliger Exercitatione 209. §. 2. *Carovana Syrum nomen est, a Gallis tropa, ab Italis drapello, a Troglodytis negada dicitur : comitatum significat*. ISMAELITAS. Eusebius in Chronicis, numer. 88. *Abraham ex Ancilla Hagar genuit Ismaelem, a quo Ismaelitarum gens, quæ postea Agareni, deinde Saraceni dicti*. S. Epiphanius Lib. I. colum. 8. *Et qui ex ancilla natus est nomine Ismael. Occupat autem hic & extruit appellatam Phares* (Pharan potius) *in deserto. Nascuntur autem huic filii, numero duodecim, ex quibus sunt tribus Agarenorum, sive Ismaelitarum, qui nunc Saraceni vocantur*. Et Hæresi XXX. colum. 133. *Sed & Saraceni, qui & Ismaelitæ*. Ismaelitas per tribus & chiliarchias distributos, Genes. XXV. vers. 16. dicitur : & notum est ex Procopio, Evagrio, aliisque eius ævi scriptoribus, qui Arabum scenitarum dynastas, chiliarchos nominant, ut etiam Ammianus Marcellinus Lib. XXIV. cap. V. & Sextus Rufus in Breviario, cap. XIV. & S. Hieronymus in XXV. Genes. Qui in Genes. XVI. ad vers. 12. de Ismaelis semine: *Semen eius habitaturum in eremo*, id est *Saracenos*. Et in Isaiæ XVI. *Cedar autem regio Saracenorum est, qui in Scriptura vocantur Ismaelitæ*. Et in Ezechiel. XXV. *Ismaelitas & Agarenos, qui nunc Saraceni appellantur, assumentes sibi falso nomen Saræ, quo scilicet de ingenua & domina videantur esse generati*. Chaldæus Interpres hic pro Ismaelitis *Saracenos* substituit. Stephanus *Saracenos* a *Saraca* Arabiæ regione Nabathæis finitima, dictos putat. Saracenos esse Arabes nomadas, & scenitas non est dubium. Ammianus Lib. XXII. cap. XXXIV. *Et scenitas prætenditur Arabes, quos Saracenos nunc appellamus*. Iosephus Scaliger, & Valentinus Schindlerus annotant. Saracenos nuncupatos a verbo Arabico *sarak* cum Samech, id est *furari*; quasi dicas, *furaces*, *listricos*, *latrones*, quales qui Turcis dicuntur Cosaki Tartari, quales Martolossi, quales Bandolieri in Pyrenæis, furto, & rapto vivere solitos, quales etiam Bucoli in AEthiopicis Heliodori. Ridiculus Scaliger qui ait : *Non habemus vetustiorem Ptolemæo, qui eorum meminerit*; cum diserte eos nominet Plinius Lib. VI. cap. XXVIII. Explodendi,

di, qui a *Sara* uxore Abrahæ *Saracenos* appellant. Quæso, ob quam causam? cum alioqui aut illi Saræi, dicendi essent, aut Sara Saraca. Eorum mores & ingenium late describit Ammianus Lib. XIV. cap. x. & S. Hieronymus in vita Malchi. De quibus vide etiam Sozomenum Lib. VI. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. xxxviii. qui inter alia, hæc scribit: *Hæc quidem gens ab Ismaele filio Abrahami duxit originem, nomenque accepit; & propterea veteres a primogenitore eos Ismaelitas appellabant. Verum quo spurii generis maculam, & ignobilitatem Agar matris Ismaelis (serva enim fuit) penitus obliterarent, se Saracenos, veluti a Sara coniuge Abraham prognatos nominarunt.* VENIRE DE GALAAD. Quia ibi erat emporium mercatorum, Ieremiæ viii. 22. & cap. xxii. 6. & e Galaad in AEgyptum euntibus illac iter erat. AROMATA. נכאת *nechoth* quater tantum in Scriptura occurrit, & Noster semper *aromata* convertit, nisi infra cap. xliii. vers. 11. ubi *storacem* reddidisse videtur. Aiunt esse vocem peregrinam; quam tamen omnes Interpretes *aromata* exponunt. Quidam tamen a contusione & percussione dicta existimant, quod contundantur in usum; nec dubitant, quin sit quod Græci & Latini *masticben* vocant, quæ est resina lentisci, sic dictam quod dentibus teratur, & frietur. Quidam Hebræorum *res desiderabiles* interpretantur: alii *ceram*, *ceromata*: unde hic pro *aromata*, *ceromata* substituunt: nonnulli *omnia collectanea aromatum*: alii *gazam*, seu *res pretiosas*: aliqui *opobalsamum*. Nec desunt qui *theriacam*. Pauci *myraria*, id est unguentaria, vel *myrrharia*, quæ Arabibus dicuntur *nuketa*, teste AEgineta, AEtio, Psello, Actuario, voce proxime ad Hebraicam *necoth* accedente. RESINAM. צרי *tzeri* Noster *resinam* solet vertere. Aiunt esse humorem ex arboribus defluentem, in imo residentem, optimum & probatissimum, in medicinis præsertim, & vulneribus: Ieremiæ li. 8. Alii *balsamum*, aut *opobalsamum*; sed balsamum in Ghilhade non nascitur, nisi aliunde in id emporium apportatum. Nonnulli *theriacam*. Vide in Ierem. viii. vers. 22. & xlvi. 11. ET STACTEN. לוט *lot*, notant esse liquorem aromaticum, & pretiosum, quem *stacten* vocant, & ex myrrha arbore sponte sudat, priusquam incidatur. De quo Plinius Lib. XII. cap. xv. *Guttam*, seu *lacrymam myrrhæ* reddunt. *Masticben* alii putant, de qua Plinius Lib. XII. cap. xvii. Quidam, consentiente voce volunt esse *lotum*, nomen arboris proferentis baccam pipere maiorem, dulcem, gravi odore, stomacho facilem, cuius cibus tam est dulcis, ut advenis incutiat patriæ oblivionem. Unde cum Ulyssis socii delati fuissent in Africam, & lotum gustassent, vix inde abducti sunt, uti narrat Homerus Lib. IX. Odyssææ. De qua Theophrastus Lib. IV. cap. iv. Plinius Lib. XVII. & Lib. XXIV. cap. ii. Nonnulli *lot* volunt esse *castaneas*, seu *glandes*, quæ Arabice dicuntur *beloth*, Hispanice *bellotas*, a לוט *lot*, *involvere*, quod corticibus & putaminibus involutæ sint. Alii existimant esse *ledum*, vel *ladanum*: nam quod Hebræi dicunt *lot*, Chaldæi *letom*, Arabes *laten*, vel *laden* appellant. De ladano Plinius Lib. XII. cap. xvii. Hebræi radicem cuiusdam herbæ pretiosæ arbitrantur. Bis tantum in Scriptura ponitur, & *stacten* Noster utrobique dixit. Vide infra cap. xliii. 11.

V. 26. QUID NOBIS PRODEST? בצע *betzah* vox quater & vigesies occurrit in Bibliis, & Noster plerumque *avaritiam* exponit, Psalm. xxix. 10. *utilitatem*, Michææ iv. 13. *rapinam*, Ierem. li. 13. *præcisionem*. Aiunt significare *concisionem*, *corrasionem*, *quæstum*, *lucrum*, *cupiditatem*, *utilitatem*. Unde exponunt: *Quis est quæstus*, vel *quod lucrum*, *quæ cupiditas*, *quæ avaritia*, *si occiderimus fratrem nostrum*? Possis reddere: *Quæ concisio*, *vulneratio*, *sauciatio*? hoc est, quam grave & atrox parricidium committimus; vel quantum damni nobis, patri, domui, ac familiæ inferimus? Aliter, *Quæ præcisio*? Quod genus istud præcidendi spem somniorum eius, tam crudele & immane? Hispanice diceremus, *Que atajo*? *Quid compendii*?

V. 28. ET PRAETEREUNTIBUS MADIANITIS. Vers. 25. dicuntur *Ismaelitæ*. Ismael & Madian fratres, filii Abrahæ, confines, & proximi; & ea caravana ex utrisque constabat. Vers. 36. *Medanei* dicuntur. Quidam notant hos vere Madianitas fuisse, sed propter confusam cum Ismaelitis habitationem, etiam Ismaelitas vocari, supra vers. 25. & Iudicum viii. vers. 24. quamvis Abrahami posteri ex Ketura,

non

non ex Hagare essent, supra cap. xxv. vers. 2. Madianitæ ergo hi fuerunt genere, Ismaelitæ habitatione: quomodo dicti sunt Cerethæi, I. Samuel. xxx. 14. & Urias Chitthæus, II. Samuel. xi. vers. 13. & Ithai Gittæus, II. Samuel. xv. vers. 19. & alia quamplurima. VIGINTI ARGENTEIS. Decem minus quam Christus. Communiter *siclis* intelligunt; Iosephus, *minis*: quod mihi non displicet: quantulum enim erat ut puer septemdecim annorum præstanti corpore, & forma, octoginta tantum regalibus Castellanis vænirct? Erunt igitur minimum duo millia regalium Castellanorum. Nam nec desunt viri eruditi qui existiment, hâc analogia Christum væniſſe tribus millibus regalibus Castellanis. Vide infra cap. XLV. vers. 22.

V. 34. SCISSISQUE VESTIBUS. Morem hunc discindendi vestes in luctu ac mærore nedum Hebræis, sed etiam aliis gentibus usitatum, pluribus ostendit Petrus Faber Lib. II. semestrium. cap. x. Vide in Iosue VII. vers. 6. INDUTUS EST CILICIO. שק *sak*, *saccus*, generale nomen omnium fere linguarum, idem in omnibus linguis significans: quod unam linguam Hebræam primigeniam, & matrem omnium arguit, a qua omnes aliæ id vocabulum desumpserunt. Aiunt sonare hanc vocem vestimentum durius & asperius, crassiusque, quo luctus & anxietatis tempore homo vestitur, & accingitur, *cilicium*, *cento*. Alii notant significare *texturam ex villis hircorum & caprarum*, idoneam frumentis, & aliis aridis rebus capiendis, & transvehendis. Deinde usum illius fuisse in luctu & mæstitia, quo, exutis, vel laceratis vestibus splendidioribus, loco interulæ corpus operientes, lumbos constringebant: *Alcon*. Aliquando sub vestibus aliis pretiosioribus pœnitentiæ & mortificationis causa deferebatur: II. Reg. VI. 30.

V. 35. IN INFERNUM. שאול *scheol*. Quidam aiunt significare *fossam*, *foveam*; aliqui *sepulcrum*, nonnulli *ipsam mortem*; alii *statum mortuorum*; plurimi, *infernum*, id est locum damnatorum, ut comprehendat etiam limbum patrum, seu sinum Abrahæ. Qui accuratius, & maiori studio Hebraica introspexerunt, & loca ipsa Scripturæ inter se contulerunt, observant, *scheol* plerumque in Scriptura pro loco mortuorum sub terra esse positum & usurpatum; & Hebræis sic dictum a שאל *schaal*, *petiit*, *postulavit*, eo quod gravia quæque deorsum petant ac tendant; vel quod *infernus* numquam satiari possit, & nova semper postulet: quam etymologiam expresse redditam habes Proverb. xxx. 15. *Tria sunt, quæ non saturantur; & quartum numquam dicit, Sufficit: infernus, claustrum matricis*, &c. Isaiæ v. 14. *Dilatavit infernus animam suam, & aperuit os suum absque termino*. Lactantius quoque in carmine quodam nominis rationem exposuisse videtur, cum ait:

Inferus insatiabiliter cava guttura pandens.

In historia de Lacu Curtio apud Varronem Lib. IV. de Lingua Latina, cap. XXXII. legitur, *Deum Manium Postulionem postulare*, vel *Postilionem postulare*. In Glossis Isidori, & aliis: *Postilio* est *postulatio*; quasi proprium sit inferorum postulationes postulare. Quid si *Postilio* sit proprium nomen Dei Manium, vel Sumani, a postulando. De quo vide Lilium Gyraldum syntagmate 6. de Diis Gentium. Ergo recte observant, vocem *scheol* nulla alia commodiore reddi posse quam inferni: quem etiam Moses Deuteronom. XXXII. 22. vocat *infernum inferiorem*. Ut etiam Psal. LXXXV. 12. nempe maioris explicationis, vel auxesis causa: & alio nomine dicitur *terra inferior*, vel *infirma*. Ezechiel. XXXI. 16. aut *inferiora terræ* Psal. LXII. 10. Quod Paulus Ephes. IV. 9. dixit *inferiores partes terræ*. Noster passim *infernum*. Osee tamen XIII. vers. 14. *mortem* reddidit. Ergo generaliter aiunt esse loca subterranea tendendo centrum versus, quo mortui descendunt, & cubant: unde cum verbo *descendendi* sæpius construitur. Quidam notant, quando de impiis dicitur significare אבדון *abaddon* id est *perditionem*, locum pœnarum & damnatorum; quando de piis, vel sepulcrum, vel statum mortuorum, vel limbum. Addunt insuper, quod id nomen *scheol* additum verbis, interdum adverbiascat, præsertim quando assumit He in fine, ut שאולה *scheolah*; quæ littera significat motum ad locum, ut hoc loco. Unde *descendere in infernum* exponunt pro descendere inferius, seu deorsum. Hic quidam sepulcrum intelligunt: *Descendam ad* (propter) *filium meum lugens ad sepulcrum*. Alii de morte, seu statu mortuorum accipiunt: Lugebo filium

lium meum usque ad mortem ipsam, moriar in ipso luctu, præ luctu moriar; ac si dicat: Tantus est hic dolor ac luctus ut me ad mortem ipsam prosecuturus sit, & adducturus, & cito in sepulcrum detrusurus. Melius tamen hic infernum capiemus limbum patrum. Illud *ad filium meum* quidam exponunt, Propter filium meum. Alii: Moriar ut filius meus, communem mortuorum statum cum filio meo degustabo: sequar filium meum ad plures, quo ille abiit, quo negant redire quemquam. Rectius: Descendam ad filium meum in limbum. Nec omiserim cum *scheolah* addito He, ubique sit Milhel, id est longum; hic tamen esse Milrah, breve, accentu nimirum in ultima *scheolah*, præter normam & morem: ut deploret Iacob, se quam breviſſime & citiſſime moriturum præ mæstitia.

V. 36. Eunucho Pharaonis. סרים *saris*, nomen peregrinum, seu AEgyptium esse plerique censent, quo is est appellatus *qui regi erat a negotiis aulicis perficiendis, maxime autem curandis cubiculis*. Proprie *cubicularius*, *camerarius*, *aulicus*. Et quia in oriente, præsertim AEgypto, Perside, Media, Babylonia, eiusmodi homines gynecæis, & regiarum uxorum, ac mulierum custodiæ præficiebantur; atque adeo ut minus de fide continentiæ suspecti essent, castrarentur: unde id nomen sæpius *spadonem*, *exsectum*, *castratum* in Scriptura significat: tamen certum est non omnes spadones fuisse, ut vel ex isto Putiphare eunucho Pharaonis liquet, qui uxorem habebat. Nam quod Hebræi somniant, testiculis eum, non nervo excisum; omnino reiiciendum, cum sit mera divinatio: quamvis hic LXX. *spadonem* verterint. Et quia aulis principum non nisi viri nobiles præfici solebant, hinc factum ut id nomen *virum nobilem*, *principem*, *satrapen* quoque significet, quod ii aularum principes essent, & apud orientales usitatum esset eos hoc nomine insignire. Chaldæus hic *principem Pharaonis* est interpretatus. Noster, secutus LXX. nomen *saris eunuchum* solet reddere, eodem plane significato, quasi custodem cubiculi, cubicularium, camerarium, aulicum. Horum in aulis regum potentia & nimia, & suspecta semper fuit, atque invisa. Israelitici reges eunuchos quoque habuerunt, vel ex aliis nationibus adscitos: alioquin castratio prohibita Deuteronom. xxiii. Magistro militum. Heb. *Principi mactatorum*, id est *mactantium*, *iugulantium*. טבחים *tabbachim* quidam hic vertunt, *Principi laniorum*, *coquorum*, quod is præfectus esset coquis, aut pecorum mactatoribus, quos Pharao habuit in aula sua. Alii, *Principi*, seu *magistro mactatorum*, quod huius curæ esset pecudes laniis præbere ad mactandum; quasi curatorem dicas rei carnariæ. Valentine dicimus *avituallador*. Nonnulli, *Principi coquorum*, quod culinæ regiæ esset præfectus, *cozinero mayor*; ut Demosthenes ille Valentis imperatoris, quem S. Basilius derisit. Sane טבח *tabbach*, *coquum* significat, I. Samuel ix. 23. 24. Plerique, *Principi iugulantium*, id est sicariorum, & militum, quod ii mactare, & occidere soleant. Nec desunt qui, *Principi carnificum*, exponant; id est, qui præerat ministris criminalibus, & iis qui de sontibus supplicia sumebant: *præfecto rerum capitalium*. Aliqui, *Præfecto satellitum*. Non enim toti militiæ præerat; sed tantum regios satellites sub imperio habebat, quales apud Romanos erant præfecti prætorianis cohortibus; vel corporis custodibus. Hispanicus interpres, *Capitan de los de la guarda*. Quidam annotant, vocem *tabbachim* communem esse laniis, cocis, militibus, satellitibus, proprie *mactatores*: quia illi animalia ad cibum, ii vero sontes in supplicium mactabant. Huic illi Pharaonis aulici custodiendi traduntur, cuius erat damnatos plectere, cap. xl. 3. Et rex Babylonis, Ierosolyma capta, & rege abducto, suum mactatorum seu satellitum præfectum eo misit, ut capitalem suam sententiam in reliquias populi, ipsamque civitatem exequerentur, II. Reg. xxv. Hi Latine *quæstores rerum capitalium* dici possunt.

MENOCHII.

Vers. 1. In qua pater suus peregrinatus est: habitavit in Hebron.

V. 2. Hae sunt generationes hæ sunt res gestæ, & eventa Iacob in generationibus, seu filiis eius. Cum sedecim esset annorum: expleverat decimum sextum, & decimum septimum inchoaverat: nam Hebr. & LXX. decimum septi-

ſeptimum egiſſe docent. ADHUC PUER, ætate, moribus, & innocentia. CUM FILIIS BALAE, ET ZELPHAE. Fortaſſe Iacob gregum curam diviſerat, ita ut partem curarent ſex filii Liæ, alteram quatuor filii ancillarum; cum quibus Ioſephum iunxit, quia non tam ægre ferebant iſti minorem natu ſibi præferri. Priores illi tumebant uxore primaria, & ſuperſtitie adhuc, & ſeniore, & ingenua nati. FRATRES, maxime filios Balæ, & Zelphæ, cum quibus verſabatur. CRIMINE PESSIMO, contra naturam, vel Sodomitico, ut vult Rupertus, vel beſtialitatis cum ovibus, quas paſcebant, ut vult S. Thomas, & alii.

V. 3. IN SENECTUTE GENUISSET EUM. Parentes filios in ſenectute genitos magis diligunt, vel quia poſt hos alios ſe ſuſcepturos non ſperant; vel quia per hos, utpote diutius victuros, diutius etiam parentum nomen, & memoria conſervatur; vel quia ſunt indices bonæ, firmæ, & viridis ſenectæ parentum. Adde aliam in Ioſepho fuiſſe amoris cauſam, vitæ ſcilicet, ac morum innocentiam. TUNICAM POLYMITAM. Hebr. eſt פסים *paſſim*, quæ vox videtur ſignificare veſtem ex ſegmentis alterius materiæ vermiculato opere variegatam. LXX. tantum dixerunt *ποικίλον variam, variegatam*. Noſter Interpres vocabulo Græco uſus *polymitam* dixit. Eſt autem *πολύμιτον* quod varii coloris liciis conſtat, & Italice veſtes huiuſmodi appellantur *di color cangiante*.

V. 4. ODERANT EUM. Cauſæ odii, prima amor hic patris; ſecunda, delatio criminis; tertia, tunica polymita; quarta, ſomnia.

V. 7. LIGARE MANIPULOS, ſegetum. Apte hoc ſymbolo portendebatur fratrum in AEgyptum profectio ad frumentationem tempore famis. Rurſusquod manipuli fratrum adorent manipulum Ioſeph, ſignificabat fratres adoraturos Ioſeph in AEgypto.

V. 9. ALIUD QUOQUE, ſimiliter a Deo immiſſum ſomnium. quod eodem tendebat, & geminatione ſua præcedentis certitudinem aſtruebat.

V. 10. INCREPAVIT EUM, nec infenſus, nec dicta vilipendens; ſed hoc pacto livorem fratrum prudenter leniturus. NUM EGO, ET MATER TUA ..... ADORABIMUS TE? quaſi dicat: Quis credat me, & matrem tuam te adoraturos aliquando?

V. 11. REM TACITUS, ſuſpicans a Deo immiſſa, eventum expectabat.

V. 13. VENI, MITAM TE AD EOS. Ioſephum domi retinuerat pater, ut tempus, & abſentia invidentiæ morbo mederetur: poſt aliquod tempus iam ratus odia evanuiſſe, mittit ad eos.

V. 15. ERRANTEM IN AGRO, ignarum ubi fratres inveniret ſuos.

V. 19. SOMNIATOR. Hebraice eſt, *Dominus ſomniorum*, id eſt habens, & poſſidens ſomnia, vel peritus fingere ſomnia; vel dominus, & princeps, ſed in ſomnio.

V. 20. IN CISTERNAM. In Hebræo eſt בור *bor*, quæ vox *ciſternam* ſignificat, in qua aquæ non ſcaturiunt, ut in puteo, ſive ſonte, ſed aliunde colliguntur. Scholiaſtes Hebræus ait באר *beer* ſignificare puteum effoſſum tantum, בור *bor*, adiecto ædificio, & parietibus.

V. 21. NITEBATUR LIBERARE EUM: coniectum in ciſternam cogitabat clanculum extrahere, & ſalvum patri reſtituere, ut amiſſam inceſtu gratiam hac in fratrem tam dilectum patri pietate recuperaret.

V. 22. NON INTERFICIATIS ANIMAM EIUS. Metonymia, ne interficiatis eum.

V. 23. TALARI, ET POLYMITA. Duplici veſte ſpoliatus eſt; interiore, quam vocat talarem, & polymita, quæ exterior. Credibile poſtea rurſum indutum talari, nam polymitam ad patrem miſerunt.

V. 24 MISERUNTQUE. Ioſephus ſcribit a Ruben fuiſſe demiſſum.

V. 25. DE GALAAD, qua venientibus ex Arabia per Dothain in AEgyptum erat tranſeundum. AROMATA. In Hebræo eſt נכאת *necot*, quam vocem alii interpretantur *ceram*, alii *opobalſamum*, alii *aromata*, alii *res deſiderabiles*. RESINAM. Reſina dicitur humor tenax ex arbore defluens, illique adhærens. Aliqui vocem צרי *tſeri balſamum*, vel *theriacam* interpretantur. STACTEN eſt myrrhæ lacryma, quæ ab arbore illa ſtillat, & defluit, *ἀπὸ τοῦ στάζειν*.

V. 27. QUIEVERUNT FRATRES, octo qui aderant tempore venditionis: nam Ruben aberat, ut patet ex num. 29.

V. 28.

V. 28. MADIANITIS. Madianitæ simul cum Ismaelitis in eodem comitatu proficiscebantur: hi simul emerunt Ioseph, & simul vendiderunt. Propter hanc societatem eos Moses modo Madianitas, modo Ismaelitas vocat. VIGINTI ARGENTEIS, siclis.

V. 29. REVERSUSQUE. Abierat pascua quæsiturus.

V. 30. SCISSIS VESTIBUS, in mæroris argumentum, ut solebant Hebræi. EGO QUO IBO, ut eum inveniam? Quo ad venditionem ab omni culpa Ruben liber fuit. Fratres narrarunt vivum venditum. Sic placatus consensit in patris deceptionem.

V. 33. FERA PESSIMA COMEDIT EUM. Ita credebat, nec enim tam immane scelus animum paternum subibat; & Palæstina leonibus, ursis, aliisque carnivoris feris abundat.

V. 34. INDUTUS EST CILICIO; Hebr. *facco*. Primus qui in luctu saccum, seu cilicium induerit, Iacob fuit, quem postea Israelitæ imitati sunt. MULTO TEMPORE, annis 23. donec ei nuntiatum Ioseph in Ægypto vivere.

V. 35. IN INFERNUM. Infernus sæpe in Scriptura sepulcrum significat, sæpe etiam locum, ad quem migrant animæ, quæ est huius loci significatio: nam Iacob putabat filium a feris laniatum, nec ad illum, cuius ossa sepulcro non condebantur, se descensurum sperare poterat.

V. 36. EUNUCHO. Eunuchus non fuit qui uxorem habuit, &, ut multi volunt, filiam, quæ postea Iosepho nupsit; sed omnes qui in aula, & obsequio Regum versabantur, eunuchi dicebantur, fortasse quod plerique eunuchi essent. MAGISTRO MILITUM. LXX. dixerunt ἀρχιμαγείρῳ *Principi coquorum*; alii, *Principi lanionum* (id enim vox Hebræa טבחים *rhabbachim* significat) sive *mactantium*. Verum eodem referuntur omnia: nam laniones, & coqui, & mactantes iidem erant: mactabant enim coqui eas pecudes quas coquere cogitabant. Inde vox ad milites translata, quia ut illi pecudes, ita isti homines mactant. Quare & apud Græcos vox μαγειρεύειν *occidere* significat.

TIRINI.

Vers. 3. TUNICAM POLYMITAM; Septuaginta, & Tigurini, *Tunicam variam*, nempe liciis & filis varii coloris eleganter distinctam. Tropologice Rupertus hac veste polymita vult vitam omni virtutum varietate ornatam designari.

V. 9. VIDI SOLEM, ET LUNAM, ET STELLAS UNDECIM ADORARE ME. Philo ait, ipsum vidisse, venientem ad se solem, lunam, & stellas, forte humano corpore, & facie indutas, ut a pictoribus depinguntur. Nam quomodo alias vel phantasia, vel mente concipere potuisset Ioseph adorationem sibi ab illis exhiberi? Allegorice per Iosephum, & manipulum Iosephi designatur Christus, quem omnes Angeli, & Sancti, omnis lex & Prophetæ, omnis potestas in cælo & in terra, ut dominum suum, & principem circumstant & adorant, inquit Rupertus.

Nota: Nomine matris Iosephi non intelligitur Rachel, quæ haud ita pridem mortua fuerat, neque umquam adoravit filium; sed Bala Rachelis ancilla, quæ Iosepho mater nutritia fuerat, & iam mortua Rachele in matris locum successerat. Ita Lyranus, & Tostatus.

V. 36. PUTIPHARI EUNUCHO PHARAONIS, id est ministro Pharaonis, scilicet magistro militiæ illius. Unde & Chaldæus, *principem* vertit; & Oleaster *custodem domus*, seu personæ regiæ. Neque enim solet semper hac voce in Scripturis significari verus spado, sed ii omnes qui officiis illis quibus spadones olim præfici solent, in aula regia fungebantur. Cum enim securitatis causa solerent spadones præfici cubiculis reginarum, & heroinarum, atque, explorata eorumdem fide, & industria, postmodum aliis quoque admoveri, etiam primis aulæ officiis, maxime vero custodiæ regiæ; hinc nomine eunuchorum postea dicti sunt quotquot illis officiis fungebantur, etsi veri eunuchi seu spadones non essent. Patet ex hoc Putiphare, qui licet uxorem haberet, & liberos, tamen eunuchus hic vocatur; & infra cap. XL. pincerna regis, & pistorum præfectus eunuchi vocantur; & alii alibi.

GORDONI.

Verſ. 2. IOSEPH hic ſedecim annorum ponitur. Septuaginta habent *ſeptemdecim*; ſed inchoatos intellige: brevi ergo poſt obitum matris. ACCUSAVIT FRATRES SUOS CRIMINE PESSIMO. Hebr. *Et retulit Ioſeph infamiam eorum*: eſt enim ibi דבה *dibba*, *infamia*. Apud Septuag. legendum eſt κατηνέγκεν, *accuſavit*. ut habent aliæ editiones: nec ſenſus hiſtoriæ patitur κατηνέγκαν, *accuſaverunt*. Divinant multi quodnam ſit hoc crimen: nihil eſt certum in ſpecie.

V. 3. TUNICAM POLYMITAM. Quæ eſt hæc tunica? Colore, & fruſtis variegata eſt, פסא, *peſa*, *particula*: פסים *peſſim*, *particulæ*: rad. פסס.

V. 10. Pater dubitando quo pertineret hoc ſomnium, attigit ſcopum. At hinc apparet matrem Rachelem eſſe ſuperſtitem; quod reiectum eſt cap. XXXV. Hinc ſane eſt, quod aliqui per matrem intelligant ſubſtitutam Liam, aut Balam ancillam Rachelis: niſi quis dicat nominatam matrem mortuam a Iacob, ut ſic repudiaret inſomnium, tamquam de re impoſſibili iniectum.

V. 12. Quomodo itum eſt a filiis in Sichem, cum extaret recens memoria in cædis Sichemorum? Sed dici poteſt, vel non diu hæſiſſe gregem in Sichemis, vel divinam providentiam erga Iacob, omnia in tuto conſervaſſe. Vide cap. XLVIII. verſ. 22. de repetito armis agro.

V. 14. DE VALLE HEBRON: ubi obiit Iſaac ex cap. XXXV. verſ. 27. & nunc conſtat, poſt Abrahamum, ibi habitaſſe Iacob.

V. 17. IN DOTHAIM. Abeſt duodecim miliaribus a loco ubi poſtea extructa eſt Samaria. Fuit in tribu Zabulon, nec longe abeſt a ſtagno Genezareth.

V. 19. SOMNIATOR. Sic Ioſeph vocabant fratres, quibus diſplicuerant ſomnia ad invidiam.

V. 22. IN CISTERNAM HANC: vel etiam in puteum. Hebr. בור *bor* ſignificat *ciſternam*: באר *bear* eſt puteus.

V. 23. TALARI, ET POLYMITA. Videtur: duplici ſpoliatus veſte: talaris videtur interior, & poſtea illi reddita: nam polymitam referunt ad patrem.

V. 25. DE GALAAD. Iter deſcribit venientium ex Arabia in AEgyptum, nempe per Dothaim. STACTEN: eſt lacryma myrrhæ: diſtillat enim a myrrha, ςάζειν, ſtillare eſt. לוט *lot*, *ſtacte*.

V. 27. FRATRES, nempe octo qui aderant in venditione: aberat enim Ruben ex verſu 29. abierat ad paſcua quærenda.

V. 28. Madianitæ, & Iſmaelitæ, oriundi ab Abraham, habitabant in Arabia, ut ſunt nationes duæ ſibi vicinæ; & illac tranſire ſolebant in AEgyptum. Hinc recenſentur hic nunc una, nunc altera. At quantum eſt illud, VIGINTI ARGENTEIS? Intelligunt Doctores viginti ſiclos argenteos. Eſt quidem apud Septuaginta, *aureis*, ſed mendoſe. Vide ſupra cap. XX. verſ. 16. & alibi.

V. 35. LUGENS IN INFERNUM. Calvinus vertit ſepulcrum. Hebr. eſt שאל *ſceol*: paſſim *infernum* ſignificat, & ſic habent aliæ editiones: a rad. שאל, petiit; quaſi infernus ſemper petat, nec ſatietur. Et certe Iacob putans filium devoratum a beſtiis, non potuit ibi intelligere ſepulcrum. Vide Iob VII. verſ. 36. Hic ergo limbum intelligo.

V. 36. EUNUCHUS. Hic non ſpado, ſed ex intimis Regis ſervis eſt; immo magiſter militum eſt. Sept. ἀρχιμαγείρῳ, *principi coquorum*, aut, *lanionum*. Et cur non etiam militum, cum μαγειρεύω ſit occidere? De eunuchis iterum infra cap. XL.

CA-

CAPUT XXXVIII.

Iudas ex uxore Chananæa tribus filiis susceptis, primum & deinde secundum Thamar copulavit: quibus mortuis, eam inscius pro scorto cognovit, quo concubitu Phares, & Zaram genuit.

1 EOdem tempore descendens Iudas a fratribus suis, divertit ad vi-
rum Odollamitem, nomine Hiram. 2. (*a*) Viditque ibi filiam
hominis Chananæi, * vocabulo Sue; & accepta uxore, ingres-
sus est ad eam. 3. Quæ concepit, & peperit filium, & voca-
vit nomen eius Her. 4. (*b*) Rursumque concepto fetu, natum
filium vocavit Onan. 5. Tertium quoque peperit: quem appel-
lavit Sela: quo nato, parere ultra cessavit. 6. Dedit autem Iu-
das uxorem primogenito suo Her, nomine Thamar. 7. (*c*) Fuit quoque Her
primogenitus Iudæ, nequam in conspectu Domini; & ab eo occisus est. 8. Di-
xit ergo Iudas ad Onan filium suum: Ingredere ad uxorem fratris tui, & socia-
re illi, ut suscites semen fratri tuo. 9. Ille sciens non sibi nasci filios, introiens
ad uxorem fratris sui, semen fundebat in terram, ne liberi fratris nomine nasce-
rentur. 10. Et idcirco percussit eum Dominus, quod rem detestabilem faceret.
11. Quam ob rem dixit Iudas Thamar nurui suæ: Esto vidua in domo patris
tui, donec crescat Sela filius meus: timebat enim ne & ipse moreretur, sicut fra-
tres eius. Quæ abiit, & habitavit in domo patris sui. 12. Evolutis autem mul-
tis diebus, * mortua est filia Sue uxor Iudæ: qui post luctum consolatione su-
scepta, ascendebat ad tonsores ovium suarum, ipse, & Hiras opilio gregis Odol-
lamites, in Thamnas. 13. Nuntiatumque est Thamar quod socer illius ascenderet
in Thamnas ad tondendas oves. 14. Quæ, depositis viduitatis vestibus, assumpsit
theristrum; & mutato habitu, sedit in bivio itineris, quod ducit Thamnam: eo
quod crevisset Sela, & non eum accepisset maritum. 15. Quam cum vidisset Iu-
das, suspicatus est esse meretricem: operuerat enim vultum suum, ne agnoscere-
tur. 16. Ingrediensque ad eam, ait: Dimitte me ut coeam tecum: nesciebat enim
quod nurus sua esset. Qua respondente: Quid dabis mihi ut fruaris concubitu
meo? 17. Dixit: Mittam tibi hœdum de gregibus. Rursumque illa dicente: Pa-
tiar quod vis, si dederis mihi arrhabonem, donec mittas quod polliceris. 18. Ait
Iudas: Quid tibi vis pro arrhabone dari? Respondit: Annulum tuum, & armil-
lam, & baculum quem manu tenes. Ad unum igitur coitum mulier concepit:
19. & surgens abiit; depositoque habitu, quem sumpserat, induta est viduitatis
vestibus. 20. Misit autem Iudas hœdum per pastorem suum Odollamitem, ut re-
ciperet pignus quod dederat mulieri: qui cum non invenisset eam, 21. interroga-
vit homines loci illius: Ubi est mulier quæ sedebat in bivio? Respondentibus
cunctis: Non fuit in loco isto meretrix: 22. reversus est ad Iudam, & dixit ei:
Non inveni eam: sed & homines loci illius dixerunt mihi, numquam sedisse ibi
scortum. 23. Ait Iudas: Habeat sibi, certe mendacii arguere nos non potest:
ego misi hœdum quem promiseram; & tu non invenisti eam. 24. Ecce autem

 post

post tres menses nuntiaverunt Iudæ, dicentes: Fornicata est Thamar nurus tua; & videtur uterus illius intumescere. Dixitque Iudas: Producite eam ut comburatur. 25. Quæ cum duceretur ad pœnam, misit ad socerum suum, dicens: De viro, cuius hæc sunt, concepi: cognosce cuius sit annulus, & armilla, & baculus. 26. Qui, agnitis muneribus, ait: Iustior me est: quia non tradidi eam Sela filio meo. Attamen ultra non cognovit eam. 27. (d) Instante autem partu, apparuerunt gemini in utero: atque in ipsa effusione infantium, unus protulit manum, in qua obstetrix ligavit coccinum, dicens: 28. Iste egredietur prior. 29. Illo vero retrahente manum, egressus est alter; dixitque mulier: Quare divisa est propter te maceria? & ob hanc causam vocavit nomen eius Phares. 30. (e) Postea egressus est frater eius, in cuius manu erat coccinum: quem appellavit Zara.

(a) I. Par. II. (b) Num. XXVI. 19. (c) Num. VI. 19. (d) Matth. I. 3. (e) I. Par. II. 4.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 2. *Vocabulo Sue*. Pro e secunda alii scribunt a primam vocalem, in nomine *Sua*.

V. 12. *Mortua est filia Sue*. Quidam libri omittunt nomen *filia*, male.

COMMENTARIA

SA.

Vers. 2. SUE, nomen est Chananæi illius, & non filiæ.

V. 3. VOCAVIT, scilicet Iudas.

V. 4. VOCAVIT, scilicet mater, ut ex Hebræo constat.

V. 5. APPELLAVIT, scilicet illa. QUO NATO, PARERE ULTRA CESSAVIT. Hebr. & Chald. & LXX. *Et erat quando peperit in Chezib*: videtur esse nomen loci. Quidam dicunt esse urbem Palæstinæ.

V. 9. NON SIBI NASCI; quasi dicat, si nascerentur, non suo, sed fratris nomine vocandos.

V. 12. OPILIO GREGIS. Hebr. *eius amicus*, seu *socius*: est autem is de quo in principio capitis huius.

V. 14. THERISTRUM, vestis genus: quidam *peplum* vertunt, seu *lineum velum*, aut *amictum*.

V. 17. PATIAR QUOD VIS, SI DEDERIS. Hebr. *Si dabis*; id est, num dabis?

V. 18. ARMILLAM. Alii, *pallium*; alii, *fasciam*: & quidem armilla humerorum est ornamentum. AD UNUM IGITUR COITUM. Hebr. *Ingressus est ad eam*, &c.

V. 20. PASTOREM. Hebr. *amicum*, seu *socium suum*.

V. 23. CERTE MENDACII ARGUERE NOS NON POTEST. Hebr. *Ne forte simus in contemptum*, scilicet si res evulgetur.

V. 24. ET VIDETUR UTERUS ILLIUS INTUMESCERE. Hebr. *Et ecce gravida est ex fornicatione*.

V. 29. MACERIA, scilicet membrana, qua obvolvitur fetus in utero, quaque perrupta, egredietur. Secundæ vocantur, quod nascentem infantem sequantur; quasi dicat: Cur prior egressus es? PHARES, id est *divisio*.

V. 30. ZARA, id est *oriens*.

ESTII.

Vers. 7. FUIT QUOQUE HER NEQUAM IN CONSPECTU DOMINI. De nequitia Her, quædam fabulantur Iudæi, præter ea quæ hic Scriptura sacra commemorat; sed non sunt illa temere credenda. Qui vult, videat apud Lyranum.

V. 9.

V. 9. ILLE SCIENS NON NASCI SIBI FILIOS: nempe debebat fratri suo suscitare semen: Deut. XXV.

V. 14. QUAE DEPOSITIS VIDUITATIS VESTIBUS, ASSUMPSIT THERISTRUM. Notandum ex hoc loco cum D. Augustino, etiam temporibus Patriarcharum certa, & sua quædam fuisse vestimenta viduarum, quibus a coniugatis, atque virginibus discernerentur. Ita legitur quoque de Iudith, quod egressura Bethulia ad castra Assyriorum, exuerit se vestimentis viduitatis suæ. Sane si hodie vestium discrimina, quæ magnis de causis instituta sunt, exactius servarentur, melius consuleretur tum dignitati, tum integritati personarum. Unde &, secundum Iurisperitos, qui Clericum indutum laico habitu pulsaverit, non tenetur canone constituto adversus invasores Clericorum, propterea quod Clericus suæ personæ discrimen habitu prætulerit.

V. 24. PRODUCITE EAM, UT COMBURATUR. Iudas hoc loco exhibet nobis personam hypocritarum, qui propria peccata dissimulantes, in aliena graviter animadvertunt. Ipse enim erat qui, etsi eam ignorans, Thamar abusus fuerat.

Sed quæritur qua iustitiæ specie Iudas eam velit comburi, cum simplex fornicatio numquam tam graviter punita fuerit. Dicunt Hebræi quidam, Thamar fuisse filiam Melchisedech sacerdotis summi, legem autem præcipere Levit. XXI. sacerdotis filiam fornicationis convictam debere comburi. Sed primo incertum est, & improbabile, fuisse eam filiam Melchisedech (nam Apostolus de Melchisedech dicit, *Sine genealogia*.) Deinde lex illa adversus filiam sacerdotis fornicantem nondum lata erat. Ac proinde rectius respondetur, Thamar non simplicis fornicationis, seu adulterii ream fuisse habitam; non quod proprie iam coniugata esset, sed quia obligata erat secundum legem (quæ etiam tum servabatur, ut patet in secundo filio Iudæ) ut nuberet propinquiori, qui erat Sela, quem & Iudas ei promiserat, sed differebat. In eo ergo, quod per fornicationem se alteri coniunxisset, species saltem erat adulterii.

V. 30. POSTEA EGRESSUS EST FRATER EIUS. Severius in historia hunc dicit postero die editum, quod unde habeat nescio.

MARIANAE.

Vers. 2. FILIA HOMINIS CHANANAEI. Chald. *mercatoris*. Prov. XXXI. *Et cingulum tradidit Chananæo*, id est mercatori. VOCABULO SUE. Patris nomen est, non filiæ: sic Gotthici legunt *Suæ* in genitivo, non *Sua* sive *Sue*.

V. 3. ET VOCAVIT, Iudas, nam Heb. verbum est masculinum. ויקרא

V. 4. VOCAVIT, & in versu sequenti APPELLAVIT: utrobique intellige, mater: sic ex Hebræo colligitur; sed in ea lingua genera sæpe confunduntur.

V. 5. QUO NATO, PARERE ULTRA CESSAVIT. Hebr. *Et erat in Chezib, quando peperit ipsa eum*. Hieron. in Trad. negat *Chezib* esse nomen loci, sed significare *mendacium*, & locum explicat ex illo Habac. III. vers. 17. *Mentietur opus olivæ*; id est, deficiet: mendacium enim defectus est. Sic ergo explicandus locus: *Et fuit in defectu* (scilicet pariendi) *quando tertium filium peperit*.

V. 9. SEMEN FUNDEBAT IN TERRAM. Hebr. *Et corrupit terram*: sed eam corruptionem Hieron. & Sept. intellexerunt de seminis in terram effusione.

V. 11. TIMEBAT ENIM, Iudas scilicet, ne moreretur filius Sela, si duceret Thamar. Hoc indicat non sincero animo illam amandasse, neque voluisse illi dare Sela filium.

V. 12. SUE UXOR. Lege: *Filia Suæ uxor Iudæ*: sic est in Romanis, nisi quod diphthongus deest. HIRAS OPILIO GREGIS. Chald. *socius eius*, nempe amicus. Sane Hebraice iisdem litteris pastor & amicus significantur, ut Hieron. in Tradit. ait: hoc rantum discrepat, quod *amicus* רעה *reah* est, *pastor* רה *rah*: cum ergo priori modo scribatur hoc tempore, plerique *socium* vertunt. At Hieronymi & Sept. tempore solæ consonantes erant, sicque utroque modo legi poterat: & ipse Hieron. in Trad. pro *pastore* ait Hebr. *amicum* legi, puncta nimirum ad distinguendum aliqua erant: de quo alio loco. In versione autem, ut videtur, prioris dicti oblitus, Sept. interpretationem est secutus, qui *pastorem* posuerunt: aut forte mutavit sententiam.

V. 14. THERISTRUM. Vestis tenuis, & linea, qua feminæ se cooperiebant præ-

præsertim in æstate. Quidam *peplum* reddunt pro צָעִיף *zahipb*. SEDIT IN BIVIO ITINERIS. Hebr. *In porta oculorum*: pro quo antiqui *bivium* posuerunt: sed vocatur *porta oculorum*, quod inde viatores oculis speculentur, quam viam sequi debeant. Sed quoniam עינים *benaim* non *oculos* tantum, sed *duos fontes* significat, malunt reddi, *In porta duorum fontium*. Hebræus Schol. *In porta oculorum* explicat *in propatulo*.

V. 17. MITTAM TIBI HOEDUM. Hebr. additur *caprarum*: & sic vertunt Sept. & Chald. nempe parvum, qui a matre non discesserit: alioqui post *hœdum* quid opus erat *caprarum* addere? PATIAR QUOD VIS. Hebr. non est: hoc tantum: *Si a/ederis arrbabonem, quousque miseris*; supple, obsequar tibi, *patiar quod vis*, uti Hieron. posuit. ARRHABONEM, vox Latina, sed ab Hebraica *berabon* desumpta.

V. 18. ET ARMILLAM. Vox פתילך *petilecba* quibusdam est potius *pallium tuum*, aut *cidaris tua*, capitis operimentum. Quod autem sequitur, AD UNUM IGITUR COITUM, Hebr. non habetur; sed hoc tantum: *Et ingressus est ad eam, & concepit ei*.

V. 23. CERTE MENDACII ARGUERE NOS NON POTEST. Hebr. *Ne forte simus contemptui*; scilicet si diligentia maiori inquiratur mulier, & re prodita contemptui simus. Sept. *Sed ne aliquando derideamur*, scilicet quasi promissi immemores.

V. 29. QUARE DIVISA EST PROPTER TE MACERIA? Sic Sept. & Hebr. *Quid divisisti super te divisionem?* scilicet ob festinationem exeundi, matris uterum rupisti, ut fratrem prævenires. Seu *maceria* est membrana, qua obvolvitur fetus, & qua rupta, egredietur secundina, ex eo dicta quod sequitur fetum, & post illum exit.

MALVENDAE.

Vers. 1. EODEM TEMPORE DESCENDENS IUDAS. Totum hoc caput inseruit Moses propter Christum, ut narraret mirabilem generationem Phares, ex quo ortus est Christus. Nonnulli Hebræos secuti annotant, partem huius historiæ ante Iosephi venditionem contingere oportuisse; cum enim tantum viginti & duo anni inter venditionem Iosephi, & descensum Iacobi cum familia in AEgyptum numerentur: non potuit tam brevi spatio Iudas uxorem ducere, ternos filios tollere, novos liberos ex nuru suscipere, & illorum unus Phares duos filios gignere ante descensum in AEgyptum. Contigisse ergo volunt ante venditionem Iosephi, saltem usque ad tempus quo Her primogenitus Iudæ decimum annum agebat. Unde hic, *Eodem tempore*, intelligunt, quo scilicet Iacob ad patrem suum Isaac redierat, Iuda iam decimumseptimum annum agente, cap. XXXV. vers. 27. Alii potius existimant, totam hanc narrationem post venditionem Iosephi accidisse; & tempora suo modo componunt. Apud explanatores cernere licebit: nam haud libens in huiusmodi chronologicis nodis & salebris sane perplexis hæreo, tetricis, obscuris, incertis, in quibus vix lucem exeduunt. AD VIRUM ODOLLAMITEM. Eusebius, & S. Hieronymus in Locis: *Adollam in tribu Iuda: & usque hodie vicus non parvus ad orientem Eleutheropoleos in decimo miliario, hoc nomine vocatur*. Regem habebat tempore Iosue, cap. XII. 15. De ea non semel occurret sermo. Rationem nominis investigare non potuimus. Hebræi lenonem hunc virum fuisse somniant, & ob id *ghadulamim* lenones appellant.

V. 2. HOMINIS CHANANAEI. Chaldæi Interpretes, *Hominis mercatoris*. Notant vocem כנען *chenaghan* significare terram Chanaan, quam possederunt Israelitæ; sed quia homines huius regionis dediti erant mercaturis & negotiationibus, sæpe pro mercatore, vel ipsa mercatura poni, ut Ezechiel. XVII. 4. Osee XII. 7. Sophoniæ I. 11. & Chananæus pro mercatore, ut Proverb. XXXI. 24. Hic pro regione sumendum: ut improbet Moses factum Iudæ ducentis Chananitidem, a quibus tantopere abhorruere maiores eius.

V. 5. QUO NATO, PARERE ULTRA CESSAVIT. Ex Hebræo plerique reddunt: *Et fuit in Chezib, quando peperit ipsa eum*: quam interpretationem secuti sunt quoque LXX. Chesib nomen proprium loci existimantes. Duas urbes, seu oppida huius nominis Scriptura commemorat, alteram Aczib in tribu Iuda, Iosue XV. 43. Michææ I. 14. quam putant esse quæ hic nominatur; alteram in tribu Aser, Iosue

fue XIX. 29. & Iudicum I. 31. Ceterum S. Hieronymus hæc habet : *Hæc autem erat in Chazbi, quando peperit eum. Verbum Hebræum hic pro loci vocabulo positum est, quod Aquila pro re transtulit, dicens : Et factum est ut mentiretur in partu, postquam genuit eum. Postquam enim genuit Selom, stetit partus eius. Chazbi ergo non nomen loci, sed mendacium dicitur : unde & in alio loco scriptum est*, Habacuc III. 17. *Mentietur opus olivæ; id est, fructum oliva non faciet*. Erudite. Nos dicimus, *Mentir el azeite, el annada*. Qui exponunt pro loco proprio, *Et erat in Chezib, quando peperit ipsa eum*, verbum *erat* non ad uxorem, sed ad ipsum Iudam referunt : est enim Hebraice verbum masculeum; quamvis sciamus feminis interdum tribui verba masculea; ac si dicat: Erat tunc, aut habitabat Iudas in Chezib quando uxor eius peperit ei Selah. Eusebius, & S Hieronymus in Locis Hebraicis : *Chazbi, ubi geminos Iudæ filios Thamar edidit. Ostenditur autem nunc locus desertus iuxta Odollam, in finibus Eleutheropoleos*. Hebræa recte ad sensum Nostri aptaveris: *Et fuit, factum est in mentiri, in deficere, in parere eam eum* : quod Aquila recte expressit : *Et factum est ut mentiretur, deficeret in partu*; id est, ut cessavit parere.

V. 6. THAMAR. תמר *palmam* significat, quod formosa esset, & procera; & recte ei nomen convenit, quæ victrix soceri fuit.

V. 7. NEQUAM IN CONSPECTU DOMINI, id est insigniter, & intolerabiter malus.

V. 8. ET SOCIARE ILLI. Verbum יבם *iibem* notant ante legem, & post in lege Mosis proprie significare *uxorem fratris defuncti sine liberis in coniugem accipere, ad suscitandum semen fratri: cognatam, fratriam in uxorem ducere, leviri iure fratriam ducere* : & si ita dicere liceret, *levirare, leviritare, fratriare*; hoc est, leviri iure fratriam in uxorem accipere: nam יבם *iabam* est *levir*, id est frater mariti; & יבמת *iebemet, fratria*, id est fratris uxor, glos. Vide Deuteron. XXV. vers. 5.

V. 9. SEMEN FUNDEBAT IN TERRAM. Hebr. *Et perdidit, corrupit in terram*; id est, profundendo in terram perdidit semen. Quidam Hebræorum He in ארצה *artzah* putant esse affixum femineum, & non notam motus ad locum; redduntque, *Et corrumpebat terram eius*, id est arvum genitale uxoris, iniens eam præpostera, & nefanda libidine.

V. 11. ESTO VIDUA. Non omittam annotare, viduam Hebræis dici אלמנה *almanah*, a colligatione, & silentio, sive mutitate, quod carere debeat vociferationibus, exultationibus, tripudiis, canticis musicis, & aliis oblectamentis; sed in domo silens, & muta, & quasi colligata manere. Sic Græci vocant χήρα iuxta quosdam per antiphrasin a χαίρειν, quod omnibus deliciis careat & oblectamentis : vel quod vidua non facile exaudiatur, & fit quasi oppressa. Alii componunt ex אל *al non*, & מנה *manah, pars*, quod careat dimidia sui parte, nempe marito.

V. 12. HIRAS OPILIO. Is est socer Iudæ, de quo vers. 1. *Opilio*. S. Hieronymus : *Pro pastore amicus legitur; sed verbum ambiguum est, quia eisdem litteris utrumque nomen scribitur; verum amicus*, רעה *reghe, pastor*, רועה *rogheh* : quod est verissimum. Exemplaria Hebraica nunc constanter habent רעהו *reghehu, amicus, sodalis, familiaris*, quasi *compascens eius*, seu *compastor eius*. IN THAMNAS, Hebraice, *in Thimnath*. Eusebius, & S. Hieronymus in Locis: *Thamnah, ubi oves suas totondit Iudas : ostenditur hodieque prægrandis vicus in finibus Diospoleos euntibus Æliam in tribu Dan, sive Iudæ*. Hanc esse Thamnatha Samsonis Iudicum XIV. 1. & 5. cum viris doctis existimo. Eam describunt sacri topographi, & interpres Iosue XV. vers. 10. Hanc esse Thamniticam toparchiam Plinii Lib. V. cap. XIV. & Iosephi Lib. III. Belli, cap. II. & alibi sæpius, non dubito : & minus ambigo esse Thamnam Ptolemæi Lib. V. cap. XVI. cuius etiam Stephanus Byzantius meminit. Licet *Australem* interpretari.

V. 13. AD TONDENDAS OVES. גזז *gazaz* aiunt proprie esse *vellere, evellere, convellere, deglubere*. Hinc גז *ghez, vellus*, a vellendo. Plinius Lib. VIII. cap. XLVIII. *Oves non ubique tondentur : durat quibusdam in locis vellendi mos*. Varro Lib. IV. de Lingua Latina, cap. VIII. de vico Velia in Quarta regione Romæ : *Veliæ unde essent, plures accepi causas : in queis, quod ibi pastores Palatini ex ovibus, ante tonsuram inventam, vellere lanam sint soliti* : ex

ex quo *vellere dicitur*. Et cap. XXIX. *Vestis a velis, vel ab eo, quod vellus, lana tonsa universæ ovis: id dictum, quod vellebant lanam*. Et Lib. II. de Re rustica, cap. XI. *Lanam demptam, & conglobatam, alii vellera, alii vellumina appellant: ex quorum vocabulo animadverti licet, prius lanæ vulsuram, quam tonsuram inventam. Qui etiam nunc vellunt, ante triduo habent ieiunas, quod languidæ minus radices lanæ retinent*. Quæ omnia mirifice illustrant hunc locum, & illum Genesis XXXI. 19. & alios eiusmodi veteris Instrumenti de vulsione ovium. Et si Noster pro *vellere*, *tondere* dixit, respexit ad usum sui temporis notiorem, cum res eadem sit, nempe lana oves exuere, aut nudare.

V. 14. MUTATO HABITU. Heb. *Et obvelavit sese*. Quia verbum עלף *ghalaph* in Hithpahel, ut hic ponitur, Ionæ IV. 8. vertitur a Nostro, *æstuare*, hic quidam reddunt, *Et incaluit, & æstuavit*, vel in venerem, vel quod æstus esset, unde sedit in ostio fontium. Audent & transferre: *Et strinxit sese*, nempe theristro. Alii, *Lassata fuit, defecit*. Noster Isaiæ LI. 20. *proiicere* exponit: unde non male hic, *proiecit sese*, id est prostituit. Coniugatio Hithpahel hic auxesim, & vim indicat. SEDIT IN BIVIO. Hebr. *Et sedit in* פתח עינים *pethach ghenaim*, vel *in porta, ostio ghenaim*. Plerique secuti LXX. putant esse nomen proprium loci, de quo accurate dicemus in Iosue XV. vers. 34. Alii reddunt, *In ostio fontium*: quod ibi essent gemini fontes, locus amœnus & deliciosus, in cuius ostio, seu ingressu Thamar sederit. Nonnulli, *In ostio oculorum*, id est in loco eminentiore, in propatulo, in publico, in quo se oculorum intuitus undequaque diffundere potest. Noster *Ostium oculorum* interpretatus est, *bivium*, quia tunc ianua aperitur oculis ut in duas partes, seu vias exeant. S. Hieronymus: *Et sedit ad portam AEnan, quæ est in transitu Thamna. Sermo Hebraicus Enaim transfertur in oculos. Non est igitur nomen loci; sed est sensus: Sedit in bivio, sive in compito, ubi diligentius debet viator aspicere, quod iter gradiendi capiat*. Observant, locum fuisse unde conspici posset Thamar a prætereuntibus; cui tamen propinquus esset recessus, ad quem posset divertere Iudas, ne in via publica & celebri sub omnium oculis Cratetico, aut bellumo more scortaretur. Alii divinant, tentorium fixisse Thamar, quasi in eo receptura mœchos. Sedit ergo in bivio Thamar more meretricum & prostibularum, de quo Proverb. VII. 12. IX. 14. Ierem. III. 2. Ezechiel. XVI. 24. 25. Has antiqui vocabant, *prosedas, semitarias*: unde *semitarii mœchi*, apud Catullum. Plautus Cistellaria: *Astat in via sola? Prostibula sane est*.

V. 15. OPERUERAT ENIM VULTUM SUUM NE AGNOSCERETUR. Hinc colligunt quidam tunc meretrices operta facie incessisse, ut nunc Venetiis; nec tunc fuisse tam effrenem scortandi licentiam, quam hodie grassatur. Sed ex locis Scripturæ paulo ante citatis contrarium eruitur. Ex loco, & habitu reputavit Iudas esse meretricem: nam illud, *Quia operuit faciem suam*, potius referendum videtur ad id quod non cognovit esse nurum suam.

V. 17. ARRHABONEM. Hebr. ערבון *gharabon*, Græce, ἀῤῥαβὼν, Latine, *arrhabo*, unum & idem significant, nempe, *vadimonium, pignus*. Et pacti symbolum, hypotheca, cautio, arrha, pignus, oppignorario, quod dari solet creditori, donec solvatur debitum. Utitur Paulus hac voce II. Corinth. I. 22. & cap. V. 5. Ephesior. I. 14. vocans *Arrhabonem, arrham, pignus spiritus*.

V. 18. ET ARMILLAM. פתיל *phethil*. Mirum quam varie reddant hanc vocem, *fasciam, tæniam, cingulum, sudarium, involucrum capitis, capitergium, pileum, peplum, capitale, cidarim*. Hispanice, *turbante, vittam, pallium, amictum, pannum parvum, panniculum*, Forte, *giron, ligulam*. Aiunt proprie esse, *filum retortum, fasciam, ligulam*, ex multiplicibus filis contortam, qua aliquid alligatur, vel quæ alligatur. Alii, *Fasciam ex duobus filis complicatam in modum restis*, filum duplum seu duplicatum, Hispanice *cordon*, quo orientales pro cingulo inrorquentes utuntur. Occurrit hæc vox undecies in sacris libris, & Noster reddidit, Exodi XXXIX. 3. Iudicum XVI. 19. *filum*, Numer. XIX. 16. *ligaturam*, Numer. XV. 38. *vittam*, Ezechiel. XL. 3. *funiculum*, Exodi XXVIII. vers. 28. 38. cap. XXXIX. 30. *vittas*, Exodi XXXIX. 21. vel omisit, vel dixit *tortum*, hic, & vers. 25. *armillam*: intelliguntque armillam ex filis

aureis,

aureis, vel argenteis contextam, aut intortam; quales hodieque feminæ & pueri deferre solent. Ex verbo hic dicerem, *In tortum tuum*, *vuestro entorchado*, sive capitis, seu manuum, aut brachiorum, seu colli, quod *banda* dicimus, seu lumborum fuerit. ET BACULUM, QUEM MANU TENES. De Arabibus Chananæis proximis Strabo Lib. XVI. pag. 358. *In more habent*, *ut quisque baculum gestet*. Iacob quoque ait: *In baculo meo transivi Iordanem*.

V. 21. UBI EST MULIER, קדשה *kedeschah*, *meretrix*, ut statim hoc versu Noster vertit. Aiunt proprie significare *scortum*, *prostibulum*, *mulierem destinatam*, *expositam*, *præparatam ad concubitum*. Alii contraria significatione, a verbo קדש *kadasch*, *sacrum*, *sanctum*, *purum*, &c. *esse*, exponunt *mulierem communem*, *publicam*, *profanam*, quorumlibet libidini & usui expositam, pollutam, impuram, contaminatam, quæ corpus scortatione conspurcat. Unde hic vertunt: *Ubi est publica?* *Non fuit hic publica*. Hispanice quoque eiusmodi mulieres *publicas* appellamus. Quidam *kedeschah*, *sanctam* per ironiam dictam existimant, quo etiam modo Hispani loqui solemus. Nonnulli, quasi consecratam, dedicatam, destinatam omnium libidini, sive deputatam. Unde nos *putas* vocamus. Nec desunt qui *sacram*, id est execrabilem, detestabilem, scelestam, sceleratam. Ut *sacer* Latinis sumitur. Plautus in Pœnulo, de lenone: *Vendiditque has omnes*, & *nutricem*, & *virgines præsenti argento homini* (*si leno est homo*) *quantum hominum terra sustinet*, *sacerrimo*. Vide Nonium cap. IV. numero 431. Imperite hic aliqui *separatam* exponunt, quod scorta separentur. Notant Hebræi, multo peius & gravius esse קדשה *kedechsah*, quam זונה *zonah*, nam *kedeschah* est *prostibulum publicum*, *vilissimum*, *impurum*, *quod omni pudore abiecto*, *cuilibet obvio se prostituit*; *maiori cum delectu*, *magisque privatim peccat zonah*: quale discrimen apud nos est, inter lupanariam & angularem, quam vocamus *cantonem*, *o conesana*, & Latinis inter meretricem & prostibulam, apud Nonium Lib. IV. num. 8. Sanctitati & honestati linguæ tribuerim ut eiusmodi impuritates non nisi honestis vocibus nuncupet.

V. 23. HABEAT SIBI: CERTE MENDACII ARGUERE NOS NON POTEST. Hebr. *Accipiat sibi*, *ne forte simus contemptui*; id est, habeat sibi pignus. Quidam exponunt: Imputet sibi, quod pactam mercedem non acceperit, quia non expectavit: nos fide soluti sumus, cum iam miserimus, nec eam invenimus. Quasi excuset Iudas se iam præstitisse datam fidem. Alii potius, Iudam his verbis significasse volunt, se malle arrhabonem perdere, quam longius quæritando, & spargendo rem, materiam præbere vulgi sermonibus: quod levior sit pecuniæ, quam famæ iactura, ob quam si res illa turpis a se patrata publicaretur, ipse aliis despectui foret.

V. 27. COCCINUM. שני *schani*: hoc nomen sæpius habet adiunctum תולעת *tholaghath*, *vermiculum purpuræ*, vel præpositum, vel postpositum; ut *tholagat schani*, vel *schani tholagat*; aliquando solitarie ponitur sine *tholagat*, ut hic, & aliis locis. *Coccinum* Noster reddere solet; alii *dibaphum coccineum*, quasi *duplicatum*, aut *bis tinctum*, qui color ardentior & pulchrior esse solet. Quidam, *secundinum*, *secundarium*, *duplicatum*, *bis*, *iterato tinctum*. Et semper intelligitur *tholaghath*, *vermiculus purpuræ*: de quo suo loco dicemus Exodi xxv. vers. 4. Hic *dibaphum coccineum*, *secundarium* reddunt; etsi aliqui *filum duplicatum* intelligant, cuiuscumque coloris illud fuerit. Ut illud Proverb. xxxi. 21. *Vestiti sunt duplicibus*, seu *duplicatis*. Sed sane color est intelligendus.

V. 28. EGREDIETUR PRIOR. Heb. in præterito, *Exivit primus*: recte, quia manum primus extra ventrem protulit: unde suspicata mulier quod is prior nasceretur; sed falsa fuit. Tam certo sibi id persuaserat, ut præterito usa fuerit; quasi dicat: Non poterit iam hic primogenituræ ius amittere.

V. 29. QUARE DIVISA EST PROPTER TE MACERIA? Varie hunc locum ex Hebræo exprimunt. I. *Quare rupisti propter te*, vel *fecisti tibi rupturam?* id est, cur rupisti secundinam, seu membranam, quæ tempore partus rumpitur, ut prodires ante fratrem tuum? Tradunt medici, gemellos mares una & eadem secundina involvi, quam Pharez, ut prior egrederetur, perrupit. II. *Cur rupisti super te maceriam*, *interstitium?* quasi dicat: Quomodo perrupto interstitio, & maceria, quæ tibi ob-

obiecta fuerat, prior exivisti? Nam frater prægredi conatus, se instar parietis intermedii obiecerat; sed Pharez valide perrupit parietem, & prior egressus est. III. *Quare perrupisti? Super te perruptio*. Sic ut imprecetur: Ita rumparis tu. Mos loquendi mulierum: ita Hispanice, *Assi rebientes*. IV. *Quare rupisti? Super te*, vel *tua erit ruptura*; id est, tibi conveniet a ruptura nomen, quale est Pharez, quia fratrem antevertens, prior erupisti. Aliæ expositiones frigent. NOMEN EIUS PHAREZ, id est *ruptura*, *irruptio perruptio*.

V. 30. ZARA. Hebr. *Zerach*, *ortum*, *orientem*, quia ortum fratris, ortu suo prævertere conabatur. Hic Machol appellari videtur, I. Regum IV. vers. 31.

MENOCHII.

Vers. I. EODEM TEMPORE, &c. Potius fit mentio Iudæ, & posteritatis eius, quam aliorum fratrum. quia ex Iuda de Thamar Christus erat nasciturus. *Eodem tempore*, anno 16. Iosephi, cum Iudas annorum esset 19.

V. 2. VIDITQUE. concupivit. SUE non est nomen filiæ, sed patris eius, soceri Iudæ, ut patet ex Hebræo.

V. 3 VOCAVIT NOMEN EIUS HER, ipse Iudas, nam in Hebræo est vox masculina.

V. 4. VOCAVIT ONAN. Uxor Iuda ita vocavit, quod patet ex Hebræo textu, in quo est vox feminina, ut etiam numero sequenti.

V. 7. FUIT HER NEQUAM. Her, & Onan fratrum idem peccatum fuisse ferunt auctores, nempe immunditiæ, eo quod in actu matrimonii se retraherent, & sic semine extra vas fuso generationem impedirent. Diverso tamen fine ambo. Her, ne puerperia, & lactatio liberorum de pulchritudine coniugis, quam deperibat, quidquam decerperent. Onan ne fratri suo filios gigneret. In hoc invidia, in illo libido dominabatur; uterque scelus immane admittebat. OCCISUS EST, ut & frater, plaga insolita, sed tali qua manifestum esset hominibus propter scelus aliquod atrox, interemptos: opinor ministerio angeli mali, quo solet Deus uti in ultione exigenda: *Immissione per angelos malos*, ut dicitur Psal. LXXVII. 49. fortasse Asmodæus fuit, necator libidinosorum maritorum Saræ Tob. III. 7.

V. 8. INGREDERE AD UXOREM FRATRIS TUI. Iam ergo in more positum, quod postea lege sancitum, ut frater uxorem fratris, qui sine liberis decesserat, in coniugium acciperet: Deuter. XXV. 5. Ruth cap. ult. num. 10.

V. 9. NON NASCI SIBI FILIOS. Enallage, *filios*, pro *filium*: solus enim primogenitus filius mortui censebatur, reliqui ipsi gignenti nascebantur.

V. 11. ESTO VIDUA. Moris videtur fuisse ut quæ in familiam aliquam nupserat, illi familiæ addicta maneret, quamdiu aliquis superesset consanguineus, qui defuncto semen suscitare vellet. Iuxta hunc morem sine soceri consensu non licebat Thamar aliunde conditionem sibi quærere. Iudas autem timens ne Selæ simile quid ac fratribus accideret, variis promissis viduam frustrari statuerat, donec ipsa moræ pertæsa, peteret ab eo licentiam alteri nubendi: quod illam non latebat; sed nolebat ex alia stirpe, quam Abrahami prolem, & simul sterilitatis improperium oderat: quare stropham commenta, quam in caput Iudæ, vel cum vitæ periculo verteret.

V. 12. OPILIO GREGIS. Chald. *Socius eius*, nempe amicus, sane Hebraice iisdem litteris pastor, & amicus significantur, si puncta removeas.

V. 14. THERISTRUM. Vestis tenuis, & linea, qua mulieres æstivo tempore utebantur, quam *peplum* interpretantur. Olim veste tegebant mulieres caput, & faciem, vel certe ita vultum velabant ut unus tantum oculus appareret, atque ideo cognosci facile non poterant. IN BIVIO ITINERIS. Sic olim scorta, quæ ideo a Latinis mœchæ semitariæ dictæ. In Hebr. est *In porta oculorum*. Porta dicitur oculorum, quod inde viatores oculis speculentur quam viam insistere debeant. Alii vertunt *viam duorum fontium*, quia vox Hebr. quæ *oculos*, etiam *fontes* significat.

V. 16. INGREDIENSQUE AD EAM. Iudas peccavit simplici fornicatione, non enim agnoscebat suam nurum, & ipse eo tempore matrimonio solutus erat. Thamar peccavit incestu, & quasi adulterio, quia uxor Selæ debebatur.

V. 17. HOEDUM DE GREGIBUS. Hebr.

Hebr. *Hœdum caprarum*, ponitur plurale pro singulari, *hædum capræ filium*, hœdum qui adhuc matrem sequeretur, nondum ab uberibus avulsum.

V. 18. ARRHABONEM. *Pignus* vertit Chaldæus. Vox est Latina, & Græca, sed quæ ab Hebræis sumpta videtur. ANNULUM, sigillum. ARMILLAM: monile, seu torquem. Alii *tæniam* vertunt; Chaldæus *palliolum*. BACULUM, scipionem viatorium.

V. 23. MENDACII ARGUERE. Hebr. *Ne forte simus in confusionem*; id est, ne res publicetur, & iactet illa se mecum congressam, neque me pactis stetisse. Chald. & LXX. *Ne simus derisui*.

V. 24. PRODUCITE EAM, UT COMBURATUR. Iudas ut paterfamilias in nurum sententiam tulit iudicis auctoritate; & tunc adulterii pœna ignis fuit. Fortasse illud *producite* exponendum de domo in carcerem, donec pepererit, ut postea rogo tradatur.

V. 26. IUSTIOR ME EST: non castior, aut sanctior, sed iustior. Iudas enim promissa & pacta sua non servaverat, & iniuste impediebat ne prolem ex Sela susciperet. ATTAMEN ULTRA NON COGNOVIT EAM: quia nurus illi erat, & concubitus incestus fuisset. Pariter Sela ab ea abstinuit, quia a Iuda parente cognita.

V. 27. APPARUERUNT. Obstetrix manu ad uterum admota cognovit duos intus esse, & quasi luctari quis prior egrederetur. COCCINUM: ut constaret uter esset primogenitus.

V. 29. DIXITQUE MULIER, obstetrix, ægre ferens se deceptam, metuens etiam ne violenta hæc eruptio matri, aut gemellis noceret. QUARE DIVISA EST PROPTER TE MACERIA? Sensus est: quare frater tuus primus egredi volens, secundinas, quibus eratis in utero involuti, disrupit? PHARES significat *separationem*, seu *divisionem*.

V. 30. ZARA, oriens: ita dictus, quod cum prior manum extulisset, prius oriri debuerat.

TIRINI.

Verf. 7. FUIT HER NEQUAM IN CONSPECTU DOMINI, ET OCCISUS EST. Quæ fuerit hæc eius nequitia, vide I. Paralip. II. vers. 3.

V. 9. SCIENS ONAM NON SIBI NASCI FILIOS; id est, sciens quod is qui primo loco ex se nasciturus esset, non computaretur suus, sed fratris sui defuncti filius. Ita clare exprimunt LXX. & Chaldæus. Ex hoc capite patet, etiam ante legem Moysis permissum, immo in more fuisse, ut frater uxorem fratris sine liberis defuncti duceret, & primogenitum suum nomine fratris sui nominaret. Sic sabbatum, discretio mundorum animalium, circumcisio, & alia plura quæ postmodum lege Moysis præscripta fuerunt, iam antea fuerunt a Patriarchis usurpata.

V. 29. QUARE DIVISA EST PROPTER TE MACERIA? id est, quare tu prior ante fratrem tuum, perrupisti claustrum uteri materni, dividendo membranam, seu secundinas quibus involvebaris? quasi dicat: Quare tu fratri primogenituram præripis? Notat Chrysostomus, id præter naturam contigisse; & allegorice præsignasse Zaram populum Iudaicum, qui prior manum protulit, accipiendo legem a Deo, atque ita imperfecte secundum spiritum natus est; sed ubi sensit se coccineo Christi sanguine inquinatum, retraxit manum, & recessit a Deo. Mox subingressus Phares, id est gentilis populus, & prior nascendo perfecte secundum spiritum, seu credendo in Christum, ius primogenituræ præripuit Iudæis, maceriamque inimicitiarum inter se & Deum generose disrupit. Ita Cyrillus, Isidorus, Rupertus. Aliam huius coccini explicationem dat Rabbi Raschi apud Serarium: nempe eo præfiguratum fuisse sacrilegium Achan abnepotis huius Zaræ, Iosue VII. dum pallium coccineum e spoliis Iericho suffuratus, causa fuit fœdæ cladis, & fugæ totius exercitus Israelitici.

GORDONI.

Verf. 1. EODEM TEMPORE; hoc est, sub idem tempus, quo venditus est Ioseph. Et forte rectius tem-

pore antecedente, ut (quod non levem habet difficultatem) sit locus his quæ narrantur a vendito Ioseph, vel paulo ante, usque ad descensum in AEgyptum, ubi tantum sunt anni 23. & filii Zara & Phares dicuntur descendisse cap. XLVI. nec puto hoc tale esse ut non possit recipi, præsertim si quis attendat filios illos duos Iudæ aptos ad prolem anno ætatis 14. Et quod dicitur vers. 12. de multis diebus, restringetur ad dies tantum, & non ad annos. Sed plura de hoc in Opere Chronologico. De Odollam civitate in tribu Iuda, vide Iosue cap. XII. Ibi in spelunca latuit David fugiens Saulem, I. Reg. XXII.

V. 2. SUE. Est nomen patris, non autem filiæ.

V. 3. Nota, VOCAVIT esse verbum masculinum, ut videas Hebræos variare interdum genera.

V. 6. Thamar an Chananæa fuerit, an Palæstina, dissentiunt Scriptores. Sub Mose quidem non fuit passim concessum ducere uxores alienigenas; verum ante tempora Mosis, quamvis incircumcisi essent Israelitis velut contemptui, & immundi, tamen a mulieribus alienigenis non abstinebant, ut vides etiam in Salmon, & Raab, de qua dixi Iosue cap. II. Vide porro quæ dicta sunt cap. XXXIV. vers. 14.

V. 7. FUIT HER. Uterque frater nequam, & ob idem peccatum ambo extincti.

V. 8. Pleraque præscripta in lege Mosaica, prius fuerunt in usu apud Patriarchas, ut hoc de semine fratris suscitando, de quo est statutum Deut. XXV. 5. ac proinde non est lege naturæ prohibitum matrimonium propter affinitatem in ullo gradu lineæ lateralis. Ceterum sub Mose extabat prohibitio Levit. XVIII. vers. 16. solum permittebatur in hoc eventu, cum scilicet deficiebat semen fratris.

V. 9. SCIENS, scilicet quod primogenitus filius nasciturus non foret suus, sed fratris computandus esset filius. FILIOS. Enallage numeri: solum enim primogenitus nascebatur fratri defuncto; reliqui censebantur gignentis. Hic notandum uxorem demortui non potuisse nubere alteri, quamdiu superesset ex familia mariti, qui eam duceret, ut constat ex vers. 26.

V. 11. ESTO VIDUA. Cogitabat Iudas non dare Selam filium, Thamar viduæ, ne idem quod fratribus eveniret: hinc dilatio coniugii.

V. 12. DIEBUS. Ita etiam Hebr. & LXX. male Regia *annis*: nam nec ratio Chronologiæ id patitur.

V. 14. Thamnas urbs est, an eadem cum Thamnate Samsonis, certatur. Thamar theristro, seu velo operta hæret in bivio. Hebr. in porta עינים *bhenaim*. Quidam vertunt in ostio oculorum, quod significat bivium: quia viator cum occurrit bivium, extendit oculos in duas partes, quasi bivium sit ostium oculorum. Septuag. accipiunt pro nomine proprio.

V. 17. Peccat certe Iudas fornicationis peccato: nam a peccato incestus excusare facile potuit ignorantia invincibilis. At Thamar utroque modo peccavit: nam in linea recta affinitatis, primus gradus (ut probabilior habet opinio ex Levit. cap. XVIII.) prohibetur lege naturæ. Dixi de laterali vers. 8. Arrhabonem petit, seu pignus, & arrham. Heb. ערבון *bherabon*: unde est deducta vox Latina.

V. 18. ARMILLA, humerorum ornamentum: aliis est cidaris tua, & capitis ornamentum.

V. 24. PRODUCITE EAM. Forte non erat iudex causæ huius Iudas, sed designatur tantum iubere eum ut producatur coram iudice.

V. 26. IUSTIOR ME EST. Sane magis illa peccavit, ut dixi, sed minus in specie iniuriæ. Non constat an postea Sela fuerit ei datus.

V. 29. QUARE DIVISA EST PROPTER TE MACERIA? Vox est obstetricis ægre ferentis se deceptam. Per maceriam hic secundinæ intelligi possunt. Heb. פרץ *pharets*, *divisio*: *quare divisisti super te divisionem*, seu membranam, quæ tamquam maceria te continebat? Ergo sensus: quare tu prior egressus es dividendo prior maceriam, quæ erat ut separatio te involvens? Hinc nomen Phares.

CA-

CAPUT XXXIX.

Cum prospere ageret Ioseph apud herum Putipharem, contemnens heram sæpius de concubitu interpellantem, accusatur apud dominum, & in carcerem conicitur: ubi custodis gratiam nactus, omnium vinctorum curam habet.

1 IGitur Ioseph ductus est in AEgyptum, emitque eum Putiphar eunuchus Pharaonis, * princeps exercitus, vir AEgyptius, de manu Ismaelitarum, a quibus perductus erat. 2. Fuitque Dominus cum eo, & erat vir in cunctis prospere agens: habitavitque in domo domini sui: 3. qui optime noverat Dominum esse cum eo, & omnia quæ gereret, ab eo dirigi in manu illius. 4. Invenitque Ioseph gratiam coram domino suo, & ministrabat ei: a quo præpositus omnibus, gubernabat creditam sibi domum, & universa quæ ei tradita fuerant. 5. Benedixitque Dominus domui AEgyptii propter Ioseph, & multiplicavit tam in ædibus quam in agris cunctam eius substantiam: 6. nec quidquam aliud noverat, nisi panem quo vescebatur. Erat autem Ioseph pulchra facie, & decorus aspectu. 7. Post multos itaque dies iniecit domina sua oculos suos in Ioseph, & ait, Dormi mecum. 8. Qui nequaquam acquiescens operi nefario, dixit ad eam: Ecce dominus meus, omnibus mihi traditis, ignorat quid habeat in domo sua: 9. nec quidquam est quod non in mea sit potestate, vel non tradiderit mihi, præter te, quæ uxor eius es: quo modo ergo possum hoc malum facere, * & peccare in Deum meum? 10. Huiuscemodi verbis * per singulos dies & mulier molesta erat adolescenti, & ille recusabat stuprum. 11. Accidit autem quadam die, ut intraret Ioseph domum, & operis quippiam absque arbitris faceret; 12. & illa apprehensa lacinia vestimenti eius, diceret, Dormi mecum. Qui relicto in manu eius pallio fugit, & egressus est foras. 13. Cumque vidisset mulier vestem in manibus suis, & se esse contemptam, 14. vocavit † ad se homines domus suæ, & ait ad eos: En introduxit virum Hebræum, ut illuderet nobis: ingressus est ad me, ut coiret mecum: cumque ego succlamassem, 15. & audisset vocem meam, reliquit pallium quod tenebam, & fugit foras. 16. In argumentum ergo fidei retentum pallium ostendit marito revertenti domum, 17. & ait: Ingressus est ad me servus Hebræus quem adduxisti, ut illuderet mihi: 18. cumque audisset me clamare, reliquit pallium quod tenebam, & fugit foras. 19. His auditis dominus, & nimium credulus verbis coniugis, iratus est valde; 20. (a) tradiditque Ioseph in carcerem, ubi vincti regis custodiebantur: & erat ibi clausus. 21. Fuit autem Dominus cum Ioseph, * & misertus illius dedit ei gratiam in conspectu principis carceris: 22. qui tradidit in manu illius universos vinctos qui in custodia tenebantur; & quidquid fiebat, sub ipso erat. 23. Nec noverat aliquid, cunctis ei creditis: Dominus enim erat cum illo, & omnia opera eius dirigebat.

(a) Psal. civ. 18.

BRU-

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 1. *Princeps exercitus* . Non addas pronomen *sui*.
V. 9. *Et peccare in Deum meum* . Non substituas *Dominum* τ̃ κύριον , pro *Deum* τ̃ θεόν.
V. 10. *Per singulos dies* . Transfodiendum est, quod sequitur in quibusdam libris, verbum *loquebatur*.

V. 21. *Et misertus illius dedit ei*. Non augeas orationem, quomodo alii libri: *Et misertus est illius, & dedit ei*.

LECTIONUM VARIETAS.

V. 14. *Vocavit ad se*. Alii codices omittunt *ad se*.

COMMENTARIA

S A.

Vers. 1. EUNUCHUS. Alii *princeps*, seu *regius minister*. Tales enim eunuchi vocabantur, quod fere omnes essent eunuchi.

V. 3. DIRIGI, id est prosperari. ILLIUS, scilicet Ioseph.

V. 6. NEC QUIDQUAM ALIUD NOVERAT NISI PANEM QUO VESCEBATUR; quasi dicat: Nulla de re solicitus erat, nisi de edendo & bibendo, reiecta cetera cura in Ioseph.

V. 7. POST MULTOS ITAQUE DIES. Hebr. *post hæc*.

V. 9. MALUM. Hebr. *malum grande*.

V. 13. ET SE ESSE CONTEMPTAM. Hebr. *Et quod fugisset foras*.

V. 15. QUOD TENEBAM. Heb. *apud me*: sic & infra.

V. 16. IN ARGUMENTUM ERGO FIDEI: id non est Hebr.

V. 19. NIMIUM CREDULUS: nec id est Hebr.

V. 22. IN MANU, idest curæ, seu in custodiam.

V. 23. NEC NOVERAT ALIQUID; quasi dicat: Nullam ab eo rationem exigebat. DIRIGEBAT, idest secundabat.

E S T I I.

Vers. 4. GUBERNABAT SIBI CREDITAM DOMUM. Quæritur unde Ioseph tam cito perdiscere potuerit linguam AEgyptiacam, ut gubernandæ domui posset esse idoneus. Nam linguam AEgyptiacam diversam fuisse ab Hebræa, patet quia paulo post Ioseph fratribus per interpretem loquebatur. Unde & in Psalm. LXXX. de populo Israel apud AEgyptum peregrinante dicitur: *Linguam, quam non noverat, audivit*. Itaque respondeo, Ioseph, qua erat celeritate ingenii, simul adhibita cura, ac studio, statim assecutum esse gentis linguam, primo ut imperfecte, deinde ut perfecte eam sonaret; præsertim cum adhuc adolescens esset, quæ ætas linguis discendis aptissima est.

V. 6. NEC QUIDQUAM ALIUD NOVERAT NISI PANEM. Non de Iosepho dicitur, quasi hoc ad eius integritatem, & simplicitatem pertineret; sed de hero ipsius. Est enim sensus: Herus omnia fideli ministro committebat, de nulla re alia solicitus quam de edendo & bibendo. Qui quidem sensus & ex circumstantiis manifestus est, & ex fine capitis, ubi similia dicuntur de præfecto carceris; tum etiam ex verbis Ioseph ad uxorem domini sui solicitantem eum ad stuprum.

V. 9. ET PECCARE IN DEUM MEUM. Quidam codices pridem habebant *dominum meum*; sed recte repositum est *Deum meum*: nam ita pleraque mss. habent, tum imprimis quoque Hebræa, Chaldæa, & Græca. Unde patet, Ioseph in hac recusatione stupri non tantum spectasse ne domino suo temporali infidelis esset (quod tamen apud impudentem feminam merito prætexebat) sed præcipue ne in Dominum Deum peccaret; quod est perfectæ virtutis.

V. 14. EN INTRODUXIT VIRUM HEBRAEUM. Et inferius rursus: *Ingressus est ad me servus Hebræus*. Nota, Ioseph nec iure, nec proinde revera servus erat, quia iniuste venditus. Itaque proprie.

prietas rei sic venditæ non transierat ad emptorem. Servus igitur erat putatitius, quomodo Ioseph novi testamenti pater putatitius Christi. Ceterum quod bis Hebræum vocat, cum contemptu facit: erant enim Hebræi contemptibiles AEgyptiis. Vide infra cap. XLIII.

MARIANAE.

Vers. 3. AB EO, a Deo. DIRIGI, feliciter cedere, fortunari, quæ faceret Ioseph.

V. 6. NEC QUIDQUAM ALIUD NOVERAT. Ante hæc verba in Hebraico præcedit: *Et dereliquit omnia quæ habebat, in manu Ioseph*: quæ Hier. resecuit, quoniam repetebantur prius dicta. PULCHRA FACIE. Verba Hebraica ad totum corpus potius referuntur; quasi dicat, venusto corporis habitu erat. Sequitur, DECORUS ASPECTU. Dicerem, decora facie; sed non refert.

V.7. POST MULTOS ITAQUE DIES. Hebr. *Et factum est post verba hæc*, id est deinde.

V. 9. PRAETER TE, QUAE UXOR. Hebr. *Præter te, in quo uxor tu*. Hebræus Schol. *In quo; id est, propterea quod*. Pagn. reddidit, *In eo quod*, sententia non alia.

V.10. ET MULIER MOLESTA ERAT ADOLESCENTI. Hoc Hieron. addidit de suo, ut melius explicaret.

V. 11. ACCIDIT AUTEM QUADAM DIE. Hebr. *Et fuit secundum diem hanc*; hoc est, uno quopiam die, nempe certo, quo venire solebat ad procurandas res domesticas.

V. 13. ET SE ESSE CONTEMPTAM. Hebr. *Et quod fugisset foras*.

V.15. RELIQUIT PALLIUM QUOD TENEBAM. Hebr. *Apud me reliquit vestem suam*.

V. 16. IN ARGUMENTUM ERGO FIDEI: non est in Hebræo hoc.

V. 19. ET NIMIUM CREDULUS VERBIS CONIUGIS. Hebr. *Cum audisset dominus eius verba uxoris suæ, quæ locuta est ad eum dicendo: Sicut verba hæc fecit mihi servus tuus. Sicut verba*; ac si diceret: Hæc fere verba dixit, hac sententia est locutus mihi. Alii referunt ad verbum *fecit*, & cum eo iungunt vocem *verba*, hac sententia: secundum hæc verba, id est secundum hæc, fecit mihi: nam vox *verba* Hebraice sæpe redundat.

V.22. ET QUIDQUID FIEBAT, SUB IPSO ERAT, scilicet in carcere. Custos carceris eum rebus præfecerat. Hebr. *Et omne quod faciebant ibi, ipse faciebat*, nempe præcipiens, uti Hebræus Schol. explicat אלא על פין *non nisi ex ore eius quid fiebat*. Quod autem ait idem sic Chald. explicare, ego quidem in nostro Onkelos id non invenio.

V. 23. CUNCTIS EI CREDITIS. Hebr. *Non videbat quidquam princeps carceris: in manu eius* (supple, eorum quæ in manu eius, nempe Ioseph) *erant omnia*. Nullam ab eo rationem exigebat.

MALVENDAE.

Vers. 6. NEC QUIDQUAM ALIUD NOVERAT NISI PANEM QUO VESCEBATUR. Quidam hoc referunt ad Ioseph; id est, tanta fidelitate, & abstinentia Ioseph res heri sui administrabat ut nihil ex iis sibi vindicaret, nisi tantum victui necessaria: unde reddunt: *Et cognoscebat apud ipsum nihil quidquam præter panem quem cum eo comedebat*; id est, nihil commodi sentiebat præter panem. Alii melius ad herum. Nullam rationem reddebat Ioseph domino suo, nec herus ipse quidquam sua curabat; sed omnia fidei Ioseph committebat, de nulla re alia solicitus, quam de edendo & bibendo, genio tantum indulgens. Aiunt esse proverbialem locutionem, de eo qui totam curam rei familiaris alteri committit. Vide vers. 8. & similem loquendi modum vers. 23. Hebræorum aliqui exponunt: Cum herus nihil rerum suarum curaret, cunctis Iosephi administrationi traditis, cibi tantum curam & rationem habebat; nec hanc permiserat Iosepho, quod esset Hebræus, & AEgyptii diverso genere ciborum ab Hebræis uterentur. Futilis & frivola expositio.

V. 8. ECCE DOMINUS MEUS OMNIBUS MIHI TRADITIS, IGNORAT QUID HABEAT IN DOMO SUA; quasi dicat: Fidem meam, cui dominus meus omnia, præter te, commisit, perfide violarem; & in Deum coniugii auctorem, & vindicem peccarem.

V. 9. NEC QUIDQUAM EST QUOD NON

NON IN MEA SIT POTESTATE, &c. Hebr. *Non ipse magnus in domo ipsa præ me*, &c. Quidam intelligunt: Nec ipse etiam herus maior est me in hac domo, nisi in hoc quod te mihi prohibuit. Sed melius: Non est alius aut quisquam domesticorum maior me in hac domo.

V. 10. ET MULIER MOLESTA ERAT, &c. Hebr. *Non audivit ad eam*, non acquievit ei, *ad cubare* אצלה *etzlah*, quidam exponunt *apud*. *prope*, *iuxta*, *penes eam*; alii, *ad latus eius*; nonnulli, *ad cubitum*, *brachium*, *axillam eius*: melius *reservationi eius*, id est vel in loco abdito, & reservato, vel cum ea quæ reservata erat marito, *ad esse cum ea*. Idem dicit duabus sententiis, ut importunitatem indicet improbæ mulieris; vel saltem ut secum loqueretur, & confabularetur.

V. 14. VIRUM HEBRAEUM. Notant, Hebraici generis meminisse, ut Iosephum magis odiosum, & execrandum reddat, & iure de marito conqueri videatur: erant enim Hebræi AEgyptiis præ ceteris abominabiles, cap. XLIII. vers. 32.

V. 20. TRADIDITQUE IOSEPH IN CARCEREM. Hebr. *Et accepit domini Ioseph eum*. אדוני *adone*, plurale constructum, *sustentatores*, *heri*, *domini*, *Iosephi*, pro *sustentator*, *herus Ioseph*. Norant esse proprietatem linguæ, de magnis personis in magistratu, aut dignitate constitutis, honoris & reverentiæ causa ita pluraliter loqui; & plerumque construi cum verbo singulari. Vide supra vers. 2. 3. 7. 8. 16. & 19. & Genes. XXIV. vers. 9. X. 5. IN CARCEREM UBI VINCTI REGIS CUSTODIEBANTUR. Hebr. *Ad domum rotunditatis* סוהר *sohar*, *rotunditatem*, *circum*, *circulum*, *in modum lunæ arcuatam*, *& fornicatam* significare aiunt: qua forma carceres extrui solent. Hispanice *bovedas*, *fornicem* possis exponere, vel I. cum fornicatum, & saxo circumseptum: *turrim* alii interpretantur. Notant fuisse carcerem durissimum, quo detrudebantur sontes, qui regem offenderant, ut hic dicitur, nempe rei læsæ maiestatis. Vide infra cap. XL. 15. cap. XLI. 14. Psalm. CIV. 18. *Afflixerunt in compede pedem eius*: *ferrum invenit anima eius*.

V. 21. DEDIT EI GRATIAM IN CONSPECTU PRINCIPIS CARCERIS. Quidam coniectant, hunc principem, seu præfectum carceris, fuisse servum aut ministrum Putipharis præfecti prætorianis cohortibus, seu regio satellitio fideicommissarium custodem; atque verisimile esse, Iosephum casum suum, & rem totam huic, sicut se habebat, explicasse; quod apud herum non licuerat: hunc vero æquum fuisse Iosepho, ac rem omnem Putiphari narrasse: inde factum esse, ut ipse Iosephi herus Putiphar de innocentia eius persuasus, ei paulatim faveret: quod confirmatur e vers. 4. cap. XL.

V. 22. ET QUIDQUID FIEBAT, SUB IPSO ERAT. Hebr. *Et omne quod facientes ibi, ipse fuit faciens*; id est, ipse erat auctor, moderator omnium quæ ibi alii facerent; eius imperio, nutu, ductu cuncta gerebantur in carcere; ipse omnia administrabat.

MENOCHII.

Vers. 1. A QUIBUS PERDUCTUS ERAT. Qui illum in Palæstina emerant a fratribus, iidem nunc in AEgypto Putiphari vendiderunt.

V. 2. FUIT DOMINUS CUM EO: semper illum divina gratia comitabatur, omnia illi expediens, & omnibus gratum reddens. VIR IN CUNCTIS PROSPERE AGENS: vir non ætate, sed prudentia, & maturitate, cui cuncta prospere cedebant.

V. 3. OPTIME NOVERAT: experientia scilicet didicerat. DIRIGI, prosperari, fortunari.

V. 5. BENEDIXIT: bonorum omnium affluentia replevit. TAM IN AEDIBUS, QUAM IN AGRIS: domi, forisque.

V. 6. NEC QUIDQUAM ALIUD NOVERAT, NISI PANEM QUO VESCEBATUR. Adagialis loquendi formula: sensus est: Ita omnia sua commiserat Ioseph, ut cum probitati eius maxime confideret, nullam rationem dati, & accepti reposceret, solicitus dumtaxat mensæ accumbere, & frui iis quæ Iosephi arbitrio apponerentur.

V. 7. POST MULTOS ITAQUE DIES: forte anno octavo, nono, vel decimo post venditionem in AEgypto: nam nihil certi definiri potest. INIECIT OCULOS, flagitium spirantes, lascivos.

V. 9. QUOMODO ERGO POSSUM

HOC

HOC MALUM FACERE, ET PECCARE IN DEUM MEUM? quasi dicat: Qui fieri possit ut erga tam benignum dominum tam sim ingratus, maxime cum id sine gravi Dei offensa fieri non possit?

V. 10. PER SINGULOS DIES: nullam occasionem colloquii pellacis, & malesuadi sibi elabi patiebatur. STUPRUM, adulterium: est catachresis.

V. 11. UT INTRARET IOSEPH DOMUM, ET OPERIS QUIPPIAM ABSQUE ARBITRIS FACERET. Soli domi negotia domini procuranti mulier impura supervenit. Chaldæus ait ingressum ut scripturas ratiociniorum investigaret.

V. 12. LACINIA, extrema fimbria, seu ora vestimenti. EGRESSUS EST FORAS. Potuisset robustus iuvenis pallium de mulierculæ manibus violenter extorquere; sed nec vim dominæ facere voluit, nec contactam impuræ feminæ manibus vestem ultra gestare sustinuit.

V. 13. VIDISSET MULIER. Facilis mulieri ex amore in odium migratio, præsertim si se & contemptam, & deprehensam animadvertat. VOCAVIT AD SE, invitans, & ut opem ferrent, & comprehenderent Iosephum, iubens.

V. 17. SERVUS HEBRAEUS QUEM ADDUXISTI. Etiam maritum culpæ quodammodo participem facit, ut ita cogat acrius in Iosephum sævire.

V. 19. NIMIUM CREDULUS, excæcante zelotypia: nec advertit hanc ipsam vestem indicium potius esse violentiæ à muliere profectæ, ut notavit Philo.

V. 20. IN CARCEREM. Hebr. *In domum carceris.*

V. 21. PRINCIPIS CARCERIS, præfecti, & custodis.

V. 22. SUB IPSO ERAT: directione eius fiebat.

V. 23. NEC NOVERAT ALIQUID: nulli rei se immiscebat, nihil curabat: omnia enim fidei, & prudentiæ Iosephi commissa.

TIRINI.

Vers. 6. NEC QUIDQUAM ALIUD NOVERAT, NISI PANEM QUO VESCEBATUR. Proverbio hoc significatur, patremfamilias ita omnia sua commisisse Iosepho ut ab eo nullam rationem dati vel accepti reposceret; sed contentus frui partis labore Iosephi, dormiebat in utramque aurem, solicitus solum edere & bibere. Notat Rupertus præcellentiam hic virtutum Iosephi. Primo iustitiæ, qua bona domini sui tot annis tanta integritate, sine ulla fraudis, aut negligentiæ suspicione administravit. Secundo temperantiæ, quia iuvenis vix vigintiseptem annorum, & servus, & formosus, ab hera propria, & ampla pollicente, secreto adamatus, & sæpius interpellatus, ac rogatus, numquam redamavit. Tertio prudentiæ, qua dissuadere conatus, cum vidit frustra esse, etiam veste apprehensus aufugit. Quarto fortitudinis, qua & blanditias, & furias insanæ amasiæ constanter repulit, & carceres, & mortem subire maluit quam vel Deum, vel herum suum offendere. Hinc Chrysostomus, Ambrosius, Augustinus & Philo, Magis, inquiunt, miramur factum Iosephi, quam tres pueros in fornace Babylonia illæsos permansisse: nam sicut illi pueri, sic magis Ioseph in mediis ignibus illæsus, non adustus, sed clarior effugit.

GORDONI.

Vers. 1. REgreditur Moses ad Iosephum, de quo deinceps usque ad finem huius Libri. De annis in AEgypto transactis dixi ex professo suo loco.

V. 2. Laus Iosephi. Virum vocat non ætate, sed prudentia. IN CUNCTIS PROSPERE AGENS, divina illum benedictione ubique comitante.

V. 3. AB EO. Hoc est, a Deo: Deus enim omnia, quæ gerebat Ioseph, dirigebat prospere.

V. 6. NEC QUIDQUAM ALIUD NOVERAT NISI PANEM; hoc est, dominus eius ita ei fidebat, ut omnium rerum curam illi commiserit.

V. 10. STUPRUM, idest adulterium, quadam vocis abusione.

V. 12. LACINIA, ora vestimenti, fimbria. In Hebr. *Apprehendit eum in vestimento eius.* בבגדו bebagedo.

V. 22. SUB IPSO ERAT.. Custos carceris præfecit eum rebus suis.

CAPUT XL.

Eunuchorum Pharaonis in carcere Ioseph somnia interpretatus, alterum officio restituendum, alterum suspendio finiendum prædixit: quæ omnia in Pharaonis natalitio evenerunt.

1 * His ita gestis, accidit ut peccarent duo eunuchi, pin-
cerna regis AEgypti, & pistor, domino suo. 2. Iratus-
que contra eos Pharao (nam alter pincernis præerat, al-
ter pistoribus) 3. misit eos in carcerem principis mili-
tum, in quo erat vinctus & Ioseph. 4. At custos car-
ceris tradidit eos Ioseph, qui & ministrabat eis. Ali-
quantulum temporis fluxerat, & illi in custodia tene-
bantur. 5. Videruntque ambo somnium nocte una iuxta in-
terpretationem congruam sibi: 6. ad quos cum introisset Ioseph mane, & vi-
disset eos tristes, 7. scitcitatus est eos dicens: Cur tristior est hodie solito fa-
cies vestra? 8. Qui responderunt: Somnium vidimus, & non est qui inter-
pretetur nobis. Dixitque ad eos Ioseph: Numquid non Dei est interpretatio?
Referte mihi quid videritis. 9. Narravit prior, præpositus pincernarum,
somnium suum: Videbam coram me vitem, 10. in qua erant tres propagi-
nes, crescere paulatim in gemmas, & post flores uvas maturescere; 11. cali-
cemque Pharaonis in manu mea: tuli ergo uvas, & expressi in calicem quem
tenebam, & tradidi poculum Pharaoni. 12. Respondit Ioseph: Hæc est inter-
pretatio somnii: tres propagines, tres adhuc dies sunt: 13. post quos † re-
cordabitur Pharao ministerii tui, & restituet te in gradum pristinum: dabis-
que ei calicem iuxta officium tuum, sicut ante facere consueveras. 14. Tan-
tum memento mei, cum bene tibi fuerit, & facias mecum misericordiam: ut
suggeras Pharaoni ut educat me de isto carcere: 15. * quia furto sublatus sum
de terra Hebræorum, & hic innocens in lacum missus sum. 16. Videns pisto-
rum magister quod prudenter somnium dissolvisset, ait: Et ego vidi somnium:
quod tria canistra farinæ haberem super caput meum: 17. & in uno canistro
quod erat excelsius, * portare me omnes cibos qui fiunt arte pistoria, aves-
que comedere ex eo. 18. Respondit Ioseph: Hæc est interpretatio somnii:
tria canistra, tres adhuc dies sunt: 19. post quos auferet Pharao caput tuum,
ac suspendet te in cruce, & lacerabunt volucres carnes tuas. 20. Exinde dies
tertius natalitius Pharaonis erat: qui faciens grande convivium pueris suis,
recordatus est inter epulas magistri pincernarum, & pistorum principis. 21.
Restituitque alterum in locum suum, ut porrigeret ei poculum; 22. alterum
suspendit in patibulo, ut coniectoris veritas probaretur. 23. Et tamen succe-
dentibus prosperis, præpositus pincernarum oblitus est interpretis sui.

BRU-

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 1. *His ita gestis*. Non est mutandum adverbium *ita* cum coniunctione *itaque*.

V. 15. *Quia furto sublatus sum*. Spurium est adverbium *furtim*, positum loco nominis *furto*.

V. 17. *Portare me omnes cibos*. Superfluum est verbum *putabam*, quod quidam interponunt.

LECTIONUM VARIETAS.

V. 13. *Recordabitur Pharao ministerii tui*. Quædam manuscripta habent *magisterii*.

COMMENTARIA

S A.

Vers. 1. DOMINO SUO, idest in dominum suum.

V. 4. CUSTOS CARCERIS. Hebr. *princeps militum*. TRADIDIT, scilicet in curam.

V. 8. NUMQUID NON DEI EST INTERPRETATIO? quasi dicat: Potest Deus per aliquem interpretari.

V. 16. FARINAE. Hebr. *alba*.

V. 19. CAPUT TUUM, id est te. IN CRUCE. Hebr. *in ligno*.

V. 22. UT CONIECTORIS VERITAS PROBARETUR. Hebr. *Sicut fuerat eis interpretatus Ioseph*.

ESTII.

Vers. 8. SOMNIUM VIDIMUS. Quæri solet sitne licita somniorum observatio, & eorum interpretationem quærere, aut dare. Nam dicit Dominus Deut. XVIII. *Non invenietur in te qui observet somnia*: & alibi sæpius somniorum observationes prohibentur. E contra producuntur Ioseph, & Daniel interpretantes somnia. Itaque respondeo: Somnia vel divinitus immittuntur, vel ex naturalibus tantum causis eveniunt. Si ex causis tantum naturalibus accidunt, nullam habent significationem eventuum futurorum, sed tantum præsentis corporis constitutionis, & futuræ, quantum ex præsenti constitutione de futura iudicari potest. Atque huiusmodi somniorum significatio ad medicos pertinet. Quod si divinitus immittuntur, id sane fit ad aliquid significandum, quod ab homine humana sagacitate sciri, aut prævideri non potest. Itaque huiusmodi somnia neque discerni ab aliis somniis, neque exponi possunt, nisi ab iis qui dono ad hoc divinitus collato instructi sunt; cuiusmodi fuerunt Ioseph, & Daniel. Et hoc est quod Ioseph hic dicit: *Numquid non Dei est interpretatio?* & postea ad Pharaonem: *Absque me Deus respondebit prospera Pharaoni*; quasi dicat, non ego, sed Deus.

V. 22. UT CONIECTORIS VERITAS PROBARETUR. *Ut* non finem significat (nihil enim Pharao de hac interpretatione somnii audiverat, cum pincernam in locum suum restituit) sed scilicet denotat eventum. Sensus enim est: atque ita factum est ut veritas coniectoris fuerit declarata. Et sic quoque intelligitur quod aliquoties in Evangelio dicitur: *Ut impleretur quod scriptum est*; ac si dicatur: Atque ita impleta est prophetia talis, aut talis. Quamquam in Hebræo non est *Ut veritas probaretur*, sed *Quemadmodum coniecerat eis Ioseph*.

MARIANAE.

Vers. 1. DUO EUNUCHI. Hoc Heb. non est, nec in Sept. nec Chald. sed tantum: *Post hæc peccaverunt pincerna regis Aegypti, & pistor.*

V. 4. AT CUSTOS CARCERIS TRADIDIT EOS IOSEPH. Hebr. variis redduntur modis. Placet tamen Chald. explicatio: *Et posuit princeps militum cum eis Ioseph, & ministrabat eis*. Reliquis vinctis præpositus, his duobus datus est socius & minister. ALIQUANTULUM TEMPORIS FLUXERAT, ET ILLI IN CUSTODIA TENEBANTUR. Hebr. *Et*

fuerunt dies in carcere. Hebræi intelligunt per *dies* annum integrum.

V. 5. IUXTA INTERPRETATIONEM CONGRUAM SIBI. Hebr. *Quisque iuxta interpretationem somnii sui*. Nempe significat somnia non fuisse vana & fortuita, quæ interpretationem non habent, sed significasse quæ illis ventura erant. Præterea in Hebræo additur: *Pincerna, & pistor regis AEgypti, qui vincti* (supple, erant) *in domo carceris*. Quæ Hieronym. prætermisit, quippe in plerisque locis magis Paraphrasten agit quam Interpretem.

V. 8. NUMQUID NON DEI EST INTERPRETATIO? quasi dicat: Potest Deus per aliquem interpretari.

V. 10. UVAS MATURESCERE. Heb. *Racemos uvarum coqui*. Sane ut carnes igne, sic fructus solis calore coquuntur.

V. 13. POST QUOS RECORDABITUR. Hebr. *In adhuc tres dies*, id est in fine trium dierum, *levabit Pharao caput tuum, & restituet te*, &c.

V. 15. IN LACUM MISSUS SUM. בבור *babor*, *in puteum*, id est carcerem. Carceris forma instar putei erat: quare סהר *sohar* hic sæpe & aliis locis a rotunditate vocatur.

V. 16. TRIA CANISTRA FARINAE. Alii interpretantur *tria canistra alba*, quippe ex viminibus decorticatis; sed vocem חרי *hori*, Sept. *farinam* interpretati sunt: fortassis quoniam ea vox candorem proprie significat, putarunt *canistra candoris* referendum ad rem in iis contentam, quam farinam existimarunt.

V. 19. AUFERET PHARAO CAPUT TUUM. Eadem verba Hebraica sunt hic, & vers. 13. ישא פרעו ראשך *isa Parho roscha*. Verum superius vers. 13. significat *levabit Pharao caput tuum*, hic autem *auferet Pharao caput tuum*, quoniam addit, *desuper te*. Videturque ludere eodem verbo, sed in diversa ac contraria significatione. Sed & vers. 20. eodem verbo utitur, sed in significatione recordandi, cum ait: *Et recordatus est capitis principis pincernarum, & capitis principis pistorum*, sive *coquorum*.

V. 22. UT CONIECTORIS VERITAS PROBARETUR. Hebr. *Ut fuerat eis interpretatus Ioseph*. Ioseph primum somniorum interpretem extitisse ait Iustinus Lib. XXXVI. Historiæ.

MALVENDAE.

Vers. 1. ET PISTOR. Plinius Lib. XVIII. cap. XI. *Pistores Romæ non fuerunt ad Persicum usque bellum, annis ab urbe condita super D. LXXX. ipsi panem faciebant Quirites; mulierumque id opus erat, sicut etiam nunc in plurimis gentium*. Quod etiam Varro affirmat, apud Nonium cap. 11. num. 643. Vides ut multo iam antea fuerint apud AEgyptios.

V. 3. MISIT EOS IN CARCEREM. Non omittam annotare vocem Hebr. משמר *mischmar*, *custodiam*, *carcerem*, convenire cum Hispanica *masmorra*, eodem sono, & significato.

V. 4. TRADIDIT EOS IOSEPH. Varie reddunt hunc locum: *Et ordinavit Ioseph cum eis*; id est, disposuit ut esset cum eis: alii, *Et convenit Ioseph cum eis*; id est, iunxit ut simul essent: quidam, *Commendavit Iosepho eos*; vel *commisit Iosepho eos*: nonnulli, *Et accensuit*, *recensuit Ioseph ad eos*, vel *cum eis*; id est, notavit, inscripsit in eodem albo vinctorum: nam forte vincti dividebantur per classes; & ii erant honoratiores. Ex verbo, *Et visitavit*, vel *visitare fecit Ioseph ad eos*; id est, constituit visitatorem, curatorem, procuratorem eorum, vel inspectorem, custodem, observatorem eorum.

V. 6. TRISTES. Verbum זעף *zaghaph* septies occurrit in Scriptura. Noster hic *tristem esse*, II. Paralipom. XXVI. 19. *irasci*, ibidem, *minitari*. Proverb. XIX. 3. *fervere*. I. Reg. XX. 43. *furibundum esse*. Ibidem cap. XXI. 4. *frendere*. Daniel. I. 10. *macilentum esse*: quæ omnia significata hic recte conveniunt. Aiunt idem esse plane cum verbo זעם *zagham*, quod extremæ litteræ sint eiusdem instrumenti, & symbolicæ, nisi quod *zaghaph* sit fortius ac vehementius, nempe *fervere*, seu *furere ira*; vel *turbari tristitia*, seu *metu*; *ira effervescere*, seu *exæstuare*, *conturbari tristitia*, aut *metu*, cuius signum in vultu appareat. Unde iratum seu tristem vultum pro macilento, Daniel dixit. Alii, per *sævire*, *obscurum*, *turbatum esse* exponunt. Quidam hic vertunt, *Conturbati*; alii *sævientes*; nonnulli, *dolore affecti*; aliqui, *consternati*.

V. 7.

V. 7. CUR TRISTIOR EST. Particulam מדוע *madduagh* ordinarie reddunt *cur*, *quare*, *ut quid*, *quamobrem*. Certum est componi ex מה *mah*, *quid*, & ידע *dagh*, *cognitio*. Licet vertere, *Quid cognitionis?* id est, quid novi, quid dignum cognitu, quid causæ? Vide supra cap. XXVI. vers. 27.

V. 8. NUMQUID NON DEI EST INTERPRETATIO? REFERTE MIHI QUID VIDERITIS; ac si dicat: Narrate mihi somnia vestra, nam puto me, favente Deo, cuius est interpretatio somniorum, non vanum fore coniectorem. Aliter. Quid mæsti & turbati estis, quod somniorum solutionem consequi non potestis, cum arcana somniorum solius Dei sit declarare, qui ea solet immittere; nec id homines scire possint nisi vanis, & incertis coniecturis?

V. 11. CALICEMQUE. כוס *cos* aiunt esse nomen *poculi rotundi*, *in modum rosæ germinantis*, *seu lilii repandi figuram habentis*, *quod colligit aliquot mensuras minores*: forte cotulam, seu congium. Exponunt *calicem*, *phialam*, *pateram*, *scyphum*, *poculum*, *crateram*, *pocillum*. Quidam divinant esse vasculum in modum *rostri falconis*, quod *cos* eam quoque avem significet, aut bubonem, aut nycticoracem.

V. 13. RECORDABITUR PHARAO MINISTERII TUI. Hebr. *Levabit Pharao caput tuum*. Aliqui reddunt, *Recensebit caput tuum*, vel *te*, *Pharao*. Quidam exponunt, *Te honorabit*, *te restituet in pristinam dignitatem*. Qua phrasi usus est Ieremias LII. 31. & II. Regum XXV. 27. Alii explicant: Cum familiam recensebit, & servitia lustrabit omnia, te etiam numerabit in eorum catalogo; cum censum domus aget, indet te summæ famulantium. Sic *levare caput*, pro *summam colligere*, *censum agere*, Exodi XXX. 12. Numeror. I. 2. cap. IV. 2. 12. Hic sensus & Nostro, & versui 19. & 20. mire quadrat. Tremellius, & Iunius hæc annotant: *Obscuritatem hoc loco facit locutionis ambiguitas: hanc ego ex prisca numerandi ratione interpretor. Olim officiorum nomina in albo sive abaco inscripta erant: secundum ea fiebant foramina in abaco, quæ in foramina indebantur clavi capitati, sive paxilli, quibus solebat informari, & ante oculos haberi expedita ratio dierum, mensium, annorum, officiorum, actionum, servitiorum, pecuniæ attributæ, vel numeratæ, & similium. Sic annalem clavum fuisse depactum a Pontifice maximo, auctor est Festus: sic diribitores, qui distribuendo Cæsarum donativo inter milites præerant, si quibus dederant, annotabant clavis impactis in abacum; & inde clavarii a Tacito appellantur. Sic alia multa. Hunc clavum Hebræi vocant caput, foramen abaci, basin. Itaque tollere caput, nihil est aliud, quam per clavos servitia recensere; sive retineantur sive eximantur, ut infra vers. 19.* Similes abaci sunt hodie in monasteriis. IUXTA OFFICIUM TUUM. Mirifice expressit vim vocis משפט *mischpat*, *iudicium*: sumitur enim interdum pro *officio*, *functione*, *ministerio*, *administratione*, *magistratu publico*; quasi dicas, *consulatu*. Psal. LXXI. 1. *Deus iudicium tuum regi da*. Hinc *rationale*, seu *pectorale iudicii*, id est magistratus, & officii sacerdotalis insigne, ut trabea, & paludamentum, consulum, & imperatorum. Alii hic *consuetudinem*, *morem* interpretantur: nonnulli, *Secundum rationem priorem*: quidam, *Secundum distributionem priorem*, qua distribuuntur officia.

V. 16. TRIA CANISTRA, vocem סל *sal*, cum terdecies legatur in Scriptura, Noster semper *canistrum* convertit. S. Hieronymus hic vocem *cophini*, pro *sal* magis probat. Aiunt esse *corbem*, *sportam*, *cophinum*, *canistrum ex viminibus contextum*, *& exaggeratum*, *quod supra caput levari soleat*, a סלל *salal*, quod est *aggerare*, *sternere viam*, *extollere*. FARINAE. חורי *chori* varie exponunt, *albedinis*, *candoris*, id est *alba*, *candida*, nempe facta ex virgis seu viminibus decorticatis albis: alii, *foraminum*, hoc est perforata, seu cancellaturas, ut pulchre hodie contexuntur, quæ vocamus *acafates*: nonnulli, *tortarum sub prunis decoctarum*, quas Hebræi vocant עגות *giuggoth*, nos *colgadas*, aut *bogazas*. Noster, LXX. *ad farinam*, seu *panes albos* & *candidos* revertunt: *Tria canistra candoris*, id est plena farina candida, seu plena panis albi & candidi. Quidam arbitrantur *chori* vocabulum esse peregrinum: certe forma peregrina videtur. Hebræi putant *chori* pro *chorim* positum, id est *alborum candidorum*, vel *foraminum*.

V. 19. AUFERET PHARAO CAPUT TUUM, AC SUSPENDET TE IN CRUCE.

ce. Quidam putant primum capite truncatum, deinde suspensum in patibulo, & caput seorsim positum in stipite: quod verba Nostri indicare videntur. Hebr. ad verbum: *Levabit Pharao caput tuum de super te, & suspendet te super lignum*: quod ita plerique interpretantur, *Levabit summam de super te*; id est, iubebit nomen tuum e catalogo servorum suorum abradi, & obliterari: vel censum aget, recensebit summam servorum suorum, & levabit, alleviabit, exonerabit eam tuo nomine, expungendo illud, & te amovendo ex albo sibi famulantium: insuper & arbori infelici suspendet. Alioqui enim non truncatus, sed suspensus fuit. Vide vers. 13. & 20.

V. 20. DIES TERTIUS NATALITIUS PHARAONIS ERAT. Hebr. *In die tertio, die nasci Pharhoh*: quidam, *Pharhoni filiam*: rectius alii, *die nasci Pharhonem*, id est quo ipse Pharao natus fuerat. AEgyptios reges natalem diem suum conviviis celebrasse, auctor est Hellanicus in AEgyptiacis, apud Athenæum Lib. XV. Deipnosophillarum, cap. VII. Persarum quoque reges, scribit Herodotus Lib. IX. numero 109. & Athenæus Lib. IV. cap. x. quam cœnam, inquiunt, Persice *tycta*, Græce perfectam & absolutam vocari. Quidam in utroque auctore, pro *tycta*, rescribunt *tymta*, vel *tumta*, ab Hebraico תמם *tamam*, quod est *perficere*, *absolvere*. RECORDATUS EST INTER EPULAS MAGISTRI PINCERNARUM, ET PISTORUM PRINCIPIS. Hebr. *Et levavit caput, summam, principis pincernarum, & caput, summam, principis pistorum, in medio servorum suorum*; id est, recensuit, censum egit, collegit summam, invisit catalogum servorum suorum; & dum recitaretur catalogus servorum Pharaonis numerati sunt & isti duo inter servos alios. Ad hunc sensum proxime Noster accedit. Vide vers. 19. & 13.

MENOCHII.

Vers. I. UT PECCARENT. Quod crimen admiserint ignoratur: fortasse aliquid furati de annona, vel aliqua orta suspicio ne Pharaoni venenum pararent. PINCERNA. Septuaginta habent, *Principem pincernarum*, eorum scilicet qui Pharaoni vinum miscebant, pocillatorum. PISTOR, vox Hebræa, *panis coctorem* significat. LXX. *Principem eorum, qui panes faciebant*.

V. 3. PRINCIPIS MILITUM, Putipharis. VINCTUS, captivus: iam enim vincula dempta.

V. 4. CUSTOS CARCERIS, clavicularius, ergastularius. ALIQUANTULUM TEMPORIS FLUXERAT. Aliqui probabiliter putant annum unum.

V. 5. IUXTA INTERPRETATIONEM CONGRUAM SIBI. Unusquisque vidit somnium congruum functioni suæ, & indicans quid singulis eventurum.

V. 8. NON EST QUI INTERPRETETUR: quia carcere conclusi sumus, interpretis copiam non habemus. NUMQUID NON DEI EST INTERPRETATIO? quasi dicat neminem posse interpretari vere somnia, nisi a Deo interpretationem accipiat; Deum vero revelare cui velit, & se sperare id a Deo sibi concessum iri.

V. 10. TRES PROPAGINES, tres palmites, seu tria flagella vitium, in terram depressa ad novas vires in solo colligendas, & novos pampinos fundendos: hoc Latina vox *propago*, & Græca πυθμὴν, quæ est apud LXX. significant.

V. 12. TRES DIES SUNT; id est, significant. Tres porro propagines in terram depressæ, & ex illa emergentes, bene tres dies significant: toties enim sol conditur, & rursus in triduo existit.

V. 13. POST QUOS. Hebr. *Et dum adhuc tres dies*; id est, post tertium inchoatum. RECORDABITUR PHARAO MINISTERII TUI. Hebr. *Elevabit Pharao caput tuum*; hoc est, pristinæ dignitati restituet.

V. 14. TANTUM MEMENTO MEI: non posco pretium tam fausti nuntii; tantum mihi faveas apud Pharaonem, ut hinc educat.

V. 15. FURTO SUBLATUS SUM; plagio fratrum. Non fratres, non adulteram accusat, sed suam tantum innocentiam profitetur. DE TERRA HEBRAEORUM, de terra Chanaan, in qua pater & fratres, qui Hebræi sunt, degunt. IN LACUM, in carcerem. Vox Hebræa בור *bor cisternam*, *lacum*, *antrum* significat.

V. 16. VIDENS PISTORUM MAGISTER QUOD PRUDENTER SOMNIUM DISSOLVISSET: ex interpretatione præce-

cedentis somnii spe bona plenus. *Prudenter*, magna verisimilitudine. CANISTRA FARINAE. *Tres cophini pollinis triticei*, ut vertit Aquila; vel, ut habet Chaldæus, *Tria canistra plena pane principali*. Visus ergo sibi est pistor capite sustinere tria canistra invicem superposita; in quorum imo & medio soli panes erant, in supremo vero omne genus cibi pistorii, pastæ, artocreæ, & huiusmodi alia, ad quæ aves carnivoræ advolabant.

V. 19. POST QUOS, inchoatos: nam tertio die durante id accidit. AUFERET CAPUT TUUM: vita privabit. LACERABUNT VOLUCRES: nam crucifixorum cadavera Gentiles de crucibus pendere sinebant, & carnivoræ aves in ea involare solebant, seque eorum carnibus pascere.

V. 22. UT CONIECTORIS VERITAS PROBARETUR. Sensus est: ex quo factum est ut appareret coniectorem vere somnium fuisse interpretatum.

TIRINI.

Vers. 5. VIDERUNT AMBO SOMNIUM, IUXTA INTERPRETATIONEM CONGRUAM SIBI; id est, iuxta id quod ipsis eventurum erat conformiter interpretationi subsecutæ.

Petes an ex somniis liceat divinare. Respondeo: Licet primo ex iis quæ verosimile est a Deo, vel bono Angelo immissa esse: quod fere colligitur ex adiunctis circumstantiis, & peculiari lumine quo manifestum faciunt, a se somnium, vel revelationem proficisci. Secundo licet etiam ex somniis naturalibus, seu quæ nascuntur ex humorum in corpore temperamento, coniecturam facere, ut medici faciunt, de statu corporis, eius temperie, vel intemperie, de morbo vel præsente, vel imminente, &c. Nam ex effectibus prudenter inquiritur de causa, & contra, ex causa de effectibus. Unde Hippocrates & Galenus libros scripserunt de præsagiis sumendis ex insomniis. Tertio ex diabolicis, seu a diabolo immissis somniis, quæ tempore tentationis subinde permittit Deus, & prudentum iudicio facile dignosci possunt, non licet coniecturam facere, cum inhibitum nobis sit omne commercium cum dæmone, capitali Dei hoste, & ruinæ nostræ semper insidiante. Quarto ex naturalibus somniis aliud quam naturale corporis temperamentum, aut valetudinis statum coniectare velle; verbi gratia de fortuitis eventibus, vel actionibus causarum liberarum, aliisve contingentibus, vel casibus futuris; vanum, superstitiosum, & a Deo prohibitum est Deuteronomii XVIII. vers. 10.

GORDONI.

Vers. 1. TO' E'UNUCHI hic additum est a nostro Interprete. PINCERNA hic pocillator est, qui principi vinum miscet, & propinat. Hebr. שקה *waka* est propinare. Hinc משקה *mawke*, nomen derivatum.

V. 3. PRINCIPIS MILITUM, Putipharis.

V. 5. IUXTA INTERPRETATIONEM CONGRUAM; hoc est, designabant quod cuique esset eventurum. Frustra hic de causis & natura somniorum aliqui. Vide Delrio, de Magicis disquisitionibus, Lib. IV. cap. III. quæst. 6. Hic recte Ioseph vers. 9. significat, non posse vere exponi somnia, solida interpretatione, nisi a Deo, aut cui ille hoc revelat.

V. 10. PROPAGO, est vitis in terram depressa, ad novam destinata propaginem. Hinc propagare, Gallice *proviner*. Propago non est simpliciter palmes; sed talis, & palmes traductus.

V. 13. RECORDABITUR, te restituet pristinæ dignitati.

V. 15. FURTO. Hoc furti genus plagium est. E TERRA, ubi sunt Hebræi. Per LACUM, intelligit carcerem. Hebr. בור *bor* significat etiam antrum, & cisternam.

V. 16. CANISTRA FARINAE. Heb. חרי *chore*, candorem significat: *Canistra candoris*.

V. 22. Non est sensus, factum hoc ut Iosephi expositio fieret vera; sed particula *ut* designat eventum rei, & ita evenisse ut Ioseph interpretatus est.

CA-

CAPUT XLI.

Somnia Pharaonis de bobus, & spicis unicus Ioseph interpretatus, toti AEgypto præficitur: & ex Aseneth data sibi a Pharaone uxore duos sustulit filios ante septem famis annos.

1 Ost duos annos vidit Pharao somnium. Putabat se stare super
fluvium, 2. de quo ascendebant septem boves, pulchræ &
crassæ nimis: & pascebantur in locis palustribus. 3. Aliæ quo-
que septem emergebant de flumine, fœdæ confectæque macie:
& pascebantur in ipsa amnis ripa in locis virentibus: 4. de-
voraveruntque eas, quarum mira species & habitudo corpo-
rum erat. Expergefactus Pharao, 5. rursum dormivit, & vi-
dit alterum somnium. Septem spicæ pullulabant in culmo uno plenæ atque for-
mosæ; 6. aliæ quoque totidem spicæ tenues & percussæ uredine oriebantur, 7.
devorantes omnem priorum pulchritudinem. Evigilans Pharao post quietem, 8. &
facto mane, pavore perterritus, misit ad omnes coniectores AEgypti, cunctosque
sapientes: & accersitis narravit somnium, nec erat qui interpretaretur. 9. Tunc
demum reminiscens pincernarum magister, ait: Confiteor peccatum meum. 10. Ira-
tus rex servis suis, me, & magistrum pistorum retrudi iussit in carcerem princi-
pis militum: 11. ubi una nocte uterque * vidimus somnium præsagum futuro-
rum. 12. Erat ibi puer Hebræus, eiusdem ducis militum famulus: cui narrantes
somnia, 13. audivimus quidquid postea rei probavit eventus: ego enim redditus
sum officio meo; & ille suspensus est in cruce. 14. Protinus ad regis imperium
eductum de carcere Ioseph totonderunt, ac veste mutata, obtulerunt ei. 15. Cui
ille ait: Vidi somnia, nec est qui edisserat: quæ audivi te sapientissime coniice-
re. 16. Respondit Ioseph: Absque me Deus respondebit prospera Pharaoni. 17.
Narravit ergo Pharao quod viderat. Putabam me stare super ripam fluminis, 18.
& septem boves de amne conscendere, pulchras nimis, & obesis carnibus, quæ
in pastu paludis virecta carpebant: & ecce has sequebantur aliæ septem boves in
tantum deformes, & macilentæ ut numquam tales in terra AEgypti viderim: 20.
quæ, devoratis * & consumptis prioribus, 21. nullum saturitatis dedere vesti-
gium; sed simili macie & squalore torpebant. Evigilans, rursus sopore depressus,
22. vidi somnium. Septem spicæ pullulabant in culmo uno plenæ atque pulcherri-
mæ; 23. aliæ quoque septem tenues & percussæ uredine oriebantur e stipula, 24.
quæ priorum pulchritudinem devoraverunt. † Narravi coniectoribus somnium, &
nemo est qui edisserat. 25. Respondit Ioseph: Somnium regis unum est: quæ fa-
cturus est Deus, ostendit Pharaoni. Septem boves pulchræ, & septem spicæ ple-
næ, septem ubertatis anni sunt; eamdemque vim somnii comprehendunt. 27. Se-
ptem quoque boves tenues atque macilentæ, quæ ascenderunt post eas, & septem
spicæ tenues, & vento urente percussæ, septem anni venturæ sunt famis: 28. qui
hoc ordine complebuntur: 29. ecce septem anni venient fertilitatis magnæ in uni-
versa terra AEgypti: 30. quos sequentur septem anni alii tantæ sterilitatis, ut ob-
livio

livioni tradatur cuncta retro abundantia: consumptura est enim fames omnem terram, 31. & ubertatis magnitudinem perditura est inopiæ magnitudo. 32. Quod autem vidisti secundo ad eamdem rem pertinens somnium, firmitatis indicium est, eo quod fiat sermo Dei, & velocius impleatur. 33. Nunc ergo provideat rex virum sapientem, & industrium, & præficiat eum terræ AEgypti: 34. qui constituat præpositos per cunctas regiones, & quintam partem fructuum per septem annos fertilitatis, 35. qui iam nunc futuri sunt, congreget in horrea: & omne frumentum sub Pharaonis potestate condatur, serveturque in urbibus. 36. Et præparetur futuræ septem annorum fami, quæ oppressura est AEgyptum, & non consumetur terra inopia. 37. Placuit Pharaoni consilium, & cunctis ministris eius: 38. locutusque est ad eos: Num invenire poterimus talem virum, qui spiritu Dei plenus sit? 39. Dixit ergo ad Ioseph: Quia ostendit tibi Deus omnia quæ locutus es, numquid sapientiorem, & consimilem tui invenire potero? 40. (a) Tu eris super domum meam, & ad tui oris imperium cunctus populus obediet: uno tantum regni solio te præcedam. 41. Dixitque rursus Pharao ad Ioseph: Ecce constitui te super universam terram AEgypti. 42. Tulitque annulum de manu sua, & dedit eum in manu eius: vestivitque eum stola byssina, & collo torquem auream circumposuit. 43. Fecitque eum ascendere * super currum suum secundum, clamante præcone, ut omnes coram eo genu flecterent, & præpositum esse scirent universæ terræ AEgypti. 44. * Dixit quoque rex ad Ioseph: Ego sum Pharao: absque tuo imperio non movebit quisquam manum aut pedem in omni terra AEgypti. 45. Vertitque nomen eius, & vocavit eum lingua AEgyptiaca, Salvatorem mundi. Deditque illi uxorem Aseneth * filiam Putiphare sacerdotis Heliopoleos. Egressus est itaque Ioseph ad terram AEgypti (46. triginta autem annorum erat quando stetit in conspectu regis Pharaonis) & circuivit omnes regiones AEgypti. 47. Venitque fertilitas septem annorum: & in manipulos redactæ segetes congregatæ sunt in horrea AEgypti. 48. Omnis etiam frugum abundantia in singulis urbibus condita est: 49. tantaque fuit abundantia tritici ut arenæ maris coæquaretur, & copia mensuram excederet. 50. (b) Nati sunt autem Ioseph filii duo antequam veniret fames, quos peperit ei Aseneth filia Putiphare sacerdotis Heliopoleos. 51. Vocavitque nomen primogeniti, Manasses, dicens: Oblivisci me fecit Deus omnium laborum meorum, & domus patris mei. 52. Nomen quoque secundi appellavit Ephraim, dicens: Crescere me fecit Deus in terra paupertatis meæ. 53. Igitur transactis septem ubertatis annis, qui fuerant in AEgypto, 54. cœperunt venire septem anni inopiæ, quos prædixerat Ioseph: & in universo orbe fames prævaluit, * in cuncta autem terra AEgypti panis erat. 55. Qua esuriente, clamavit populus ad Pharaonem, alimenta petens. Quibus ille respondit: Ite ad Ioseph: & quidquid ipse vobis dixerit, facite. 56. Crescebat autem quotidie fames in omni terra: aperuitque Ioseph universa horrea, & vendebat AEgyptiis: nam & illos oppresserat fames. 57. Omnesque provinciæ veniebant in AEgyptum, ut emerent escas, & malum inopiæ temperarent.

(a) Psal. civ. 21. 1. Mac. II. 53. Actor. vII. 2. (b) Inf. xl. vIII. 20. xlix. 5.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 11. *Vidimus somnium præsagum futurorum*. Non est mutandum nomen adiectivum *præsagum* cum substantivo *præsagium*.

V. 20. *Et consumptis prioribus*. Cave legas nomen substantivum *pecoribus* pro adiectivo numerali *prioribus*.

V. 43. *Super currum suum secundum*. Spurium est pronomen *secum*, positum pro nomine numerali *secundum*.

V. 44. *Dixit quoque rex*. Superfluit, quod subiungitur a quibusdam codicibus, nomen *Ægypti*.

V. 45. *Filiam Putiphare*. Ita rectius scribitur, tum hic, tum infra vers. 50. & XLVI. vers. 20. *Putiphare*, quam *Putipharis*: quo certius distinguatur nomen hoc sacerdotis *Putiphare*, quadrisyllabum, a trisyllabo nomine eunuchi *Putiphar*, de quo supra XXXIX. vers. 1.

V. 54. *In cuncta autem terra Ægypti panis erat*. Pro *panis* non scribas *fames*, quæ est inopia panis.

LECTIONUM VARIETAS.

V. 24. *Narravi coniectoribus somnium*. Quidam codices pro accusativo singulari legunt genitivum pluralem *somniorum*.

COMMENTARIA

SA.

Vers. 1. FLUVIUM, scilicet Nilum.
Vers. 2. LOCIS PALUSTRIBUS: alii, *prato*.

V. 5. CULMO, id est frumenti calamo.

V. 6. UREDINE. Hebr. *euro*.

V. 12. PUER, id est iuvenis. Vide Ioan. XXI.

V. 15. SAPIENTISSIME CONIICERE. Hebr. *posse interpretari*.

Vers. 16. ABSQUE ME DEUS RESPONDEBIT PROSPERA PHARAONI; quasi dicat: Non ego, sed Deus.

V. 39. SAPIENTIOREM. Hebr. *sapientem ut te*.

V. 43. SECUNDUM, id est quo secundus a rege vir vehi solebat.

V. 45. SALVATOREM MUNDI. Alii, *absconditi revelatorem*. PUTIPHARE. Non est is, de quo supra cap. XXXIX. (etsi Hieron. eumdem putat) aliter enim Hebraice scribitur.

V. 46. TRIGINTA. Anno præcedente mortuus fuerat Isaac 180. annorum, cum Iacob esset 120.

V. 50. SACERDOTIS, Chald. *principis*.

V. 51. MANASSES, id est *oblivisci faciens*.

V. 52. EPHRAIM, id est *fructificationes*. PAUPERTATIS. Hebr. *afflictionis*.

V. 57. UT MALUM INOPIAE TEMPERARENT. Hebr. *Quia invaluerat fames in omni terra*.

ESTII.

Vers. 16. ABSQUE ME DEUS RESPONDEBIT PROSPERA PHARAONI. Hoc Symmachus clarius ita vertit: *Non ego, sed Deus respondebit pacem Pharaoni*. Verba sunt humilitatis, quibus interpretandi facultatem, qua pollebat, refundit in Deum auctorem. Sic & Paulus I. Corinth. XV. *Non ego, sed gratia Dei mecum*: & rursum, *Tametsi nihil sum*. Vide Hebræa.

V. 38. & 39. NUM INVENIRE POTERIMUS TALEM VIRUM, QUI SPIRITU DEI PLENUS SIT? Et mox iterum: QUIA OSTENDIT TIBI DEUS OMNIA QUAE LOCUTUS ES. Deus utrobique in Hebræo non *Iehova*, sed *Elohim* dicitur. Itaque etiam verti poterat numero plurali *deorum*, & *dii*. Nam Pharao non unius Dei, sed deorum cultor erat. Quomodo in Daniele quoque legitur dictum a regina Babylonis ad regem, Dan. V. *Est vir in regno tuo, qui spiritum deorum sanctorum habet in se*.

V. 43. FECITQUE EUM ASCENDERE SUPER CURRUM SUUM SECUNDUM. Pro *secundum* multa mss. habent *secum*. Hebræa sic ad verbum: *Et equitare fecit eum in curru secundo, qui sibi erat*. Unde satis apparet melius esse quod nos legimus *secundum*: nam illud *qui sibi* redditur per *suum*. Non ergo cum Pharaone du-

ducebatur Ioseph, ut dici posset *secum*, sed solus in curru secundo; quomodo & Mardochæus legitur honoris causa circumductus cum voce præconis.

V. 43. UT OMNES CORAM EO GENU FLECTERENT. Hebr. est *Et clamabant ante eum, Abrech*, id est *pater tener*, vel *flecte genua*.

*V.*45. LINGUA AEGYPTIACA, SALVATOREM MUNDI. Septuaginta vocem AEgyptiacam retinuerunt, & reddiderunt his Græcis characteribus Ψονθομφανήχ. Hebraice est *Saphnath Pahaneach*; quod Benedictus Arias vertit *absconditi revelatorem*.

V. 45. DEDITQUE ILLI UXOREM ASENETH FILIAM PUTIPHARE SACERDOTIS: utique sacerdotis idolorum quæ in AEgypto colebantur. Nec tamen peccavit Ioseph filiam eius accipiendo uxorem: ita enim conveniebat exaltari. Nam valde honorabile erat filiam sacerdotis, & quidem summi, qualis hic fuisse videtur, uxorem ducere. Verisimile est autem Ioseph (de quo in Psal. CIV. canitur, *Ut erudiret principes eius, sicut semetipsum, & senes eius prudentiam doceret*) uxorem suam, forte & uxoris patrem, & familiam paternam instituisse in vera religione. SACERDOTIS HELIOPOLEOS. Hebraice, *Sacerdotis On*, quæ civitas multo post fuit vocata Heliopolis. Itaque hic in Latina interpretatione, prolepsis est, seu anticipatio, sicut & Ezechielis XXX. in vocabulo Alexandria.

MARIANAE.

Vers. 1. POST DUOS ANNOS. Hebr. *Post duos annos dierum*: superius dixit *mensem dierum*. Fortassis ut erat hebdomada annorum Levit. XXV. ita mensis, & annus annorum: sic ut distingueret, dixit *annos dierum*. Aut vult significare annum non inchoatum, sed completum ex omnibus suis diebus. VIDIT PHARAO SOMNIUM. Hebr. Pharao חלם *holem*, id est *somnians*, supple erat, aut *somniavit*; Benoni pro præterito, quod raro accidit. Pagnin. Gram. Lib. III. cap. XII. SUPER FLUVIUM: iuxta fluvium stare Pharao sibi videbatur.

V. 6. PERCUSSAE UREDINE, arefactæ euro. Vides eurum satis exitialem. Itaque Hieron. vers. 27. pro *uredine*, *ventum urentem* dixit; ubi eadem verba repetuntur: Sept. *vento corruptæ*.

V. 16. ABSQUE ME DEUS RESPONDEBIT; id est, non ego, sed Deus. PROSPERA. Hebr. *pacem*. Sept. *Sine Deo non respondebitur salutare Pharaoni*.

V. 34. QUI CONSTITUAT PRAEPOSITOS: nempe qui Ioseph constituat. Verum Hebr. ad Pharaonem refertur: sic enim habet: *Faciat Pharao, & constituat præpositos*.

V. 36. ET PRAEPARETUR FUTURAE SEPTEM ANNORUM FAMI. Hebr. *Et erit cibus in deposito* (id significat פקדון *pikadon*) *terræ ad septem annos famis*.

V. 40. ET AD TUI ORIS IMPERIUM CUNCTUS POPULUS OBEDIET. ישק *isak*, *gubernabitur*, seu *armabitur*: nam ab eadem radice נשק *nasak*, *mesek*, domus procuratorem superius significavit, Gen. XV. vers. 2. licet aliunde alii deducant eam vocem. Kimhi explicuit: *Tuum os populus osculabitur*, nempe subiectionis indicio. Non placet; licet *nasak* osculari etiam significet.

V. 43. CURRUM SUUM SECUNDUM; id est, quo secundus a Rege vehi solebat. CLAMANTE PRAECONE, UT OMNES CORAM EO GENU FLECTERENT, ET PRAEPOSITUM ESSE SCIRENT. Hebr. *Et clamarunt ante eum benedicere* (pro, benedicite, plaudite) *& dari ipsum super omnem terram AEgypti*; supple, sciatis. Aut hoc modo, *benedicere*, supple dicendo, quod sit, pulchrum est, *& dari super omnem terram AEgypti*.

V. 44. EGO SUM PHARAO. Iuramentum esse dicit Comestor.

*V.*45. ET VOCAVIT EUM LINGUA AEGYPTIACA. Illud *lingua AEgyptiaca* non est in Hebræo. Hieron. addidit de suo, ut indicaret nominis Iosepho impositi non quærendam etymologiam Hebraicam, ex qua sane Hebræi cum Chald. dicunt significari *arcanorum revelatorem*, quod Philo etiam sequitur in Vita Moysis; sed potius AEgyptiam, nempe *Salvatorem mundi*: quo ait Hieron. respexisse Septuag. cum posuerunt Ψονθομφανήχ. Ego voces ut sunt in Hebræo intactas relinquerem, ne cuiusquam interpretationi præiudicaretur:

quod fecit Pagn. *Zaphnath Pahaneah*. FILIAM PUTIPHARE SACERDOTIS HELIOPOLEOS. Hebr. *On*, quam Hieron. putat fuisse Heliopolim: censet etiam hunc esse qui emit Iosephum; quamvis littera ע in fine huius nominis addatur. Alii negant, quod prior esset eunuchus.

V. 46. TRIGINTA AUTEM ANNORUM ERAT. Anno præcedenti mortuus fuerat Isaac annorum 180. Iacob erat 120. annornm.

V. 47. ET IN MANIPULOS. Vox קמצים quibusdam significat *præpositos*, quibus erat cura congregandi frumenta. Hieron. & Sept. *manipulos*; & hanc putant fuisse causam frumenti tot annis in terra humida conservati, quod esset cum sua palea, & in spicis.

V. 50. SACERDOTIS. Chald. *principis*. Vox ea Hebraice *sacerdotem* sæpius, aliquando *principem* significat.

V. 52. IN TERRA PAUPERTATIS. Hebr. *Afflictionis in terra crescere me fecit Deus*.

V. 54. IN UNIVERSO ORBE FAMES PRAEVALUIT. Hebr. *In omnibus terris illis*, propter articulum ה *ha*, nempe in finitimis regionibus. IN CUNCTA AUTEM TERRA AEGYPTI PANIS ERAT: sic Hebr. Septuag. & Chald. sicque est positum in Vulgata Romana. In Gotth. *fames*.

V. 57. ET MALUM INOPIAE TEMPERARENT. Hebr. *Quia fortificata fuerat fames in universa terra*, adde, *illa*, propter articulum ה *ha* hic positum, & vers. 54. Accepti a Iosepho beneficii monumentum bos vivus Heliopoli, ubi erat terra Iessem, conservatus fertur. Ita Iosephum Apim, id est bovem, & Serapim, quasi bovis sepulcrum dixere. Bos diligentis agricolæ typus. Sed & Apim figurantes, simulacri capiti modium frumentarium imposuere, annonæ copiam eius diligentia in AEgypto factam significantes. Ex his pleraque Ruffinus refert Hist. Eccles. Lib. XI. cap. XXIII. tum Euseb. Lib. III. Præpar. Evang. capite III. Plerique sane Serapim Iosephi æqualem faciunt.

MALVENDAE.

Vers. I. POST DUOS ANNOS. Hebr. *De extremo duorum annorum dierum*, id est post duos plenos & integros annos cum omnibus suis diebus, ita ut nullus mensis aut dies illis deesset. SUPER FLUVIUM יאור *ieor* annotant proprie *esse rivum*, seu *meatum*, fossam ad irrigandum agros ex flumine derivatam, quales multos AEgyptus ex Nilo, Mesopotamia & Tigri & Euphrate deductos habent. Appellationemque videtur habere a אור *or*, *luce*, nempe a limpiditate & claritate aquarum, quod hæ clariores sunt, & minus turbidæ, quam in ipsis fluminibus rapidioribus. *Rivus* Latinum non multum abludit ab Hebraico *ieor*. Observant alii Tigrim, & Nilum passim in Scriptura nomine rivorum appellari, quod ex illis in Mesopotamia & AEgypto multi rivi, & fossæ deducantur, ut etiam ex Euphrate. Ego potius existimo, *ieor*, & נהר *nahar* plerumque confundi: nam *ieor*, dici de Nilo, de Tigri, & de Iordane non est dubium. Fossæ tamen Nili ad irrigandos agros, quod in AEgypto non pluat, scriptoribus celebratæ.

V. 2. CRASSAE NIMIS. בריא *beria*, *expurificatus*, *nitidus*, *lucidus*, *conspicuus*, *crassus*, *pinguis*, *opimus*, *saginatus*. Ex verbo, *Creatus*, *recreatus*. Hispanice, crassum & pinguem appellamus *criado*. IN LOCIS PALUSTRIBUS. אחו *achu* exponunt *pratum*, *graminetum*, *ulvam*, *locum pascuum*, *caricem*, *carectum*. Sic dictum, quod ex eius stirpe multi fratres, id est surculi, generentur. Servius: *Carecta sunt loca caricis plena*; *carex autem herba est acuta & durissima*, *sparto similis*, *ut boum pastus*. Unde Virgilius:

.... *& carice pastus acuta*.

Ter tantum hæc vox in Scriptura legitur, hic, & Iob VIII. II. ubi Noster *carectum* exposuit: & etiam infra vers. 18. ubi *paludis virecta*. LXX. haud dubie hic vocem Hebræam sine interpretatione reliquerunt ἄχι. Vide Notas in Ecclesiastici XL. vers. 16.

V. 6. UREDINE. קדים *kadim*, *ventum orientalem* fere reddunt. Quidam aiunt esse ventum *eurum*, *subsolanum*, *apeliotem*, *vulturnum*: alii *thyphonium*, seu *euro-aquilonem*,

lonem, cuius fit mentio Actorum XXVII. 14. putant: nonnulli haud inani coniectura, e Psalm. LXXVII. 26. *euro-austrum* potius existimant: Noster *ventum urentem* solet reddere. Equidem ex locis Scripturæ ubi ponitur, colligitur esse ventum vehementissimum, qui valde exsiccat, torrefacit, & adurit in regionibus illis orientalibus.

V. 8. CONIECTORES. חרטמים *chartumim*, Noster aliis locis solet reddere *magos*, *hariolos*, *maleficos*: plerique *genethliacos* interpretantur. Ii sunt qui ortus, & nativitates hominum inspiciunt, & ex his futura divinant. Nonnulli *physicos*, qui rerum naturæ causas penitiores rimantur & introspiciunt, mystas arcanorum naturæ. Nonnulli componunt ex חרט *cheret*, *stylus*, & אטם *atam*, *occlusit*, id est *præstigiatores*, qui stylis, & radiis circulos ducunt, & mira edunt, oculos inspicientium perstringentes: *circulatores* quoque vocant. Quidam a חרם deducunt, inserta littera Tet, redduntque *magos*, *incantatores*, *devotores*, *interemptores*, *excommunicatores*, qui res exscindunt, devovent, & a communi usu separant. Sed proculdubio vox est peregrina: unde vanum erit ei in lingua sancta etymon quærere. De magis AEgypti & Chaldææ peculiariter in Scriptura dicitur. Singularem artem seu potius vanitatem esse interpretandi & exponendi somnia, Amstranpsychi, Arthemidori, Achmetis, & aliorum Oneirocritica, quæ edita extant, satis demonstrant. Plinius Lib. VII. cap. LVI. *Interpretationem ostentorum*, *& somniorum Amphictyon invenit*. Si is est tertius Atheniensium rex in Numero Eusebiano DXIX. attigit revera tempora Mosis.

V. 15. QUAE AUDIVI TE SAPIENTISSIME CONIICERE. Hebr. *Audivi super te*, vel *de te*, *dicendo*: *Audies somnium ad exponendum illud*; id est, quod quamprimum somnium audis, illud interpreteris. Hæc fama de te sparsa est, quod audita somnia perite exponas. Alii: *Audivi de te dicentem*, *te esse intelligentem somnii*, *ut interpreteris illud*. *Audire* hic pro *intelligere*; ut Iudicum XIV. vers. 13. sic Genes. XI. 7. Deuteron. XXVIII. vers. 49.

V. 16. ABSQUE ME DEUS RESPONDEBIT. Hebr. *Nihil omnino usque ad Deus respondebit*, &c. elegans loquendi modus Hebræis; quasi dicat: Non sum ego tanti ut fortunæ Pharaonis ad me pertinere possint, aut ego eis quidquam conducere possim; non eo usque ego valeo: id ad Deum pertinet, fortunare, & prosperare Pharaonem.

V. 21. NULLUM SATURITATIS DEDERE VESTIGIUM. Hebr. *Et non est cognitum quod venissent ad viscera earum: nam aspectus earum malus*; id est, cum vaccas pingues devorassent, nihilo pinguiores, aut crassiores apparuerunt. Sensum Noster optime reddidit.

V. 23. TENUES. צנמות *tzenumoth*, Pahul plurale femineum, quod nullibi alibi legitur, quod varie reddunt. Plerique, *parvæ*: alii, *comminutæ*: nonnulli, *siccæ*, *aridæ*: quidam, *imaginariæ*, *fictitiæ*, id est imaginem tantum spicarum præseferentes: reliqui, *inanes*, flores tantum habentes sine fructu: alii, *graciles*, *tenues*: quidam conferentes cum *tzanan*, *acutæ*, *acuminatæ*, in tenuitatem. Ex cognatis verbis, poteris exponere, *Spinosæ*, *sitibundæ*, *horridæ*.

V. 32. QUOD AUTEM VIDISTI SECUNDO... FIRMITATIS INDICIUM EST. Notant, ex repetitione duo colligere Iosephum, certitudinem, & celeritatem rei futuræ; tertiam consulto apud regem infidelem omittere, quæ est ut torpentes excitet, eorumque stuporem excutiat.

V. 36. ET PRAEPARETUR. Recte sensum expressit; *Et erit esca in visitatum ipsi terræ*. Quidam exponunt, *In depositum*, *in commodatum ipsi terræ*: sed non utcumque depositum, sed visitatum, recensitum, requisitum, procuratum, cuius cura & ratio quammaxime habeatur. Aliqui, *Ad numerum*, seu *numerationem ipsi terræ*; id est, secundum numerum locorum terræ; aut, ut suo tempore numeretur, & distribuatur terræ.

V. 40. ET AD TUI ORIS IMPERIUM CUNCTUS POPULUS OBEDIET. Varie hunc locum ex Hebræo convertunt. I. *Et ad os tuum occurret omnis populus*: vel sic, *Super ore tuo*, id est iussu tuo, *occurret omnis populus*; id est, obediet, obsequetur. II. *Et ad os tuum*, id est imperium, *congregabit se omnis populus meus*, seu *coniungetur*, sive ad bella, sive ad opera, sive ad consilia. III. *Et ad sermonem tuum*

tuum armabitur universus populus meus; ac si dicat: Tu eris magister militiæ; te præficio paci belloque. IV. *Et ad tuum imperium nutrietur, cibum capiet universus populus meus*. V. *Et super os tuum osculabitur omnis populus meus*; id est, hoc subiectionis signo dominum te agnoscent, & profitebuntur: quæ phrasis habetur I. Samuel. x. 1. I. Reg. xix. 18. Oseæ xiii. 2. sic Psalm. ii. 12. *Osculamini filium*; id est, *adorate*, osculo testamini vos eum pro rege agnoscere. Osculum in sacris libris, & apud exteras gentes fuisse olim subiectionis, venerationis, obedientiæ, adorationis symbolum, ad eum Psalmi locum annotabimus. Oscula salutantium Romanis, & aliis gentibus usitata, notissima sunt. Quidam haud absurde hic exponunt: *Ad imperium tuum osculabitur omnis populus meus*: ut sit metaphorica locutio, quod populus amice & grataanter accipiet, atque obedienter amplexabitur quidquid profectum fuerit ab ore Iosephi; ac si dicat Pharao: Quidquid iusseris, uno populi consensu, quasi omnes osculum porrigerent, excipi volo.

V. 42. Tulitque annulum de manu sua, et dedit eum in manu eius, nimirum in symbolum traditæ regiæ auctoritatis. Vide in Esther iii. vers. 10. Stola byssina. שש *schesch* consentiunt esse genus quoddam *lini subtilissimi, candidissimi, præstantissimi, quod cetera lina pretio vincat*, & nomen habere a candore marmoris Parii, quod Hebræis dicitur שיש *schaisch*. Quidam proprium faciunt terræ AEgyptiæ, & nescio quare. Alio nomine dicitur בוץ *butz*, si adhuc in lana; *schesch*, iam in fila tortum, quasi sexatum. Hoc est divinare. Alii *butz*, peregrinam & exoticam vocem esse volunt, *schesch* Hebræam unius, & eiusdem rei. De *butz*, & bysso dicemus Exod. xxv. vers. 4. & I. Paralipom. xv. 27. Notant quidam Hebræorum, *schesch* semper esse candidissimum, nec colorem admittere. Torquem auream. רביד *rebid* hic tantum, & Ezechiel. xvi. 11. & utroque loco Noster *torquem* convertit: *stragulum, stragulam*, qua ornatus causa collum sternitur, quidam exponunt; & vocem eiusdem radicis, Proverb. xxxi. 22. *Stragulatam vestem* Noster reddit: qui ab intexendo, vel intorquendo deduxit, hic, & Proverb. vii. 16. *Intextum funibus lectum meum*. Hic aliqui *collare*, alii *ornamentum* vertunt. Hispanice dicemus *cadena, madexa, collar, banda*.

V. 43. Super currum suum secundum. Sensum expressit: nam verba aliam constructionem habent: secundum non recte construitur cum curru, quod Hebr. *currus* sit femineum, & *secundus* masculeum: ex verbo, *Currum secundi*, seu *secunditatis*: nam currum est in regimine. Solent enim reges duos currus ordinarie, aut plures suæ personæ deputatos habere; sed primus longe pulchrior & magnificentior ceteris. Non in primarium, sed in secundarium currum imponi fecit Iosephum Pharao. Clamante praecone, ut omnes coram eo genu flecterent. Hebr. *Et clamaverunt ante eum, Abrech*. Vocem אברך *abrech* varie elucidant. I. componunt ex אב *ab, pater*, & רך *rac, tener*; id est, *Pater tener*: quod Ioseph tener annis, ac iuvenis, iam pater esset reipublicæ, gravitate, ac senili prudentia; quasi *Pater patriæ*. II. *Pater regis*: quod רך *rech* Chaldæis sit rex; quasi rex AEgypti, Iosephum non secus ac parentem suum vellet honorari ac coli. Sic Ioseph se vocat patrem Pharaonis cap. xlv. vers. 8. III. volunt esse futurum verbi ברך, id est *genu flectam, ingeniculabo*, in ea significatione, ut Genes. xxiv. vers. 11. quasi omnes clamarent, *Geniculabo*, eo transeunte, honoris & reverentiæ causa. IV. ut sit imperativus, mutato He in Aleph, ut facile eæ litteræ inter se permutantur, *Genu flecte, genicula*, nam transit princeps præfectorum AEgypti. V. alii, infinitivum malunt, *Ingeniculandum, genua flectenda esse*; quasi regius præco in Iosephi auguratione ante currum proclamaret, flectenda esse genua omnibus coram Ioseph: constitutum enim eum esse supremum præfectum AEgypti. Esse autem infinitivum docet verbum immediate sequens, *&* *dedisse*, sive *constituisse eum*, &c. VI. quidam existimant vocem esse peregrinam, forte AEgyptiacam, ac videri AEgyptiis significare idem quod Hebræis ברוך *baruch*, & esse acclamationem gratulatoriam, & bene ominantium. *Et vocabunt eum Abrech*, id est *benedictus, felix, fortunatus, laudandus*, seu *laudabilis*. VII. *Benedicam*, aut *benedicite*; ut

ut omnes eum benedicerent, ac ei bene precarentur. VIII. Nec desunt, qui sumentes Aleph, pro He, exponant, *Augur, astrologus tuus:* הובר *bober* enim *augurem, astrologum, coniectorem, divinum significat*, Isaiæ XLVII. 13. voluntque vocem esse peregrinam; ac si præco clamaret: *En augur, coniector tuus* AEgypte, qui somnia tam sapienter exolvit, & AEgypti saluti providit. In re incerta iudicium non præscribo; ego tamen sextam selegerim expositionem.

V. 44. EGO SUM PHARAO; quasi dicat: Ego sum rex: mihi reservo dignitatem regiam; tibi vero tantam auctoritatem tribuo, ut te inconsulto, vel nolente a quoquam nihil fiat in toto regno meo. Vide supra cap. XII. vers. 15. ABSQUE TUO IMPERIO. Hebr. *Nihilomnino usque ad te*; subaudi, perveniet; nullus tibi æquabitur; tu super omnes. Elegans Hebraismus, ut sequentia sint pulchra reticentia, seu aposiopesis.

V. 45. VOCAVIT EUM LINGUA AEGYPTIACA SALVATOREM MUNDI. *Lingua AEgyptiaca* non est in Hebræo, sed tantum, *Et vocavit Pharao nomen Ioseph Zaphnath Paneach*. S. Hieronymus: *Licet Hebraice hoc nomen, Absconditorum repertorem sonet; tamen, quia ab AEgyptio ponitur, ipsius linguæ debet habere rationem. Interpretatur ergo sermone AEgyptio Tsaphanatz Phaneach Salvator mundi: eo quod orbem terræ ab imminenti famis excidio liberarit*. Hebræi consentiunt, *secretorum, arcanorum, occultorum declaratorem, revelatorem, expositorem* eo nomine significari. Equidem צפן *tzaphan* Hebræum est, id est *abscondere*; at *paneach* nullam habet Hebraicam radicem. Coniectant quidam ex idiomate esse AEgyptio, atque utraque voce dignitatis, & eminentissimi honoris nomen significari, quale cum aliquem Patrem patriæ dicimus, aut quid aliud simile. Fanatice quidam *secretum Paneæ* exponunt. Sed quid Paneas? Hebræi notant litteras singulas harum duarum vocum, per Notariacon reddere ista nomina: Speculator, Redemptor, Propheta, Tenens sceptrum, Interpres, Astutus, Intelligens, Videns futura: quæ omnia mire conveniunt Iosepho. Sed si his nugis delectaris, ipsi tibi affatim sufficient. PUTIPHARE. Hunc eumdem putant cum Putiphar magistro militiæ, hero Ioseph, de quo cap. XXXVII. vers. 36. & cap. XXXIX. vers. 1. S. Hieronymus, & alii. Sed nomen & munus longe diversa sunt: nam hic in nomine additam habet litteram Ghain, qua ille caret; & hic revera sacerdos fuit, ille præfectus rerum capitalium, quod sacerdoti non licebat. Scio, ut hæc alii eludant; sed nos probabiliora sectamur. SACERDOTIS. כוהן *coben*. Diximus de hac voce Genes. XIV. vers. 18. Hic plerique *principem, præsidem, satrapem, præfectum* interpretantur, quod Iosephum a communione & coniunctione sacerdotis idolorum alienissimum par sit existimare. Sed nos non censemus vocem *coben* a communi usurpatione dimovendam: & alioqui sciamus Heliopoli insigne templum fuisse, & ibi habitationes AEgyptiacorum sacerdotum extitisse. HELIOPOLEOS. Hebr. *On*: de qua urbe Eusebius, & S. Hieronymus in Locis Hebraicis: *On urbs in AEgypto, quæ Heliopolis Græce dicitur, id est civitas Solis, quam ædificaverunt filii Israel, sicut septuaginta Interpretes arbitrantur*, (nempe Exodi I.) *alioqui in Hebraicis voluminibus non habetur; & recte: siquidem antequam Iacob ingrederetur AEgyptum, erat extructa iam civitas, quæ & sacerdotem Petephrem patrem Asenetb babuit*. Heliopolitanæ præfecturæ seu nomi multa mentio apud Strabonem Lib. XVII. Plinium Lib. V. cap. IX. Ptolemæum Lib. IV. cap. V. *Ibi Mnevim bovem nutriebant, & colebant, ut Memphi Apim*. Strabo: *Hanc perhibent olim sacerdotum habitationem fuisse, hominum philosophiæ & astronomiæ deditorum*. Plinius: *Claritatis magnæ Solis oppidum* atque cum primis Phœnicis avis funeribus inclytum, ut multi tradidere. Sed de Heliopoli complura apud Herodotum Lib. II. a numero 3. usque ad 9. & 59. 63. & 73.

V. 47. VENITQUE FERTILITAS SEPTEM ANNORUM; ET IN MANIPULOS REDACTAE SEGETES. Hebr. *Et fecit terra in septem annis saturitatis in pugillos*. קמצים *kematzim* quater tantum in Scriptura habetur, & Noster semper *pugillum*, & *pugillos* vertit, nisi hic, ubi *manipulos*. Quidam *contractiones* reddunt, id est quantum vola manus capere, & contrahere potest. Varie hic convertunt:

In

In manipulos, in acervos. Acervatim terra fruges fundebat, *in collectiones*, *in congregationes*: *in pugnos*, *pugillos*, id est pugillatim. Hispanice, *A punados*, quando magnam aliquam abundantiam significare volumus. Quidam, *In thesauros*, *horrea*, *reconditoria*. Tantam abundantiam frumenti produxit terra ut replerentur horrea. Aliqui hyperbolem, & fortasse veram esse existimant; quasi dicat, ut granum unum frumenti multos pugnos, seu pugillos, immo & manipulos produceret.

V. 49. TRITICI. Hebr. *Far*, *frumentum* expurgatum, seu expurgandum a paleis. Quidam aiunt esse *far*, *adoreum*, *ador*, *frumentum lautius*, ex quo cibus paratur hominibus, & esse quod Latinis *far*, generale nomen ad omnia genera frumenti, ut far triticeum, far hordaceum: alii *frumentum* mundius & nitidius. Lib. II. de Vitis Patrum, auctore, ut quidam volunt, Rufino, cap. XVIII. in Serapione, hæc habentur: *Vidimus autem & in regionibus Mempheos, & Babylonis innumeras multitudines monachorum. Ibi autem tradunt esse loca in quibus Ioseph fertur recondidisse frumenta, quos & thesauros Ioseph vocant. Alii vero pyramidas, quas dicunt ipsas esse in quibus, ut putant, frumenta hinc congregata sunt*. Sed in versu præcedenti clare dicitur in singulis urbibus frumenta condidisse Iosephum. Beniamin tamen in Itinerario agens de Antiqua Mizraim, quam a regione Gossen octo parasangis separat, inquit: *Visenda præbet thesaurorum & horreorum Ioseph monumenta non pauca. Horrea vero illa calce, & lapidibus constant opere firmissimo*.

V. 51. OBLIVISCI ME FECIT. נשה *naschah*, aiunt esse proprie *obrui bonis, vel malis, ita ut eorum non amplius quis recordetur, ac sensum eorum penitus ex corde amoveat*. OMNIUM LABORUM MEORUM. Hebr. singulariter, *Laboris*, *fatigationis*, *ærumnæ*, *miseriæ*, *mali*. Vox Heb. *ghamal* cum Latina *malum* congruit.

V. 56. ET VENDEBAT AEGYPTIIS. שבר *schabar*, quando cum *esca*, *pane*, vel *frumento* iungitur, aiunt peculiarem modum significandi habere, nempe *frangere*, seu *fragmentare*; id est, *dispertire*, *distribuere escam*; quasi dicas, *fragmentare*, scilicet *dispertire frangendam*: & tam active quam passive sumi, nempe *vendere*, *distribuere frangendam*; & *emere* seu *comparare frangendam*: qui sensus ex circumstantia locorum, & sensu discerni poterunt. Ergo, *fragmentare* proprie vertendum putant: *Et fregit*, *fragmentavit AEgypto*; id est, distribuit, dispertivit, vendidit. *Frumentari* possis exponere.

MENOCHII.

Vers. 1. POST DUOS ANNOS. Hebr. *A fine duorum annorum*, id est biennio completo a liberatione principis pincernarum. SUPER FLUVIUM, iuxta fluvium Nilum.

V. 2. LOCIS PALUSTRIBUS, paulo remotius a Nilo, pratis tamen humentibus, & proinde gramine plenis.

V. 3. IN IPSA AMNIS RIPA. Heb. *Super labium fluminis*. Fertilitas AEgypti dependet a Nili exundatione; ideo pingues vaccæ visæ pasci remotius. Steriles anni sunt quando flumen maligne solam viciniam irrigat: propterea macræ in ipsa ripa pascuntur.

V. 4. DEVORAVERUNT: quia sterilibus annis omnis fertilium annorum copia fuit absumpta.

V. 5. ALTERUM. Infra num. 25. hæc duo somnia unum vocantur somnium: quia unum fuerunt significatione prophetica, duo vero tempore, & modo significandi.

V. 6. UREDINE, vento urente, euro desiccante, qui ventus AEgypto noxius: flat enim a vasta Arabiæ solitudine.

V. 7. EVIGILANS PHARAO. Hebr. *Evigilavit Pharao, & ecce somnium*; quasi dicat, illi iugiter obversabantur.

V. 8. CONIECTORES, ariolos, qui pacto cum dæmone inito divinant. NEC ERAT QUI INTERPRETARETUR, apte, & sapienter, ita ut regi satisfaceret.

V. 9. PECCATUM MEUM, ingratitudinem, & beneficii oblivionem a Iosepho accepti.

V. 11. UTERQUE VIDIMUS SOMNIUM PRAESAGUM FUTURORUM. Hebr. *Unusquisque secundum solutionem somnii sui somniavimus*.

V. 12. PUER, adolescens.

V. 14. TOTONDERUNT. Moris olim fuit ut in luctu, captivitate, servitute capillum, barbamque intonsam relinquerent in mæroris argumentum.

V. 16.

V. 16. ABSQUE ME DEUS RESPONDEBIT; hoc est, *non ego, sed Deus,* ut vertit Symmachus; sive, non tamen ego, quam Deus: unde & recte Chaldæus: *Non ex sapientia mea, sed a facie Domini respondebitur pax Pharaoni.* PROSPERA. Puto vaticinium potius hoc esse quam bene precandi formulam.

V. 25. UNUM EST, significatione: nam eiusdem rei Symbolum.

V. 32. FIRMITATIS INDICIUM EST; hoc est, ad confirmandam priorem prædictionem adhibitum, & certiorem te reddendum proculdubio ita futurum.

V. 34. QUINTAM PARTEM. Cum sint totidem anni fertilitatis, & sterilitatis, cur non mediam? Quia sufficiebat quinta; id est, quia famis tempore parciore victu homines contenti sunt. II. quod de fertilioribus annis multorum horrea adhuc plena essent. III. quia semper prope Nilum aliquid seri poterat, quod quia valde parum propter exiguas eius exundationes, pro nihilo fere reputabatur, adeo ut idcirco dicatur inferius cap. XLV. 6. nec arari, nec seri potuisse.

V. 35. CONGREGET IN HORREA, per singulas urbes divisa. OMNE FRUMENTUM, scilicet e quinta illa parte collectum.

V. 40. AD TUI ORIS IMPERIUM CUNCTUS POPULUS OBEDIET. Hebr. est *Omnis populus ad os tuum osculabitur*; id est, oris tui præceptum exosculabitur, venerabitur, eique libenter parebit.

V. 42. ANNULUM, signatorium ad sancienda decreta. STOLA BYSSINA; quæ tunc satraparum, & principum in AEgypto propria. Byssus lini tenuissimi species est. TORQUEM, catenam auream.

V. 43. CURRUM SUUM SECUNDUM; quo vehi solitus qui secundus a rege. UT OMNES CORAM EO GENU FLECTERENT. In Hebræo est, *Et clamaverunt ante eum, Abrech.* Vocem *abrech* aliqui putant significare, *flecte genu*; alii *pater tener*; alii *pater regis*. Thargum ita vertit: *Clamabant: Vivat pater regis, qui est princeps in sapientia, & tener in annis.*

V. 44. EGO SUM PHARAO; quasi dicat: Iuro tibi per me ipsum, qui sum rex supremus. Omnes AEgypti reges *Pharaones* dicti sunt annis ferme mille quadringentis, a primo, cui hoc nomen: postea reges Alexandrini dicti sunt Ptolomæi. NON MOVEBIT QUISQUAM MANUM, AUT PEDEM; id est, nihil momenti alicuius fiet sine consensu tuo: videtur adagium.

V. 45. LINGUA AEGYPTIACA. Verba hæc non in Hebræo sunt, nec in Græco: additum ab interprete Latino, ne cruciemur quærentes cuius linguæ vocabulum sit quod sequitur. SALVATOREM MUNDI: quod scilicet sua prudentia, & sapientia ab ea mundi plaga exitium averterit, quod a fame imminebat. ASENETH FILIAM PUTIPHARE. Putant aliqui hunc Putipharem eumdem esse cum primo hero Iosephi; sed verius est esse diversum: hic enim sacerdos erat, ille militiæ princeps; hic Heliopoli, ille Memphi in aula regia degebat. HELIOPOLEOS: quæ vox *civitatem solis* significat.

V. 46. STETIT IN CONSPECTU. Hebræis, stare in conspectu domini, est servire, seu ministrare. Dan. I. 19. *Steterunt in conspectu regis.* I. Reg. XVI. 21. *Stetit coram eo.*

V. 47. IN MANIPULOS. Tanta fuit abundantia ut cuncta horrea manipulorum acervis complerentur; ideo etiam manipuli conditi in horrea, quia sic diutius conservatur triticum, & quia quotannis ex manipulis frumentum excutiendo quædam trituræ species exhibebatur, quæ tristitiam ex sterilitate leniret.

V. 49. UT ARENAE MARIS: hyperbole. MENSURAM, annorum præcedentium etiam fertilissimorum.

V. 51. MANASSES, id est faciens oblivisci.

V. 52. EPHRAIM, id est fructificationes. PAUPERTATIS, humiliationis, afflictionis.

V. 54. IN UNIVERSO ORBE, AEgypto circumiacente Syria, Chananæa, &c.

V. 57. OMNESQUE PROVINCIAE, proximæ: nam ceteris vix ad paucos menses Iosephi horrea suffecissent.

TIRINI.

Verf. 16. **Absque me Deus respondebit.** Eft Hebraifmus, *a* pro, non ego, fed Deus; quafi dicat: Non ego ex mea fapientia (ut vertit Chaldæus) aut mea folertia, vel fagacitate naturali, ut tu putas o Pharao; fed Deus per me refpondebit, & fomnia explicabit.

Nota, cum fertilitas maxime confiftat in frugibus, & pecoribus, apte illam prædici duobus fomniis, his uno boum, altero fpicarum. Hæc fertilitas omnis in AEgypto nafcebatur ex inundatione fluminis Nili, qui quo magis & longius exundabat, eo maiorem inducebat fertilitatem. *Duodecim cubitis* (inquit Plinius *b*) *fi Nilus exundet, famem fentit AEgyptus; fi tredecim, etiamnum efurit; quatuordecim cubiti hilaritatem afferunt, quindecim fecuritatem, fedecim delicias. Maximum incrementum ad hoc ævi fuit cubitorum octodecim.* Hæc Plinius. Quod vero macræ boves non nifi in ripa Nili pafci viderentur, portendebant exiguam Nili exundationem, & confequenter exigua pafcua, & fere tantum ad ripam ipfam, toto feptennio futura. Pingues vero in remotis a Nilo paluftribus locis pafci vifæ, maximam fluminis exundantiam, fertilitatemque altero feptennio præfignabant. Sed hæc continua tot fimul annorum uniformis Nili exundatio, confecutaque vel fertilitas, vel fterilitas non occultæ alicui aftrorum virtuti, aut alteri naturæ beneficio, fed unius Dei potentiæ ac providentiæ Nilum pro fuo placito laxantis, vel ftringentis adfcribi poteft: unde nec ab aftrologis, nec a divinis AEgyptiorum, fed a folo Deo præfciri, & prædici potuit.

V. 43. **Super currum suum secundum**; id eft, fuper eum currum quo folebat vehi fecundus a rege. Hac ergo cæremonia palam toti regno fecit Pharao, Iofephum proximum a rege dignitatis locum obtinere, præeunte & clamante præcone, *Abrech*; quæ, fi non AEgyptia, fed Hebræa vox eft, a radice *barach*, in Hiphil fignificat *genuflectite*, vel *adgeniculando falutate*. Ita hic vertit S. Hieronymus, Aquila, & quidam alii. Notant Philo, & Rupertus, Iofephum pro carceris fqualore, evectum in currum & thronum regium; pro habitu fordido, induiffe ftolam byffinam, feu togam oblongam & talarem holofericam; pro compedibus, accepiffe torquem auream; pro fervili nomine, regium annulum, & titulum falvatoris mundi; quo titulo rex illum cohoneftavit, eo quod fua prudentia, ac providentia extremam mundi famem, & inopiam, & hinc imminentem interitum prævertiffet, ac depuliffet. Ex quo eodem ingenti beneficio, putant Ruffinus, Iulius Firmicus, Pierius, & Baronius, *c* Iofephum fub nomine *Serapidis*, & *Ofiridis* ab AEgyptiis cultum fuiffe & pro Deo habitum. Et patet tum ex nomine Serapis, quod idem videtur effe quod Sar, feu Ser, id eft Heb. dominus, & Apis, id eft bos AEgyptiace; tum ex nomine *Arfaph*, quo, tefte Plutarcho, Ofiris vocabatur, quod levi commutatione ex *Iofeph* promanaffe nemo non videt; tum ex hieroglyphicis quibus Ofiridem defignabant, puta figura bovis feu vituli, notis lunæ, & folis infigniti; item iuvenis imberbis cum modio vel calatho in capite, &c. quæ in Iofephum, eiufque boves, & fpicas, & ætatem, & aftrologiæ peritiam ad amuffim quadrant. Subfcribit his Clemens Alexandrinus, Auguftinus *d*, a Lapide, & Bonfrerius.

V. 45. **Filiam Putiphare.** Petes an Iofeph in uxorem duxerit filiam primi heri fui Putipharis, qui ob fufpicionem adulterii compegerat eum in carcerem? Affirmant Hebræi, S. Hieronymus, Rupertus & Abulenfis. Sed verius eft hunc Putipharem diverfum ab illo fuiffe: nam hic facerdos erat, ille princeps militiæ; hic Heliopoli, ille Memphi degebat in aula regia. Et in Hebræo funt nomina faltem ex parte diverfa. Ita S. Auguftinus, Chryfoftomus, Lyranus, Lipomanus, Oleafter, Pererius & alii.

(*a*) Proleg. de Idiotifm. Heb. n. 6.
(*b*) Plinius Lib. V. cap. IX.
(*c*) Ruff. Lib. II. Hift. cap. XXIII. Pierius Lib. III. Hieroglyph. fol. 25. Baron. tom. IV. pag. 520. Plutarch. Lib. de Ifide.
(*d*) Aug. Lib. XVIII. de Civ. cap. IV.

GOR-

GORDONI.

Verf. 1. EXactis duobus annis a liberato principe pincernarum, en somnium Pharaonis somniantis se stare iuxta Nilum. Duo hæc somnia significatione unum sunt.

V. 6. PERCUSSAE UREDINE. Heb. *arefactæ euro*. Spicarum hæc uredo, ab urendo nomen habet. Ventus hic in AEgypto spirans a solitudine Arabiæ, putatur nocere frugibus. LXX. *vento corruptæ*.

V. 9. Non invento qui Regi satisfaceret, pincernarum magister fatetur suam ingratitudinem.

V. 14. TOTONDERUNT. Nec mirum si Ioseph more quarumdam gentium, permisit in hoc carceris mærore capillum esse intonsum, & impexum, in signum calamitatis.

V. 16. ABSQUE ME DEUS; hoc est, non tam ego quam Deus respondebit. Sic vir sapiens non sibi, sed Deo vult deferri laudem operis, & revelationis.

V. 32. FIRMITATIS INDICIUM EST: hoc est tum confirmatio prioris prædictionis, tum unde tu firmiter expectes hæc esse ventura.

V. 35. & 36. Reservandum quidem frumentum est. Sed mirum est quod per tot annos integrum permanere potuit. Sane intra paleas satis diu reservatur frumentum; immo etiam excussum, sed redactum in cumulos sub terra.

V. 42. TULITQUE ANNULUM DE MANU SUA, ET DEDIT EUM IN MANU EIUS, VESTIVITQUE EUM STOLA BYSSINA. *Dedit Iosepho annulum signatorium, & vestimentum byssi*; ut habet Hebræus. Stola est oblonga & talaris vestis. Noster speciem expressit.

V. 43. CORAM EO GENU FLECTERENT. Hebr. אברך *abrech*. Putant aliqui esse vocem peregrinam, לפניו *lepanau*, *ad faciem eius*. Pagnini interpretatio hanc vocem retinet, ut putatur ab aliquibus vox AEgyptiaca. Aliqui cum nostro Interprete vertunt, *genu flecte*, a rad. ברך genuflectere, & est אברך *abrech* pro הברך *habrech*: nam aliquando permutantur א & ה.

V. 44. DIXIT QUOQUE REX AD IOSEPH.... ABSQUE TUO IMPERIO NON MOVEBIT QUISQUAM MANUM, AUT PEDEM, &c. His verbis hyperbolicis significat amplissimam factam Iosepho potestatem.

V. 45. VERTITQUE NOMEN EIUS, ET VOCAVIT EUM LINGUA AEGYPTIACA SALVATOREM MUNDI. Itaque quod est in Hebr. *tsephnat pabbuach*, est ex Hieron. vox AEgyptiaca. Septuag. Ψονθομφανήχ. FILIAM PUTIPHARIS SACERDOTIS. Non est iste Putiphares primus ille herus Iosephi: hic sacerdos, ille miles est. HELIOPOLEOS, Hebr. און on, urbs est solis, ubi templum solis erat. Et Isai. XIX. 18. vocatur civitas solis. Vide quæ ibi dicuntur.

V. 46. TRIGINTA AUTEM ANNORUM ERAT QUANDO STETIT IN CONSPECTU REGIS. Collige hoc ex Chronologia, de qua cap. XXX. adde ad 17. numerum 13. servitutis, exibit annus trigesimus. Vide annum mundi 2259. Serapis putatur (a Iosepho) accepisse initium apud AEgyptios.

V. 47. IN MANIPULOS REDACTAE. Sic frumentum cum palea, & in spicis conservatum est tot annis in terra humida.

V. 49. EXCEDERET, hyperbole.

V. 50. SACERDOTIS. Hebr. כהן significat vel sacerdotem, vel principem.

V. 51. MANASSES, a rad. נשה *nascha*, oblivisci; quando fecit Deus ut Ioseph oblivisceretur præteritorum malorum.

V. 52. IN TERRA PAUPERTATIS. Heb. *afflictionis*.

V. 54. IN UNIVERSO ORBE. Accipi potest amplitudo notarum AEgyptiis nationum. Sed quid illud, PANIS ERAT? Designat initium sterilitatis; ac si diceret, adhuc panis erat: nam ab aliis etiam potuit reservari frumentum, quod inopiæ initium depelleret.

V. 57. OMNES PROVINCIAE, proximæ, & fame laborantes.

interpretem loqueretur ad eos. 24. Avertitque se parumper, & flevit: & reversus locutus est ad eos. 25. Tollensque Simeon, & ligans illis præsentibus, iussit ministris ut implerent eorum saccos tritico, & reponerent pecunias singulorum in sacculis suis, * datis supra cibariis in viam: qui fecerunt ita. At illi portantes frumenta in asinis suis, profecti sunt. 27. Apertoque unus sacco, ut daret iumento pabulum in diversorio, contemplatus pecuniam in ore sacculi, 28. dixit fratribus suis: Reddita est mihi pecunia: en habetur in sacco. Et obstupefacti, turbatique mutuo dixerunt: Quidnam est hoc quod fecit nobis Deus? 29. Veneruntque ad Iacob patrem suum in terram Chanaan, & narraverunt ei omnia quæ accidissent sibi, dicentes: 30. Locutus est nobis dominus terræ dure, & putavit nos exploratores esse provinciæ. 31. Cui respondimus: Pacifici sumus, nec ullas molimur insidias. 32. Duodecim fratres uno patre geniti sumus: unus non est super, minimus cum patre nostro est in terra Chanaan. 33. Qui ait nobis: Sic probabo quod pacifici sitis: Fratrem vestrum unum dimittite apud me, & cibaria domibus vestris necessaria sumite, & abite, 34. fratremque vestrum minimum adducite ad me, ut sciam quod non sitis exploratores: & istum, qui tenetur in vinculis, recipere possitis: ac deinceps quæ vultis, emendi habeatis licentiam. 35. His dictis, cum frumenta effunderent, singuli repererunt in ore saccorum ligatas pecunias: exterritisque simul omnibus, 36. dixit pater Iacob: Absque liberis me esse fecistis. Ioseph non est super, Simeon tenetur in vinculis, & Beniamin auferetis: in me hæc omnia mala reciderunt. 37. Cui respondit Ruben: Duos filios meos interfice, si non reduxero illum tibi: trade illum in manu mea, & ego eum tibi restituam. 38. At ille, Non descendet, inquit, filius meus vobiscum. Frater eius mortuus est, & ipse solus remansit: * si quid ei adversi acciderit in terra ad quam pergitis, deducetis canos meos cum dolore ad inferos.

(a) Inf. xliii. 5. (b) Sup. xxxvii. 22.

B R U G E N S I S

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 13. *At illi, Duodecim, inquiunt*. Redundat verbum *dixerunt*, quod quidam addunt: *At illi dixerunt*.

V. 25. *Datis supra cibariis in viam*. Non mutes quartum casum *viam* cum sexto *via*.

V. 38. *Si quid ei adversi acciderit*. Præferendum est nomen adiectivum *adversi* substantivo *adversitatis*.

COMMENTARIA

S A.

Vers. 9. EXPLORATORES ESTIS, id est habemini: sic III. Reg. XVIII. *Ipse sit Deus*, idest habeatur. Aug. in Gen. quæst. CXXXIX.

V. 15. EGREDIEMINI, scilicet omnes: unum enim retinuit. Vide infra.

V. 38. SI QUID EI ADVERSI ACCIDERIT. Chaldaice, & alii, *mors*. LXX. *ægritudo*.

ESTII.

Vers. 6. CUMQUE ADORASSENT EUM FRATRES SUI. Ecce impletur somnium Ioseph, de quo supra cap. XXXVII. itemque cum paulo post rursum se servos Ioseph vocant.

V. 9.

Verf. 9. EXPLORATORES ESTIS. Quæſtio eſt quomodo Ioſeph, non fuerit mentitus, immo calumniatus fratres ſuos. Quidam mendacium veniale agnoſcunt in Ioſeph; ſed ab eo calumniam propulſant, quia non ad hoc obiecit eis ut exploratorum ſupplicio afficerentur, ſed ut per hoc cognoſceret affectum eorum erga fratrem Beniamin; & an etiam quidquam de fratre aliquo Ioſeph confiterentur. Sed poſſunt hoc modo verba eius intelligi: *Exploratores eſtis*; id eſt, niſi vos legitima ratione purgaveritis, habebo vos pro exploratoribus: quo modo pater ſine mendacio ſæpe dicit filio, Tu non fuiſti in ſchola; ac ſi dicat, hoc de te exiſtimabo, niſi mihi aliud oſtendas. Et hunc intellectum confirmat quod poſtea repetit dicens verſ. 16. *Alioquin per ſalutem Pharaonis exploratores eſtis*: nam ſenſus eſt: *Alioquin*; id eſt, niſi deprehendero vos vera dicere. Neque tamen hoc ita intelligendum eſt, quod omnis falſitas arguat aliquem eſſe exploratorem; ſed quicumque mendax falſitem poteſt pro exploratore tantiſper reputari, & acrius examinari.

V. 28. QUIDNAM EST HOC QUOD FECIT NOBIS DEUS? Sic itidem cap. ſeq. verſ. 23. diſpenſator domus Ioſeph: *Deus veſter, & Deus patris veſtri dedit vobis theſauros in ſaccis veſtris*. Ubi nota primo, morem Scripturæ, iuxta quem, omnia bona merito in Deum auctorem referantur. Porro quod diſpenſator domus Ioſeph homo AEgyptius ſic ſit locutus, intelligitur id feciſſe ita inſtructus a Ioſeph, iuxta illud Pſal. CIV. *Ut erudiret principes ſicut ſemetipſum, & ſenes eius prudentiam doceret*.

V. 36. IN ME HAEC OMNIA MALA CECIDERUNT. Quare non peccavit Ioſeph immerito affligendo animum patris? Reſpondeo: Fecit id tantum per accidens: etenim dum per ſe hoc agit ut fratres, ſicut erant meriti, pœnas aliquas luerent odii, & crudelitatis in ſe fratrem; ſimul ex accidenti evenit ut pater dolore afficeretur. Sed cur non peccavit cupiditate vindictæ in fratres? Reſpondeo: Quia hoc licet etiam inter amicos; ut etiam Philoſophus docet in Ethicis, quando levis eſt vindicta, & ad correctionem proximi ex amore adhibetur.

V. 37. DUOS FILIOS MEOS INTERFICE. Sed quid ſolatii aut ſolaminis fuiſſet Iacob occidi filios filii ſui? Reſpondeo: Nihil, quin magis dolor. Sed dicit hoc Ruben hominum conſueto more, cum in re maximi momenti res cariſſimas oppignorant.

MARIANAE.

Verſ. 2. QUARE NEGLIGITIS? Hebr. *aſpicitis vos*: ſententia eadem: unde Hiſpani de otioſis & pigris dicimus, *Quid aſpicis*?

V. 15. NON EGREDIEMINI HINC. Intellige, omnes: nam unum retinuit.

V. 25. CIBARIIS IN VIAM. Sic Sept. & Chald. Quidam habent *in via*, ſed male.

V. 28. ET OBSTUPEFACTI, TURBATIQUE MUTUO. *Et egreſſum eſt cor eorum*; pro, turbata eſt eorum mens. Sept. καὶ ἐξέστη ἡ καρδία αὐτῶν; nempe, quaſi ecſtaſim paſſi ſunt.

V. 30. ET PUTAVIT NOS EXPLORATORES ESSE. Hebr. *Et dedit nos* (ſupple, ut Sept. *in cuſtodiam*) *quaſi exploratores*: aut dandi vox ſumatur in ſignificatione putandi, ut Hieron. & Chald.

V. 33. ET CIBARIA DOMIBUS VESTRIS NECESSARIA SUMITE. Heb. *Et famem domorum veſtrarum ſumite*, nempe *famem*, id eſt remedium famis, frumentum ad pellendam famem, cibum, ut Noſter poſuit.

V. 38. SI QUID EI ADVERSI ACCIDERIT. Rom. & Gotth. *adverſi*. Chald. *Si mors acciderit ei*. Vocis Hebraicæ *aſun* ſignificatio non eſt nota. AD INFEROS, ad ſepulcrum deducetis me, præ mœſtitia moriar.

MALVENDAE.

Verſ. 1. QUOD ALIMENTA VENDERENTUR IN AEGYPTO. Heb. *Quod eſſet fractio, fractura in AEgypto*. Quidam exponunt: *Quod eſſet frangenda*, id eſt diſtributio frangendæ, *in AEgypto*: quod frumenta venderentur, & frangerentur; id eſt, diſpertirentur, vel diſtribuerentur. Quidam vocem שבר *ſcheber*, *fractionem*, ſeu *fracturam* interpretantur, *alimentum*, *annonam*, ſic dictam, quia frangat famem; ut *frangere ſitim*, Pſalm. CIII.

CIII. II. vel quod panis, esca, annona, frangatur ad manducandum; ut illa, *Frange esurienti panem tuum*, Isa. LVIII. 7. &, *Parvuli petierunt panem; & non erat, qui frangeret eis*, Thren. IV. 4. Aliqui, quod in fame & venditione fiat horreorum, seu congesti frumenti disruptio, & fractura, Vulgo *tratam* dicunt, quasi tractam, a trahendo, seu distrahendo. QUARE NEGLIGITIS? Hebr. *Quare aspicitis vos mutuo?* Elegans Hebraismus. Sic Hispanice dicimus, *Que os mirays?* quasi dicat: Cur aspicitis unus ad alterum, nec itis mercatum triticum? ut solent desides, cessatores, torpentes, ignavi, pigri, consilii inopes se mutuo aspicere, dum unus alium expectat, ut rem expediat. Nonnulli reddunt; *Cur desides cunctamini?* Quidam Hebræorum exponunt: *Ut quid litigatis, contenditis, confligitis inter vos?* de expedienda ratione, qua præsenti fami subveniatis. In hoc significatu verbum videndi aliquando usurpari in Scriptura annotavimus cap. XXXII. vers. 30. Aliæ expositiones Hebræorum frigent.

V. 4. QUIDQUAM PATIATUR MALI. אסון aiunt esse *periculum vitæ, damnum, detrimentum, læsionem corporis & vitæ, infortunium, conculcationem, stragem, vim, violentiam lethalem & mortiferam, exitium, mortem violentam.*

V. 6. PRINCEPS IN TERRA ÆGYPTI. שליט *sallit, potestatem habens, potestas, magistratus, præses*, proprie *Sultanus*, consentiente voce Hebraica. Nam hoc nomine Arabes & Turcæ suum principem, imperatorem vocant *Sultan* voce Chaldaica, sed quæ ab Hebraico verbo suam originem ducat.

V. 7. DURIUS LOQUEBATUR. Hebr. *Et locutus fuit cum eis dura*, vel *perplexa, intricata*. Forsan per circuitus & ambages loquebatur, ne agnosceretur a fratribus.

V. 19. ET FERTE FRUMENTA, QUAE EMISTIS, IN DOMOS VESTRAS. Hebr. *Et asportate fracturam, frangendam famis in domibus vestris*: quod bifariam potest intelligi: afferte frumenta, escas, annonam, alimenta quibus famem frangatis; vel, asportate frangendam, id est distributionem, dispersionem frumentorum, tractam, quæ fit, aut conceditur hoc tempore famis. Et hic sensus potior, meliusque & Nostro, & præcedentibus locis quadrat.

V. 21. MERITO HAEC PATIMUR; אבל *abal* omnes vertunt *certe, vere, profecto*. Nec male quadret *luctus*; quasi dicat: Luctus erit nobis; nunc sceleris venditi fratris pœnas luemus. QUIA PECCAVIMUS IN FRATREM NOSTRUM. Varie reddunt; *Delinquentes, rei, noxii, culpabiles, scelerati, piaculares, afflati, affabiles, desolati, sacrilegi nos super fratrem nostrum*. Aiunt verbum אשם *ascham* proprie significare *aliquem propter culpam, aut pœnam esse afflandum, & exsibilandum, ut cum flatu quodam sit abominationi & horrori*. Hic vertere licebit, *Horrende abominabiles nos*.

V. 27. PABULUM. מספוא *mispo*. De hac voce diximus cap. XXIV. vers. 25. Hebræi aiunt esse *omnem cibum iumentorum, præter paleam, seu stramen*, ut hordeum, spicam, avenam. Hic frumentum dici videtur.

V. 28. ET STUPEFACTI. Hebr. *Et egressum fuit cor eorum*. Communiter exponunt: *Cor*, id est animus; quasi dicat, exanimati fuerunt, defecerunt, conciderunt animo. Hispanice aliter, & forte aptius efferemus, *Les salto el corazon, les dio sobresaltos el corazon, se sobresaltearon*: quando quis ex novo, & insperato casu vehementer animo percellitur, & commovetur: *Un susto*: quod sequens verbum חרד *charad* satis declarat, de quo egimus cap. XXVII. vers. 33. *Et contremuerunt*, ne forte sibi insidiæ, & calumniæ struerentur.

MENOCHII.

Vers. I. QUOD ALIMENTA VENDERENTUR. Hebr. *Quod esset divisio, seu fractio in Ægypto*; id est, quod dividerentur cibi. Frequenter Hebræi utuntur verbo frangendi, cum de cibis est mentio. Thren. IV. 4. *Parvuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis*. QUARE NEGLIGITIS? Heb. *Ut quid vos ipsi aspicitis?* qui habitus otiosorum est, & desidum expectantium dum alter rem expediat.

V. 6. ADORASSENT, more regio vultu profunde ad terram inclinato, aut genu submisso. Hoc eventu somnium Ioseph comprobatum est.

V. 7.

V. 7. QUASI AD ALIENOS DURIUS LOQUEBATUR, offensi personam sumens, indignanti similis, & minanti.

V. 8. NON EST COGNITUS AB EIS: quia iam ætas adultior barbam induxerat, & aliquam lineamentorum mutationem.

Quæres cur tamdiu rem celari voluit Deus, ut Iacob parenti Iosephi status, & vita non innotesceret. Respondeo, id divino consilio factum, ut Iacobi virtus & patientia exerceretur, & levia eius crimina hoc purgationis genere expiarentur. Deinde ne redimeretur Ioseph a Iacob, essetque locus impletioni somnii, & Iacob in AEgyptum descenderet cum suis, ut inde postea numero aucti, ad promissam terram possidendam ascenderent.

V. 9. EXPLORATORES ESTIS. Nihil laborandum ut hanc insimulationem mendacii nota liberemus. Sciebat eos non esse exploratores; sed hoc crimen impingit, ut adigat illos sibi de statu in quo pater versaretur, & quod de Beniamino fratre uterino actum, vera narrare. Non tamen iniustus fuit sic insimulando: cum enim personam publicam gereret, licebat a reis, quos sciebat affines parricidii, & plagii fraterni, pœnam exigere: quanto autem minorem exigit, quam commeriti essent? D. Augustinus ait non esse mentitum, sed iocosa simulatione ita locutum. INFIRMIORA TERRAE. Heb. *Nuditatem terræ*, id est loca minus arte munita.

V. 11. PACIFICI. Vox Hebræa *rectos*, *sinceros*, *veraces* significat.

V. 14. HOC EST, AIT, QUOD LOCUTUS SUM: ex eo quod fingitis vos alium fratrem habere, qui non adest, colligo cetera quoque falsa.

V. 15. EXPERIMENTUM VESTRI CAPIAM, an mentiti sitis. PER SALUTEM PHARAONIS. Iurat per vitam Pharaonis se illos tamquam exploratores habiturum, & tractaturum, nisi Beniamin adducant.

V. 18. DEUM ENIM TIMEO; quasi dicat: Nihil iniuste faciam, aut inhumane: scio excelso excelsiorem esse alium, cui mea dicta, & facta probare debeam.

V. 21. MERITO HAEC PATIMUR. En conscientiæ vim. *Oculos, quos culpa claudit, pœna aperit*, ait quodam loco sanctus Gregorius.

V. 22. EN SANGUIS EIUS EXQUIRITUR. Moriendum nobis, quia fratrem occidimus: nam mortuum credebant.

V. 24. ET FLEVIT, naturali affectu simulationis artificium vincente.

V. 25. SIMEON. Hic eligitur ad pœnam, quia cum natu esset proximus Rubeno, si se illi adiunxisset (quia Iudas etiam in Iosephum propendebat) facile ceteros auctoritate sua coercuissent; ideo præcipuam culpam Simeoni nonnulli auctores adscribunt. ILLIS PRAESENTIBUS, ut eos magis terreret. DATIS SUPRA CIBARIIS IN VIAM, dato insuper viatico, id est addita annonæ emptæ tanta panum, & pabuli quantitate, quanta per iter ipsis, iumentisque satis esset, ut quod coemerant integrum, & sine diminutione domum ferrent.

V. 27. PABULUM, hordeum, vel avenam.

V. 28. OBSTUPEFACTI. Hebr. *Egressum est cor illorum*: veriti scilicet insidias sibi strui, consternati sunt.

V. 29. NARRAVERUNT EI OMNIA, ultro, & sponte, ne pater animi penderet ubi mansisset Simeon.

V. 35. SINGULI REPERERUNT. Filii aperuerunt saccos in via, sciebantque pecuniam eis inesse, pater vero nesciebat; sed filii coram patre simulant se quoque id nescire, ne a patre increpentur. Exterriti ergo sunt filii; id est, simularunt novum metum; Iacob verum concepit, timens Simeoni, si non redirent.

V. 36. ABSQUE LIBERIS ME ESSE FECISTIS: orbum fecistis. IN ME HAEC OMNIA MALA RECIDERUNT: solus omnia luo, qui sic in liberis discerpor.

V. 37. DUOS FILIOS MEOS INTERFICE. Hyperbolica locutio, significans certo certius se reducturum.

V. 38. DEDUCETIS CANOS MEOS, me iam decrepitum. CUM DOLORE AD INFEROS: efficietis ut ego senex mærore contabescam, senio meo mortem accelerabitis.

TIRINI.

Vers. 16. PER SALUTEM PHARAONIS. In Hebræo, & Chaldæo est *Vivit Pharao*: formula iurandi tam Gentilibus, quam Iudæis usitata. Potest-

Poteftque, iuxta S. Thomam *a*, duobus modis intelligi. Primo affertorie; quasi dicat: Iuro per Deum, qui vitæ, & falutis regis mei Pharaonis auctor, & cuftos eft. Secundo execratorie, ut idem fit quod adiuro, obteftor, & rogo Deum, ut Pharaoni falutem, & vitam adimat, fi non conftet vos effe exploratores. Nota tamen cum eodem S. Thoma, & Bonaventura, Iofephum non affertive vocare fratres fuos exploratores, nam fciebat non effe tales; fed folum tentative, & probandi gratia. Cuiufmodi locutionum formulæ ufurpantur a iudicibus de crimine aliquo inquirentibus; fed folum vim habent interrogationum.

V. 25. TOLLENS SIMEON, ET LIGANS. Cur hunc præ reliquis fratribus? Refpondet Gennadius, & Hebræi, quia Simeon præcipua caufa, & auctor aliis fuerat necis Iofepho inferendæ. Vel faltem, ut ait Philo *b*, plus ceteris utpote iunioribus peccarat: nam, cum ætate poft Ruben maximus effet, & auctoritate valeret, maluit cum illis in perniciem adolefcentuli confpirare, quam Rubeno pro eo liberando fatagenti fe coniungere. An vero Iofeph toto tempore abfentiæ fratrum, Simeonem in vinculis perpetuo habuerit, incertum eft. Verofimilius, non nifi ufque ad abitum illorum habuiffe in vinculis; in carcere tamen, vel alio honeftiore loco conclufum, ad reditum ufque aliorum tenuiffe.

Petes: Quare Iofeph totis 23. annis, quibus fuit in AEgypto, nihil de fe nuntiavit tam mœfto parenti? Refpondet S. Thomas, Deum id noluiffe. Cur autem noluit? Rationem dat Auguftinus, ut hoc quafi purgatorio tam parens, quam filius purgaretur in hac vita; & virtus utriufque tanto fpectatior orbi fieret, ut facta fuerat etiam Abrahami & Ifaaci per immolationem in monte Moria, fupra cap XXII. Addit Theodoretus, ita Deum voluiffe, ut fomnia Iofephi adamuffim complerentur; & ne Iacob filium, ubi refcivisset in AEgypto degere, pretio quantocumque redemptum, in Chanaanitidem ad propria reduceret; atque ita occafionem nancifcendi principatus in AEgyptios, adeo que & in fratres fuos, præriperet. Denique ne impedirentur mira illa & ftupenda opera quæ per & poft Iofephum in AEgypto patrata narrat tum Genefis, tum Exodus multis & prolixis capitibus.

Petes fecundo: Unde Iofepho conftitit de hac Dei voluntate? Refpondet Pererius: Partim ex circumftantiis fomniorum fuorum; partim ex inftinctu & revelatione interna, ut erat Propheta: forfan & ex remoris, & variis impedimentis, quæ, cum quid tale tentaret, iniici cælitus animadvertit, ut accidit in re longe leviori, cum egredienti principi pincernarum e carcere commendaffet etiam fui liberationem; fed ille per integrum biennium ne femel quidem meminerat interpretis & clientis fui, nolente Deo mediis eximi humanis quem fua folius manu iuvare decreverat.

(*a*) S. Thom. II. II. quæft. lxxxix. art. 6.
(*b*) Philo Lib. de Iofeph.

GORDONI.

Verf. 6. ADORASSENT, cultu civili, fed ut regi debito; quod Iofephi fomnio demonftratum fuit.

V. 7. ET AGNOVISSET. Agnofcit fratres; fed non agnitus ab iis. Nam ex cap. XLI. verf. 46. ftetit coram Pharaone anno ætatis 30. reliquit fratres anno ætatis 16. & multis modis immutatus eft ab eo qui erat. QUASI AD ALIENOS. Videtur indignantis perfonam affumpfiffe. Iofeph præfcius futurorum, & Deo ita difponente per exactos quindecim annos non indicavit patri cafum fuum.

V. 9. EXPLORATORES ESTIS. Hic non mentitur Iofeph: non enim funt verba affertoria, fed potius tentantis, aut etiam interrogantis; & fic interdum loquuntur iudices.

V. 12. IMMUNITA, non munita, infirmiora loca terræ AEgypti.

V. 14 HOC EST, quod dicatis, vobis effe alium fratrem, ex quo vobis non credo.

V. 15. PER SALUTEM PHARAONIS. In Hebr. eft *vivit Pharao*, feu *per vitam Pharaonis*. Vere ergo iuramentum eft, nec falfitatem habet: quia unum retinuit, ut ftatuerat animo.

V. 16. PER SALUTEM PHARAONIS EXPLORATORES ESTIS. Non peccat fic iurans Iofeph: nam iurans per creaturas, ut hic, iurat per auctorem creaturæ, Adeft etiam veritas. Senfus autem

verborum eſt: iuro me habiturum vos externa ſpecie, tamquam exploratores, niſi adducatis ad me Beniamin. Dixi de hoc in opere Theol. Lib. VI. quæſt. VI. num. 26.

V. 18. DEUM TIMEO: nihil iniuſte in vos fiet.

V. 25. TOLLENSQUE. Putatur potius Simeon retentus in vinculis, quam ullus alius, quia durius ſe geſſit erga Ioſeph in venditione.

V. 28. OBSTUPEFACTI: Sept. ϗ *ἐξέςη ἡ καρδία αὐτῶν*. Hebr. ויצא *vatietſe*, *exiit cor eorum*.

V. 35. Sciebant fratres, eſſe in ſaccis pecuniam, ex verſ. 27. Sed ſimulant attonite ſe id neſcire, ne reprehenderentur a patre.

V. 38. CANOS, ſenectutem, ſenem. AD INFEROS: præ triſtitia moriar. Hebr. שאולה *ad ſepulcrum*, per ה motivum.



CAPUT XLIII.

Cogente fame, ægre impetrarunt fratres Ioſeph a patre ut in AEgyptum revertentes cum muneribus, ac duplici pecunia, Beniamin ſecum ducerent: qui, educto Simeone de carcere, ſimul epulati ſunt cum Ioſeph.

1 
Nterim fames omnem terram vehementer premebat: 2.
conſumptiſque cibis quos ex AEgypto detulerant, dixit
Iacob ad filios ſuos: Revertimini, & emite nobis pauxil-
lum eſcarum. 3. Reſpondit Iudas: Denuntiavit nobis vir
ille ſub atteſtatione iuriſiurandi, dicens: Non videbitis
faciem meam, niſi fratrem veſtrum minimum adduxeritis
vobiſcum. 4. Si ergo vis eum mittere nobiſcum, perge-
mus pariter, & ememus tibi neceſſaria; 5. ſin autem non
vis, non ibimus: vir enim, ut ſæpe diximus, denuntiavit nobis, dicens:
(*a*) Non videbitis faciem meam abſque fratre veſtro minimo. 6. Dixit eis
Iſrael: In meam hoc feciſtis miſeriam, ut indicaretis ei & alium habere vos
fratrem. 7. At illi reſponderunt: Interrogavit nos homo per ordinem noſtram
progeniem: ſi pater viveret, ſi haberemus fratrem: & nos reſpondimus ei
conſequenter iuxta id quod fuerat ſciſcitatus: numquid ſcire poteramus quod
dicturus eſſet: Adducite fratrem veſtrum vobiſcum? 8. Iudas quoque dixit
patri ſuo: Mitte puerum mecum, ut proficiſcamur, & poſſimus vivere: ne
moriamur nos, & parvuli noſtri. 9. (*b*) Ego ſuſcipio puerum: de manu mea
require illum: niſi reduxero, & reddidero eum tibi, ero peccati reus in te
omni tempore. 10. Si non interceſſiſſet dilatio, iam vice altera veniſſemus.
11. Igitur Iſrael pater eorum dixit ad eos: Si ſic neceſſe eſt, facite quod
vultis: * ſumite de optimis terræ fructibus in vaſis veſtris, & deferte viro
munera, modicum reſinæ, & mellis, & ſtoracis, ſtactes, & terebinthi, &
amygdalarum. 12. Pecuniam quoque duplicem ferte vobiſcum: & illam, quam
inveniſtis in ſacculis, reportate, ne forte errore factum ſit: 13. ſed & fra-
trem veſtrum tollite, & ite ad virum. 14. Deus autem meus omnipotens fa-
ciat vobis eum placabilem; & remittat vobiſcum fratrem veſtrum * quem te-
net, & hunc Beniamin: ego autem quaſi orbatus abſque liberis ero. 15. Tu-
lerunt ergo viri munera, & pecuniam duplicem, & Beniamin; deſcenderunt-
que

que in AEgyptum, & steterunt coram Ioseph. 16. Quos cum ille vidisset, & Beniamin simul, præcepit dispensatori domus suæ, dicens: Introduc viros domum, & occide victimas, & instrue convivium: quoniam mecum sunt comesturi meridie. 17. * Fecit ille quod sibi fuerat imperatum, & introduxit viros domum: 18. ibique exterriti dixerunt mutuo: Propter pecuniam, quam retulimus prius in saccis nostris, introducti sumus, ut devolvat in nos calumniam, & violenter subiiciat servituti, & nos, & asinos nostros. 19. Quamobrem in ipsis foribus accedentes * ad dispensatorem domus, 20. locuti sunt: Oramus domine ut audias nos. (c) Iam ante descendimus ut emeremus escas: quibus emptis, cum venissemus ad diversorium, aperuimus saccos nostros, & invenimus pecuniam in ore saccorum: quam nunc eodem pondere reportavimus. 22. Sed & aliud attulimus argentum, ut emamus quæ nobis necessaria sunt. Non est in nostra conscientia quis posuerit eam in marsupiis nostris. 23. At ille respondit: Pax vobiscum, nolite timere: Deus vester, & Deus patris vestri dedit vobis thesauros in saccis vestris: nam pecuniam, quam dedistis mihi, probatam ego habeo. Eduxitque ad eos Simeon. 24. Et introductis domum, attulit aquam, & laverunt pedes suos, deditque pabulum asinis eorum. 25. Illi vero parabant munera, donec ingrederetur Ioseph meridie: audierant enim quod ibi comesturi essent panem. 26. Igitur ingressus est Ioseph domum suam, obtuleruntque ei munera, tenentes in manibus suis; & adoraverunt proni in terram. 27. At ille, clementer resalutatis eis, interrogavit eos, dicens: * Salvus ne est pater vester senex, de quo dixeratis mihi? Adhuc vivit? 28. Qui responderunt: Sospes est servus tuus pater noster, adhuc vivit. Et incurvati adoraverunt eum. 29. Attollens autem Ioseph oculos, vidit Beniamin fratrem suum uterinum, & ait: Iste est frater vester parvulus, de quo dixeratis mihi? Et rursum, Deus, inquit, misereatur tui, fili mi. 30. Festinavitque, quia commota fuerant viscera eius super fratre suo, & erumpebant lacrymæ: & introiens cubiculum flevit. 31. Rursumque lota facie egressus, continuit se, & ait: Ponite panes. 32. Quibus appositis, seorsum Ioseph, & seorsum fratribus, AEgyptiis quoque qui vescebantur simul, seorsum (illicitum est enim AEgyptiis comedere cum Hebræis, & profanum putant huiuscemodi convivium) 33. sederunt coram eo, primogenitus iuxta primogenita sua, & minimus iuxta ætatem suam. Et mirabantur nimis, 34. sumptis partibus quas ab eo acceperant: maiorque pars venit Beniamin, ita ut quinque partibus excederet. Biberuntque, & inebriati sunt cum eo.

(a) Sup. xlii. 20. (b) Inf. xliv. 32. (c) Sup. xlii. 3.

B R U G E N S I S

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 11. *Sumite de optimis terræ fructibus*. Melius est *fructibus* quam *frugibus*.

V. 14. *Quem tenet*. Non est huius loci, quod quædam exemplaria subiiciunt, *in vinculis*.

V. 17. *Fecit ille quod sibi fuerat imperatum*. In quibusdam libris, pro *quod sibi fuerat*, minus recte legitur *sicut fuerat*.

V. 19. *Ad dispensatorem domus*. Non omittas *domus*.

V. 27. *Salvus ne est pater vester*? Melius est *salvus* quam *sanus*.

COMMENTARIA

S A.

Verſ. 5. NON VIDEBITIS FACIEM MEAM, id eſt me; quaſi dicat, nullus ad me vobis aditus patebit.

V. 6. IN MEAM. Hebr. *cur in meam*.

V. 9. SUSCIPIO PUERUM. Hebr. *ſpondeo pro illo*. DE MANU MEA, id eſt a me.

V. 12. ET ILLAM; pro, nempe etiam illam.

V. 14. ERO, ſcilicet interim.

V. 16. VICTIMAS. Sic vocantur animalia, cum occiduntur, etiam non cauſa ſacrificii.

V. 21. APERUIMUS: unus aperuerat. Vide ſup.

V. 22. NON EST IN NOSTRA CONSCIENTIA. Hebr. *neſcimus*. MARSUPIIS, id eſt ſaccis.

V. 23. PAX VOBISCUM; id eſt, eſtote bono animo: nihil eſt periculi. PROBATAM EGO HABEO. Hebr. *Venit ad me*.

V. 25. PANEM, abundat more Hebr. ponitur autem pro cibo.

V. 31. PANES, id eſt cibos.

V. 32. PROFANUM. Hebr. *abominabile*.

V. 33. IUXTA AETATEM; ſcilicet, ultimus ſedit.

V. 34. INEBRIATI, id eſt ſatiati. Sic Pſalm. LXIV. *Viſitaſti terram, & inebriaſti eam*. Auguſt. in Geneſ. quæſt. CXLIV.

E S T I I.

Verſ. 3. DENUNTIAVIT NOBIS VIR ILLE. Nota. Non hoc expreſſe denuntiaſſe legitur; verum cum cap. præcedenti verſ. 15. dixerit: *Per ſalutem Pharaonis, non egrediemini hinc donec veniat frater veſter minimus*: credibile eſt eum ad dimiſſos poſtea iteraſſe hoc, vel ſimili modo: Per ſalutem Pharaonis, non videbitis faciem meam donec veniat frater veſter minimus.

V. 6. IN MEAM HOC FECISTIS MISERIAM; id eſt, factum veſtrum in meam cedit miſeriam. Non enim dicere vult pius Patriarcha filios ſuos paternam miſeriam intendiſſe, ſed ita eveniſſe ipſorum imprudentia. Sic & quod Hebr. legitur: *Ut quid maleſeciſtis mihi*? non expoſtulantis eſt, aut improperantis, ſed ſuam miſeriam deplorantis.

V. 9. EGO SUSCIPIO PUERUM. Nota. Non dixit hic Iudas ſpondens pro Beniamin ut dixerat Ruben capite ſuperiori, *Filios meos interfice*: nempe iam duo filii eius Her, & Onam interfecti erant a Domino; & veriſimiliter metuebat, ne quid ſimile aliis filiis ſuis contingeret. Tum etiam a tali ſermone abſtinebat, ne memoriam eius quod duobus prioribus filiis ſuis acciderat renovaret.

V. 14. ET REMITTAT VOBISCUM FRATREM QUEM TENET. Loquitur Iacob de Simeone qui tenebatur in vinculis, & de Beniamin. In Septuaginta ſic habetur: *Et remittat fratrem veſtrum vivum, & Beniamin*. Ubi cum vere intelligatur Simeon captivus, tamen fortaſſe nonnulli aliquando acceperunt de Ioſeph: certe in officio eccleſiaſtico, dom. tertiæ quadrageſimæ in reſponſorio nono ſic legitur: *Lamentabatur Iacob de duobus filiis ſuis: Heu me; dolens ſum de Ioſeph perdito, & triſtis nimis de Beniamin ducto pro alimoniis. Precor cæleſtem Regem, ut me dolentem nimium faciat eos cernere*. Quæ verba indicant ſaltem, Iacob non omnem omnino ſpem abieciſſe videndi Ioſeph, etſi hoc videantur eius verba indicare cap. XXXVII. verſ. 35. Forſitan enim in corde ſuo ſuſpicabatur, id quod res erat, Ioſeph venditum, non devoratum a beſtia; quod nulla oſſa oſtenderentur, ſed ſic loquebatur ut eſt ibi cap. XXXVII. ne feroces filios magis exacerbaret.

V. 16. OCCIDE VICTIMAS, ET INSTRUE CONVIVIUM. Hæ victimæ cui immolabantur: Deo vero, an falſo? Si ſacrificium intelligitur, haud dubio Deo vero. Neque enim vir ſanctus præcepiſſet immolari victimas deo falſo; neque Ioſeph, qui tanta auctoritate pollebat apud Ægyptios, prohibitus fuiſſet, ut apparet, offerre ſacrificium Deo ſuo. Sed forte non loquitur Scriptura de ſacrificio, ſed de ſo-

la

la mactatione pecorum. Unde & Hebræa tantum habent, *Macta tu*. Vatablus quidem subaudit victimam, sed quare non simpliciter, pecus, vitulum, bovem, vel quid simile?

Vers. 32. ILLICITUM EST ENIM AEGYPTIIS COMEDERE CUM HEBRAEIS. Hebræorum nomen tunc dudum innotuisse patet: tum quod hera Ioseph Genes. cap. XXXIX. ipsum bis contemptim vocet Hebræum; tum quod & pincerna regis dicat capite XLI. *Erat ibi puer Hebræus*. Quin ipsi Abraham, & Lot Genes. XIV. Hebræi vocantur, sic dicti a Chananæis, quasi transfluviales; quod ex Mesopotamia illuc venissent, iamque plurimi populi ab illis propagati erant, ut Ismaelitæ, Madianitæ, Moabitæ, Ammonitæ; ut non necesse sit hic nomen Hebræorum tamquam ignotorum generatim omnes Chananæos accipere. Ceterum quare profanum censerent AEgyptii comedere cum Hebræis, immo abominationem putarent (nam ita sonant Hebræa) patebit Exodi VIII. vers. 26.

V. 34. MAIORQUE PARS VENIT BENIAMIN. Ita iusserat Ioseph, tum quia Beniamin frater erat uterinus Ioseph, tum etiam quod solus Beniamin immunis fuisset, & innocens a crimine in Ioseph a fratribus ceteris commisso. Quomodo singulis singulæ partes in huiusmodi conviviis distribuerentur, vide etiam I. Reg. IX. BIBERUNTQUE, ET INEBRIATI SUNT CUM EO. Solent, inquit August. ebriosi hinc adhibere patrocinium, non tantum propter filios Iacob reliquos, sed etiam propter Ioseph, qui valde sapiens commendatur. Sed respondet August. & ante eum Hieron. verbum ebrietatis pro satietate tantum solere in Scripturis poni. Unde est illud Psal. LXIV. *Visitasti terram, & inebriasti eam*. Ubi nullo modo inebriari potest accipi, ut ebriosi accipiunt. Nam nec ipsi terræ utilis est huiusmodi ebrietas, cum nimio humore semina corrumpantur. Commentarius quoque in Psal. LXXX. D. Hieronymo adscriptus, negat ad litteram Ioseph virum sanctum inebriatum; etsi id fateatur de Lot.

MARIANAE.

Vers. 3. SUB ATTESTATIONE IURISIURANDI. Hebraice & Chald. *Contestans contestatus est nos vir*. Non simpliciter admonuit, sed adhibitis testibus. Id enim exprimit vox Hebraica העד *hebid*.

V. 8. NE MORIAMUR NOS, ET PARVULI NOSTRI. Hebraice: *Ne moriamur etiam nos, etiam tu, etiam parvuli*. Illud *etiam* primo loco videtur redundare, sed perinde est ac si diceret: Ne moriamur tum nos, tum tu, tum parvuli.

V. 10. IAM VICE ALTERA VENISSEMUS. Hebraice: *Iam revertissemus duabus vicibus*.

V. 12. PECUNIAM QUOQUE DUPLICEM FERTE VOBISCUM. Annonam crevisse suspicabatur; ideo præter pecuniam in saccis inventam, duplicem aliam ferre mandat.

V. 14. QUASI ORBATUS ABSQUE LIBERIS ERO. *Interim ero*, est Hebraice. *Sicut orbatus sum, orbabor*: sic Chaldaice,

V. 16. OCCIDE VICTIMAS. Sic vocantur animalia cum occiduntur, etiamsi non sit sacrificium. Hebraice, *Macta mactationem*.

V. 20. ORAMUS DOMINE. Hebr. *in me domine*; sed dictio בי *bi*, id est *in me*, tenet locum adverbii, recteque redditur per *quæso*, aut *quæsumus*, aut est forma iurandi, ut Hispanice dicimus *sobre mi*; vel potius significat, *in me*; id est, me audi, adverte quæ dicam. Et adverte, non plane iisdem verbis repeti factum, quibus superius erat expositum: quod in somniis pincernæ & pistoris, & in Pharaonis somnio videmus; quædam mutari in repetitione, ut contingit inter homines vulgo; sed sententia est consideranda.

V. 21. PECUNIAM .... EODEM PONDERE REPORTAVIMUS. Forte nondum signabatur pecunia, sed appendebatur metallum, qui primus monetæ usus fuit.

V. 23. PECUNIAM, QUAM DEDISTIS MIHI, PROBATAM. Deest in Hebraico *probatam*, ex Sept. sumpsit Hieron.

V. 24.

V. 24. Deditque pabulum. מספוא *mispo* significat quocumque iumenta victitant, non hordeum tantum, avenam, aut fenum, aut paleas; sed omnia: sic per *pabulum* optime redditur.

V. 25. Donec ingrederetur Ioseph meridie; supple, ad prandium.

V. 31. Ponite panes. Hebraice, *panem*, per quem intelligit genus omne cibi: vers. etiam 25. *Comesturi panem*. *Panis* pro cibo, & more Hebraico vox *panem* redundat: sufficiebat dicere, quòd ibi comesturi essent.

V. 32. Seorsum Ioseph. Minimum tres mensæ fuerunt, Iosephi, & fratrum, & AEgyptiorum.

V. 33. Et mirabantur nimis. Hinc colligunt, Iosephum loca designasse singulis quasi divinandi arte; eamque suisse admirationis causam, quod eos iuxta cuiusque ætatem collocasset.

V. 34. Sumptis partibus. משאות *masoth* plerique *partes* intelligunt, nempe cibi: sic Hieron. Sept. Chald. sed qui poterat quincuplex dari Beniamin, si aliis cibus non maligne suppeditabatur? Quidam numerum certum pro incerto sumit; quasi dicat, maximam partem datam suisse Beniamin. Hebræus Schol. & alii per eam vocem dona intelligunt, quæ initio, aut fine prandii data sunt convivis, Beniamino quincuplicia. Quod autem addit inebriatos esse, ad satietatem refert Hieronym. in Trad. sicut & terra dicitur inebriari: tum Augustin. in Genes. quæst. cxliv. Denique pro quinque partibus, in Hebræo est *quinque manibus* חמש ידות *hames iadoth*. Dona, seu partes manus vocantur, quod dentur manu.

MALVENDAE.

Vers. 7. Consequenter iuxta id quod fuerat sciscitatus. Hebr., *Super os verborum istorum*; id est, secundum verba ipsa quæ nobis proposuerat, singulis singula directe respondentes. Aliter, *Super os verba ista*; id est, respondimus ei ut ipse locutus fuit; ad eius os, sive interrogationem respondimus verba ista. Sed parum intelligunt aliqui pulcherrimum Hebraismum, quem Hispanismus illustrat: *super os*, id est *bilo*, *a bilo*. Sic quod Hebræi dicunt, *In ore gladii*, nos dicimus, *Filos de una espada*; quasi dicat, distincte, ordinatim, minutatim renuntiavimus verba ista.

V. 8. Ut proficiscamur, et possimus vivere, &c. Hebr. omnia sunt præterita: *Et surreximus*, *& ambulavimus*, *& viximus*: ad indicandam celeritatem, promptitudinem, certitudinem eorum quæ facturi erant; quasi dicat: Mitte puerum, & tibi omnia confecta do. Eo more loquendi etiam nos Hispanice utimur, cum celeritatem, & certitudinem rei peragendæ significare volumus.

V. 11. De optimis terrae fructibus. Hebr. de זמרת *zimrah terræ*. Varie elucidant. I. *de carmine*, *mutatione*, *cantico*, *laudatione*, *prædicatione terræ*, id est de optimis, nobilissimis, laudatissimis, prædicatissimis, decantatissimis, celebratissimis, quæ terra producit, seu fructus, seu res. II. *de palmite terræ*, seu *de incisione*, *amputatione terræ*: ut *zimrah* generaliter, & collective significet fructus decisos, & amputatos, ut stactem, resinam, mel, lotum, quæ incisione proveniunt. Utraque significatio cognata; nam in cantu est incisio, id est fractura, & modulatio vocum. Terebinthi. בטנים *batenim*. Solum hoc loco reperitur, & varie exponunt. I. *resinam terebinthi*, quam nos *trementinam* vocamus: alii *nuces terebinthi*. II. *pineas*, Hispanice *pinnones*: III. Arabice *pistacia*, genus nucum Syriacarum, de quibus Plinius Lib. XIII. cap. v. & Lib. XXIII. cap. viii. & alii. IV. *corylos*, seu *avellanas*, quas Germani vocant *botin* colludente voce. V. *iuglandes*. VI. *dactylos*, a similitudine בטן *beten*, *uteri*, in quo continentur fructus. Quid si divisim legamus, *In sportis, cophinis?* Nam טנא *tene* est *cophinus*, seu *sporta*. Ut *Beth* sit servile, & *Aleph* exciderit. Vide Iosue xiii. vers. 26. Quid si sint quas vulgo *batatas* vocamus, voce non multum abludente. In vocibus, quarum significatio adeo obsolevit, nihil tutius, quam Nostrum & LXX. sectari. De aliis vocibus ambiguis huius versus egimus supra, cap. xxvii. vers. 25.

V. 14 Ego autem quasi orbatus absque liberis ero. Hebr. *Et ego secundum quod orbatus sum*, *orbatus sum*; vel *& ego quemadmodum orbatus fui*, *orbatus sum*; id est, quemadmodum orba-

orbatus fui antea Iosepho, & Simeone, ita iam iterum orbatus sum Beniamino. Utrumque est præteritum; sed secundum Noster posuit in futuro, quia ita mens præsagiebat futurum. Alii exponunt, ac si dicat: Mortuo Ioseph, puto me omnibus orbatum esse. Reputabat enim nihil posse deterius sibi contingere, ex quo Ioseph amisit; quem omnibus præferebat, & quem instar omnium æstimabat. Nonnulli: Video quid agatur mecum: ego sum miserrimus senex, domum, quæ nuper populosa erat, fere desertam video, cum iis abeuntibus, nudor omnibus filiis. Aliqui: *Cum orbatus fuero, orbatus fuero*: verba sunt viri se, & rerum suarum eventum committentis voluntati Dei. Similis phrasis est Esther IV. vers. 16.

V. 16. MERIDIE צהרים *tzaboraiim* nomen duale, & *id tempus significare* aiunt *quo sol in medio cæli inter ortum & occasum clarissime fulget*: & forma duali efferri notant, quod diem in duas partes æquas dividat, & geminæ lucis antemeridianæ, & vespertinæ medium sit interstitium, & terminus communis.

V. 20. ORAMUS DOMINE בי *bi* communiter vertunt, *quæso*, *obsecro*; sed proprius idiomati linguæ sonat *in me*; quasi dicant: Attende ad me, audi nos, in nos adverte; Hispanice, *Con migo*: quando petimus audiri: quod Noster scite exposuit. Quidam notant, esse ellipsin patheticam, receptam in orationibus vehementissimis, ut infra cap. XLIV. vers. 18. Num. XII. vers. 11. & I. Samuel. I. vers. 26. Exodi IV. vers. 10. 13. I. Reg. III. vers. 17.

V. 23. THESAUROS מטמון *matmon*, *occultationem*, *repositionem*, *thesaurum*, quod soleat recondi, & occultari. Hinc vocem Syriacam *mammona* effluxisse, qua Christus utitur in Evangelio, non est dubium.

V. 30. COMMOTA FUERANT. כמר *camar* est ipsissimum Hispanicum *quemar*, & Latinum *cremare*: *Adusta*, *accensa*, *cremata fuerunt*.

V. 33. ET MIRABANTUR NIMIS. Quidam intelligunt, fratres miratos quomodo Ioseph eorum ætates sciebat, qui eis loca secundum uniuscuiusque ætatem assignaverit, ac si cum ipsis vixisset, eorumque ætates compertissimas haberet. Sed melius, mirabantur honorem sibi datum, splendorem, & magnificentiam convivii.

V. 34. SUMPTIS PARTIBUS. Ex Hebr. varie reddunt. I. *Et accepit partes a facie sua*. II. *Et tulit dona a facie sua*. III. *Et elevavit elevationes a facie sua*, id est fercula, quæ elevate mensis inferuntur. IV. *Et sublatæ sunt levandæ ab eo ad illos*. משאת *maschscha*, *levandam* exponunt, id est ferculum, missum; quæ levatur ad mittendum aliis. Sic Hispanice *levantar platos*. Volunt hunc esse sensum: fercula, seu missus, hoc est levandæ, ponebantur ante Ioseph; & ipse levabat, & mittebat aliis convivis in mensa: quod fiebat honoris, & benevolentiæ gratia. Et Beniamin accepit quinque fercula plusquam alii, quinque partibus, seu portionibus alios excessit: verbi gratia, si aliis dederunt quinque missus, Beniamin accepit decem.

MENOCHII.

Vers. 1. INTERIM, dum Iacob differt Beniamin in AEgyptum mittere, secundo iam famis grassantis anno.

V. 2. CONSUMPTISQUE, non prorsus, sed prope. PAUXILLUM ESCARUM, quod huius anni inediæ depellendæ sufficiat: nesciebat adhuc quinquennium superesse.

V. 3. IUDAS: qui inter alios fratres animo, facundia, prudentia, & auctoritate excellebat. SUB ATTESTATIONE IURISIURANDI: iuraverat enim per salutem Pharaonis. NON VIDEBITIS FACIEM MEAM: nullus vobis ad me patebit tutus accessus: nam si audeatis vos coram me sistere, puniam ut exploratores.

V. 4. EMEMUS TIBI: cui totius familiæ alendæ cura incumbit.

V. 5. NON IBIMUS: ne frustra, immo cum periculo eamus.

V. 6. IN MEAM HOC FECISTIS MISERIAM: non intendendo, sed occasionem dando vestris sermonibus huic meæ miseriæ, qua filio me privare cogor.

V. 8. NE MORIAMUR. Expedit unum filium Beniamin incerto vitæ periculo exponi, quam simul illum tecum, & nobiscum certa fame perire.

V. 9. PUERUM, fratrem natu minimum: alioquin enim iam annorum erat 24. filiosque genuerat, ut patet infra cap. XLVI. 21. ERO PECCATI REUS;

quasi

quasi dicat: Quamdiu vivam, hoc mihi peccatum impropera, & quamcumque voles pœnam mihi inflige.

V. 11. SUMITE DE OPTIMIS TERRAE FRUCTIBUS. Hebr. est, *Sumite de cantatione terræ*. Cantatio Hebraice vocatur res præstans, nobilis, laudabilis, decantanda. RESINAE. Vide supra cap. XXXVII. 25. STORACIS. In Hebr. est נכאת *necot*, de qua voce dictum cap. XXXVII. 25. Storax lacryma est arboris quæ storax dicitur, de qua Dioscorides Lib. I. cap. LXXVIII. Plin. Lib. XII. XXV. STACTES. Vide supra cap. XXXVII. XXV. Stacten aliquando noster Interpres *guttam* vocat, ut Psal. XLIV. 9. *Myrrha, & gutta, & casia*, &c. TEREBINTHI. Terebinthus hic est resina, vel succus qui ex arbore terebintho distillat, vulgo *Trementina*. AMYGDALARUM. LXX. *Et nuces*; sed ponitur genus pro specie, nam amygdalæ sunt de genere nucum.

V. 12. ERRORE, famulorum incuria, non domini voluntate.

V. 14. QUASI ORBATUS ABSQUE LIBERIS ERO: dum abestis videbor mihi prorsus sine filiis. LXX. pathetice: *Filiis orbatus sum, filiis orbatus sum*.

V. 16. VICTIMAS, animalia, quæ ad convivium occiduntur. Vocantur vero victimæ, quia antiqui de carnibus sacrificatis frequenter epulabantur. In Hebræo est *Macta mactationem*.

V. 23. PAX VOBISCUM: securos esse iubeo. DEUS... DEDIT VOBIS, per me, cui Deo inspirante iussit Ioseph. THESAUROS, pecuniam arcanam, quæ vos latebat. PROBATAM EGO HABEO. Hebraice, *Pecunia vestra venit ad me*. Sensus est: ego illam acceptam fero, fateor me recepisse. EDUXIT, liberum, vinculis solutum.

V. 26. PRONI IN TERRAM, flexo poplite.

V. 29. VIDIT BENIAMIN. Viderat prius, sed obiter, & dissimulanter; nunc ex professo eum intuetur, & alloquitur: unde hic aspectus lacrymas amoris, & pietatis excussit. MISEREATUR TUI: faveat tibi.

V. 30. FESTINAVITQUE, quasi ad aliud negotium evocatus.

V. 32. SEORSUM IOSEPH. Tres ut minimum mensæ positæ sunt. In prima solus Ioseph, ut regno præpositus; in secunda undecim fratres; in tertia proceres AEgyptii ad convivium vocati. SIMUL VESCEBANTUR: simul tempore, & loco, non mensa. ILLICITUM EST ENIM AEGYPTIIS COMEDERE CUM HEBRAEIS; quia quadam superstitione & fastu, pastores immundos indicabant; secundo quia ea quibus vescebantur Hebræi, oves, hirci, tauri, erant eorum numina: Exod. VIII. Non quidem ista nunc Hebræis apposita; sed sciebant iis vesci solitos.

V. 33. SEDERUNT. Antiquior est mos ad mensam assidendi, quam in lectis accubandi. MIRABANTUR NIMIS: non enim ipsi sic sponte sua consederant; sed eo ordine iussu Iosephi dispositi fuerant. Mirabantur etiam convivatoris humanitatem, & excessum erga Beniamin.

V. 34. SUMPTIS PARTIBUS, QUAS AB EO ACCEPERANT. Hebr. est, *Et elevavit elevationes a faciebus suis ad eos*: unde patet consuetudo. Cibi primo apponebantur Iosepho; ille vero distribuebat convivis ceteris. Misit ergo partes æquales ceteris fratribus. Beniamin soli largius, & multiplicius. Hebræi missus vocant *elevationes*, quia honoris causa elevatis in altum manibus deferebantur. *A faciebus suis*, hoc est de cibis coram eo positis. ITA UT QUINQUE PARTIBUS EXCEDERET. Non quinque fercula Beniamino pro uno ceteris apposito data sunt, sed portio quintuplo maior honoris, & benevolentiæ causa. INEBRIATI SUNT: exhilarati sunt, & mero incaluerunt, citra tamen crapulam, aut temulentiam.

TIRINI.

Vers. 11. MODICUM RESINAE, STORACIS, STACTES, ET TEREBINTHI. *Resina* vocatur humor ille tenax & viscosus qui ex arboribus qualibuscumque defluit, & adhærescit. In Iudæa, & Syria fere pro *galbano* sumi solet, qui succus est arboris quæ ferula vocatur, inquit Plinius, & Dioscorides *a*, *Terebinthus* est resina, vel succus qui ex arbore terebintho distillat, & vulgo *Trementina* vocatur. *Storax* lacryma est arboris quæ subinde *Styrax* dicta reperitur, teste eodem Plinio, & Dioscoride *b*. Unde un-

unguentum styracinum, quo capilli & bene olentes, & colore flavi redduntur. *Stacte b* est lacryma myrrhæ, seu liquor myrrhæ subtilissimus & purissimus.

V. 16. Occide victimas. Est catachresis, id est bestias, quæ cum iugulantur, victimæ more prisco vocantur, etsi non ad sacrificium, sed solum ad esum iugulentur. Neque enim erat tam impius Ioseph ut iuberet hostias immolari diis AEgyptiis. Quin &, si Macrobio *c* credimus, non erat moris AEgyptiis, ut pecudibus, aut sanguine, sed precibus, & thure dumtaxat sacrificarent diis.

V. 32. Seorsum Ioseph; id est, solus in peculiari mensa, utpote totius AEgypti prorex. Seorsum fratribus, & AEgyptiis quoque seorsum. Causa additur, quia illicitum AEgyptiis comedere cum Hebraeis, et profanum. Cum enim solerent Hebræi passim comedere boves, tauros, oves & hircos, quæ erant AEgyptiorum numina, qui in ariete colebant Iovem, in tauro, & vitulo Apin, teste Philone, & aliis; ac proinde nec occidere, nec comedere illa animalia licebat, Exodi VIII. vers. 26. licet hic illa ipsis a Iosepho non apponerentur, sed alia solum animalia quibus liceret vesci in AEgypto, verbi gratia pullos, capones, lepores, perdices, &c. quia tamen noant eos solitos illa cædere, illisque vesci, tamquam a profanis convivis abhorrebant.

V. 34. Biberuntque, et inebriati sunt; idest, satiati vino, & exhilarati, incalescentes mero; sed citra crapulam, aut temulentiam. Sic Psalm. LXIV. *Visitasti terram, & inebriasti eam*. Et in hoc sensu plerumque utitur Scriptura verbo *inebriandi*. Ita S. Augustinus, & alii *d*.

(*a*) Plin. Lib. XII. cap. xxv. Dioscor. Lib. III. cap. lxxxi.
(*b*) Plin. ibid. Dioscor. Lib. I. cap. lxxviii.
(*c*) Macrob. Lib. I. cap. vii.
(*d*) S. August. in Genes. quæst. cxliv.

GORDONI.

Vers. 3. Sub attestatione: nam Ioseph iuraverat per salutem Pharaonis, puniet ut exploratores.

V. 8. Mitte puerum. AEtatem nunc Beniamini collige ex cap. xxxv. vers. 18. ubi dixi natum anno uno ante venditum Iosephum. Ioseph iniit principatum anno ætatis tricesimo. Adde septem annos fertilitatis, & duos sterilitatis ex cap. XLV. vers. 10. non aberit nunc Beniamin ab annis viginti quatuor.

V. 10. Si non intercessisset dilatio, iam vice altera venissemus. Sensus est: si nos hic non retinuisses, retinendo apud te Beniamin, iam rediissemus altera vice ex AEgypto.

V. 11. Narratio clara est. *Storax* liquor est fluens ex arbore, quæ vocatur Styrax, grati odoris, & coloris flavi. Stactes, supra cap. XXXVII. vers. 25. Terebinthus, resina, vel succus arboris terebinthi.

V. 12. Duplicem. Præter pecuniam repertam in saccis, iubet deferri duplicem, si forte crevisset pretium ob famem.

V. 16. Occide. טבח *tebach* est mactatio; & convenit etiam cæsis animalibus ad convivium: quare in nostro Interprete, victimæ designant bestias convivio destinatas, licet hoc fit cum aliqua extensione vocis, minus propria; & hoc sane quia AEgyptii thus immolabant, non bestias. Lege Macrob. Lib. I. cap. VII.

V. 20. Oramus. Heb. בי *bi*, *in me*, orantis, & multum affirmantis vox est. Gallice *sur moy*.

V. 21. Pecuniam. Primus monetæ usus fuit metallum non signatum; & forte hic tale fuit.

V. 23. Pax vobiscum: securos esse iubeo, & bono animo. Probatam habeo, fero acceptam. Eduxit, solutum vinculis.

V. 31. Ponite panes. Usu Hebraico, panis pro cibo quocumque accipitur.

V. 32. Simul, loco, in eodem cœnaculo, non mensa: nam putantur tres fuisse mensæ: prima Iosepho, secunda fratribus, tertia nobilibus. Illicitum est enim AEgyptiis comedere cum Hebraeis. Cur tam abiecto reputent AEgyptii Hebræos, varii varias afferunt causas. Ceterum Ioseph hic ut prorex, separatum tenet locum.

V. 33. Sederunt. Mos assidendi mensis antiquus, recentior accubandi. Sedebant

debant autem hic in mensa iuxta ordinem nativitatis suæ, & primogenitus primo loco. ET MIRABANTUR NIMIS, plura videlicet fercula mitti ad Beniaminum. V. 34. INEBRIATI SUNT; hoc est, ut alibi aliquoties, saturati sunt.



CAPUT XLIV.

Ioseph, absconso scypho suo in sacco Beniamin, revocatos ab itinere fratres furti arguit; Iudas autem pro Beniamin se in servitutem offert.

1 PRæcepit autem Ioseph dispensatori domus suæ, dicens: Im-
ple saccos eorum frumento, quantum possunt capere, &
pone pecuniam singulorum in summitate sacci. 2. Scyphum
autem meum argenteum, & pretium quod dedit tritici,
pone in ore sacci iunioris. Factumque est ita. 3. Et orto
mane, dimissi sunt cum asinis suis. 4. Iamque urbem ex-
ierant, & processerant paululum: tunc Ioseph accersito di-
spensatore domus, * Surge, inquit, & persequere viros; & apprehensis dici-
to: Quare reddidistis malum pro bono? 5. Scyphus, quem furati estis, ipse
est in quo bibit dominus meus, & in quo augurari solet: pessimam rem feci-
stis. 6. Fecit ille ut iusserat. Et apprehensis per ordinem locutus est, 7. Qui
responderunt: Quare sic loquitur dominus noster, ut servi tui tantum flagi-
tii commiserint? 8. Pecuniam, quam invenimus in summitate saccorum, re-
portavimus ad te de terra Chanaan: & quo modo consequens est ut furati
simus de domo domini tui aurum vel argentum? 9. Apud quemcumque fue-
rit inventum servorum tuorum quod quæris, moriatur; & nos erimus servi
domini nostri. 10. Qui dixit eis: Fiat iuxta vestram sententiam: apud quem-
cumque fuerit inventum, ipse sit servus meus, vos autem eritis innoxii,
11. Itaque festinato deponentes in terram saccos, aperuerunt singuli. 12.
Quos scrutatus, incipiens a maiore usque ad minimum, invenit scyphum in
sacco Beniamin. 13. At illi, scissis vestibus, oneratisque rursum asinis, re-
versi sunt in oppidum. 14. Primusque Iudas cum fratribus ingressus est ad
Ioseph (necdum enim de loco abierat) omnesque ante eum pariter in terram
corruerunt. 15. Quibus ille ait: Cur sic agere voluistis? An ignoratis quod
non sit similis mei in augurandi scientia? 16. Cui Iudas: Quid respondebi-
mus, inquit, domino meo; vel quid loquemur, aut iuste poterimus obten-
dere? Deus invenit iniquitatem servorum tuorum: en omnes servi sumus do-
mini mei, & nos, & apud quem inventus est scyphus. 17. Respondit Io-
seph: Absit a me ut sic agam: qui furatus est scyphum, ipse sit servus
meus; vos autem abite liberi ad patrem vestrum. 18. Accedens autem pro-
pius Iudas, confidenter ait: Oro domine mi, loquatur servus tuus verbum
in auribus tuis, & ne irascaris famulo tuo: tu es enim post Pharaonem 19.
dominus meus. (a) Interrogasti prius servos tuos: Habetis patrem, aut fra-
trem? 20. & nos respondimus tibi domino meo: Est nobis pater senex, &
puer parvulus, qui in senectute illius natus est; cuius uterinus frater mor-

tuus

tuus est: & ipsum solum habet mater sua; pater vero tenere diligit eum. 21. Dixistique servis tuis: Adducite eum ad me, & ponam oculos meos super illum. 22. Suggessimus domino meo: Non potest puer relinquere patrem suum: si enim illum dimiserit, morietur. 23. (*b*) Et dixisti servis tuis: Nisi venerit frater vester minimus vobiscum, non videbitis amplius faciem meam. 24. Cum ergo ascendissemus ad famulum tuum patrem nostrum, narravimus ei omnia quæ locutus est dominus meus. 25. Et dixit pater noster: Revertimini, & emite nobis parum tritici. 26. Cui diximus: Ire non possumus: si frater noster minimus descenderit nobiscum, proficiscemur simul: alioquin illo absente, non audemus videre faciem viri. 27. † Ad quæ ille respondit: (*c*) Vos scitis quod duos genuerit mihi uxor mea. 28. Egressus est unus, & dixistis: Bestia devoravit eum: & hucusque non comparet. 29. Si tuleritis & istum, & aliquid ei in via contigerit, deducetis canos meos cum mærore ad inferos. 30. Igitur si intravero ad servum tuum patrem nostrum, & puer defuerit (cum anima illius ex huius anima pendeat) 31. videritque eum non esse nobiscum, morietur, & deducent famuli tui canos eius cum dolore ad inferos. 32. Ego proprie servus tuus sim, qui in meam hunc recepi fidem, & spopondi dicens: (*d*) Nisi reduxero eum, peccati reus ero in patrem meum omni tempore. 33. Manebo itaque servus tuus pro puero in ministerio domini mei, & puer ascendat cum fratribus suis. 34. Non enim possum redire ad patrem meum, absente puero: ne calamitatis, quæ oppressura est patrem meum, testis assistam.

(*a*) Sup. xlii. 21. (*b*) Sup. xliii. 3. & 5. (*c*) Sup. xxxvii. 23. 33. (*d*) Sup. xliii. 9.

BRUGENSIS

ROMANA CORRECTIO.

V. 4. *Surge, inquit.* Superfluit, quod quidam præponunt, *ait.*

LECTIONUM VARIETAS.

V. 27. *Ad quæ ille respondit.* Quidam codices, pro præpositione *ad quæ ille*, scribunt coniunctionem *at ille.*

COMMENTARIA

SA.

Vers. 7. UT SERVI TUI. Hebr. *Absit ut servi tui.*

V. 10. SENTENTIAM, scilicet paulum moderatam: mutavit enim mortem in servitutem, eamque unius solum.

V. 16. INIQUITATEM, scilicet vendendo fratrem: vel quasi dicat, peccata, seu, unde puniat.

V. 20. IPSUM SOLUM HABET MATER SUA; quasi dicat, is solus est ex illa matre relictus. Hebraice: *Ipse solus remansit matri suæ.*

V. 21. ET PONAM; pro, ut ponam; quasi dicat, ut illum videam, vel ei benefaciam.

V. 28. ET DIXISTIS: sic LXX. Hebraice vero, *& dixi.*

V. 29. DEDUCETIS CANOS MEOS CUM MÆRORE AD INFEROS; id est, eritis mihi causa mortis, seu efficietis, ut præ mærore animi moriar.

ESTII.

Vers. 5. SCYPHUS ..... IPSE EST IN QUO AUGURARI SOLET DOMINUS MEUS. Observa. Quandoquidem Scriptura sacra dicat Deut.

 xviii.

XVIII. *Non invenietur in te qui observet somnia, atque auguria*, nullo modo putandum est Ioseph auguriis deditum fuisse, quem spiritu divino constat futura atque arcana prædixisse, iuxta quod ipse ad Pharaonem dicebat: *Absque me Deus respondebit prospera Pharaoni.*

Quæstio proinde relinquitur, quomodo Ioseph per servum suum hic nominet scyphum suum in quo augurari solet: quod & ipse postea vers. 15. similibus verbis repetit, dicens ad fratres: *An ignoratis quod non sit similis mei in augurandi scientia?* Augustinus respondet, hæc non serio, sed ioco dicta esse, & proinde non habenda mendacia. Augustini sententiæ subscribit Thomas in II. II. quæst. xcv. art. 7. addens Iosephum forte ad hoc retulisse quod vulgus de eo opinabatur. Tum sensus erit: an ignoratis, id est an non vel ex publica fama de me cognoscere potuistis, non esse mihi similem in augurandi scientia? Et hæc posterior sententia magis placet. Auctor quidam id quod alii ex Hebræo vertunt, *Augurando augurabitur*, ipse vertit *Experiendo experiens discet*; & dicit eos qui de augurio interpretantur, sine causa Ioseph magno crimine gravare; immo addit, & vocibus vim inferre. Nihilominus Bened. Arias Montanus reddidit, *Augurando augurabitur*.

V. 16. CUI IUDAS .... DEUS INVENIT INIQUITATEM SERVORUM SUORUM. Non agnoscit Iudas furtum sibi obiectum: eam enim accusationem strenue a se repulerunt fratres superioribus verbis; sed iniquitatem intelligit peccata antea ab ipsis commissa, maxime illud quod ex invidia fratrem suum Ioseph vendiderant. Unde & supra loquebantur ad invicem: *Merito hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum; idcirco venit super nos tribulatio*. Et Ruben dicebat: *En sanguis eius exquiritur*.

MARIANAE.

Vers. 5. ET IN QUO AUGURARI SOLET. Hinc sumpta occasio putandi Iosephum contactu eius scyphi, de quo agitur, auguratum, ut res se dabant. Hebraice tamen est: *Et ipse augurando auguratur in eo*. Quod explicant quidam, *divinos consuluit in eo*, id est super eum, ut inveniret illum. Chald. *Et ipse quærens quæsivit eum*.

V. 7. UT SERVI TUI TANTUM FLAGITII COMMISERINT. Hebr. *Absit servis tuis a faciendo, secundum verbum*: sic Sept.

V. 15. QUOD NON SIT SIMILIS MEI IN AUGURANDI SCIENTIA. Hebr. *Quod augurando augurabitur vir, qui sicut ego*: sic Sept. nempe, nesciebatis virum mei similem omnem diligentiam adhibiturum ad inveniendum scyphum?

V. 16. AUT IUSTE POTERIMUS OBTENDERE? Hebraice, & Sept. *Aut quid iustificabimur?* Quid excusare poterimus, ut iusti videamur?

V. 18. TU ES ENIM POST PHARAONEM DOMINUS MEUS. Hebraice: *Sicut tu sicut Pharao*; hoc est, sicut Pharao dominatur, ita tu dominaris, & Pharao sicut tu. Chald. *Talis es tu sicut Pharao*. Porro illud, *Dominus meus*, in Hebr. iungitur versui sequenti, *Dominus meus interrogavit*.

V. 20. ET IPSUM SOLUM HABET MATER SUA. Hinc quidam colligunt, Rachelem vixisse hoc tempore; sed falso, quando ex partu mortua est. Hebr. *Et remansit solus ipse matri suæ*; id est, ex matre sua.

V. 28. ET DIXISTI S. Sic Sept. sed in Hebr. & *dixi*. Sed certe ubi modo est ואמר *vaomar*, illi legerunt ותאמרו *vetomeru*, & *dixistis*.

V. 29. ET ALIQUID EI IN VIA CONTIGERIT. Hebr. *Mors illi acciderit*, alii *calamitas*. Hieronymus vocis Hebraicæ *asun* obscuritatem vitavit hic, & cap. XLII. vers. 8.

V. 30. CUM ANIMA ILLIUS EX HUIUS ANIMA PENDEAT. Hebr. *Et anima eius ligata est in anima huius*: eum unice diligit. Chaldæus: *Anima eius est ei dilecta quasi anima sua*: sententia una.

MALVENDAE.

Vers. 2. SCYPHUM. גביע *ghebiagh*, *vas potorium*, seu *poculi genus*, a forma colliculi, seu galeæ, aut galeri. Quidam *profundum altumque poculum* exponunt: nam apud Hebræos ab altitudine nomen habet, ut etiam apud Græcos σχύφος. Plinius Lib. XXXIII. cap. XI.

xi. *L. Crassus Orator duos scyphos Mentoris artificis manu cælatos, sestertiis centum habuit; confessus tamen est, numquam se iis uti propter verecundiam ausum*. Et de Nerone Svetonius cap. XLVII. *Duos scyphos gratissimi usus, quos Homericos a cælatura carminum Homeri vocabat, solo illisit*. Alii *cymbium* esse volunt, de quo Virgilius III. & V. AEneidos; & Athenæus Lib. XI. cap. IX. *Poculum in modum cymbæ factum*, inquit Servius.

V. 5. IN QUO AUGURARI SOLET. Varie ex Hebræo convertunt. I. *Observando observabit*. II. *Tentando tentabit*. III. *Experiendo experietur*; id est, experimento certo discet malitiam vestram, & quales vos sitis, nempe vos esse fures. IV. *Interrogando interrogabit augures pro illo*. V. *Rimando rimatur pro eo*; id est, omnia vestigat, & perquirit: tam carum habebat. VI. *Augurando auguratur*: divinat, se discruciat in augurando quis eum sibi potuerit suffurari. VII. *Augurando auguratur*; id est, triste sibi augurium, malum omen reputat scyphi amissionem. Sed nemo melius Nostro: non quod Ioseph augur fuerit, aut arti reprobatæ vacaverit, more gentilium; sed quod ea usus tunc fuerit stropha, quæ ad præsens negotium facere videbatur. Scyphis ad auguria & divinationes uti solitos gentiles, notum est. Ioannes Sarisberiensis Lib. I. Policratici, cap. XII. *Specularios vocant, qui in corporibus lævigatis & tersis, ut sunt lucidi enses, pelves, cyathi, speculorumque diversa genera divinantes, curiosis consultationibus satisfaciunt: quam & Ioseph exercuisse, aut potius simulasse describitur, cum fratres argueret surripuisse scyphum, in quo consueverat augurari*. Immo & ad sacra scypho utebatur. Virgilius VIII. AEneidos:

Et sacer implevit dextram scyphus... *Legitur in libris antiquis Herculem ad Italiam ingens ligneum poculum attulisse, quo utebantur in sacris: quod ne carie consumeretur, pice oblitum servabatur. Scypho prætor in anno semel vino libabat: neque hoc sine sacra fiebant*.

V. 10. ERITIS INNOXII, id est ab omni pœna & supplicio liberi, quicumque ex vobis non fuerint comperti culpæ. Duplex figura: *Vos*, id est reliqui ex vobis: synecdoche: *innoxii*, id est soluti pœna, qua tenentur noxii, per metalepsim Hebræis frequentissimam. Sic contra peccatores dicuntur, quorum vita in periculum non secus adducitur, quam si in peccatum ipsi incidissent, I. Reg. I. vers. 21.

V. 15. AN IGNORATIS QUOD NON SIT SIMILIS MEI IN AUGURANDI SCIENTIA? Hebr. *An non scitis, quod observando observet aliquis, qui est, qualis ego sum*; id est, an nescitis quod principes viri, qualis ego sum, soleant facile augurari, aut divinos consulere, ad recuperandas res amissas; & si quid perdiderint, facile iis artibus recipere? Aliter, quod facile, & certissime augurabitur, divinabit vir in augurandi arte præstantissimus, qualis ego sum. Et hic sensus melior, quem Noster expressit.

V. 16. AUT IUSTE POTERIMUS OBTENDERE? Hebr. *Et quid*, vel *quo*, *iustificabimus nos?* נצטדק *nitztaddak* est in Hithpahel. Aiunt, verbum id proprie esse *iustificare se*; id est, excusationem, seu purgationem instituere contra intentata crimina. DEUS INVENIT INIQUITATEM SERVORUM TUORUM. Quidam ita capiunt istud, non ut agnoscant obiectum scelus, a quo immunes erant; sed quia fraudis aliqua suberat suspicio, quod ipsis iniuste gravandis fuisset techna illa excogitata, causam in absconditum Dei iudicium referre, & transcribere malunt; ac si dicant: Præsentis criminis certissime innoxii sumus: aliquid occulti sceleris Deus in nobis invenit, ob quod nunc nos punit. Nondum hic illis obversabatur memoria venditi fratris. Verum melius alii, quod in summis periculis soleat statim obiici memoria criminum admissorum, aiunt isti: Invenit Deus tandem tempus quo pœnas a nobis exigat propter inhumanitatem in fratrem admissam. Nam in primo agone quod primum illis in mentem venit fuit venditio fratris, supra cap. XLII. vers. 21.

CUM ANIMA ILLIUS EX HUIUS ANIMA PENDEAT. Ex verbo: *Et anima eius ligata in anima eius*. Duplicem sensum habet; id est, eum unice diligit; tam caram habet illius animam, ac vitam, ut suam; amat eum ut suam animam. Vel, ita utriusque vita nexa est, ut vita patris pendeat ex vita filii, quo ex-

extincto, non vivet amplius pater. Et sensus uterque eodem tendit.

V. 31. ET DEDUCENT FAMULI TUI CANOS. Vide cap. XLII. vers. 38.

MENOCHII.

Vers. 2. SCYPHUM, quo præcipue delector. Vox Hebræa significat poculum in colliculi modum elevatum. IUNIORIS: duplici de causa, animi eorum explorandi, & Beniamin apud se retinendi dum pater adveniret. Fecit etiam ut sic experiretur quo animo in Beniamin fratres forent, & an aliqua illos invidia afflasset, quod a Ioseph honorificentius, quam ipsi habitus esset.

V. 3. DIMISSI SUNT, inopinato discessu læti, ac doli ignari.

V. 4. PERSEQUERE, cum equitum turma, ut celeriter assecuti ab invitis Beniaminum abducerent. QUARE REDDIDISTIS MALUM PRO BONO? Licebat Iosepho ceteros fratres sic affligere dolore, & metu, quia innocentem fratrem vendiderant: Beniaminum vexandi ius nullum habebat; sed hanc, quæ modici temporis fuit, iniuriam, mox maiore lætitia, & honore statuerat compensare. Mendacii aliquid intercessit, sed iocosi; calumniæ nonnihil, sed sine animo nocendi.

V. 5. IN QUO AUGURARI SOLET. Hebr. *In quo augurando auguratur*: sententia est: si quando dominus meus velit augurari, hoc scypho utitur. Itaque non dicit absolute illum auguriis vacare, sed ut id opinentur, loquendi ambiguitate occasionem præbet. Vel ita loquitur ex opinione vulgi, quod auguriorum scientiam Iosepho tribuebat. Alii excusant Ioseph, quod ioco id dixerit, & ad breve tempus ita fratres sciverit opinari.

V. 8. QUOMODO CONSEQUENS EST UT FURATI SIMUS DE DOMO DOMINI TUI AURUM, VEL ARGENTUM? Si pecuniæ alienæ cupidi fuissemus, quod licebat clam retinere, non sponte retulissemus.

V. 10. APUD QUEMCUMQUE FUERIT INVENTUM, IPSE SIT SERVUS MEUS; VOS AUTEM ERITIS INNOXII. Mutat pœnam mortis in servitutem, & noxios ab innoxiis separat, leniens dictum illorum, qui & mortis, & servitutis pœnam, & noxios, innoxiosque iuxta comprehenderant.

V. 12. INCIPIENS A MAIORE USQUE AD MINIMUM. Norat ex convivali sessione singulorum ætatem; hoc autem ordine procedit ut melius lateant insidiæ structæ Beniamino.

V. 13. SCISSIS VESTIBUS; ut soliti in mærore, & audita qua vis re valde molesta. REVERSI, nihil Beniamin improperantes, parati vel veniam impetrare, vel simul servitutem servire.

V. 14. PRIMUSQUE IUDAS..... INGRESSUS EST AD IOSEPH; animo, & lingua promptior, & promissi sui, quo se patri obstrinxerat, non immemor. NECDUM ENIM DE LOCO ABIERAT: e loco secesserat, cupidus se prodere.

V. 16. QUID LOQUEMUR, AUT IUSTE POTERIMUS OBTENDERE? Licet conscientia huius criminis nos non redarguat, palam tamen ut noxii deprehensi sumus. Et fieri non potest quin iusto Dei iudicio propter aliquod occultum crimen nostrum, quod nondum satisfactione luimus, nunc hac calamitate obruamur. Respicit ad peccatum in Ioseph commissum. INIQUITATEM: potest sumi pro pœna iniquitatis. OMNES SERVI SUMUS. Plus offert quam debebat, ut oblatione tot innoxiorum, uni, qui insimulabatur, veniam obtineat.

V. 17. ABSIT A ME, flagitiosum hoc facere, & tyrannicum.

V. 20. QUI IN SENECTUTE. Hebr. *Puer senectutum*. SOLUM HABET MATER SUA: solus ex matre superest; quod etiam de mortua dici potest: mortua enim erat Rachel mater Beniamin.

V. 21. PONAM OCULOS MEOS SUPER ILLUM: benevolus sum illi futurus, favebo, & iuvabo illum.

V. 26. IRE NON POSSUMUS, scilicet sine Beniamin.

V. 27. UXOR MEA. Sic vocat Rachelem, quia hanc solam propria electione duxerat.

V. 30. CUM ANIMA ILLIUS EX HUIUS ANIMA PENDEAT: vita patris pendet ex vita filii: si enim moriatur, vel auferatur filius, morietur pater præ tristitia.

V. 32. EGO PROPRIE SERVUS TUUS

TUUS SIM: peculiaris tibi servus sim, qui & aptior futurus, nam & robore, & rerum usu potior sum. IN MEAM HUNC RECEPI FIDEM: spopondi me reducturum.

V. 34. NE CALAMITATIS......... TESTIS ASSISTAM: nisi oculatus testis esse sustineam præproperæ mortis patris mei, mea promissione acceleratæ.

TIRINI.

Vers. 5. IPSE EST SCYPHUS IN QUO AUGURARI SOLET DOMINUS MEUS. An ergo Ioseph magum, aut ariolum se profitebatur? Affirmat Calvinus, sed impius in sanctissimum Patriarcham. Respondeo ergo cum sancto Augustino, hæc ioco dici; &, ut ait sanctus Thomas, ex vulgi & AEgyptiorum opinione. Nisi malis dicere *augurium* hic non accipi pro vero & proprie dicto, quod ex volatu, tripudio, vel garritu avium, vel alio aliarum rerum motu captabatur; sed pro coniectatione quavis, etiam licita, quæ vel ex instinctu Spiritus sancti, vel ex naturali sagacitate, & solertia procedit. Sic enim & a Cicerone, & a Plinio, & ab Aristotele *a* usurpatur. Et Hebræum quoque *nachas* utrumque significat. Hoc sensu dici posset, solitum Iosephum hoc scypho coniectare, ut erat sagacissimus, de indole, prudentia & arcano mentis hospitum suorum: nam in vino veritas ultro se prodit. Et nunc per scyphum hunc coniectare volebat & rimari quis fratrum animus esset in minorem natu Beniaminum. An forte quia plus ceteris a patre diligebatur, utpote ex eadem qua Iosephus matre natus, & iam recens a prorege AEgypti, quintuplicis portionis prærogativa publice omnibus prælatus; odio & invidia ipsum quoque prosequerentur, atque ita deprehensum in furto facile negligerent, ac desererent: an vero seria anxietate & cura ipsum excusandi, & liberandi, solidum erga ipsum affectum amoremque testaturi essent. Nam quo casu deprehendisset, odio haberi, aut saltem parvipendi; decreverat apud se retinere, ne quid sinistri per viam contra eum, ut olim contra se, molirentur. Ita Philo, Iosephus, Chrysostomus, Theodoretus.

(*a*) Plinius Lib. VII. epist. ad Tacitum, Arist. problem. VI. sect. 3.

GORDONI.

Vers. 5. SCYPHUS EST IN QUO BIBIT DOMINUS MEUS, ET IN QUO AUGURARI SOLET. Septuag. *In quo augurio auguratur*, *οἰωνισμῷ οἰωνίζεται*. Adde Hebræum נחש *nichesh*. Ritus divinandi AEgyptiorum denotatur. Hinc Calvinus vult, Iosephum etiam magum fuisse & divinum. Næ quidem, hic homo temere semper propendet in sinistram interpretationem Scripturarum. Rectius Augustinus intelligit Iosephum loqui non serio, sed instar ridentis, ut fieri solet; vel ad modum loquendi AEgyptiorum; vel certe ad opinionem AEgyptiorum quam habebant de Ioseph. Præterquam quod נחש *nichesh*, in coniug. Piel, sit etiam experimento discere, ut patet Gen. XXX. vers. 27. ut docet Hieronymi translatio in voce נחשתי *nichasti*. Denique dispensator forte addidit ex suo vocem augurandi.

V. 15. IN AUGURANDI SCIENTIA. Per augurandi scientiam non intelligit notitiam habitam ex volatu avium, sed quæ est ex licita divinatione: sic enim utitur voce usitata apud AEgyptios, in bono sensu, & sine specie mendacii.

V. 16. CUI IUDAS QUID RESPONDEBIMUS? Iudas in furti huius tanta evidentia convictus, dat manus, sperans confessionem iniquitatis posse facere locum misericordiæ, ut apparet ex vers. 18. & 20. ubi ait Iudas, hunc Beniaminum esse solum ex eadem matre superstitem (non enim putabat Iosephum superstitem, ut hic ait) & cetera ad misericordiam spectantia.

V. 18. DOMINUS MEUS. Sicut Pharao dominatur, ita & tu.

V. 20. IPSUM SOLUM HABET MATER SUA, idest reliquit: quare non est inde colligendum tunc matrem vixisse: nam Rachel ex partu mortua est.

V. 21. PONAM OCULOS, fovebo, iuvabo quem unice diligo.

V. 27. UXOR MEA, Rachel: hæc præcipua erat.

V. 28. DIXISTIS. Ita etiam Sept. Itaque legerunt in Hebr. ותאמרו *vethomeru*.



CAPUT XLV.

Ioseph se fratribus manifestat, eosque territos cum osculo amplexatur: quare Pharao una cum tota domo sua exultans, praecepit ut advocetur pater cum universa domo sua in AEgyptum: idem multis verbis denuntiat Ioseph, fratresque multis donatos muneribus ad patrem remittit.



On se poterat ultra cohibere Ioseph multis coram astanti-
bus: unde praecepit ut egrederentur cuncti foras, & nul-
lus interesset alienus agnitioni mutuae. 2. Elevavitque vo-
cem cum fletu: quam audierunt AEgyptii, omnisque do-
mus Pharaonis. 3. Et dixit fratribus suis: Ego sum Io-
seph: adhuc pater meus vivit? Non poterant respondere
fratres nimio terrore perterriti. 4. Ad quos ille clemen-
ter, Accedite, inquit, ad me. Et cum accessissent pro-
pe, (*a*) Ego sum, ait, Ioseph, frater vester, quem vendidistis in AEgy-
ptum. 5. Nolite pavere, neque vobis durum esse videatur quod vendidistis
me in his regionibus: (*b*) pro salute enim vestra misit me Deus ante vos in
AEgyptum. 6. Biennium est enim quod cœpit fames esse in terra; & adhuc
quinque anni restant quibus nec arari poterit, nec meti. 7. Praemisitque me
Deus ut reservemini super terram, & escas ad vivendum habere possitis. 8.
Non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum: qui fecit me quasi
patrem Pharaonis, & dominum universae domus eius, ac principem in omni
terra AEgypti. 9. Festinate, & ascendite ad patrem meum, & dicetis ei:
Haec mandat filius tuus Ioseph: Deus fecit me dominum universae terrae
AEgypti: descende ad me, ne moreris: 10. & habitabis in terra Gessen,
erisque iuxta me tu, & filii tui, & filii filiorum tuorum, oves tuae, & armenta
tua, & universa quae possides. 11. Ibique te pascam (adhuc enim quinque an-
ni residui sunt famis) ne & tu pereas, & domus tua, & omnia quae possides.
12. En oculi vestri, & oculi fratris mei Beniamin, vident quod os meum
loquatur ad vos. 13. Nuntiate patri meo universam gloriam meam, & cun-
cta quae vidistis in AEgypto: festinate, & adducite eum ad me. 14. Cum-
que amplexatus recidisset in collum Beniamin fratris sui, flevit, illo quoque
similiter flente super collum eius. 15. Osculatusque est Ioseph omnes fratres
suos, & ploravit super singulos: post quae ausi sunt loqui ad eum. 16. Au-
ditumque est, & celebri sermone vulgatum in aula regis: Venerunt fratres
Ioseph: & gavisus est Pharao, atque omnis familia eius. 17. Dixitque ad Io-
seph ut imperaret fratribus suis, dicens: Onerantes iumenta, ite in terram
Chanaan, 18. & tollite inde patrem vestrum, & cognationem, & venite ad
me: & ego dabo vobis omnia bona AEgypti, ut comedatis medullam terrae.
19. Praecipe etiam ut tollant plaustra de terra AEgypti, ad subvectionem
parvulorum suorum ac coniugum: & dicito: Tollite patrem vestrum, & pro-
perate quantocyus venientes. 20. Nec dimittatis quidquam de supellectili ve-
stra:

stra: quia omnes opes AEgypti, vestræ erunt. 21. Feceruntque filii Israel ut
eis mandatum fuerat. Quibus dedit Ioseph plaustra, secundum Pharaonis im-
perium, & cibaria in itinere. 22. Singulis quoque proferri iussit binas sto-
las: Beniamin vero dedit trecentos argenteos cum quinque stolis optimis:
23. tantumdem pecuniæ, & vestium mittens patri suo, * addens & asinos
decem, qui subveherent ex omnibus divitiis AEgypti: & totidem asinas, †
triticum in itinere, panesque portantes. 24. Dimisit ergo fratres suos, &
proficiscentibus ait: Ne irascamini in via. 25. Qui ascendentes ex AEgypto,
venerunt in terram Chanaan ad patrem suum Iacob. 26. Et nuntiaverunt ei,
dicentes: † Ioseph filius tuus vivit: & ipse dominatur in omni terra AEgy-
pti. Quo audito Iacob, quasi de gravi somno evigilans, tamen non credebat
eis. 27. Illi e contra referebant omnem ordinem rei. Cumque vidisset plau-
stra, & universa quæ miserat, revixit spiritus eius, 28. & ait; Sufficit mihi
si adhuc Ioseph filius meus vivit; vadam, & videbo illum antequam moriar.

(a) Act. VII. 13. (b) Inf. l. 20.

BRUGENSIS

Romana Correctio.

V. 23. *Addens & asinos decem*. Pro & coniunctione alii scribunt pronomen, quidam singulare *ei*, quidam, quod dissimilius est vero, plurale *eis*.

Lectionum Varietas.

V. 23. *Triticum in itinere, panesque portantes*. Quidam coniiciunt legendum *in iter*.

V. 26. *Ioseph filius tuus vivit*. Multa exemplaria omittunt *filius tuus*.

COMMENTARIA

S A.

Vers. 4. CLEMENTER: id additum ab Interprete, ut solet interdum quædam ad maiorem sententiæ expressionem.

V. 5. PAVERE. Hebr. *dolere*, seu *mærore affici*. DURUM. Hebr. *ira*, seu *indignatione dignum*; quasi dicat, ne indignemini, seu conturbemini, aut cruciemini.

V. 8. PATREM, id est instructorem, doctorem.

V. 9. HAEC MANDAT. Hebr. *sic dixit*.

V. 12. QUOD OS MEUM LOQUATUR AD VOS; quasi dicat, me, qui loquor, Iosephum esse, vel me loqui materna lingua, vel sine interprete.

V. 18. MEDULLAM. Hebr. *pinguedinem*.

V. 22. BINAS STOLAS. Hebr. *vestes mutatorias*, seu *mutationes vestium*, nempe cuique duas. ARGENTEOS, scilicet siclos. OPTIMIS. Hebr. *mutatoriis*. Vide IV. Reg. V. Zachar. III. ubi mutatoriæ pretiosas vestes significant, scilicet quæ solent mutando indui, id est depositis vilioribus. Quod si dicas, cur ergo proxime mutatoriæ binas significabant? Resp. quia numerus pluralis saltem duo requirit: & quidem LXX. binas intellexerunt; Chald. tamen singulas.

V. 23. IN ITINERE. Hebr. *Pro patre suo ad iter*.

V. 24. IRASCAMINI; pro, contendatis.

V. 26. QUASI DE GRAVI SOMNO EVIGILANS, TAMEN NON CREDEBAT EIS. Hebr. *Dissolutum*, seu *debilitatum est cor eius*, seu (ut LXX. verterunt) *obstupuit*, *& non credebat eis*.

V. 28. ET VIDEBO; pro, ut videam.

ESTII.

Verſ. 2. ELEVAVITQUE VOCEM CUM FLETU, QUAM AUDIERUNT AEGYPTII, OMNISQUE DOMUS PHARAONIS. Quomodo potuit omnis domus regia vocem unius Ioſeph flentis audire, cum ampla eſſe ſoleant regum palatia? At ſenſus eſt, rumorem fletus eius ſtatim totam regiam pervaſiſſe.

V. 5. NOLITE PAVERE, NEQUE VOBIS DURUM VIDEATUR. Non extenuat Ioſeph peccatum fratrum in ſe commiſſum, quod ſane graviſſimum erat; ſed prohibet iram, & rixas, & exprobrationes, quibus læditur fraterna caritas. Nam Heb. eſt, *Et ne ſit ira in oculis veſtris, quod vendideritis me huc*; ac ſi dicat, ne alter in alterum culpam huius rei conferre conetur. Sic & infra prohibet, dicens, *Ne iraſcimini in via*. Verſio Vatabli ſic: *Neque commovemini intra vos*. Et Scholion: *Ne indignemini vos, aut me fleatis*. Ita ſenſus eſt idem utriuſque membri, ne doleatis, nec contriſtemini. Non prohibet autem, aut minuit pœnitentiam; ſed dolorem animi mitigat verbis conſolatoriis commemoratione boni quod occaſione facti eorum ſecutum eſt, nempe quod ſubditur.

V. 8. NON VESTRO CONSILIO, SED DEI VOLUNTATE HUC MISSUS SUM. Nota, Non hic Ioſeph peccatum fratrum ſuorum refert in Deum, ſed tranſitum ſuum in AEgyptum, nempe quatenus ex eo magnum bonum, Deo providente, conſecutum eſt. QUI FECIT ME QUASI PATREM PHARAONIS. Hebr. *Et poſuit me in patrem Pharaoni*, id eſt inſtructorem, & rectorem familiæ, & negotiorum eius. Vide etiam II. Paral. II.

V. 26. QUO AUDITO IACOB, QUASI DE SOMNO GRAVI EVIGILANS, TAMEN NON CREDEBAT EIS. Hinc videtur Iacob omnem ſpem vitæ filii ſui Ioſeph dudum abieciſſe. Sed quid poſſit quoque in contrarium adſerri, vide cap. XLIII. ad verſ. 14.

MARIANAE.

Verſ. 1. NON SE POTERAT ULTRA COHIBERE; ſupple, a lacrymis.

V. 2. OMNISQUE DOMUS PHARAONIS. Qui pulſi ſunt audierunt vocem, narraveruntque aliis, quouſque ad domum Pharaonis fama pervenit.

V. 5. NOLITE PAVERE. Vox תעצבו *thebazebu* a plerisque in ſignificatione contriſtandi ſumitur: ſic Sept. & Chald. Verum Hebræus Schol. in ſignificatione pavendi, ut Hieron. NEQUE VOBIS DURUM ESSE VIDEATUR, &c. Hebr. *Neque iraſcamini, quod vendidiſtis me*.

V. 7. ET ESCAS AD VIVENDUM HABERE POSSITIS. Hebraice: *Et miſit me Deus ad vivificandum vos liberatione magna*.

V. 10. ET HABITABIS IN TERRA GESSEN. Hebr. *Goſen* per *n*: quare falſum eſt quod quidam putant ſignificari *terram pluviæ ubi pluit*: id enim ſignificat גשם *gheſem*, non גשן *goſen*, ut eſt in Hebræo. Præterea Sept. addiderunt: *In terram Goſem Arabiæ*, ut ait Hieron. in Tradit. & ſic legitur in Bibliis Romanis; at in Regiis quaſi addititium expunctum eſt: quod niſi ex fide aliorum exemplarium, faciendum non erat.

V. 17. ONERANTES IUMENTA. In utraque voce diſcrepant Interpretes. Quidam pro *onerantes* reddunt *ſtimulantes*, certe feſtinandi ſtudio. Tum pro *iumentis* Sept. poſuere *φορεῖα*, id eſt *vehicula*. Verum Hieronymi interpretatio pleriſque Hebræis magis probatur, eamque ſequitur Chaldæus.

V. 18. UT COMEDATIS MEDULLAM TERRAE. חלב *heleb* ſignificat *lac*, ſeu *lactis adipem*, & transfertur ad ſignificandum quod eſt optimum in quaque re lauta.

V. 20. NEC DIMITTATIS QUIDQUAM. Hebr. & Sept. *Oculi veſtri ne parcant ſupellectili veſtræ*, ſeu *vaſis veſtris*; hoc eſt cuncta ferte. Eſt autem Hebræis familiare, ut cum *oculis* iungant verbum *parcendi*, quoniam ex oculis fere exurgit in corde miſericordia.

V. 22. BINAS STOLAS. Hebr. *Mutatorias veſtes*, ſive *mutationes veſtium de-*

dit

dit singulis : ex hoc Hieron. putavit esse *binas*, ut & Sept. scilicet ut essent illis mutandi facultas. Sed & in eo quod sequitur, BENIAMIN VERO DEDIT TRECENTOS ARGENTEOS, Chald. *trecentos siclos argenteos*. Sept. *trecentos aureos*. Verum in Hebræo est, ut posuit Hieronym. CUM QUINQUE STOLIS OPTIMIS. Hebraice, *mutatoriis*. IV. Reg. v. Zachar. III. mutatoriæ pretiosas vestes significant, quibus induuntur homines, abiectis vilioribus. Ergo quinque eas stolas Ioseph dedit Beniamin.

V. 23. TRITICUM IN ITINERE. Hebr. *Triticum*, *panem*, *& escam patri suo ad iter*, scilicet misit Ioseph.

V. 24. NE IRASCAMINI IN VIA. Ne litigetis in via. Iudæi quidam supplent, *super mei venditione*.

V. 26. QUASI DE GRAVI SOMNO EVIGILANS, TAMEN NON CREDEBAT EIS. Hebraice: *Et elanguit cor eius*, *quia non credebat eis* : variis cogitationibus æstuabat. Septuag. sic : *Et ecstasi correptus est Iacob*.

V. 28. SUFFICIT MIHI SI ADHUC IOSEPH FILIUS MEUS. Hebraice : *Multum* (supple, bonum) *adhuc filius meus Ioseph vivit* : vel, *magnum gaudium*, ut Chald. posuit. VADAM, ET VIDEBO, id est ut videam. *Et* pro *ut* frequens in Hebræo.

MALVENDAE.

Vers. 2. QUAM AUDIERUNT AEGYPTII, OMNISQUE DOMUS PHARAONIS. Hebr. *Et audierunt AEgyptus*, *& audivit domus Pharaonis*. Quidam id non ad vocem referunt : nam esset immanis, & minime necessaria hyperbole : sed ad id quod nimirum acciderat, venisse fratres Ioseph, & mutuo inter se cognovisse ; quasi dicat : Statim fama pervagata est per AEgyptum, & etiam domum Pharaonis pervasit, Iosephum fratres, & patrem reperisse. Sed multo melior est sensus Nostri : nam de fama dicet vers. 6. Audierunt vocem AEgyptii, qui in domum Ioseph confluebant innumeri pro frumentatione ; & domus Pharaonis non longe forte aberat a domo Ioseph: vel domus hic familiam significat, ex qua tunc multi erant in domo Ioseph.

V. 5. PRO SALUTE ENIM VESTRA. מחיה *michieh*, *vivificatio*, *victus*, *sustentatio vitæ*, *vitalitas*, *& quidquid ad vitæ usum & conservationem attinet* : *Ad vitam misit me Deus*; id est, ad vitæ vestræ conservationem, ut vos in vita conservemini.

V. 7. UT RESERVEMINI SUPER TERRAM. Hebr. *Ad ponere vobis reliquiam super terram*. שארית *scheerith*, *reliquum*, *relictio*, *reliquia*, *residuum* : ut relinquamini in terra, ut reliqui sitis, & reliquiæ vestræ supersint in terra.

V. 8. QUI FECIT ME QUASI PATREM PHARAONIS. Alii : *Qui constituit me patrem apud Pharaonem*, id est præcipuum & summum doctorem, qui viam exposui regi salutaris huius administrationis, ut supra XLI. vers. 40. quapropter effecit etiam me primarium principem, & secundum a rege : confer cum cap. & vers. citatis.

V. 10. IN TERRA GESSEN. S. Hieronymus : *Et habitabis in terra Gosen Arabiæ*. *Hic Arabiæ additum est*, *in Hebræis enim voluminibus non habetur*. *Unde & error increbuit*, *quod terra Gosen in Arabia sit*. *Porro si*, *ut in nostris codicibus est*, *per extremum Mem inscribitur Gosem*, *quod mihi nequaquam placet*; *terram significat complutam* : *Gosem enim per imbrem vertitur*. Si in AEgypto non pluit, uti auctores affirmant, ubi, ut inquit Tibullus,

.... nec pluvio supplicat herba Iovi;

recte S. Hieronymus etymon Gosem repudiat. At forsan peculiariter ea terra imbribus irrigabatur, unde singulariter nomen nacta. Nun pro Mem, in Hebraismo, more Chaldaico poni plerumque, vel pueris notum. Facile suspicer Gosen fuisse in nomo Heliopolitano, vel Bubaste, Arabiæ conterminam, & in itinere ferme a Chananæa in AEgyptum ; insuper fertilem, & uberem pascuis : quam idcirco Iosephus fratribus suis pastoribus seposuerit, ex ipsa Historia rerum Iacobi, & Iosephi facile intelligitur, uti videbimus : & sane *Bubastis* nomen ab armentis, id indicat. Iosephus asseverate ait fuisse *heroum urbem* : ut etiam LXX. infra cap. XLVI. vers. 26. quod non displicet : in ea regione extitisse *castra Iudæorum*, vel *vicum Iudæorum*, ex Antonini Itinerario, aliisque auctoribus cognoscitur, nomine forsan indito, quod ibi Iudæi quondam habitave-

rint. Iudæi omnis geographiæ imperiti Thebaidem putant, quæ est in profunda AEgypto versus AEthiopiam. Vide de Gosen infra cap. XLVII. vers. II. ERISQUE IUXTA ME. Nam forsan Iosephus Heliopoli habitabat, ibique ampla latifundia possidebat, quod uxor eius esset Heliopolitana, filia sacerdotis, seu principis, aut præfecti nomi Heliopolitani.

Vers. 11. TE PASCAM. כלכל *chilchal quadratum* exponunt, quasi *ad calculum* (nam vox Latina calculus quadrat) seu *in summam disponam*, *dispensabo*, *sustinebo*, *sustentabo te*; id est, quasi tuus dispensator omnia disponam, dispensabo ad calculum, quæ tibi ad victum & usum fuerint necessaria. Melius, *consummabo*, *universitabo te*; id est, universa, ne quid desit, tibi providebo: consummate, universe omnino, absolute, perfecte suppeditabo, affatim, & copiosissime dabo. Consentiente voce non male reddas, *Calculabo te*; id est, te, & totam familiam tuam in numerum & calculum redigam, ac certam rationem, ad pascendum eam: vel rationem tui habebo, Hispanice *tendre cuenta con vos*. Olim rationes calculis inibantur: unde Latinis *calculus* pro *ratione*. Alii, *Alam*, *sustentabo*, *sustinebo te*. Vide cap. L. vers. 21. NE ET TU PEREAS. Verbum תורש *tivuarasch* in Niphal, ut hic ex cognato verbo רוש *rusch* exponunt, *Depauperaris*, *inopia consumaris*, *inopia labores*. Notant in Niphal habere contrariam significationem ab ea quam habet in Kal; voluntque significare *exhereditari*, *possessione*, *hereditate*, *bonisque possessis expelli*, *deiici*, *extrudi*, *nudari*, *exui*.

V. 12. QUOD OS MEUM LOQUATUR AD VOS. Quidam exponunt: Advertere ipsi potestis quod sim frater vester, quia ego loquor vobiscum patria lingua, & non per interpretem, ut cum nondum a vobis cognosci vellem. Non me videtis Hebraice loquentem ut vos? Frigidus sensus; quasi non quisque tunc in Chananæa ita loqueretur. Simplicius est: Quis crederet, quod me amplius visuri essetis, & loquentem audituri? Ecce videtis me loquentem.

V. 17. ONERANTES. Verbum טען *taghan* ita plerique reddunt ex significato Chaldaico, *Onerate*, *aggravate*: alii ex Arabico, *pungite*, *fodite*, *perfodite*, *stimulate*: ut citius, velociusque curratis: Hispanice, *aguiiad*, ab *aguiion*, id est stimulo, aculeo, quo aguntur, & incitantur iumenta. Virgilius VI. AEneidos:

Aut spumantis equi foderet calcaribus armos.

V. 19. PRAECIPE ETIAM. Hebr. *Et tu iussus fuisti*; id est, vide quod ego sum Pharao, qui iubeo tibi, ut non perfunctorie aut obiter id agas: adverte, quod iussus es a me id facere, fac intelligant pater tuus, & fratres tui id te meo mandato exequi, & me curam singularem eorum gessisse, & me tibi id imperasse ad eorum commoditatem. Tu ergo iussus es hoc illis dicere: Hoc facite, accipite, &c.

V. 20. NEC DIMITTATIS QUIDQUAM DE SUPELLECTILI VESTRA. Hebr. *Oculus vester non conniveat*, *non parcat*, *super vasis vestris*. Dupliciter elucidant. I. Id est, abducite vobiscum omnem supellectilem vestram, nihil eorum relinquite in terra Chenaan: quia diutius in AEgypto hærere debetis, & bonis huius terræ frui. II. Nec doleatis, aut misereamini, aut conniveatis, ne soliciti sitis, si omnia vasa vestra vobiscum asportare non possitis. Nolite in hoc desiderio oculorum parcere ac satisfacere, ut solent qui alio migrant, omnia volentes secum vehere, & nihil relinquere; sed audacter dimittite; siquidem vobis non deerit in AEgypto satis ampla supellex, & instrumenta, ac vasa necessaria: nam horum satis est in AEgypto. Hic sensus curiosior & posthabendus illi primo, quem Noster expressit.

V. 22. BINAS STOLAS. Hebr. *Mutationes vestium*, quæ Noster *mutatoria vestimentorum*, vel *mutatorias vestes*, dixit II. Regum v. 5. 22. Isaiæ III. 22. Zachariæ III. 4. Sed in locis Isaiæ, & Zachariæ diverso Hebraico vocabulo quam hic. Aliqui, *Mutationes vestium*: hypallage, pro *vestes mutationum*, id est ad mutandum, seu mutandas vestes. Quidam intelligunt novas, recentes, quod veteribus permutentur. Alii pretiosiores, & elegantiores: ut indicari videtur etiam Iudicum XIV. 12. 19. quod non semper deferantur, sed vicissim, & alternatim mutentur. Nonnulli, eas quas *domesticas vestes* vocat Cicero, quibus domi tantum utimur; & solent esse pretiosæ, & in hieme ful-

fultæ. Aliqui putant esse quæ Homerus VIII. Odisseæ, *ἱμάτια ἐξημοιβὰ*, id est *vestimenta permutatoria*. Elegantes & pretiosas fuisse non est dubium, cum pro munere darentur. TRECENTOS ARGENTEOS: vulgo exponunt siclos, seu tetradrachmos, nempe mille & ducentos regales nummos Hispanicos. Sed quid hoc erat tanto sultano & præfecto AEgypti? Semper sum in ea suspicione ut in istiusmodi locutionibus mina, vel pondo, aut libra intelligatur. Eritque summa ultra triginta millia regalium Castellanorum. Ut argentum, quod fratri, patrique dederit excesserit sexaginta millia regalium Castellanorum; id est sex millia aureorum ordinariorum. Quod pro opibus & dignitate tanti præfecti non erat magnum. Cum hodie, proh dolor! videamus ministriculos regum ingentiora his sibi mutuo missitare. Ridiculum est existimare opes tunc non fuisse tam amplas: nam hoc est ignorare omnem antiquitatem, & præsertim AEgypti divitias: quas nos exequimur in VI. de Antichristo.

V. 23. TANTUMDEM PECUNIAE ET VESTIUM MITTENS PATRI SUO. Hebr. *Et patri suo misit sicut hoc*, vel *secundum istud*, *decem asinos portantes*, &c. quia voci *decem* non præfigitur coniunctio *&*, posset videri sensus fontis, non quod dicat, patri etiam misisse trecenta centenaria argenti, & quinque mutatorias vestes; sed iuxta donaria filiorum, & Biniamin, etiam ipsi patri similia dona misisse, nempe *decem asinos*, &c. sed sine dubio præferendus Nostri sensus. PANESQUE PORTANTES. Omisit reddere vocem מזון *muzon*, quæ hic tantum, & II. Paralipom. II. 23. habetur, ubi *escas* exposuit. Aiunt esse generaliter quæcumque sunt esculenta, ut hordeum, pisa, cicerес, & alia legumina. Unde hic vertunt: *Ferentes far, & panem, & esculenta*: alii *escam*, *cibum*, *edulium*, *obsonium*, *alimentum*, *commeatum* interpretantur.

V. 24. NE IRASCAMINI IN VIA. Verbum רגז *ragaz* in Kal, ut hic ponitur, septies & vigesies occurrit in sacris libris; & Noster diversimode, in eumdem tamen fere scopum transtulit. II. Samuel. VII. 10. Ps. LXXVI. 17. Ieremiæ XXXIII. 9. Habacuc III. 7. *turbari*; I. Samuel. XIV. 15. Psalm. XVII. 8. Isaiæ V. 25. cap. XIV. 9. cap. XXXII. 10. 11. Ioelis II. 1. Habacuc III. 16. *conturbari*; Michææ VII. 17. *perturbari*. Proverb. XXX. 21. *moveri*; I. Paralip. XVII. 9. Amos VIII. 8. *commoveri*; II. Samuel. XXII. 8. *concuti*; Exod. XV. 14. Psalm. IV. 5. Proverb. XXIX. 9. Isaiæ XXVIII. 21. *irasci*; Ioel. II. 10 *contremere*; Deuter. II. 25. *contremiscere*; Deuter. XXVIII. 65. *pavere*; II. Samuel. XVIII. 33. *contristari*; Ezechiel. XVI. 43. *provocare*; Habacuc III. 16. *scatere*. Quæ omnes significationes recte huic loco aptentur, & postrema illa *scatendi* etiam, quamvis aliena videatur: *Non scatebitis in via*; id est, non ebullietis, non erumpetis in iras, tumultus, contentiones: vel *non scatebitis* ira, tristitia, pavore. Communiter exponunt: *Ne commoveamini*, *tumultuemini in via*. Quidam referunt ad rixas, & contentiones; quasi admoneat eos, ne vetera odia refricent, & alter in alterum crimen venditi fratris regerentes, materiam discordiæ turbarum & rixarum excitent. Forsan monet eos, ne cum fastu, & tumultu incederent, tamquam fratres præfecti AEgypto, vano strepitu omnia complentes. Quidam: *Ne horreatis in via*, nempe quod me vendidistis. Nec male ex agnatis verbis: *Ne intonate in via*; quasi dicat: Nihil opus est in via buccinare, aut clangere meam gloriam, & opes, ac vestram felicitatem. Sed modeste, & temperate vos gerite.

V. 26. QUASI DE GRAVI SOMNO EVIGILANS. Sensum reddidit, non verba. Hebr. *Et remissum*, *debilitatum*, *lassum*, *debile fuit cor eius*; *deliquium passum est cor eius*; *defecit*, *cessavit cor eius*. Noster Habacuc I. 4. id verbum per *lacerare* reddidit: nec aliene hic, *Et laceratum est cor eius*: Hispanice, *sele rasgo el corazon*, præ gaudio, & amoris teneritudine. Quidam, *Et dissolutum fuit cor eius*: intelliguntque, cor Iacob fuisse quasi suffocatum, & ecstatico quodam stupore correptum, ac inter metum & spem hæsisse vehementer, ut qui incredibili aliquo nuntio percelluntur. Nonnulli: *Et dubitavit cor eius*, *quia non credidit eis*. Nec aliene intelliges: *Et remissum est cor eius*, *quia non credidit eis*; id est, non adeo alacri atque ardenti animo, sed tepide ac remisse excepit nuntium illud de vita filii, quia non credebat illud: vel, remisse & langui-

guide se habuit in credendo, putans sibi dari verba. Aliqui, *Elanguit*, *defecit cor eius*: ad filii memoriam dolore renovato, deliquium animi passus est.

V. 28. SUFFICIT MIHI, SI ADHUC IOSEPH FILIUS MEUS VIVIT. Heb. *Multum, adhuc Ioseph filius meus vivens*; ac si dicat: Multum est quod vivat adhuc Ioseph filius meus. Hispanice, admiranter: *Mucho es, gran cosa es que viva*. Rem mihi magnam narratis, & incredibilem. Aliter: *Multum iam mihi est, satis superque mihi est*: abunde mecum actum, sufficit mihi, si adhuc Ioseph vivit; quasi dicat: Non quæro gloriam eius, nec tanti ampla munera, quanti vitam eius æstimo: hunc nuntium vitæ eius reliquis antepono: nihil aliud volo, aut requiro, nisi quod vivat Ioseph: hoc uno contentus sum.

MENOCHII.

Vers. 1. NON SE POTERAT ULTRA COHIBERE: vel invito coram cunctis lacrymæ erumpebant.

V. 2. ELEVAVITQUE VOCEM: quia prius sibi vim fecerat, ideo vox altior erupit, cum locutus est. Audierunt qui in proximo erant con... : fama ad Pharaonem usque man....

V. 4. ACCEDITE. Iubet accedere, ne delictum fratrum, de quo verba facturus, alienus aliquis auribus acciperet.

V. 5. NEQUE VOBIS DURUM ESSE VIDEATUR. Hebr. *Ne sit indignatio in oculis vestris*; id est, ne vobis ipsis irascamini propter hoc factum. PRO SALUTE ENIM VESTRA: ut victu suppeditato vitam vestram conservarem: MISIT ME DEUS: non tam iniquitate vestra factum est hoc, quam divina providentia.

V. 6. NEC ARARI POTERIT, nisi paucissimis locis ad Nili ripam. In aliis regionibus sterilitas erat propter pluviæ defectum.

V. 8. QUASI PATREM PHARAONIS: rectorem, instructorem, consiliarium.

V. 9. MANDAT non significat *imperat*, sed *dicit*, *nuntiat*.

V. 10. GESSEN, est in inferiore AEgypto, terra multis fossis irrigua, prope Delta, ab ea parte quæ Arabiam, & Palæstinam spectat; & regio est pascendis pecoribus idonea. IUXTA ME, non procul ab urbe ubi domicilium meum.

V. 11. TE PASCAM: te, tuosque nutriam demenso copioso viritim attributo.

V. 12. OCULI VESTRI... VIDENT QUOD OS MEUM LOQUATUR AD VOS: videtis me ipsum illum esse: patrium sermonem nostis, vultum, & vocem agnoscitis. Ore ad os vobiscum, & non per interpretem ago.

V. 16. GAVISUS EST PHARAO, &c. Non mirum de Pharaone, nam maior non invidet minori: mirum de aulicis, quibus ingenium alienæ felicitati invidere. Sed mira omnium propensio in Ioseph faciebat ut eius honore gauderent. Nisi forte Pharao ex animo, aulici externis tantum signis lætitiam simulabant.

V. 18. OMNIA BONA AEGYPTI: optimam, & uberrrimam AEgypti regionem. MEDULLAM TERRAE. Hebr. *Adipem terræ*: sic vocant Hebræi id quod in quaque re optimum est.

V. 22. BINAS STOLAS. Hebr. *Mutationes vestium*. Duas dedit vestes, viliorem alteram, quam domi ferrent; alteram pretiosiorem, qua amicti in publicum prodirent. TRECENTOS ARGENTEOS, mille & ducenta regalia Hispanica.

V. 23. EX OMNIBUS DIVITIIS: ex rebus quibusque pretiosioribus & selectioribus AEgypti.

V. 24. NE IRASCAMINI IN VIA. Hebr. *Ne rixemini*, nempe crimen in me commissum invicem improperantes.

V. 26. QUASI DE GRAVI SOMNO EVIGILANS, attonitus, stupens, ad intelligendum ineptus, & ad respondendum hebes. Heb. est *Cor elanguit*. NON CREDEBAT: nam magnis rebus rara fides solet adesse; quod verissimum in miseris, qui sibi persuaserant se a malis liberandos non esse.

V. 27. REVIXIT SPIRITUS EIUS, sibi quasi redditus. SUFFICIT MIHI. Hebr. *Multum est mihi*: superat vota, spes meas vincit, nihil amplius est quod optem.

TIRINI.

Vers. 8. NON VESTRO CONSILIO, SED DEI VOLUNTATE HUC MISSUS SUM. Id fusius declarat cap.

cap. I. vers. 20. ubi ait : *Vos cogitastis de me malum*. Ergo vestri consilii non erat me exaltare, sed solius Dei, qui tamen vestro malo consilio usus est in bonum commune & meum & vestrum. Ergo obiectum voluntatis divinæ in hac Iosephi tragœdia non erat peccatum fratrum, ut impie blasphemant Melanchthon, Calvinus, & alii hæretici; sed primo missio, & exaltatio Iosephi in AEgypto, ut obventuræ toti orbi fami prospiceret, & stirpem Iacobi in AEgyptum transferret. Secundo, cum ad id exequendum infinita Deo media ad manum essent, maluit uno illo uti quod fratres Iosephi sua malitia suggesserunt, nempe proditione, & venditione Iosephi; quam licet facile impedire potuisset, ideo noluit, ut ingens illud bonum quod prædecreverat, inde eliceret. Ergo obiectum divinæ in hoc voluntatis non fuit nisi permissio, & non impeditio nequitiæ fratrum. Tertio, supposita permissione hac nequitiæ illorum, voluit Deus ut Ioseph quoque patienter ea omnia ferret, & impune fratribus esse fineret quæcumque ipsi molesta inde obvenirent: & ad hoc tertium obiectum voluntatis divinæ specialiter respexit Iosephus, cum infra cap. L. dicit: *Num Dei possumus resistere voluntati?* quasi dicat: Etsi ex vestra malitia venditus sim, & passus quæcumque passus sum; quia tamen Deus, supposita vestra hac malitia, voluit me patienter ferre omnia quæ inde consecuta sunt, neque vos a me puniri; non possum non prompte obsequi illi Dei voluntati, cui & ego, & omnes creaturæ debent sese promptissime accomodare. Absit ergo puniam illos quos Deus per me salvos esse voluit, & quorum occasione ad sublimem hunc thronum evectus sum. Quin potius de tam felici eventu, qui, Deo disponente, ex vestro scelere tam mihi quam vobis obvenit, gaudendum nobis, & exultandum. Ita Molina *a*, & alii Doctores.

(*a*) Molina I. Part. quæst. XIX. art. 6. disp. 2.

GORDONI.

Vers. 2. NOlenti erumpunt lacrymæ; solatur fratres, Dei providentiam in hoc facto commendans. OMNIS DOMUS; nempe, nuntiatum hoc fuit in tota domo Pharaonis.

V. 6. NEC ARARI, vix ullibi, nisi forte ad ripam Nili.

V. 8. DEI VOLUNTATE. Non voluit Deus, sed permisit malum, quod vendendo fecerunt fratres Ioseph. Omnino autem voluit ex hoc malo elicere bonum; sicut vere etiam voluit permittere. Nec puto tamen hinc colligi, Deum ex suo decreto permissivo cognoscere certo peccata. Plura Theologi.

V. 10. IN TERRA GESSEN. Hebr. גשן *goşen:* alii *Gesen Arabiæ*. τὸ *Arabiæ* falsa suppositio est. Regio hæc Gessen AEgypti, pascuis abundabat, in parte AEgypti quæ Arabiam, & Palæstinam respiciebat. IUXTA ME, vel mecum in AEgypto; vel iuxta locum ubi habito: erat provincia prope Delta.

V. 12. OS MEUM, coram, & patrio sermone.

V. 17. Quod est hic IUMENTA, Septuaginta habent φορεῖα, *vehicula*; alii πορεῖα, *itinera*; alii denique φορτία, *sarcinas*. Hebr. בקר *bakar*, *bos*, maiora animalia.

V. 18. MEDULLAM. Hebr. חלב *heleb*, licet proprie lac significat, tamen solet designare quod optimum est in re aliqua.

V. 20. NEC DIMITTATIS QUIDQUAM: cuncta vestra ferte vobiscum.

V. 22. BINAS STOLAS. vestes mutatorias, nempe præstantiores, quales in festis induunt homines. Hebr. *mutationes vestium*. Beniamino 300. argentei dantur, seu sicli. Siclus (ut supra cap. XXIII.) dat quatuor regales Hispanicos. Septuaginta habent *aureos*; mendum est.

V. 24. NE IRASCAMINI ne sit contentio ob crimen in me commissum.

V. 26. QUASI DE GRAVI SOMNO EVIGILANS. Declaratur admirantis patris quasi ecstasis præ lætitia.

CAPUT XLVI.

Iacob, renovata Dei promiſſione cum univerſis filiis ac nepotibus, quorum nomina recenſentur, in AEgyptum deſcendit: cui occurrens Ioſeph, ſuadet ut Pharaoni ſe paſtores ovium dicant.

1 PRofectuſque Iſrael cum omnibus quæ habebat, venit ad
Puteum iuramenti: & mactatis ibi victimis Deo patris ſui
Iſaac, 2. audivit eum per viſionem noctis vocantem ſe,
& dicentem ſibi: Iacob, Iacob: cui reſpondit, Ecce ad-
ſum. 3. Ait illi Deus: Ego ſum fortiſſimus Deus patris
tui: noli timere, deſcende in AEgyptum, quia in gen-
tem magnam faciam te ibi. 4. Ego deſcendam tecum il-
luc, & ego inde adducam te revertentem: Ioſeph quoque ponet manus ſuas
ſuper oculos tuos. 5. Surrexit autem Iacob a Puteo iuramenti: (*a*) tulerunt-
que eum filii cum parvulis, & uxoribus ſuis in plauſtris quæ miſerat Pharao
ad portandum ſenem, 6. & omnia quæ poſſederat in Terra Chanaan: (*b*) ve-
nitque in AEgyptum cum omni ſemine ſuo, 7. filii eius, & nepotes, filiæ,
& cuncta ſimul progenies. 8. Hæc ſunt autem nomina filiorum Iſrael, qui
ingreſſi ſunt in AEgyptum, ipſe cum liberis ſuis, (*c*) Primogenitus Ruben.
9. Filii Ruben: Henoch, & Phallu, & Heſron, & Charmi. 10. Filii Si-
meon: *Iamuel, & Iamin, & Ahod, & Iachin, & Sohar, & Saul filius Cha-
naanitidis. 11. Filii Levi: Gerſon, & Caath, & Merari. 12. Filii Iuda: Her,
& Onan, & Sela, & Phares, & Zara. Mortui ſunt autem Her, & Onan in
terra Chanaan. Natique ſunt filii Phares: Heſron, & Hamul. 13. Filii Iſſa-
char: Thola, & Phua, & Iob, & Semron. 14. Filii Zabulon: Sared, &
Elon, & Iahelel, 15. Hi filii Lia, quos genuit in Meſopotamia Syriæ cum
Dina filia ſua: omnes animæ filiorum eius & filiarum triginta tres. 16. *
Filii Gad: Sephion, & Haggi, & Suni, & Eſebon, & Heri, & Arodi, &
Areli. 17. (*d*) Filii Aſer: Iamne, & Ieſua, & Ieſſui, & Beria, Sara quo-
que ſoror eorum. Filii Beria: Heber, & Melchiel. 18. Hi filii Zelphæ,
quam dedit Laban Liæ filiæ ſuæ: & hos genuit Iacob ſedecim animas. 19.
Filii Rachel uxoris Iacob: Ioſeph, & Beniamin. 20. (*e*) Natique ſunt Io-
ſeph filii in Terra AEgypti, quos genuit ei Aſeneth filia Putiphare ſacer-
dotis Heliopoleos: Manaſſes, & Ephraim. 21. Filii Beniamin: Bela, & Be-
chor, & Asbel, & Gera, & Naaman, & Echi, & Ros, & Mophim, &
Ophim, & Ared. 22. Hi filii Rachel quos genuit Iacob: omnes animæ qua-
tuordecim. 23. Filii Dan: Huſim. 24. Filii Nephthali: Iaſiel, & Guni, &
Ieſer, & Sallem. 25. Hi filii Balæ, quam dedit Laban Racheli filiæ ſuæ: &
hos genuit Iacob: omnes animæ ſeptem. 26. Cunctæ animæ quæ ingreſſæ
ſunt cum Iacob in AEgyptum, & egreſſæ ſunt de femore illius, abſque uxo-
ribus filiorum eius, ſexaginta ſex. 27. Filii autem Ioſeph, qui nati ſunt ei
in terra AEgypti, animæ duæ. (*f*) Omnes animæ domus Iacob, quæ ingreſ-
ſæ

ſæ ſunt in AEgyptum, fuere ſeptuaginta. 28. Miſit autem Iudam ante ſe ad Ioſeph, ut nuntiaret ei, & occurreret in Geſſen. 29. Quo cum perveniſſet, iuncto Ioſeph curru ſuo, aſcendit obviam patri ſuo ad eumdem locum; videnſque eum, irruit ſuper collum eius, & inter amplexus flevit. 30. Dixitque pater ad Ioſeph: Iam lætus moriar, quia vidi faciem tuam, & ſuperſtitem te relinquo. 31. At ille locutus eſt ad fratres ſuos, & ad omnem domum patris ſui: Aſcendam, & nuntiabo Pharaoni, dicamque ei: Fratres mei, & domus patris mei, qui erant in terra Chanaan, venerunt ad me: 32. & ſunt viri paſtores ovium, curamque habent alendorum gregum: pecora ſua, & armenta, & omnia quæ habere potuerunt, adduxerunt ſecum. 33. Cumque vocaverit vos, & dixerit: Quod eſt opus veſtrum? 34. Reſpondebitis: Viri paſtores ſumus ſervi tui, ab infantia noſtra uſque in præſens, & nos, & patres noſtri. Hæc autem dicetis, ut habitare poſſitis in terra Geſſen: quia deteſtantur AEgyptii omnes paſtores ovium.

(a) Actor. vII. 15. (b) Ioſ. xxiv. 3. Pſalm. civ. 22. Iſa. III. 4. (c) Exod. I. xxvI. 24. Num. xxvI. 5. I. Par. v. 2. & 3. Exod. vI. 15. I. Par. xv. 24. I. Par. vI. 1. I. Par. II. 3. xv. 21. I. Par. vII. 1. (d) I. Par. vII. 30. (e) Sup. xlI. 53. I. Par. vII. 6. vIII. 1. (f) Deut. x. 22.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 10. *Iamuel*, *& Iamin*. Non addas *& Iami*.

V. 16. *Filii Gad*: *Sephion*, *& Haggi*, *& Suni*, *& Eſebon*. Pro *Sephion* non eſt legendum, omiſſa media *i* conſonante, *Sephon*; nec præponendus eſt *Eſebon* ipſi *Suni*.

COMMENTARIA

SA.

Verſ. 4. TE, id eſt poſteritatem tuam, vel oſſa tua. SUPER OCULOS; quaſi dicat: Claudet tibi morienti oculos.

V. 7. FILIAE. Hebr. *Filiæ eius*, *& filiæ filiorum eius*.

V. 27. ANIMAE DUAE. His adde Iacob, & Ioſeph: ſic fient ſeptuaginta, ut ſtatim dicitur. SEPTUAGINTA. LXX: *ſeptuaginta quinque*: ſcilicet numerant etiam filios Ephraim, & Manaſſe.

V. 28. GESSEN. Hæc poſtea ſecundum Hebræos dicta Thebais.

V. 29. FLEVIT, ſcilicet diu, vel multum, ut Hebr. indicatur, & LXX. vertebrunt.

V. 34. DETESTANTUR AEGYPTII OMNES PASTORES: ſcilicet quia mactant animalia quæ ipſi colunt.

ESTII.

Verſ. 15. HI FILII LIAE ...... OMNES ANIMAE .... TRIGINTA TRES. In hoc numero comprehenduntur Her, & Onam filii Iudæ, licet mortui ante ingreſſum Iacob in AEgyptum, ipſumque hic aperte exprimitur, ne ſcilicet quis aut fallatur, aut falli putet Scripturam.

Sed quomodo dicitur: *Omnes animæ filiorum eius*, *& filiarum triginta tres*; cum in hoc numero nulla filia, nec Dina quidem, quæ hic nominata eſt, comprehendatur? Nam ſine illa conſtat numerus. Ad hoc Liranus nihil reſpondet. An forte adiectitium eſt illud *& filiarum*? Sed omnes Codices habent, etiam Hebræi. Mirum autem Dinam ab hoc numero excludi, cum paulo poſt connumeretur filiis Zelphæ etiam Sara filia Aſer, atque impleat numerum ſexdecim animarum: niſi id factum dicas, quia Dina erat extra numerum duodecim tribuum, utpote

ipsa soror duodecim Patriarcharum; Sara vero filia unius ex illis. Dinam tamen ingressam fuisse AEgyptum existimat Liranus: unde & ipse eam comprehendit in numero septuaginta animarum, quas in AEgyptum ingressas Scriptura testatur.

V. 26. CUNCTAE ANIMAE ... QUAE EGRESSAE SUNT DE FEMORE. Quidam hoc testimonio confirmare conati sunt a parentibus animas una cum corporibus propagari. Sed respondeo, secundum Augustinum, animas pro hominibus accipi hoc loco; quod & alibi in Scriptura sacra frequentissimum est, locutione synechdochica. Nec solum in iis quae homini secundum animam conveniunt, sed etiam quae tantum secundum corpus. Sic dicitur I. Machab. cap. XIX. *Et peremerunt animas hominum multas*; cum tamen corpus tantum perimatur, seu occidatur. Porro quod animae non trahantur ex parentibus, vide supra cap. XII. vers. 5.

MARIANAE.

Vers. 4. IOSEPH QUOQUE PONET MANUS SUAS SUPER OCULOS TUOS: te vivo, tibi & tuis non deerit: vel, claudet tibi morienti oculos.

V. 6. ET OMNIA QUAE POSSEDERAT. Hebraice: *Et acceperunt pecora eorum, & substantiam eorum, quam acquisierunt in terra Chanaan, & adduxerunt in AEgyptum Iacob, & omne semen eius.*

V. 7. FILIAE. Hebraice: *Filiae eius, & filiae filiorum eius. Filias* vocat fortassis nurus.

V. 13. FILII ISSACHAR: THOLA, ET PHUA, ET IOB, ET SEMRON. Sic Hebraica, sic Rom. & alii codices Vulgatae. Quidam *Iob* omittunt, sed male: neque enim illo omisso numerus animarum, & ratio constaret, posita vers. 15.

V. 15. TRIGINTA TRES. Ut ratio constet, Her, & Onan filii Iudae numerandi sunt, quamvis defuncti in terra Chanaan: ad reliquos filios addenda Dina non est, neque ipse Iacob, quoniam postea additur.

V. 20. MANASSES, ET EPHRAIM. Post haec verba Sept. addunt quinque filios, & nepotes horum duorum, Manassis, & Ephraim: in aliis linguis mirum silentium.

V. 27. FUERE SEPTUAGINTA. Ut numerus impleatur, Ioseph, & duo filii addendi sunt, tum ipse Iacob. Sept. dicunt, animas ingressas in AEgyptum fuisse septuaginta quinque, nimirum adiunctis quinque illis tum nepotibus tum pronepotibus Ioseph. Ceterum Hieronym. in Tradit. vitiosam eam rationem putat, & ex ea Lucam in Actis eumdem posuisse numerum, quoniam a codicibus Graecis, qui inter Gentes vulgati erant, discedere non est ausus: assertque, eosdem Sept. in Deut. posuisse, Iacob in AEgyptum descendisse in animabus septuaginta.

V. 28. ET OCCURRERET IN GESSEN. Sic etiam Sept. quos puto pro להורת *leboroth* ut nunc est, legisse להורד *leborod*. *ad descendendum*, vel *faciendum descendere*: nam ut nunc est, *ad praeparandum in Gessen* potius significat. Porro pro *Gessen* Sept. posuerunt *ad Heroum civitatem in terram Ramesse*. Et quidem *Gessen* dictam etiam *Ramessem*, ex cap. proximo vers. II. colligitur. Hieron. in Tradition. ait, quosdam putare, *Gessen* dictam postea Thebaida; quidam etiam Heliopolim ibi sitam, eoque puerum Iesum ex fuga deductum.

V. 29. IRRUIT SUPER COLLUM EIUS. Hebraice additur post haec verba: *Et flevit super collum eius adhuc*, hoc est, non semel, sed saepe amplexus collum patris, *Flevitque diu & multum*: Sept.

V. 33. QUOD EST OPUS VESTRUM? Quod vitae genus sequimini?

V. 34. DETESTANTUR AEGYPTII OMNES PASTORES OVIUM. Mactant pastores scilicet quae illi colunt. Quod si AEgyptii oves habebant, ut ex sequentibus constat, lanae, & lactis causa eas aluisse credendum, non ad esum.

MALVENDAE.

Vers. 4. PONET MANUS SUAS SUPER OCULOS TUOS; id est, tibi morienti aderit, & oculos tuos claudet, extremumque morienti pietatis officium exhibebit. Hunc morem, ut morientibus carissimi quique & coniunctissimi oculos clauderent, religiose postea ad Graecos & Romanos manasse, exempla sunt passim obvia, & a multis observata.

vata. De Euriali matre Virgilius in IX. .... *pressitve oculos*.
Et apud Ovidium Penelope de filio Telemacho:
Ille meos oculos comprimat.
Euripides in Hecuba de Polidoro:
Vivit, & morienti oculos claudet tibi.
Quidam aliter accipiunt; id est, cuncta quæ tibi erunt necessaria, aut desiderabis, providebit: vel Ioseph omnia tibi suppeditabit quæ desideras absque tua cura & solicitudine. Aliene.

V. 10. FILIUS CHANANITIDIS. Singulariter id notat, quod Simeon contra voluntatem patris, & morem suorum Chanaitidem duxerit, quas tantopere detestabantur patres illi; cum alii filii Iacob acceperint Idumæas, Madianitas, AEgyptias. Vide Exodi VI. 15.

V. 15. TRIGINTA TRES. Sed numeratæ tantum sunt triginta duæ. Quidam hic annumerandam volunt Liam, quæ forsan ingressa sit AEgyptum, & somnium Iosephi de luna impleverit. Alii Iochabetham filiam Levi, matrem Mosis, quæ forsan tum erat in ventre. Plures ipsum Iacob, e vers. 8. & hoc est satius.

V. 27. OMNES ANIMAE DOMUS IACOB, QUAE INGRESSAE SUNT IN AEGYPTUM, FUERE SEPTUAGINTA: nimirum adiunctis ipso Iacob, & Ioseph, & duobus filiis Ioseph, Manasse & Ephraim: cum iis enim constat numerus *septuaginta*: qui confirmatur etiam Exodi I. 5. & Deuter. X. 22. Sed iam hinc ingens existit difficultas, quomodo LXX. Interpretes hic, &, quod potius est, Stephanus Actorum VII. 14. septuaginta quinque enumerent. Quæ hic Explanatores afferant, in promptu sunt, & nimium pervagata. Quidam tamen sic nodum solvunt. Generalis quidem summa, Iacobum, & Iosephum, & duos huius filios comprehendens, est septuaginta. Quod autem Stephanus, præter Iacobum, septuaginta quinque numeraverit, factum fuit, quia Stephanus non eos tantum qui cum Iacob re ipsa descenderunt, sed & matres eorum, quatuor uxores Iacob, & duos filios Iudæ, licet ante defunctos comprehendit, id est quotquot hic personæ de nomine recensentur: ut doceat, ad quantum in summa numerum familia Iacobi, antequam descenderet in AEgyptum, pervenisset. Sive, ut dicamus brevius, non refert Stephanus numerum proficiscentium, sed summam eorum, quos hic nominatim Moses enumeravit. Unde locum Actorum dilucidius sic reddendum putant: *Mittens autem Ioseph accersivit patrem suum Iacob, & omnem cognationem*, seu *familiam suam*, constantem, aut conscriptam *ex animabus septuaginta quinque*: quot hic diserte, excepto Iahakobo, numerantur: & ita Epiphanius. Quæ strages chartarum, quæ plaustra solutionum in his extricandis! quanto modestius foret, si ignorantiam profiterentur.

V. 28. UT NUNTIARET EI. להורות *leboroth* varie exponunt. I. *Ad præparare ante ipsum*. II. *Ad præmonendum, ad edocendum ante faciem suam*, id est suum adventum. III. *Ad proruendum ante se*, quasi prodromum, ac præcursorem. IV. *Ad dirigendum ante se*, tamquam rectorem viæ. V. *Ad significandum*, seu *indicandum*, nempe suum adventum. VI. *Ad constituendum* quæ erant necessaria: melius, *ad iaciendum*, nimirum fundamenta, & sedem habitationis: ad sternere, vel ad iacere, iaculari, nempe ut velocius curreret ante se.

V. 29. ET INTER AMPLEXUS FLEVIT. Hebr. *Et flevit super colla eius adhuc*; quidam, *aliquantisper*; alii, *amplius*; nonnulli, *diu*: nec desunt qui *vehementer*.

V. 34. QUIA DETESTANTUR AEGYPTII OMNES PASTORES OVIUM. Confer hunc locum cum cap. XLIII. vers. 32. & cum Exodi VIII. 26. plerique intelligunt, AEgyptios aversari solitos pastores, quod eos ut impios & profanos haberent, qui hircos, oves, & boves immolabant, & mactabant, quæ illi pro numinibus & diis colerent, quasi deicidas, & deorum suorum interfectores. Verum notum est ex Herodoto, aliisque scriptoribus, pastores, & bubulcos, quos bucolos vocant, fuisse infimum genus AEgyptiorum, abiectissimum plane ac despicatissimum; & nedum fæces & sordes plebis, sed exsecrabiles & abominandos ipsis AEgyptiis, tamquam catharmata & piamenta: ut ex præsenti quoque loco Genesis manifeste intelligitur. Erant autem omnes advenæ, & colluvies purgamentorum urbium. Quibus AEgyptii loca palustria assignabant, cum ut haberent ubi greges suos, & armenta pascerent, & alerent, tum ut ab AEgyptiis se-

ſecreti ac ſemoti viverent, tamquam profani, & abominandi, in locis deſertis, & inacceſſis. Locus ubi habitabant, dicebatur *bucolia*; quem, & horum bucolorum & paſtorum vitam, moreſque egregie deſcribit Heliodorus I. AEthiopicorum cap. 11. S. Hieronymus in vita Hilarionis: *Ad ea loca quæ vocantur bucolia, eo quod nullus ibi Chriſtianorum eſſet, ſed barbara tantum, & ferox natio*. Nam ii etiam ſub Romanis principibus AEgyptum infeſtarunt: prædas enim & latrocinia exercebant, ut ex Heliodoro liquet. Ii, quod ab AEgyptiis, ut genus inviſum, dure & aſpere tractarentur, freti natura locorum, & quod manu prompti eſſent, adverſus AEgypti reges olim rebellarunt, nec ſemel ſeſe in libertatem vindicarunt, ac magnas dynaſtias in AEgypto occuparunt, multo ante & poſt etiam quam Hebræi ingrederentur in AEgyptum, ut ex Euſebio, Africano, aliiſque Scriptoribus videre licet. Herodotus Lib. II. num. 17. ab iis bucolis videtur appellare oſtium quoddam Nili bucolicum. His hic modo accenſentur Iſraelitæ, quod advenæ & paſtores eſſent, ac loca ſecreta ac ſemota paſcuis apta eis diſtribuuntur. Manetho AEgyptius apud Ioſephum Lib. I. adverſus Apionem, agens de iis Hebræis qui in AEgyptum deſcenderunt, inquit: *Vocabatur autem gens eorum Hycſos, hoc eſt reges paſtores: hyc enim ſecundum ſacram linguam regem ſignificat; ſos vero paſtorem, ſive paſtores, ſecundum communem dialectum: & ita compoſitum invenitur Hycſos. Quidam vero dicunt eos Arabas eſſe. In aliis autem exemplaribus non reges ſignificari comperi per appellationem hyc, ſed e diverſo captivos declarari paſtores. Hyc enim AEgyptiaca lingua, & hac, quando denſo ſono profertur, captivos aperte ſignificat. Et hoc potius veriſimile mihi videtur, & hiſtoriæ antiquæ conveniens*. Hæc Manetho.

MENOCHII.

Verſ. 3. NOLI TIMERE. Eximit metum, quo teneri poterat multis ex cauſis. I. ne liberi idolorum cultu, & aliis AEgyptiorum vitiis imbuerentur. II. ne poſteri illecti fertilitate, & amœnitate AEgypti in Chananeam redire nollent, & Dei promiſſa negligerent. III. ne quid adverſi pateretur, ſi Deo inconſulto hoc iter ſuſciperet. IV. ne moreretur in via priuſquam filium cerneret.

V. 4. DESCENDAM TECUM: adero, & favebo tibi eunti, & ſemini tuo redeunti. INDE ADDUCAM TE REVERTENTEM, poſteros tuos, qui oſſa tua ſecum ex AEgypto aſportabunt, ut ſepulcro patrum tuorum condaris. PONET MANUS SUAS SUPER OCULOS TUOS: tibi morienti oculos claudet iuxta priſcum Hebræorum morem, quo cariſſimi cariſſimis morientibus oculos premunt.

V. 7. FILIAE. Videtur eſſe enallage numeri: nam Iacob unam tantum filiam habuit Dinam.

V. 8. HAEC SUNT NOMINA. Recenſentur ut in exitu ab AEgypto manifeſtum ſit quantopere fuerint multiplicati tam paucis annis. QUI INGRESSI: qui quando Iacob in AEgyptum ingreſſus eſt, erant ſuperſtites. Excipe tamen filios Iuda, Her, & Onan, de quibus numero duodecimo: fatetur enim eos in Chanaan mortuos.

V. 12. HESRON, ET HAMUL. Hi nati ſunt poſtea in AEgypto, dicuntur tamen cum Iacob in AEgyptum deſcendiſſe, non in ſua perſona, ſed in lumbis Phares patris ſui, in quibus adhuc latebant. Nam ut annotat divus Auguſtinus deſcenſus hic, & ingreſſus Iacobi in AEgyptum complectitur etiam annos 17. vitæ eius in AEgypto; immo & annos reliquæ vitæ Ioſephi, puta 71.

V. 15. OMNES ANIMAE, ſynecdoche, TRIGINTA TRES, computata & ipſa Lia, aut potius ipſo Iacobo cum ſuis filiis, & filia Dina; excluſis tamen Her, & Onan.

V. 21. FILII BENIAMIN. Numerantur hic decem filii Beniamin, ex quibus aliquos ipſe poſtea genuit in AEgypto: nam cum deſcendit in AEgyptum, erat tantum viginti quatuor annorum.

V. 26. EGRESSAE SUNT DE FEMORE ILLIUS: ex eo orti ſunt. Utuntur hac phraſi Hebræi, vel quia femur ponunt pro partibus quæ inter femora ſunt; vel quia reipſa in femore tres venæ ſunt, quæ ortæ ex venis lumborum, priuſquam in crura deſcendant, viris per femora in ſcrotum, feminis in uterum recurrunt, & fecundi ſeminis materiam generationi ſufficiunt. SEXAGINTA SEX. In hoc numero

mero non continetur Iacob, utpote parens omnium, nec Ioseph, & filii eius, utpote qui iam erant in AEgypto.

V. 27. SEPTUAGINTA. Hic annumeres oportet ipsum Iacob, & Ioseph cum duobus eius filiis: sic enim constabit numerus septuaginta. Porro LXX. Interpretes, & S. Lucas Actor. VII. 14. aiunt fuisse septuaginta quinque, quia addunt, & adnumerant Iosepho Manassis filium Machir, & nepotem Galaad, rursus Ephraimi filios Sutalaam, & Taam, ac nepotem Edem, qui fuit filius Sutalaam. Hi autem adduntur, quia nati sunt vivente adhuc Iosepho avo, ut patet Genes. L. 22.

V. 34. PASTORES SUMUS. Notanda Iosephi modestia, prudentia, ac simplicitas. Modestia, quia in aula Pharaonis sciri cupit se esse fratrem pastorum; prudentia, quia fratres in aulam non induxit, ne aulicorum moribus corrumperentur; simplicitas, quia fratres ad sublimiorem statum non evehit, sed in arte patria, ac pastoritia sinit hærere. DETESTANTUR AEGYPTII PASTORES: quia pastores solent occidere, & comedere carnes suarum ovium, & pecudum, quas AEgyptii pro diis colebant, ut patet Exod. VIII. 26. Alebant tamen AEgyptii oves, & boves, ut patet capite sequenti num. 17. non ad esum, sed ad oblectationem, lanam, & lac, ad stercorationem etiam agrorum, & ut aliis gentibus divenderent.

TIRINI.

Vers. 26. CUNCTAE ANIMAE, QUAE INGRESSAE SUNT IN AEGYPTUM... SEXAGINTA SEX. Huic numero non includuntur Iacob, & Ioseph, & huius duo filii Ephraim, & Manasse: quos quatuor si addas numero prædicto, reperies septuaginta, quot dicuntur versu sequenti 27. ingressæ AEgyptum, partim ante Iacobum, partim cum Iacobo; item partim per se, partim per parentes, seu in lumbis parentum. Quod dico partim propter Hesron, & Hamul filios Phares necdum tunc natos; partim propter quosdam filios Beniamin, qui hic decem numerantur, cum ipse Beniamin hoc tempore vix 23. esset annotum. Nisi malis cum LXX. Interpretibus, quosdam horum decem fuisse filios filiorum, seu nepotes Beniamini. Idem LXX. Interpretes loco quo Latinus, & Hebræus textus habet hic, & Exodi I. vers. 5. & Deut. X. vers. ult. filios vel nepotes Iacobi, septuaginta ingressos AEgyptum, ipsi habent hic, & in Exodo ingressos septuaginta quinque. Et hunc illorum numerum sequitur etiam S. Stephanus Actor. VII. vers. 14. & recte: nam ipsi prædicto septuagenario addunt nepotes quinque Iosephi, puta Machir filium Manasse, & Galaad filium Machir, item Sutalaam & Taam filios Ephraim, denique Edom filium Sutalaam *a*. Quos desumpserunt partim ex Num. XXVI. partim ex I. Paral. VII. Nam, ut recte notat sanctus Augustinus, ingressus Iacobi in AEgyptum complectitur omne tempus vitæ eius in AEgypto, immo & reliquos annos vitæ Iosephi, in cuius gratiam descenderat Iacob in AEgyptum; non tamen complectitur omnium filiorum Iacob toto illo tempore natos nepotes, sed trium dumtaxat, Iudæ, Iosephi, & Beniamini: quia posteri horum erant omnium honoratissimi, & ex his exorti reges Israelis, Saul, David, Ieroboam, & alii sequaces.

(*a*) Chronici cap. XLVI.

GORDONI.

DE chronologia Iosephi dixi ad cap. XXX. Sane exactis 13. annis servitutis (qua finita stetit coram Pharaone, anno ætatis 30.) prospere vixit annis 80. hoc est usque ad obitum, qui incidit in annum vitæ suæ 110. Iam venit Iacob in AEgyptum anno 9. principatus huius, hoc est, exactis septem annis fertilitatis, & duobus sterilitatis, qui est annus 39. Iosephi; quando pater erat annorum 130. ex cap. XLVII. vers. 9. Superstes mansit Iacob in AEgypto annis 17. obiitque proinde, ut supra notatum est, anno ætatis suæ 147. & anno mundi 2285.

V. 1. PROFECTUSQUE ISRAEL... VENIT AD PUTEUM IURAMENTI. De hoc puteo iuramenti dictum est supra cap. XXI. & XXVI. ac de sacrificiis ibi antea oblatis. Sic ergo Iacob Dominum consulit, iter hoc aggressurus, relinquendo terram promissam. Hinc sequitur visio vers. 2. &

2. & promiſſio verſ. 3. ac demum verſ. 4. de reditu poſteritatis in terram promiſſam.

V. 4. PONET MANUS SUAS SUPER OCULOS TUOS: morienti tibi claudet oculos.

V. 6. Principes recenſentur, qui cum Iacob venerunt in AEgyptum; ſed dum colligitur numerus in ſingulorum liberis, apparet interdum non plenus, aut etiam redundans: quod contingit, quia nunc intelligitur Iacob omitti, ut ſtipes & caput; nunc etiam poni. Sic & de aliis quibuſdam: numerantur veniſſe aliqui, non in perſona ſua, ſed in lumbis parentum, ut ex verſ. 12. & aliunde accuratus lector facile cognoſcet. FILIAE. Neptes hoc nomine recte intelliguntur, quæ ſunt familiarum filiæ. Quidam hic Dinam etiam intelligunt; at incertum an tunc mortua fuerit, aut cui nupta. Ceterum cum initur hic deſcendentium in AEgyptum numerus, non habetur ratio feminarum; immo nec ſervorum. Quod vero in ſequenti enumeratione facit difficultatem præcipuam, eſt, quia non ſatis apparet, quos voluerit Moſes numerare in catalogo deſcendentium: an, inquam, ante ingreſſum mortuos, an natos in AEgypto uſque ad mortem Iacob: & demum (quod inde ſequitur) quo anno concludi voluerit, & finiri ingreſſum. Dicam verſ. 27. quod probabilius eſt. Nec deſunt qui putent mendum irrepſiſſe in numerum ſeptuaginta Interpretum. Sane noſter textus & Hebraicus conſtanter numerant 70. animas. Ita Exod. 1. verſ. 5. & Deut. x. verſ. ult. tamen Septuaginta dant 75. animas.

V. 26. Ex parvo hoc toto numero colligitur quam ſint multiplicati in AEgypto ante exodum.

V. 27. FILII AUTEM. Recenſitos hoc capite a verſ. 8. huc uſque, colligit Moſes, ut dicebam, eſſe ſeptuaginta; ſed annumerare oportet Iacob, Ioſeph, & duos eius filios: ſic exibit numerus 70. Et idem repetitur Exod. cap. 1. verſ. 5. Et quamvis ibi Moſes excipere videatur ab hoc numero Ioſephum, dum ſic ait: *Ioſeph autem in AEgypto erat*: non tamen ita eſt; ſed eſt explicatio, vel excuſatio, quod non poſuerit Ioſephum inter perſonas quas recenſet verſ. 2. 3. & 4. At quomodo ſaltem ſeptuaginta Interpretes ponunt 75. & totidem numerat Lucas Actor. VII. verſ. 14. Reſpondetur, facile hoc eſſe, quia illi Interpretes, & cum illis Lucas, addunt Ioſepho Machir filium Manaſſis, & Galaad nepotem; inſuper his duobus Ephraimi filios Sutalaam, & Ioam, & nepotem Edem, qui eſt filius Sutalaam. Adduntur, inquam, hi quinque, quia nati ſunt ſuperſtite Ioſepho avo, ex Gen. cap. L. verſ. 22. ita ut ingreſſus Iacob in AEgyptum extendat ſe uſque ad mortem ipſius Iacob, & Ioſephi, ex Auguſtino Lib. XVI. Civit. cap. XL. At diſcrepant ſeptuaginta Interpretes a Moſe? Certe, quia Moſes noluit computare nepotes Ioſephi; quod tamen factum eſt a ſeptuaginta Interpretibus, iuſtis, ac variis de cauſis. Hoc quidem ſpeciatim debebatur Ioſepho, fratrum principi. Vide Exod. cap. 1. verſ. 5.

V. 28. GESSEN. Dicta etiam Rameſſes eſt ex cap. XLVII. verſ. 11.

V. 33. QUOD EST OPUS VESTRUM: quod vobis eſt vitæ genus?

V. 34. DETESTANTUR: quia mactant quædam animalia quæ AEgyptii colunt; nempe paſtores ovium mactant oves: habebant tamen AEgyptii oves, ſed ob lac, & lanam, non vero ad eſum.

CA-

CAPUT XLVII.

Introducto Iacob cum filiis ad Pharaonem, Terra Gessen conceditur: fames tantum premit AEgyptum, ut venditis pecoribus terram quoque vendere sint coacti: quo factum est ut quinta pars fructuum regibus AEgypti perpetuo cedat, præterquam in possessionibus sacerdotum. Post annos septemdecim Iacob plurimum ditatus adiurat Ioseph de sua sepultura.

1 Ngressus ergo Ioseph nuntiavit Pharaoni, dicens: Pater meus, & fratres, oves eorum, & armenta, & cuncta quæ possident, venerunt de Terra Chanaan: & ecce consistunt in Terra Gessen. 2. Extremos quoque fratrum suorum quinque viros constituit coram rege: 3. quos ille interrogavit: Quid habetis operis? Responderunt: Pastores ovium sumus servi tui, & nos, & patres nostri. 4. * Ad peregrinandum in terra tua venimus: quoniam non est herba gregibus servorum tuorum, ingravescente fame in terra Chanaan: petimusque ut esse nos iubeas servos tuos in Terra Gessen. 5. Dixit itaque rex ad Ioseph: Pater tuus, & fratres tui venerunt ad te. 6. Terra AEgypti in conspectu tuo est: in optimo loco fac eos habitare, & trade eis Terram Gessen. Quod si nosti in eis esse viros industrios, constitue illos magistros pecorum meorum. 7. Post hæc introduxit Ioseph patrem suum ad Regem, & statuit eum coram eo: qui benedicens illi, 8. & interrogatus ab eo: Quot sunt dies annorum vitæ tuæ? 9. respondit: * Dies peregrinationis meæ centum triginta annorum sunt, parvi, & mali; & non pervenerunt usque ad dies patrum meorum quibus peregrinati sunt. 10. Et benedicto rege, egressus est foras. 11. Ioseph vero patri, & fratribus suis dedit possessionem in AEgypto † in optimo terræ loco, Ramesses, ut præceperat Pharao. 12. Et alebat eos, omnemque domum patris sui, præbens cibaria singulis. 13. In toto enim orbe panis deerat, & oppresserat fames terram, maxime AEgypti, & Chanaan. 14. E quibus omnem pecuniam congregavit pro venditione frumenti, & intulit eam in ærarium regis. 15. Cumque defecisset emptoribus pretium, venit cuncta AEgyptus ad Ioseph, dicens: Da nobis panes: quare morimur coram te, deficiente pecunia? 16. Quibus ille respondit: Adducite pecora vestra, & dabo vobis pro eis cibos, si pretium non habetis. 17. Quæ cum adduxissent, dedit eis alimenta pro equis, & ovibus, & bobus, & asinis: sustentavitque eos illo anno pro commutatione pecorum. 18. Venerunt quoque anno secundo, & dixerunt ei: * Non celabimus dominum nostrum quod deficiente pecunia, pecora simul defecerunt: nec clam te est quod absque corporibus, & terra nihil habeamus. 19. Cur ergo moriemur te vidente? Et nos, & terra nostra tui erimus: eme nos in servitutem regiam, & præbe semina, ne pereunte cultore redigatur terra in solitudinem. 20. Emit igitur Ioseph omnem Terram AEgypti, vendentibus singulis possessiones

nes suas præ magnitudine famis. Subiecitque eam Pharaoni, 21. & cunctos populos eius, a novissimis terminis AEgypti usque ad extremos fines eius, 22. præter terram sacerdotum, quæ a rege tradita fuerat eis: quibus & statuta cibaria ex horreis publicis præbebantur; & idcirco non sunt compulsi vendere possessiones suas. 23. Dixit ergo Ioseph ad populos: En, ut cernitis, & vos, & terram vestram Pharao possidet: accipite semina, & serite agros, 24. ut fruges habere possitis. Quintam partem regi dabitis: quatuor reliquas permitto vobis in sementem, & in cibum familiis & liberis vestris, 25. Qui responderunt: Salus nostra in manu tua est: respiciat nos tantum dominus noster, & læti serviemus regi. 26. Ex eo tempore usque in præsentem diem, in universa Terra AEgypti, regibus quinta pars solvitur, & factum est quasi in legem, absque terra sacerdotali, quæ libera ab hac conditione fuit. 27. Habitavit ergo Israel in AEgypto, id est in Terra Gessen, & possedit eam; auctusque est, & multiplicatus nimis. 28. Et vixit in ea decem & septem annis; factique sunt omnes dies vitæ illius centum quadraginta septem annorum. 29. Cumque appropinquare cerneret diem mortis suæ, vocavit filium suum Ioseph, & dixit ad eum: Si inveni gratiam in conspectu tuo, (a) pone manum tuam sub femore meo: & facies mihi misericordiam & veritatem, ut non sepelias me in AEgypto; 30. sed dormiam cum patribus meis, & auferas me de terra hac, condasque in sepulcro maiorum meorum. Cui respondit Ioseph: Ego faciam quod iussisti, 31. Et ille: Iura ergo, inquit, mihi, Quo iurante, adoravit Israel Deum, conversus ad lectuli caput.

(a) Sup. xxiv. 2.

BRUGENSIS.

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 4. *Ad peregrinandum in terra tua*, *venimus*. Melior est sextus casus *terra tua*, quam quartus *terram tuam*.

V. 9. *Dies peregrinationis meæ*. Superfluit, quod quidam addunt, nomen *vitæ*.

V. 18. *Non celabimus dominum nostrum*, Alii minus recte: *Non celabimus domino nostro*.

LECTIONUM VARIETAS.

V. 11. *In optimo terra loco*. In aliis egregiis libris pro *loco* legitur *solo*.

COMMENTARIA

SA.

Vers. 2. EXTREMOS, id est abiectiori aspectu, scilicet ne Pharao milites faceret.

V. 7. BENEDICENS, id est salutem imprecatus.

V. 9. PARVI, id est pauci. MALI, id est pleni malis, seu ærumnis.

V. 10. BENEDICTO REGE, id est actis regi gratiis, vel dicto vale; scilicet, ubi ei bene fuisset precatus.

V. 13. ORBE. Hebr. *terra*. MAXIME: id non est Hebr.

V. 19. PEREUNTE CULTORE. Heb. *pereamus &c*.

V. 21. POPULOS EIUS. Hebr. & Chald. indicatur, populum mutatum ab una civitate in aliam, scilicet in signum quod nihil iam proprium haberent.

V. 25. SALUS NOSTRA IN MANU TUA EST. Hebr. *Vivificasti nos*.

V. 29. SUB FEMORE. Vide cap. xxiv. MISERICORDIAM, ET VERITATEM;

TEM; quasi dicat, gratiam, seu beneficium, certum, seu bona fide.

V. 31. CONVERSUS AD LECTULI CAPUT. Hebr. *ad*, seu *super caput lecti*. LXX. *Super summitatem virgæ eius*, seu *suæ*.

ESTII.

Vers. 2. EXTREMOS QUOQUE FRATRUM SUORUM QUINQUE VIROS. Hebr. *Et de extremitate fratrum suorum cepit quinque viros*. Versio Vatablina: *Accipiens autem quosdam e fratribus suis, nempe quinque viros*. Pagninus: *De extremis fratribus suis cepit quinque viros*. Extremos quidam intelligunt qui videbantur abiectiores, minusque præstantes: quod Ioseph fecisse tradunt, ne si robustiores adduxisset, militiæ eos Pharao applicuisset. Alii aliter. Vide Liranum.

V. 7. QUI BENEDICENS ILLI; Iacob scilicet benedicens regi: nam & mox sequitur vers. 10. *Et benedicto rege egressus est foras*. Porro benedixit Iacob regi, quia salutem, & felicitatem ei precatus est a Deo (nam & nuda salutatio quodammodo est benedictio seu bona precatio) non autem quasi ex auctoritate & officio; quomodo sacerdotes benedicunt, & in Epistola ad Hebr. VII. dicitur, *Quod minus est a maiore benedicitur*; sed vulgari modo bene precando; quomodo etiam æquales æqualibus, & minores maioribus benedicunt.

V. 9. DIES PEREGRINATIONIS MEAE PARVI ET MALI; id est, pauci, & miseri: parvi videlicet numero, non extensione: sic Iob XVII. *Dies mei breviabuntur*. Mali autem dicuntur propter labores plurimos quos subiit, & afflictiones plurimas quas sustinuit Iacob in vita sua. Sic Dominus in Evangelio Matth. VI. *Sufficit diei malitia sua*. Et Apostolus ad Ephes. V. *Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt*.

V. 19. & 20. CUR ERGO MORIEMUR, TE VIDENTE? .. EMIT IGITUR IOSEPH OMNEM TERRAM AEGYPTI.. SUBIECITQUE EAM REGI. Nec fuit tamen hæc crudelitas aut inhumanitas Ioseph: non enim poterat gratis dare, eo quod ipse tantum dispensator esset regis. Sed neque cooperatus est cupiditati regiæ; sed quæ fecit ad utilitatem regis, redundarunt etiam ipsius prudenti consilio in utilitatem regni, & populi: quod declarat prudentissima simul & humanissima eius propositio ad populum, qua dicit: *En, ut cernitis, & vos, & terram vestram Pharao possidet. Accipite semina, & serite agros, ut fruges habere possitis. Quintam partem regi dabitis, quatuor reliquas permittit vobis in sementem, & in cibum familiis, & liberis vestris. Et factum est*, inquit Scriptura, *quasi in legem*, sine dubio utilem ad continendum populum in obedientia regis.

V. 22. PRAETER TERRAM SACERDOTUM. Hebræa sic: *Tantum terram sacerdotum non emit, quia statutum* (seu *demensum*, & *portio*) *sacerdotibus erat a Pharaone; & comedebant statutum suum, quod dedit eis Pharao: idcirco non vendiderunt terram suam*. Igitur non significatur hic quod terram suam necessario sacerdotes habuerint a rege, sed quod terram suam, ex qua vivere soliti erant (quæ tamen verisimiliter fuerat eis data e publico, tamquam ministris publicis, accedente simul auctoritate regia) non sint compulsi vendere, ob defectum alimoniæ: siquidem rex eos alebat ex horreis publicis, tamquam publicos ministros. Debebantur autem sacerdotibus AEgyptiis cibaria ex publico, non simpliciter (erant enim sacerdotes non veri Dei, sed falsorum deorum, & dæmonum) sed ex conscientia erronea, quia putabantur esse ministri veræ religionis.

V. 30. SED DORMIAM CUM PATRIBUS MEIS. Nota. Nusquam Scriptura dicit bestias dormire cum moriuntur, sed tantum homines, utpote quod homines resurrectionem certo expectent. Quin nec soli boni, sed etiam mali dicuntur dormiisse cum patribus suis, ut impii reges Ieroboam, Amri, Achab, & alii: quod notandum est contra Iudæos, qui stolide docent malos non resurrecturos.

V. 31. QUO IURANTE, ADORAVIT ISRAEL DEUM, CONVERSUS AD LECTULI CAPUT. Septuaginta legunt: *Adoravit Israel ad summitatem virgæ eius*. Quæ versio innuit Iacob adorasse summitatem sceptri Ioseph, exterius quidem potestatem eius honorans, sed spiritualiter simul (ut apparet) Christi regiam potestatem in typo Ioseph adorans. Sane versionem hanc, etsi eam Hieronymus non vi-

videatur probare, nobis quoque recipiendam cogit auctoritas Apostoli ad Hebr. XI. ubi clare dicit: *Fide Iacob moriens singulos filiorum Ioseph benedixit, & adoravit fastigium virgæ eius*. Et nihil prohibet, quin Iacob & Deum adoraverit (ut habet nostra versio) atque etiam honorarit, seu adorarit summitatem virgæ Ioseph, quod vult versio LXX. & Apostolus dicto loco.

MARIANAE.

Vers. 2. EXTREMOS QUOQUE FRATRUM SUORUM. Melius sic redditur vox מקצה *mikzeh*, quam, ut alii dicunt, *de extremitate*; quasi sit composita dictio ex מן & קץ, quod est falsum, cum ק *koph* non habeat *Daghes*: significat autem, quinque fratres ceteris minores ætate secum sumpsisse Iosephum & eos ad Regem detulisse. Ipse etiam e minoribus. Gaudent singuli sibi similibus.

V. 6. VIROS INDUSTRIOS. Hebr, *viros virtutis*, id est fortes.

V. 7. QUI BENEDICENS ILLI, scilicet Iacob Pharaoni. Benedicere Deum, est benefacere; hoc modo semper minor a meliori benedicitur: ad Hebr. VII. vers. 7. Benedicere hominem, est bene velle, prospera precari; sic solent subditi reges salutare. Simul indicatur qualis salutationis forma esse debeat. scilicet per deprecationem, ut: Sis felix. Deus te sospitet.

V. 9. PARVI ET MALI. Ex Sept. sumptum μικραὶ καὶ πονηραὶ. Hebr. *parum*, *& mali* id est, *pauci & mali*. A labore multo vocantur *mali*. non a culpa.

V. 10. BENEDICTO REGE, id est salutato, postquam salutavit eum.

V. 12. PRAEBENS CIBARIA SINGULIS. Hebr *panem* (supple præbens) *ad os parvuli*. Varie hunc locum reddunt. Ego puto interpretandum, *dedisse panem* לפי *lephi*, *secundum parvulum*, pro *parvulos*; hoc est, iuxta filiorum numerum: quod Chald. innuit, cum dixit: *Præbens panem iuxta familiam uniuscuiusque*: & vers. 24. idem verbum eadem significatione repetitur, cum dicit: *Quatuor partes relinquo in cibum familiis & liberis vestris*. Hebr. *In cibum parvulo vestro*. Tu dic, familiæ vestræ, Vide Exod. cap. XII. vers. 37.

V. 13. IN TOTO ENIM ORBE, Hebr. *terra*, adde *illa*, propter articulum. ET OPPRESSERAT FAMES. תלה *thelah*; quidam in significatione dementandi sumunt: radix לאה; sed & id verbum *deficere* significat, & *laborare*. MAXIME, non est in Hebræo; sed bene per id exprimitur vis verbi *chabad*, id est *gravem esse vehementer famem, quæ premebat*.

V. 19. CUR ERGO MORIEMUR TE VIDENTE? ET NOS ET TERRA NOSTRA TUI ERIMUS. Non eodem modo dividuntur Hebraica, sed sic: *Quare moriemur in oculis tuis tam nos quam terra nostra? Eme nos*, &c. Mortua terra vocatur, quæ fructum non reddit: nam vita actio est; quasi dicat: Quare terra in solitudinem eat?

Vers. 21. ET CUNCTOS POPULOS EIUS, nempe subiecit Pharaoni. Hebraica aliter: *Et populum transtulit ad urbes extremum terminum AEgypti usque ad finem eius*. Certe ablatis agris agricolas in urbes transtulit, ne sua postea repeterent: vel transtulit ab aliis in alias civitates, idem respiciens.

V. 22. PRAETER TERRAM SACERDOTUM. Quod sequitur, QUAE A REGE TRADITA FUERAT EIS, non est in Hebræo. Sacerdotes Schol. Hebræus intelligit omnes ministros regis: Sacerdotis enim vox multa significat Hebræis. nempe *principes*, *magistratus*, *ministros*. Et verisimile est, illis a rege datam portionem unde alerentur qui publicis functionibus vacabant. Sed video Interpretes hoc loco eam vocem in significatione tantum *sacerdotum* sumere.

V. 25. SALUS NOSTRA IN MANU TUA EST: RESPICIAT NOS TANTUM DOMINUS NOSTER. Hebr. *Vivificasti nos*, *inveniamus gratiam in oculis domini mei*.

V. 26. EX EO TEMPORE USQUE IN PRAESENTEM DIEM. Quæ regibus dantur, perpetuo manent.

V. 29. MISERICORDIAM, ET VERITATEM. Pollicemur ex gratia, implemus ex fide. & iustitia: id significat *veritas*. Verba Iacob ad Ioseph.

V. 31. CONVERSUS AD LECTULI CAPUT. Vox *conversus* non est in Hebræo. Sept. dixerunt: *Adoravit fastigium virgæ eius*. Variæ interpretationis causa fuit vox Hebraica, quæ iisdem prorsus litteris pro varietate punctorum nunc significat

ficat *virgam* מטה *matteh*, quod Sept. dixerunt; nunc *lectum*, מטה *mittah*, quod est in Hebræo, & sequitur nostra Editio, & Chaldæa, tum inter Græcos Aquila & Symm. Quo miror, Hieron. in Traditionibus diserte negare in Hebræo esse *virgam*, sed *lectum*: nam si ad litteras tantum refertur, utrumque potius est, & *virga* & *lectus*, pro varia prolatione. Ac suspicor ex hoc loco Hieron. & aliis, eius tempore puncta aliqua fuisse ad distinguendam variam prolationem vocum, quæ iisdem prorsus litteris constabant; licet ea quæ in usu modo sunt puncta, Iudæi postea invenerint in congregatione Tyberiadis. Paulus profecto ad Hebr. XI. citat hunc locum iuxta interpretationem Sept. Hebraica sic: *Adoravit ergo Israel Deum super caput lecti*, vel *ad caput lecti*, scilicet sedens in superiori parte lecti, quod Noster dixit, *Conversus ad lectuli caput*.

MALVENDAE.

Vers. 2. EXTREMOS QUOQUE FRATRUM SUORUM QUINQUE מקצה *miktzeh*. Quidam ut unum nomen exponunt: *Et extremum*, *extremitatem fratrum suorum accepit quinque homines*. Alii Mem præpositionem esse malunt: *Et de extremo*, *de extremitate fratrum suorum accepit*, &c. & hoc rectius est; ac varie elucidant. I. *Et partem*, vel *de parte fratrum suorum accepit quinque*, &c. II. *Et quosdam fratrum suorum*. Hebræi enim קצה *ketseh* pro *quidam*, & *quædam*, usurpant. III. *Et de fine*, *extremitate*, *summa*, *termino*, *fratrum suorum*, &c. id est, de tota summa fratrum suorum tulit quinque viros. Finis pro summa: rationum enim finis est summa. IV. *Et extremitatem fratrum suorum*, id est extremos quosque, id est qui viliori & despectiori erant aspectu, & persona: ne si robustiores & præstantiores adduxisset, Pharao illos in militiam, vel armatam, vel palatinam traxisset. V. *Extremos*, a contrario, id est præstantiores, & robustiores, qui ceteris proceritate, forma, & viribus præstarent: Hispanice, *los mas estremados*: ut eorum aspectu Pharao erga Hebræos afficeretur. Sic sumitur id verbum Iudicum XVIII. 2. VI. *Extremitatem fratrum suorum* quidam intelligunt principii, & finis; id est, accepit de utraque extremitate, nempe de primis & ultimis, ut eorum intuitu de omnium ætate rex iudicium faceret.

V. 6. MAGISTROS PECORUM MEORUM. Virgilius XII. AEneidos *magistros pecorum* etiam vocat:

.... *pavidi cessere magistri*.

Ubi Servius: *Proprie magistri sunt militum*, *pastores pecorum*. *Sed reciprocæ sunt istæ translationes*: *nam & ductor militum pastor vocatur*, *ut diximus supra ex Homero*; *& magistros pecorum dicimus*: *Cicero*: *Quem magistrum pecoris esse dicebant*. Notant, AEgyptios aluisse pecora, & armenta, non ad mactandum, & comedendum: nam ea pro diis habebant, nefasque iugulare ducebant; sed ad lanam, lac, caseum, stercora, & ad vendendum. Sed si rationes Africani, & Eusebii, ex Manethone AEgyptio sacerdote desumptæ, non fallunt, hoc tempore quo Iacob cum familia descendit in AEgyptum, adhuc rerum potiebatur tertia dynastia pastorum, seu bucolorum, vel bubulcorum: unde hic Pharao, qui tum imperabat, ex pastoribus, seu bucolis erat: nihil ergo mirum si greges, & armenta aleret: cui quoque ea accessit causa, ut Ioseph, & Israelitis tantopere faveret, quod pastores, ut ipse, essent.

V. 7. BENEDICENS ILLI; id est, salutavit, bene precatus est, cuncta illi felicia & fausta optavit: gratias egit, mirifice collaudavit, quod suos tantopere diligeret, & extulisset. Sic vers. 10. & I. Samuel. XXV. vers. 14.

V. 11. IN OPTIMO TERRAE LOCO, RAMESSES. S. Hieronymus: *Dedit eis ut possiderent AEgypti optimam terram in Ramesse*: *pagum Arsenoitem sic olim vocatum autumant*. At si Ramesses erat in terra Gosen, ut Scriptura palam indicat supra vers. 6. & si Ramesses erat in extremis AEgypti finibus, ut diserte S. Hieronymus epistola CXXVII. mansione 1. affirmat, & est maxime verisimile; certe Arsenoitem pagum vel præfecturam esse non posse, nimis est perspicuum; cum post, vel ultra Nomos, Bubasten, Heliopolitanum, Heracleoticum, venientibus a Chananæa, sit Arsenoites, ut ex Strabone, Plinio, Ptolemæo, & cunctis geographis liquet. Beniamin Tudelensis: *Ab antiqua Mirraim ad regionem Gossen octo parasangæ sunt*:

sunt : ea Bulazir Zzalbizz dicitur, urbs magna, in qua Iudæi circiter mille sunt. Hinc dimidium iter conficitur in Ghizkaal le Ghein al Zzemezz, quæ olim Raghmesses fuit, nunc dirutæ urbis ruina: in qua opera multa conspiciuntur a patribus nostris quondam ædificata, in bisque ingentes quædam moles turrium instar, ex lateribus constructæ. Ramessen quidam Busirin, aut Busiritem nomon, Strabonis, Plinii, Ptolomæi existimant. Ego eam in nomo Bubaste, aut Heliopolitano fuisse, facile crediderim. Vide Exodi I. vers. II.

V. 12. PRAEBENS CIBARIA SINGULIS. Hebraice, *Ori*, vel *ad os parvuli*. I. *Sicut parvulos*: ac si essent parvuli, curam eorum gessit, & universa eis necessaria providit, ac si essent parvuli. Cura parvulorum attentior & solicitior esse solet: quod ipsi se curare non possint; quasi dicat: Nihil ipsi de cibo & vitæ necessariis curabant: cuncta Ioseph procurabat. II. *Ad os parvuli*, id est sine pretio, & labore, ut parvulis datur. *III. Ad os parvuli*, ad satietatem, & saturitatem, sæpe, frequenter, ut parvuli comedere solent. IV. *Ad os parvuli*, ut sit emphatica locutio, ac plena curæ, & amoris, quasi cibum in nos ingerendo, ut solet fieri pueris. V. *Ad os parvuli*, pro ratione, & numero parvulorum: ut etiam unicuique ex parvulis suam designaret portionem. VI. Quidam לפי *lepi* volunt esse particulam expletivam, & idem esse quod secundum, ad taxam, ad æstimationem, ad rationem, ad mensuram: ut indicet, quantum quisque comedere possit; ut Exod. XII. 4. *Ad os*, secundum, *comedere suum*. Sic, *Ad os parvuli*: assignavit cibaria secundum quod quisque etiam parvulus comedere posset. VII. *Ad os parvuli*, id est, usque ad os parvuli; scilicet, omnes pavit a maximo usque ad minimum.

V. 13. ET OPPRESSERAT FAMES TERRAM. Ex Hebræo varie convertunt: *Et lassa, fatigata, fessa, defessa, dissoluta, effeta fuit terra*. Alii, *Insanivit, furiit, in rabiem, & furorem acta est terra*. Nihil magis in rabiem vertit quam fames. Nonnulli, *Defecit, viribus destituta est terra*. Verbum להה *lahah* non alibi extat, nisi hic in Kal, & Proverb. XVI. 18. in Hithpahel; ubi Noster *noxium esse* vertit.

V. 17. SUSTENTAVITQUE EOS. נהל *nehal* proprie est *commode, leniter, blande duxit, adduxit*, ut bonus pastor. Hinc metaphorice pro *sustentare, educare* sumi volunt. Quidam, *portavit eos levandi causa, sustentavit eos, sublevavit eos*. Sed nihil rectius quam *eduxit eos*. *Educere* Latinis, pro *educare*. Terentius Adelphis: *Eduxi a parvulo, habui, amavi pro meo*. Tacitus frequenter eo verbo *educendi*, pro *educandi* utitur; ut *in contubernio Legionum eductum*, de Caligula.

V. 18. ABSQUE CORPORIBUS. Hebr. *Nisi corpus nostrum*, id est pene mortuum, ac fame confectum.

V. 21. Singulare quid hoc versu exprimunt Hebræa, nempe Pharaonem transtulisse populos AEgypti de urbibus in urbes, iussisse eos mutare sedes per totam AEgyptum, atque relictis propriis locis, in alios commigrare; nempe habitatoribus permutavit sedes per totam provinciam, in signum videlicet quod nihil proprii amplius haberent in terra; & ne famis causa coniurarent, & defectiones, aut rebelliones struerent.

V. 22. PRAETER TERRAM SACERDOTUM, &c. Tremellius, & Iunius, pro *sacerdotum*, reddunt *præsidum*, id est officialium, eorum qui in aliquo munere erant apud regem: nam vel ipsius Ioseph exemplum ostendere, regis præfectis, & familiis eorum ex regis apothecis & promptuariis fuisse prospectum: alioquin non fuissent pasti AEgyptii, familiam Iacob, quæ iam familia Iosephi habebatur, regiis sumptibus sustentari. Non ero magnus Apollo, si divinem, istos, ut hunc egregium locum pro immunitate sacerdotum, eluderent, eiusmodi interpretamentum commentos: tanto illis fastidio & dolori est sacerdotum immunitas! Ridiculos & exibilandos, atque antiquitatis AEgyptiæ ignaros se præbent. Sacerdotum terram fuisse nomum Heliopolitanum, ex Strabone annotavimus supra cap. XLII. vers. 45. Diodorus Siculus Lib. I. cap. XXI. *Isis cum utilitate etiam sacerdotes invitare ad cultus istos Osiridis vellet, tertiam eis terræ partem ad deorum ministeria, & sacra munia fruendam donavit*. Et cap. 37. *Totius regionis AEgypti, quæ tripartita est, primam sacerdotum ordo sibi portionem vendicat*. Ergo hic omnes antiqui & recentiores sacerdotes sacrorum ministros intelligunt.

V. 31.

V. 31. ADORAVIT ISRAEL DEUM CONVERSUS AD LECTULI CAPUT. Hebr. *Et incurvavit se Israel super caput lecti.* מטה *mittah* proprie *lectus*, *stratum*, *reclinatorium*, *ubi homo sese reclinat*, *& extendit* a נטה *natah*, *extendere*, *reclinare*. Exponunt: Cum præ senectute, & lassitudine sederet in lecto, nec posset assurgere, quo potuit conatu debile corpus in formam adorantis prono vultu composuit, ac Deum adoravit, gratiasque illi egit pro singulari illo beneficio quo iuramento filii confirmatus, certum habuit, se sepeliendum in terra Chenaan cum patribus suis: quam rem maxime optabilem cum primis habebat. Idem dicitur de Davide I. Paralipom. XXIX. 10. & I. Reg. 1. 47. Quidam hic nihil de adoratione dici volunt; sed quod finito sermone cum Ioseph, quem sedens in lecto habuerit, reclinaverit se senex & procubuerit ad quiescendum super cervical lecti, labore, & lassitudine confectus. Sed ii nesciunt verbum שחה *schachah* in Hithpahel semper dici de *inclinatione*, *incurvatione*, *prostratione quæ fit alicui honoris & reverentiæ causa*. Sed cur dicitur Iacob adorasse super caput lecti? Quidam, quod ea parte respiceret orientem, ad quem conversi prisci orabant. Alii, quod esset versus Chananæam terram promissam, ubi Christus nasciturus erat, &c. Nonnulli, ne videretur adorare filium, convertisse se ad caput lecti. Fortasse, quod ex cervicalibus conformavit, ac quasi effigiavit quoddam veluti altare, in quo sibi figuraret Deum præsentem. S. Hieronymus: *Sanctus quippe, & Deo deditus vir, oppressus senectute, sic habebat lectulum positum, ut ipse iacentis habitus absque difficultate ulla ad orationem esset paratus*. Eadem habet S. Augustinus quæstione CLXII.

Eadem vox Hebræa eisdem litteris, sed punctis variatis, מטה *matteh*, significat *virgam*, *baculum*, *scipionem*, *sceptrum*: Unde LXX. hic reddiderunt: *Et adoravit Israel super summitatem virgæ eius*: quod totidem verbis secutus est Paulus Heb. XI. 21. Non est improbandum, quod plerique intelligunt Iacobum adorasse caput, seu summitatem virgæ, vel sceptri Ioseph: nam sceptrum tum forte gerebat, insigne sui sultanatus, & præfecturæ; quasi filium honorans & venerans ut moderatorem & præsidem AEgypti. Atque tunc quidam existimant impletum fuisse somnium Ioseph, quod sol adoraret ipsum: nam antea non legitur Iacob adorasse Iosephum.

Mihi nihil videtur prudentius dictum aut excogitatum, quam quod habet S. Augustinus quæstione CLXII. cuius idcirco verba subiicio: *Quod habent Latini codices, Et adoravit super caput virgæ eius, nonnulli codices emendatius habent: Adoravit super caput virgæ suæ, vel in capite virgæ suæ, sive in cacumine, vel super cacumen. Fallit enim eos verbum Græcum, quod eisdem litteris scribitur, sive eius, sive suæ; sed accentus dispares sunt, & ab eis qui ista noverunt, non contemnuntur. Valent enim ad magnam discretionem: quamvis & unam plus litteram habere posset, si esset, suæ, ut non esset* αὐτοῦ, *sed* ἑαυτοῦ: *ac per hoc merito quæritur quid sit quod dictum est. Nam facile intelligeretur, senem, qui virgam ferebat, eo modo quo illa ætas baculum solet, ut se inclinavit ad Deum adorandum, id utique fecisse super cacumen virgæ suæ, quam sic ferebat, ut super eam caput inclinando adoraret Deum.* Vide S. Hieronymum. Atqui plerique in Paulo pariter reddunt, *Super summitatem virgæ suæ*. Unde illud Nostri, *Virgæ eius*, pro reciproco capiunt, id est *suæ*. Unde hic quidam convertunt: *Et incurvavit se Israel super caput virgæ*, hoc est super caput baculi, seu scipionis, quem senex in manu habebat: nempe summitate baculi nixus, se incurvavit, & corpus inclinavit ad adorationem: ut gratias ageret Deo, qui intus spiritu, foris iuramento filii, futurum confirmabat, ut impleretur id quod non tam sua, quam suorum causa petierat.

Utraque interpretatio & ista Nostri hic, & illa LXX. & Pauli vera, divina, & a Spiritu Sancto: nam facile est utrumque potuisse contingere, ut nixus summitate scipionis, adorarit ad lectuli caput, ubi forsan habebat oratorium: nam nihil necesse est Iacobum hic in lecto sedentem componere: aut forte prope lectum ad manum habebat scipionem, quem accepit tunc; ut se commodius verteret, eo nixus, ac se in adorantis habitum conformaret.

ME-

MENOCHII.

Vers. 1. NUNTIAVIT PHARAONI. Reverentiæ in regem id fuit: & fortasse aliquis metus animum illius subiit ne animo mutatus esset Pharao; itaque non recta introduxit.

V. 2. EXTREMOS. Heb. est, *De extremitate fratrum suorum accepit quinque viros*. Vatablus explicat: Non selegit, sed maxime obvios accepit. Alii interpretantur, præstantissimos. Alii ut Pererius & Oleaster, vilissimos & abiectiores quoad speciem, ne scilicet Pharao, aut militiæ adscribere, aut in aulam inducere tentaret, unde mores illorum corrumperentur, & incommodis aliis paterent. Satius iudicavit ut seorsim quiete agerent.

V. 4. NON EST HERBA GREGIBUS. Citius Chananæam herba defecerat, quam AEgyptum: quia Chananæa altior, terra vero Gessen humilior est pars AEgypti, & multis fossis irrigua ex Nilo.

V. 6. IN CONSPECTU TUO EST: elige quam voles partem: idem significat quod *coram te est*.

V. 7. BENEDICENS ILLI, salutans, & fausta precatus regi, & fortasse dicens, *Vivat rex*, aut *rex in æternum vive*: nam differt benedictio qua minor maiori benedicit, ab ea qua maior minori.

V. 9. PEREGRINATIONIS MEAE. Iacob multum fuerat peregrinatus, & omnes in hac vita peregrinamur a Domino. PARVI, pauci, multo enim breviore tempore vixi quam maiores mei. MALI, pleni ærumnis, & infelices.

V. 10. BENEDICTO REGE: postquam regi valedixit.

V. 11. RAMESSES, in regione illa provinciæ Gessen ubi postea Ramesse oppidum extructum Israelitarum opera.

V. 13. TOTO ORBE, magna orbis parte: est hyperbole.

V. 14. INTULIT IN AERARIUM, nihil sibi reservans, ut ait Philo.

V. 15. PANES, triticum ad conficiendos panes.

V. 18. ANNO SECUNDO, ab adductis, & venditis pecoribus, qui fuit quartus, vel quintus ab inchoata fame.

V. 19. EME NOS IN SERVITUTEM: parati sumus mancipia fieri. Pot est quis seipsum vendere, & liberos famis vitandæ causa. PRAEBE SEMINA. Poterat aliquid seri aliquibus locis iuxta Nilum, ut supra dictum est.

V. 21. A NOVISSIMIS TERMINIS AEGYPTI USQUE AD EXTREMOS FINES EIUS. Hebræa sic habent: *Et populum transire fecit ad civitates de una extremitate termini AEgypti usque ad extremitatem eius*; id est, incolas transtulit de una in aliam remotissimam civitatem. Id factum ut turbis, & seditionibus obviam iretur, si forte aliquæ existerent, dolore stimulante, quod suis possessionibus excidissent.

V. 22. TERRAM SACERDOTUM. Vide immunitatem bonorum sacerdotalium. Ita crediderim factum voluntate potius Pharaonis, quam studio Ioseph, qui idolorum cultoribus non est existimandus favere, & tributa remittere voluisse. NON SUNT COMPULSI: quia nulla pressi penuria.

V. 23. DIXIT ERGO IOSEPH, anno famis septimo, & ultimo, cum iam spes futuræ fertilitatis affulgeret.

V. 24. IN SEMENTEM. Vult Philo speculatores positos, qui viderent ut sationi ea pars impenderetur.

V. 25. SALUS NOSTRA IN MANU TUA EST: per te salvi futuri sumus: omnia tibi, & regi debemus, & deferimus.

V. 26. QUASI IN LEGEM. Hebræus, Græcus, & Chaldæus simpliciter aiunt hanc legem a Iosepho in perpetuum latam.

V. 27. ISRAEL, Iacob.

V. 29. PONE MANUM TUAM SUB FEMORE MEO. Vide dicta cap. XXIV. 2. MISERICORDIAM, ET VERITATEM. Duæ sunt explicationes. Una quæ copulat ambo, ut sit sensus: beneficium certum, seu bona fide: altera quæ disiungit: misericordiam facias promittendo non necessitate, sed miseratione mei; veritatem, quod promiseris in rem deducendo.

V. 30. SED DORMIAM CUM PATRIBUS MEIS. Huius voti plures causæ fuerunt. Primo optavit in terra sancta, in qua sola futurus Dei cultus, cum piis parentibus sepeliri. Secundo ut hac postulatione securos faceret de reditu suorum in Chanaanitidem, atque ita a deliciis AE-

gypti

gypti eorum animum averteret. Tertio ut reversi in Chananæam posteri haberent præ oculis sepulcrum suum monumentum, & incitamentum virtutis, IV. quia non ignorabat Christum in Chananæa versaturum, moriturum, & resurrecturum cum multis, ex quorum numero esse cupiebat. IN SEPULCRO MAIORUM MEORUM: in spelunca duplici, de qua supra cap. XXIII. 17.

V. 31. IURA ERGO: non diffidit filio, sed præbet excusationis ansam cum Pharaone. CONVERSUS, ad orientem, sive ad terram promissionis. AD LECTULI CAPUT. Septuaginta vertunt: *Adoravit Iacob fastigium virgæ eius*, sceptra scilicet Iosephi. Utraque interpretatio vocibus Hebraicis convenit pro varietate subiectorum punctorum, & utrumque Iacob præstitit: adoravit, id est reverentiam exhibuit sceptro, & potestati Iosephi; & Deum etiam adoravit gratias agendo, quod eam mentem dedisset Ioseph ut in Chananæam cadaver transferret, & patribus suis apponeret iuxta postulatum suum.

TIRINI.

Vers. 22. PRAETER TERRAM SACERDOTUM: horum enim erat cultui divino, & virtutum ac sapientiæ studio integre vacare: unde merito ab omni tributo, vectigalibus, aliisque oneribus publicis eximebantur, & a principe ex publico alebantur, testibus Herodoto, Hieronymo & Diodoro Siculo *a*: ratione naturali id docente, & exigente. Quanto ergo maiori iure id veris sacerdotibus novi testamenti a principibus christianis præstandum? inquit Chrysostomus, & Theodoretus.

V. 30. CONDAS ME IN SEPULCRO MAIORUM MEORUM, id est in Hebron terræ Chanaan, ubi Abraham, Sara, Isaac, verosimiliter & Rebecca, sepulti fuerant. Idem fuit votum, & præceptum Iosephi morituri, infra cap. ult. & verosimilius etiam reliquorum duodecim Patriarcharum, quos Iosephus *b* scribit in *Hebrone* esse sepultos; S. Hieronym. in *Sichimis*, *c* & hoc insinuatur Actor. VII. vers. 16.

Petes: Quare adeo horrebant sepeliri in AEgypto? Respondet Rupertus, ut filiorum suorum animos ab AEgypti deliciis, & vitiis alienos redderent, certamque ipsis postliminio in Chanaanitidem reditus spem iacerent. Secundo ut in terra sancta tot aliis Sanctorum corporibus iungerentur, & maxime Christo in Chanaan nasci turo, & morituro; cum quo se quoque resurrecturos forte prævidebant, aut sperabant. Tertio ut posteri parentum suorum ossa sanctasque exuvias apud se, & quasi in sinu suo haberent, tamquam perpetua monumenta, & stimulos virtutum parentum. Ita S. Augustinus, Tostatus & alii.

V. 31. ADORAVIT; id est, laudavit, gratias Deo egit Israel, de tot tantisque beneficiis in Iosephum. & per Iosephum in suos omnes collatis. AD LECTULI CAPUT. Pro המטה *mitta* Hebræo, quod *lectulum* significat, quo modo vertit S. Hieronymus, Aquila, & Symmachus, mutatis punctis legerunt LXX. Interpretes מטה *matte*, quod *virgam*, seu *sceptrum* significat. Dicunt ergo Iacob adorasse, seu honorasse caput, id est summitatem, vel verticem virgæ, seu sceptri regii, quod Ioseph tamquam muneris sui insigne manu de more tenebat. Et hanc versionem sequitur Apostolus ad Hebræos XI. vers. 21. & Synodus septima generalis, & multi antiqui. Utraque lectio bona, proba, & vera est; utraque verosimiliter a Spiritu sancto intenta, etiam litteraliter. Et forsan hæc est ratio cur S. Scriptura ea lingua, & litteris conscribi voluerit, quibus in scriptione deessent puncta, ut sensuum diversitas ex diversorum punctorum appositione nasci posset, qui simul a Spiritu sancto intenderentur.

(*a*) Herod. in Euterpe. Hieron. Lib. I. adversus Iovinian. Diod. Sic. Lib. I.
(*b*) Ioseph Lib. II. Antiq. cap. IV.
(*c*) Hieron. in epitaphio Paulæ, & Epist. ct. ad Pammachium.

GORDONI.

Vers. 2. EXTREMOS QUOQUE FRATRUM SUORUM. Aliqui viliores intelligunt; aliqui minores ætate fratres. Hebr. *de extremitate*: קצה *katse*, *extremum*, nil vetat alterutrum accipi.

V. 6. MAGISTROS PECORUM. Accipio hoc nomine equos, asinos, camelos; immo oves & boves: licet enim his non ute-

uterentur ad esum AEgyptii, utebantur tamen ad onera, sementem, lanam, & lac.

V. 7. Benedicens illi; hoc est, fausta precatus Pharaoni, post salutationem. Sic Ioab benedixit regi Davidi; hoc est, vale dixit, II. Reg. xiv. 21. Ramesses urbs tunc ædificata ab Israelitis in terra & regione Gessen, ex Hieronymo.

V. 9. Respondit. Hic quisque dat ex sua opinione chronologiam Iacob. Res a nobis explicata alibi est.

V. 11. Terra Ramasses est terra Gessen: nam supra cap. xlvi. vers. 28. ubi Noster habet Gessen, Septuaginta habent Ramesses. AEdificata est ibi postea urbs ab Israelitis istis dicta Ramesses. Exod. xi. vers. 11. & quæ nomen hoc dedit regioni; atque ita Moses per anticipationem nunc vocat terram Ramesses, ut dicebam.

V. 13. In toto orbe. Hoc est ex Hebr. *in terra*; immo etiam *illa*, propter articulum בארץ *baarets*.

V. 18. Anno secundo: non quidem sterilitatis, sed anno secundo a commutatione pecorum.

V. 19. Praebe semina. Poterat seri aliquid iuxta Nilum, si forte ascendebat.

V. 22. Praeter terram sacerdotum. Immunitas a tributis conceditur a Pharaone, etiam Idolorum sacerdotibus.

V. 23. Dixit ergo, anno famis septimo.

V. 25. Est hoc eodem sensu apud Septuaginta, ubi venditis possessionibus dicitur populus transiisse a libertate pristina ad servitutem: discrepat tamen textus Hebræus aliquantulum. Servitus hæc esse potuit, ut qui ante coluerunt agros ut proprios, deinceps tamquam coloni colerent ut alienos, seu regios. Hinc vers. 26. dicitur consuetudo hæc solvendi annuam pensionem regi, ut directo domino transivisse in legem.

V. 28. Et vixit. Hanc moram in AEgypto, & totam chronologiam Iacob aperte ostendunt in Opere chronologico anni nostri expansi.

V. 29. Pone manum tuam sub femore meo. De hac iurandi formula dixi cap. xxiv. vers. 2. Gratiam hanc & fidem petit, ut impleatur quod petitur.

V. 30. Condasque in sepulcro maiorum meorum. Vult sepeliri cum patribus suis in Hebron, ubi Abraham, Sara, & Isaac sepulti sunt.

V. 31. Adoravit Israel Deum, conversus ad lectuli caput. Ex diversa lectione, *lecti*, & *virgæ*, habet hoc quidem duplicem sensum, sed utrumque bonum & probatum: unde habetur duplex sensus literalis: nam lectionem Septuaginta approbat Synodus septima, &, ut iam dicam, Paulus ad Hebr. Et adoratio illa (quæ est in utroque codice) facile explicatur, ut sit laudare Deum, ac gratias agere. Septuaginta habent: *Adoravit Iacob fastigium virgæ eius*, nempe sceptri Iosephi. Et Paulus Heb. xi. legit cum Septuaginta. Sed varietatem hanc explicat mutatio punctorum: nam vox מטה *mittah* significat lectulum; at מטה *matteh* est virga, Hieronymus in Traditionibus negat esse virgam, qui proinde intellexit esse vocem *mittah*. Constat post Hieronymum, & anno Christi 476. mutata esse, seu addita puncta, * aut certa anno 508.

(*) Qua de re erudite hic idem Auctor de Verbo Dei cap. 12.

CA-

CAPUT XLVIII.

Iacob ægrotantem invisit Ioseph, cuius filios Manassen & Ephraim Iacob sibi adoptat ac benedicit, minorem, contradicente Ioseph, maiori præponens, & supra fratres partem unam Ioseph tribuens.

1 * Is ita transactis, nunciatum est Ioseph quod ægrotaret pater suus: qui, assumptis duobus filiis Manasse, & Ephraim, ire perrexit. 2. Dictumque est seni: Ecce filius tuus Ioseph venit ad te. Qui confortatus sedit in lectulo: 3. & ingresso ad se ait: Deus omnipotens (*a*) apparuit mihi in Luza, quæ est in Terra Chanaan, benedixitque mihi, 4. & ait: Ego te augebo, & multiplicabo, & faciam te in turbas populorum; daboque tibi terram hanc, & semini tuo post te, in possessionem sempiternam. 5. Duo ergo filii tui, qui (*b*) nati sunt tibi in Terra AEgypti antequam huc venirem ad te, mei erunt: (*c*) Ephraim, & Manasses, sicut Ruben, & Simeon reputabuntur mihi. 6. Reliquos autem quos genueris post eos, tui erunt, & nomine fratrum suorum vocabuntur in possessionibus suis. 7. Mihi enim, quando veniebam de Mesopotamia, (*d*) mortua est Rachel in terra Chanaan in ipso itinere, eratque vernum tempus: & ingrediebar Ephratam, & sepelivi eam iuxta viam Ephratæ, quæ alio nomine appellatur Bethlehem. 8. Videns autem filios eius, dixit ad eum: Qui sunt isti? 9. Respondit: Filii mei sunt, quos donavit mihi Deus in hoc loco. Adduc, inquit, eos ad me, ut benedicam illis. 10. Oculi enim Israel caligabant præ nimia senectute, & clare videre non poterat. Applicitosque ad se deosculatus, & circumplexus eos, 11. dixit ad filium suum: Non sum fraudatus aspectu tuo: insuper ostendit mihi Deus semen tuum. 12. Cumque tulisset eos Ioseph de gremio patris, adoravit pronus in terram. 13. Et posuit Ephraim ad dexteram suam, id est ad sinistram Israel; Manassen vero in sinistra sua, ad dexteram scilicet patris: applicuitque ambos ad eum. 14. Qui extendens manum dexteram, posuit super caput Ephraim minoris fratris; sinistram autem super caput Manasse, qui maior natu erat, commutans manus. 15. (*e*) * Benedixitque Iacob filiis Ioseph, & ait: Deus, in cuius conspectu ambulaverunt patres mei Abraham, & Isaac, Deus qui pascit me ab adolescentia mea usque in præsentem diem, 16. (*f*) Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis: & invocetur super eos nomen meum, nomina quoque patrum meorum Abraham, & Isaac, & crescant in multitudinem super terram. 17. Videns autem Ioseph quod posuisset pater suus dexteram manum super caput Ephraim, graviter accepit; & apprehensam manum patris levare conatus est de capite Ephraim, & transferre super caput Manasse. 18. Dixitque ad patrem: Non ita convenit, pater: quia hic est primogenitus, pone dexteram tuam super caput eius. 19. Qui renuens, ait: Scio, fili mi, scio: & iste quidem erit in populos, &

multiplicabitur; sed frater eius minor, maior erit illo, & semen illius crescet in gentes. 20. * Benedixitque eis in tempore illo, dicens: In te benedicetur Israel, atque dicetur: Faciat tibi Deus sicut Ephraim, & sicut Manasse. Constituitque Ephraim ante Manassen. 21. Et ait ad Ioseph filium suum: En ego morior, & erit Deus vobiscum, reducetque vos ad terram patrum vestrorum. 22. Do tibi (*g*) partem unam extra fratres tuos, quam tuli de manu (*h*) Amorrhæi in gladio & arcu meo.

(*a*) Sup. xxviii. 13. (*b*) Sup. xli. 50. (*c*) Ios. xiii. 7. 29. (*d*) Sup. xxxv. 11. (*e*) Heb. xi. 21. (*f*) Sup. xxxi. 29. xxxii. 2. Matth. xviii. 10. (*g*) Ios. xv. 7. xvi. 1. (*h*) Ios. xxiv. 8.

BRUGENSIS

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 1. *His ita transactis*. Non est mutandum adverbium *ita* cum coniunctione *itaque*.

V. 15. *Benedixitque Iacob filiis Ioseph*. In multis libris est *Benedixitque Ioseph filio suo*; in quibusdam *Benedixitque Iacob Ioseph*.

V. 20. *Benedixitque eis*. Non mutes plurale *eis* cum singulari *ei*.

NOTATIO.

V. 15. Regia Biblia legunt: *Benedixitque Iacob Ioseph, & ait*. Novem scripta ab Hentenio notata, & viginti a nobis collecta cum Rabano habent: *Benedixitque Ioseph filio suo, & ait*: & hanc germanam esse nostræ versionis lectionem, verosimile est. Hebraice, & Chaldaice est: *Et benedixit ipsi Ioseph, & ait*. Quod autem in aliis Latinorum exemplaribus legitur: *Benedixitque Iacob filiis, aut filios Ioseph, & ait*, ad Græca accedit (quæ habent: *Et benedixit eos, & ait*) & sensum exprimit: ipsi enim Ioseph in filiis benedixit.

COMMENTARIA

S A.

Vers. 2. CONFORTATUS, id est resumptis viribus.

V. 5. MEI ERUNT; id est, succedent mihi in terra promissa: Hieron. REPUTABUNTUR; scilicet, uterque constituet suam familiam: Hieron.

V. 6. NOMINE FRATRUM; quasi dicat: In divisione terræ comprehendentur sub Ephraim & Manasse.

V. 7. ERATQUE VERNUM TEMPUS, ET INGREDIEBAR EPHRATAM. Hebr. *Erat milliare usque ad Ephratam*. Vide sup. cap. xxxv.

V. 11. NON SUM FRAUDATUS ASPECTU TUO. Hebr. *Non putabam me visurum faciem tuam*.

V. 16. BENEDICAT; id est, det felicitatem.

V. 19. MAIOR: scilicet ex illo, Iosue, & primi reges Israel.

V. 20. BENEDICETUR ISRAEL, ATQUE DICETUR. Hebr. *Benedicet dicendo*; quasi dicat: Cum populus Israel fausta precabitur, dicet.

V. 22. PARTEM UNAM, scilicet Sichem, quæ ob stuprum Dinæ acquisita Iacob, vel agrum illic emptum. IN GLADIO ET ARCU, id est iure belli, seu pecunia multo labore parta.

E S T I I.

Vers. 5. EPHRAIM, ET MANASSES, SICUT RUBEN, ET SIMEON, REPUTABUNTUR MIHI. Sensus est: Duos filios tuos Ephraim, & Manassem ego mihi adopto in filios; atque ita duarum etiam tribuum capita constituantur, sicut Ruben, & Simeon. Nominat autem Ruben, & Simeon, quod hi natu maximi essent, ut intelligeretur tanto magis etiam ceteris Ephraim, & Manassem in eo iure æquari.

V. 6. RELIQUOS AUTEM QUOS GEN-

GENUERIS .... TUI ERUNT. Nulla Scriptura refert Ioseph alios filios genuisse. Quare quod hic dicitur conditionaliter accipiendum est. Et sane Vatabli versio sic habet: *Si qui post hos tibi nascentur*. Atque ad illum proinde sensum explicanda quoque videntur Hebræa: *Et generatio tua, quam genuisti post illos*; etsi duriusculum sit.

V. 7. ERATQUE VERNUM TEMPUS. Vide cap. XXXV. vers. 16.

V. 16. ANGELUS QUI ERUIT ME DE CUNCTIS MALIS, BENEDICAT PUERIS ISTIS, ET INVOCETUR SUPER EOS NOMEN MEUM, &c. Quidam, ut Oleaster, hinc statuunt invocationem sanctorum. Sed non est necessum huc recurrere: nam ubicumque per totam Scripturam invocatur Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob, aut pro eorum respectu pii homines exaudiri a Deo petunt, ibi & ipsi suo modo invocantur. At vero quod hic dicitur, *Invocetur super eos nomen meum, nomina quoque patrum meorum*, secundum phrasim Hebraicam sensus est, ut Ephraim, & Manasses, tamquam ex Iacob geniti, nomine eius gaudeant æque atque filii. Ita dictum est Ierem. XIV. *Nomen sanctum tuum invocatum est super nos*.

V. 22. DO TIBI PARTEM UNAM EXTRA FRATRES TUOS. LXX. habent: *Do tibi Sichimam præcipuam super fratres tuos*. Hebr. est vocabulum *Sichem*, quod sonat humerum vel partem: unde & Noster generatim habet *partem unam*. Verumtamen Sichem quoque, aut certe bonam eius partem fuisse datam Ioseph satis patet Iosue ult. ubi sic legitur: *Ossa quoque Ioseph, quæ tulerunt de Ægypto, sepelierunt in Sichem* (nota in Sichem) *in parte agri, quem emerat Iacob a filiis Hemor, & fuit in possessionem filiorum Ioseph*. Sic ibi.

Sed quæres: Quid est hoc quod hic addit Iacob: *Partem unam quam tuli de manu Amorrhæi in gladio, & arcu meo*? Respondent nonnulli, quod Iacob censeatur Sichimam sibi armis vindicasse, quia filii eius Ruben, & Simeon eam armis subiugarunt, ut est supra cap. XXXIV. Sed id non recte, nam factum est id Iacob invito, & omnino iniuste, ut ibi plurimis ostendimus. Itaque alii verisimilius dicunt, quod cum occasione huius crudelitatis Ruben, & Simeon, vicini Amorrhæi etiam expellere vellent Iacobum possessione agri, quem illo loco emerat, ut est cap. XXXIII. ille iure belli & agrum illum, & vicina simul loca armis sibi asseruerit.

MARIANAE.

Vers. 2. SEDIT IN LECTULO. Miratur Hieron. in Tradition. cum eadem sit prorsus dictio hic & cap. superiori extremo, nempe *mittab*, quid Sept. superius *virgam*, hic *lectum* sunt interpretati? Sed iam est varietatis vera causa explicata.

V. 5. SICUT RUBEN, ET SIMEON REPUTABUNTUR MIHI, scilicet duo filii Ioseph. Ius primogeniti ablatum a Ruben, propter eius improbitatem, transfertur in Ioseph: I. Paralip. V. Et quidem inter alias prærogativas primogenito duplicia dabantur: quod hoc loco fit, quando duas tribus mandat ut constituant duo eius filii, atque duplicem portionem terræ dari illis.

V. 7. MORTUA EST RACHEL IN TERRA CHANAAN. Hebr. *Mortua est*, עלי *balai*, *super me Rachel in terra Chanaan*. Illud *super me* quidam explicant *iuxta me*, quidam *mihi*. Locus difficilis. Hebræus Schol. loco infinitivi sumit, ac si diceret, *ascendere me*; pro, cum ascenderem, & quidem lente, ad captum familiæ. Vult enim se excusare cur illam in via sepelivit, nempe ne a familia & gregibus discederet, neve faceret festinare. Quod autem additur: ERATQUE VERNUM TEMPUS: כברת ארץ *chibrath erez*, *cum adhuc esset milliare terræ usque ab Ephrata*: Hebræi ita intelligunt, & confirmant, quoniam Rachelis sepulcrum non amplius ab Ephrata distat seu Bethlehem. Chald. *Mortua est Rachel in terra Chanaan in via, cum adhuc esset spatium terræ, ut ingrederetur Ephratam*. Sed & Hieronymi versio quo pacto defendi possit, indicat Pagnin. in Diction. Hebr. radice ברה *barah*.

V. 11. NON SUM FRAUDATUS ASPECTU TUO. Hebr. *Videre faciem tuam non putavi*, vel *non sum precatus*: utrumque enim verbum פללתי *palalthi* significare potest; certe quoniam mortuum puta-

bat. Additur Hebr. *Et ecce ostendit te mihi D.us, etiam & semen tuum*. Noster: INSUPER OSTENDIT MIHI DEUS SEMEN TUUM.

V. 14. COMMUTANS MANUS. Hoc ex Sept. sumptum est; nam Hebraice est: *Intelligere fecit manus suas*, nempe direxit eas quasi præscias futurorum, aut quasi intelligerent quod facerent.

V. 16. INVOCETUR SUPER EOS NOMEN MEUM: dicantur filii mei. NOMINA QUOQUE PATRUM MEORUM quasi super capita tribuum; id est, vocentur filii Abraham, & Isaac. ET CRESCANT IN MULTITUDINEM. In Hebræo: *Crescant quasi pisces*: quorum scilicet est genus fecundissimum.

V. 19. MAIOR ERIT ILLO: scilicet ex illo, scilicet Ephraim, natus Iosue, & primi reges Israel. In eo Ephraim fuit maior Manasse.

V. 20. IN TE BENEDICETUR ISRAEL, ATQUE DICETUR: FACIAT TIBI DEUS SICUT EPHRAIM. Ex hoc loco Iudæi explicant omnes benedictiones promissas Abrahæ, & semini eius, nimirum dicturos posteros: Deus faciat tibi sicut Abrahæ, & filiis eius. Nos ad gratiam referimus per Christum.

V. 22. DO TIBI PARTEM UNAM EXTRA FRATRES TUOS, Sept. *Do tibi Sichimam præcipuam super fratres tuos*. Hebr. est vox *Sechem*, quæ & *Sichimam* significat, & *humerum*: sic quoniam humerus est pars corporis, & quoniam additur, *Do tibi Sechem unam*; vocem *Sechem* plerique Hebræi, & nostri in significatione partis sumpserunt. Quid enim esset, *Do tibi Sichimam unam*, quasi duas haberet eo nomine urbes? Sept. *unam* intellexerunt ἐξαίρετον *præcipuam*: erat enim *Sichem* omni fertilitate inter vicinas regiones conspicua. Sane cum constet ibi esse sepulcrum Ioseph, & Sichimam illi datam a patre, Ioan. IV. vers. 5. tametsi ibi vocatur *Sichar* (vel corrupta voce, ut putat Hieron. in Tradition. vel quoniam binomia erat) existimare debemus, hoc loco factam Iosepho eam donationem, & per vocem *Sechem* significari *Sichimam*. Quod si simul *partem* significari contendas, non morabor, modo sic locum reddas: *Do tibi partem unam*, nimirum *Sechem* ipsam. QUAM TULI DE MANU AMORRHAEI. Erant ii fortissimi inter Chananæos. Sed *Hemor*, cum quo lis fuit, Hevæus erat, cap. XXXIV. vers. 2. sed Hevæi, & Amorrhæi socii erant. IN GLADIO ET ARCU MEO. Iustitiam Hieron. intelligit per gladium & arcum, qua meruit, occiso Sichem, eam obtinere. Hebræus etiam Schol. *In sapientia mea, & oratione mea* explicat. Alii *in oratione mea, & deprecatione mea*. Ita volunt locutionem esse metaphoricam. Fortassis etiam quod fecerunt filii, sibi tribuit: sic erit perinde ac si diceret: Iure belli acquisivi.

MALVENDAE.

Vers. 3. DEUS OMNIPOTENS APPARUIT MIHI. De hoc vers. & sequenti vide Genesis XXXV. vers. 11.

V. 6. ET NOMINE FRATRUM SUORUM VOCABUNTUR. S. Hieronymus: *Non accipient separatim terram, nec funiculos proprios habebunt, ut reliquæ tribus; sed in tribubus Ephraim & Manasse quasi appendices populi commiscebuntur*.

V. 11. NON SUM FRAUDATUS ASPECTU TUO. Hebr. *Videre faciem tuam non iudicavi, non censui*; id est, non venit mihi in mentem ut aliquando te viderem; non feci iudicium apud me, quod te umquam videre possem. Alii: *Videre faciem tuam non putavi, non cogitavi*. Quidam, consentiente verbo cum Hebraico פלל *palal*: *Videre faciem tuam non appellavi*; id est, non induxi in animum, non appuli in animum. Possis reddere: *Videre faciem tuam non interpellavi, non oravi*; id est, adeo te pro mortuo habui ut penitus desperaverim me a Deo precibus obtinere posse ut te vivum viderem.

V. 14. SINISTRAM AUTEM SUPER CAPUT MANASSE, QUI MAIOR NATU ERAT, COMMUTANS MANUS. Hebr. *Intelligere, cognoscere fecit, erudivit, sapientificavit, manus suas, quia*, vel *quod Menasseh primogenitus*: quod ita exponunt: Quamvis hebetes & obtusi essent senio oculi Iacob, ut aspectu discernere nequiret, uter esset primogenitus; tamen docte, scite, perite, attente, ex industria, sapienter, consulto; non temere, forte, a casu, inconsulte, inepte, manus suas transversas posuit, ac commutavit: quasi dederit manibus suis intelligentiam

tiam & sapientiam, ut sapienter, & intelligenter illud facerent quod faciebant, ac si essent consciæ rerum futurarum. Quasi dicat: Singulari consilio & ratione, sciens ac volens transtulit ac commutavit manus suas, ut dexteram dirigeret super Ephraim, qui minor natu erat, & sinistram super Manassem, qui erat primogenitus; vel, quamvis esset primogenitus. Frigide, & inepte quidam reddunt: *Cognoscebat palpando manibus suis Manassem esse primogenitum*. Et quia hic verbum שכל *sacal*, est cum Sin sinistro, quod eiusdem est facultatis & rationis cum Samech, & invicem substituuntur, non aliene hic reddemus, *Stultescere fecit manus suas*: nam סכל *sacal* cum Samech *stultum esse* significat; id est, si naturæ, & humanitatis ordinem spectes, *stultescere fecit manus suas*, stulte, præpostere, & perverse eas collocavit, nimirum dextram super minorennem, & sinistram super primogenitum; pervertit naturæ ordinem: at si mysterium, & rerum futurarum eventum, sapientissime & consideratissime eas transposuit. Itaque iam idem verbum & sapientiam, & stultitiam significat. Addunt alii, significare etiam *traducere*, & *superponere unam alteri in modum crucis*; quod Noster dixit, *Commutans manus*; id est, unum brachium super aliud ponens in modum crucis. Unde notant apud Chaldæos & Indos crucem dici *mascal*: nam interrogatus Indus quidam Christicola, qui crucem semper gestabat in manu, more gentis, quo nomine illa crux vocaretur in suo idiomate apud Indos, respondit, quod appellabatur *mascal*: atque hic ita posset converti: *cruciavit*, *crucifixit*, *in modum crucis aptavit manus suas*. Addunt insuper, סכל כסל *casal* transpositum, esse *offendere*, *impingere*, *scandalizari*. Hinc מכשול *michsol*, *scandalum*: & hic posset transferri, *Scandalizari*, *impingere*, *incurrere fecit manus suas*, cum eas transposuit. Ex his colligunt, unam & eamdem vocem significare *sapientiam*, *stultitiam*, *crucem*, *scandalum*. Atque eo respexisse doctissimum Paulum arcanorum linguæ sanctæ magnum mysten, cum I. Corinth. 1. 23. ait: *Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam; ipsis autem vocatis Iudæis, atque Græcis Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam*. Hæc auctori Lexici Hebraici Complutensis, & Forstero annotata, visa sunt aliena Mercero; ego non aspernor. Egimus de his in Antichristo Lib. IX. cap. IV. Notant, verbum *sacal* in Pihel non alibi quam hic reperiri; ac significare *insignem industriam*, *& accuratam ac gnavam considerationem*, *animumque intentum ac diligens studium in re quæ agenda suscipitur*.

V. 16. ANGELUS, QUI ERUIT ME DE CUNCTIS MALIS. Verbum גאל *gaal*, ex vicinia affinium verborum, aiunt significare *rem alio devolutam ad se revolvere*, *& redire facere*, seu *transferre*, quod Latini dicunt *redimere*: si accipias pro rem, vel a seipso, vel a consanguineo proximo donatione, seu venditione devolutam, & contractu quodam implicatam, iure proprietatis pristinæ, aut propinquitatis, sibi rursum asserere, & vindicare. Notant, quod quando hoc verbum ipsi Deo tribuitur, tum immediate de secunda in divinis persona intelligendum esse: nempe de Filio Dei, qui ideo homo est factus, & carnem nostram assumpsit, ut propinquus & consanguineus proximus, nos venumdatos sub peccatum, & in satanæ potestatem redactos, iure propinquitatis sanguine suo redimeret, suoque nos regno assereret, & vendicaret. Itaque eiusmodi omnes loci veteris testamenti, in quibus *gaal* de Deo dicitur, confirmarunt egregie fidem de incarnando Filio Dei, & de in carne redemptione humani generis per sanguinem ipsius. Hæc sunt vere & sane observata; atque sic semper Forsterus & Mercerus errarent. Unde hic: *Angelus redemptor*, vel *qui redimit me ab omni malo*, *benedicat pueros istos*: loquitur de Christo in carne mittendo. Insignis locus de incarnatione Filii Dei. ET INVOCETUR SUPER EOS NOMEN MEUM, NOMINA QUOQUE PATRUM MEORUM; id est, post hac dicantur filii mei, & filii maiorum meorum, transcribantur in meum nomen & familiam, sortiantur meam appellationem, censeantur, & locum obtineant inter patriarchas, ac principes tribuum Israel. Sic Isaiæ IV. 1. *Invocetur nomen tuum super nos*; id est, vocemur de tuo nomine.

V. 22. DO TIBI PARTEM UNAM. שכם *schechem*, *unam*, sine dubio est elegan-

gantissima prophetica locutio, qua homonymice una & eadem voce *schechem*, & proprium nomen urbis Sichem indicat, & *humerum*, seu *portionem*, aut *partem* supererogationis, qua super aliorum fratrum portiones Iosephum auxit, significat: ut ille Trimalchio in convivio, uno & eodem verbo *carpe* & vocabat, & imperabat, apud Petronium. Nam *schechem*, & appellativum est, *humerum*, *dorsum*, vel metaphorice *montanum tractum* significans; & proprium *schechem* urbis, regionisque ad Iosephi posteros pertinentis. De Sichem expresse habes Ioannis IV. 5. Verum qua ratione hanc partem agri Sicimitæ Iacob gladio & arcu suo, id est belli iure tulerit ab Amorrhæis varie elucidant. Certum est, eam partem primum a Iacobo emptam centum agnis, vel nummis, Genes. XXXIII. 19. ac deinde aiunt, belli iure acquisitam, quando Simeon & Levi urbem everterunt, masculis trucidatis, & ceteris abductis: nam & si scelus eorum Iacob exhorruerit, ut & sequenti cap. vers. 5. videbimus; quia tamen totam eius familiam armarunt, quasi sub eius auspiciis militasse videntur, & agrum cultore vacuum & habitatore desertum suum fecit. Nonnulli exponunt, *Quam cepi e manu AEmoræi*; hoc est, nondum re, sed fide possidens, ac omnino de promissione Dei confirmatus, perinde de ea dispono ac si iam possiderem]. GLADIO ET ARCU MEO, id est armis: ita designat fore ut posteri sui vi armata promissam terram acquirant, Deo ipsos armante, & inimicos debilitante. Synecdoche, ut Psalm. XLIII. vers. 6. Alii alia afferunt, sed illud prius est simplicius. Disputavit de hoc loco late Masius ad Iosue XXIV. vers. 32. Dividam tibi ac seponam partem, portionem unam præ ceteris fratribus tuis, nempe prædium, seu agrum Sichimitem.

MENOCHII.

Vers. 1. QUOD AEGROTARET: langueret senio, paulatimque deficeret.

V. 2. CONFORTATUS: gaudio quasi roboratus ob carissimi filii conspectum, & simul spiritu prophetico illum implente.

V. 4. ET AIT. Ita commemorat, ut qui præsentes aderant intelligerent ius ipsi competere dividendæ terræ Chanaan, & filios Iosephi adoptatos in partem hereditatis adsciscendos. POSSESSIONEM SEMPITERNAM, longo tempore duraturam.

V. 5. MEI ERUNT: adoptati sortem sortientur non minus quam Ruben, & Simeon.

V. 6. QUOS GENUERIS: si quos genueris; nec legimus ullos postea genuisse. NOMINE FRATRUM SUORUM VOCABUNTUR: quando dividetur terra Chanaan, non accipient funiculum proprium tamquam capita tribuum, sed sub Manasse, & Ephraim comprehendentur.

V. 7. MIHI ENIM... MORTUA EST RACHEL IN TERRA CHANAAN. Hæc dicit ne Ioseph miretur eum tantopere solicitum ut in Mambre, seu Hebron sepeliatur, cum uxorem suam dilectissimam Iosephi matrem ipsemet in Ephrata sepelierit. Docet se id non sponte, sed necessitate fecisse, VERNUM TEMPUS: quo tempore facile putrescunt cadavera; ideo non potui illud deferre usque in Hebron, præsertim quia tot greges agens, iter accelerare non poteram.

V. 8. VIDENS. Quamvis caligaverant oculi præ senio, videbat filios Ioseph; sed non satis discernebat quinam essent.

V. 9. ADDUC: propius admove.

V. 11. NON SUM FRAUDATUS ASPECTU TUO, &c. Hebraice est significantius: *Quod faciem tuam viderem, numquam apud me cogitassem; & ecce Deus ostendit mihi etiam semen tuum.*

V. 12. DE GREMIO PATRIS. Accedentes ad senem genu flexerunt, & sic erant capite in sinum eius demisso, & quasi genibus incumbebant. Ne ergo avum gravarent, & ut illis commodius benedictionem impartiretur, Ioseph inde amotos utrinque collocat ad latus senis sedentis, & Iacob pedes supra lectulum colligit. ADORAVIT, Ioseph tum patrem, illi se reverenter incurvando; tum proprie Deum, gratias agens pro hoc beneficio, & benedictione patris.

V. 14. SUPER CAPUT EPHRAIM. Iste præfertur, primo quia ex Ephraim nasciturі erant reges Israel, puta decem tribuum: ita Eusebius. Secundo quia hæc tribus & gloria, & numero superavit tribum Manasse, ut prædicit Iacob num. 19.

Ter-

Tertio quia ex Ephraim nasciturus erat Iosue dux Israelis, qui populum induxit in Chanaan, unde & typus fuit Christi, qui nos in cælum inducit: ita S. Hieronymus. COMMUTANS MANUS: Hebr. est *Fecit intelligere manus suas*; id est, sciens & prudens manus suas transposuit, scilicet decussatim in modum crucis.

V. 15. IN CUIUS CONSPECTU AMBULAVERUNT: cui placuerunt per omnia obsecuti.

V. 16. ANGELUS, custos meus: subaudi hic vocem *quoque*; quasi dicat: Deus benedicat pueris istis, Angelus quoque meus iisdem benedicat. INVOCETUR SUPER EOS NOMEN MEUM. Hebr. *Vocetur eis nomen meum*; hoc est, dicantur filii mei, & filii Isaac, & Abraham.

V. 20. IN TE BENEDICETUR ISRAEL: quando Israelitæ volent alicui bene precari, dicent: Sic multiplicet te Deus sicut multiplicavit Ephraim, & Manasse.

V. 22. EXTRA FRATRES TUOS: futuræ divisioni eximens, iam nunc tibi illam concedo ut eximiam. Hæc pars eximia fuit Sichem, quæ in sorte filiorum Ioseph ponitur Iosue cap. XVII. DE MANU AMORRHAEI, ab Emor, quem late sumpto vocabulo vocat Amorrhæum, cum Hevæus fuerit. IN GLADIO ET ARCU MEO. Iacob agrum situm in Sichem prius emit pecunia ab Emor cap. XXXIII. num. 39. sed cum post stragem Sichimis a suis illatam, metuens ne Chananæi in se vicissim irruerent, inde abiisset, tunc agrum hunc Sichimensem occuparunt vicini Amorrhæi quos rediens Iacob vi, & armis expulit, suumque agrum in gladio, & arcu recepit. Hoc enim hic clare dicitur, licet alibi res gesta non narretur. Ita ex Andrea Masio Pererius, & alii.

TIRINI.

Verf. 14. COMMUTANS MANUS, nempe decussatim in modum crucis, ita ut dexteram suam imponeret capiti Ephraim stantis ad sinistram; atque ita prætulit minorem natu maiori Manasse stanti ad dexteram suam. Quod & comprobavit eventus: longe enim maior celebriorque fuit tribus Ephraim tribu Manasse: nam & ager Sichemiticus, quem extra ordinem cessit Iacob Iosepho, obvenit filio eius minori Ephraim; & Iosue tantus dux, & typus Christi, ex Ephraim natus fuit. Et Ieroboam eiusque successores ex Ephraim oriundi, imperium in reliquas tribus per plurimos annos obtinuerunt.

Allegorice, Rupertus per manus Iacob decussatas intelligit crucem Christi, & per Ephraim minorem natu populum Gentilem, qui maiori natu populo Iudaico per Manassen designato præpositus fuit. Ut solet divina providentia, cum per se specialem delectum facit, fere semper iuniores, quia viliores in oculis hominum, præponere senioribus: verbi gratia, hominem Angelo, Abelum Caino, Isaacum Ismaeli, Iacobum Esau, Phares Zaræ, Iosephum Rubeno, Ephraim Manasse, Mosen Aaroni, Davidem septem fratribus. Ita Theodoretus.

Petes: Quomodo dicit Iacob, se agrum illum Sichemiticum, quem hic dat Iosepho, tulisse de manu Amorrhæi in gladio, & arcu suo, seu vi, & manu armata; cum id nusquam in Scripturis legatur; immo constet ex Gen. XXXIII. vers. 19. & Iosue ult. vers. 32. hunc agrum emptum fuisse a Iacob pretio centum agnorum? Respondeo: Emit primo hunc agrum; sed post stragem Sichimis illatam a Simeone, & Levi, metu ne Chananæi factum ulciscerentur, agro excesserat Iacob: tunc invaserunt agrum Amorrhæi vicini, quos rediens Iacob vi & armis expulit, sibique postliminio vendicavit. Ita ex Andrea Masio, Pererio, a Lapide, Bonfrer.

ὁδιπορικὸν totius peregrinationis Patriarchæ Iacob vide in Chronico nostro cap. XVI.

GORDONI.

Vers. 1. AEGROTARET, morbo ad mortem propendente.

V. 2. IN LECTULO. Hebr. *de mitta*. Vide cap. XLVII. vers. 31.

V. 3. DEUS OMNIPOTENS APPARUIT MIHI IN LUZA. Deus bis in Luza apparuit Iacobo; nempe dum iret ad Laban in Mesopotamia, supra cap. XXVIII. vers. 13. & iterum post reditum, cap. XXXV. vers.

vers. 9. Eadem promissio utrobique facta.

V. 4. Hac commemoratione ostendit sibi ius esse, & posteris in Chanaan, & adoptandi filios Ioseph in partem hereditatis.

V. 5. DUO ERGO FILII TUI, &c. Tribus Ioseph in duas dividitur, in Ephraim, & Manasse; & sic hos nepotes Iacobus adoptat in filios, pro futura divisione Chananææ. Hic annus est ultimus & 147. vitæ Iacob, Iosephi 56. & horum nepotum fere annus 21. qui nati sunt paulo post principatum Iosephi. Vide cap. XLI. vers. 50. MEI, inquit, ERUNT; ac si ego eos genuissem.

V. 6. QUOS GENUERIS; tamen non legitur genuisse alios.

V. 7. MIHI ENIM QUANDO VENIEBAM DE MESOPOTAMIA, &c. Hebr. *Et ego cum venirem*; unde clarum est, *τὸ enim* in nostro textu non esse particulam causalem, ut docet usus litteræ Vau, apud Hebræos; quod initio solet esse vel coniunctivum, vel ad ornatum. Cetera hic addita sunt nota ex cap. XXXV. vers. 1.

V. 8. VIDENS AUTEM FILIOS EIUS, &c. Coniungendum hoc est cum initio vers. 3. ubi incipit loqui; & nunc prosequitur, intuens, ut poterat, filios Ioseph, qui iam annum vigesimum poterant superasse.

V. 12. CUMQUE TULISSET EOS, &c. Ioseph & ipse inclinatus tulit filios a sinu patris, ut ipsi quoque inclinati benedictionem acciperent ab avo.

V. 14. QUI EXTENDENS MANUM DEXTERAM. Per manum dextram Iacob præfert Ephraim iuniorem, quippe ex quo nasci turi erant reges præcipui tribuum Israel, & Iosue dux populi, ad possidendam terram promissam, ut habet Hieronymus.

V. 16. ANGELUS..., BENEDICAT PUERIS ISTIS, ET INVOCETUR NOMEN MEUM; hoc est, vocentur filii Iacob, ut etiam ipsi Deum Iacob possint invocare.

V. 19. MAIOR ERIT ILLO. Ephraim licet iunior, tamen erit maior ob causam datam ad vers. 14.

V. 20. BENEDIXITQUE. Hæc pars prædii data Iosepho, est prædium iuxta Sichem: unde & ibi sepultus est Ioseph velut in propria hereditate, Iosue cap. ult. & aperte satis hoc denotatur Ioan. IV. vers. 5. nisi quod progressu temporis mutata sit vox Sichem in Sichar. At quo gladio acquisivit Iacob hoc prædium? Sane improbabile non est (licet hoc non expresserit Scriptura) Iacob post emptum, & relictum ob cædem Sichimorum, hunc agrum repetivisse iterum armis. Et certe, ut ait Scriptura, quo tempore venditus est Ioseph, fratres pascebant gregem in Sichimis. Vide supra cap. 37. vers. 12. & hic vers. 22. ubi postea Samaria.

V. 22. DO TIBI. Pars hæc data Iosepho, est ager urbis Sichem, vel Sichar, Ioan. IV. vers. 5. Acquisitus dicitur gladio, hoc est vel per excidium Sichimorum, de quo supra cap. XXXIV. vel quando post aliquot annos ab hoc excidio (ut dicebam) putatur Iacob retinuisse vi, vel aliter hunc agrum. Nec placet metaphora quam dat Torniellus,

CAPUT XLIX.

Iacob singulis filiis suis benedicens, & quorumdam defectus arguens, futura illis prædicit, tandemque declarato sepulturæ suæ loco moritur.

1 VOcavit (*a*) autem Iacob filios suos, & ait eis: Congregamini, ut annuntiem quæ ventura sunt vobis in diebus novissimis. 2. Congregamini, & audite filii Iacob, audite Israel patrem vestrum. 3. Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea, & principium doloris mei; prior in donis, maior in imperio. 4. Effusus es sicut aqua, non crescas: (*b*) quia ascendisti cubile patris tui, & maculasti stratum eius. 5. Simeon, & Levi fratres, vasa iniquitatis bellantia. 6. In consilium eorum non veniat anima mea, & in cœtu illorum non sit gloria mea: (*c*) quia in furore suo occiderunt virum, & in voluntate sua suffoderunt murum. 7. Maledictus furor eorum, quia pertinax; & indignatio eorum, quia dura. (*d*) Dividam eos in Iacob, & dispergam eos in Israel. 8. Iuda, te laudabunt fratres tui: manus tua in cervicibus inimicorum tuorum, adorabunt te filii patris tui. 9. (*e*) Catulus leonis Iuda: ad prædam fili mi ascendisti: requiescens accubuisti ut leo, & quasi leæna: quis suscitabit eum? 10. (*f*) NON AUFERETUR sceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium. 11. Ligans ad vineam pullum suum, & ad vitem, o fili mi, asinam suam. Lavabit in vino stolam suam, & in sanguine uvæ pallium suum. 12. Pulchriores sunt oculi eius vino, & dentes eius lacte candidiores. 13. Zabulon in littore maris habitabit, & in statione navium pertingens usque ad Sidonem. 14. Issachar asinus fortis accubans inter terminos. 15. Vidit requiem quod esset bona, & terram quod optima; & supposuit humerum suum ad portandum, factusque est tributis serviens. 16. Dan iudicabit populum suum sicut & alia tribus in Israel. 17. Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita, mordens ungulas equi, ut cadat ascensor eius retro. 18. SALUTARE tuum expectabo Domine. 19. Gad, accinctus præliabitur ante eum; & ipse accingetur retrorsum. 20. Aser, pinguis panis eius, & præbebit delicias regibus. 21. Nephthali, cervus emissus, & dans eloquia pulchritudinis. 22. (*g*) Filius accrescens Ioseph, filius accrescens, & decorus aspectu: filiæ discurrerunt super murum. 23. Sed exasperaverunt eum, & iurgati sunt, invideruntque illi habentes iacula. 24. Sedit in forti arcus eius, & dissoluta sunt vincula brachiorum & manuum illius per manus potentis Iacob: inde pastor egressus est lapis Israel. 25. Deus patris tui erit adiutor tuus, & Omnipotens benedicet tibi benedictionibus cæli desuper, benedictionibus abyssi iacentis deorsum, benedictionibus uberum, & vulvæ. 26. Benedictiones patris tui confortatæ sunt benedictionibus patrum eius, donec veniret desiderium collium æternorum: fiant in capite Ioseph, & in vertice Nazaræi inter fratres suos. 27. Beniamin lupus rapax, mane

comedet prædam, & vespere dividet spolia. 28. Omnes hi in tribubus Israel duodecim: hæc locutus est eis pater suus, benedixitque singulis, benedictionibus propriis. 29. Et præcepit eis, dicens: Ego congregor ad populum meum: sepelite me cum patribus meis in spelunca duplici quæ est in agro Ephron Hethæi, 30. contra Mambre in terra Chanaan, (b) quam emit Abraham cum agro ab Ephron Hethæo in possessionem sepulcri. 31. Ibi sepelierunt eum, & Saram uxorem eius: ibi sepultus est Isaac cum Rebecca coniuge sua: ibi & Lia condita iacet. 32. Finitisque mandatis quibus filios instruebat, collegit pedes suos super lectulum, & obiit; appositusque est ad populum suum.

(a) Deut. xxxiii. (b) Sup. xxxv. 22. I. Paral. v. 1. (c) Sup. xxxiv. 25. (d) Iof. xix. 1. xxi. (e) I. Par. v. 2. (f) Ioan. 1. 45. Matth. 11. 6. (g) I. Par. v. 1. (h) Sup. xxiii.

COMMENTARIA

S A.

Vers. 1. NOVISSIMIS, id est futuris post hanc ætatem, seu postea: id enim significat phrasis hæc in Scriptura. Itaque quod Ioel. II. dicitur, *Post hæc*, Actor. II. vertitur, *In novissimis diebus*. Vide I. Tim. IV. & II. Timoth. III. Isa. IX.

V. 3. DOLORIS; quasi dicat, præcipua causa dolendi, scilicet ob peccatum tuum. Hebr. & Chald. *roboris*; quasi dicat, virtutis generativæ primus fructus. LXX. *principium filiorum meorum*. PRIOR, scilicet iure primogenituræ; sed id amisit, scilicet duas partes hereditatis, quæ datæ Ioseph; & sacerdotium, quod Levi; & regnum, quod Iudæ datum. Vide Deut. XXI. Chald. *Tu accepturus eras tres partes*: scilicet primogenituram, sacerdotium, & regnum; *sed non accipies*, &c.

V. 4. EFFUSUS, scilicet dissolutione peccati. SICUT AQUA; quasi dicat, totus profusus in libidinem. CRESCAS; pro, cresces, id est excelles.

V. 5. FRATRES, id est socii, scilicet in scelere. VASA, id est instrumenta, seu arma.

V. 6. GLORIA, id est anima. Sic Psalm. LVI. *Exurge gloria mea*. FURORE, id est ira. VIRUM, pro viros, scilicet Sichimitas. IN VOLUNTATE SUA; id est, suos affectus secuti. SUFFODERUNT, id est everterunt, seu vastarunt. MURUM, id est urbem Sichem.

V. 7. DIVIDAM: scilicet sparsi vivebant Levitæ, & Simeonitæ, qui fere Scribæ.

V. 8. IN CERVICIBUS; quasi dicat, superabis, seu subiicies hostes. TE, scilicet ut regem: vel Christus hic intelligitur, qui de tribu Iuda.

V. 9. CATULUS; pro, ut catulus. AD PRAEDAM. Hebr. *a præda*.

V. 10. DONEC VENIAT. Sensus est, non regnaturum alienigenam ante Christi nativitatem. Regnavit quidem Herodes antea, sed non legitime, nisi secundo Christi anno, quo illum Iudæi in regem suum volentes susceperunt. Vide Philo. Lib. II. de Tempor. & Ioseph XVII. Antiq. cap. III. QUI MITTENDUS EST, scilicet Messias. EXPECTATIO; scilicet, expectabunt eius secundum adventum. Iustin. Orat. ad Anton. Augustinus XVIII. de Civit. cap. XLVII.

V. 11. LIGANS AD VINEAM PULLUM SUUM. Fertilitatem indicat sortis Iudæ; quasi dicat: Abundabit magnis vitibus, adeo ut possint ad eas asini alligari, eritque maxima copia vini, & lactis. IN VINO, id est in sanguine. Tertul. contra Marc. Lib. IV. Iustin. Orat. ad Anton. STOLAM, id est corpus, secundum Tertullianum; vel fideles, secundum Iustinum.

V. 12. PULCHRIORES; pro, pulchri, seu rubicundi: id enim significat verbum Hebr. VINO, id est ob vini copiam. LACTE, id est ob lactis, quo vescitur, copiam.

V. 14. INTER TERMINOS; quasi dicat, in medio aliorum.

V. 15.

V. 15. PORTANDUM, ſcilicet tributorum onus, id malens quam bellis fatigari.

V. 16. IUDICABIT; quaſi dicat, erunt Iudices ex tribu Dan. Id in Samſone impletum.

V. 17. FIAT; pro, fiet, ſeu erit. COLUBER, id eſt ut coluber; quaſi dicat, erit in bello aſtutus. Quidam ad Antichriſtum referunt ex tribu Dan futurum: alii ad Samſonem.

V. 18. EXPECTABO, ſcilicet ex alia tribu.

V. 19. PRAELIABITUR, ſcilicet hoſtium exercitus. IPSE, ſcilicet Gad, ACCINGETUR; quaſi dicat, ſtrenue pugnabit. RETRORSUM, ſcilicet hoſtes in fugam vertens.

V. 20. REGIBUS, id eſt quibus etiam reges delectari poſſint, ſeu eſſe contenti.

V. 21. CERVUS EMISSUS; quaſi dicat, velox. PULCHRITUDINIS, id eſt pulchra; quaſi dicat, erit fecundus.

V. 22. DISCURRERUNT; quaſi dicat, confluxerunt puellæ ad videndam eius pulchritudinem.

V. 23. EXASPERAVERUNT, ſcilicet hoſtes; quaſi dicat, habebit multos hoſtes: vel de fratribus loquitur, a quibus eſt venditus. IACULA autem vocat arma iniquitatis, quibus in eum uſi.

V. 24. SEDIT IN FORTI; id eſt, permanſit validus, ſeu victor evaſit. DISSOLUTA SUNT VINCULA; ſcilicet, e carcere ereptus eſt. POTENTIS, id eſt Dei. PASTOR, ſcilicet pavit patrem, & fratres. LAPIS, id eſt firmamentum, ſcilicet ſuſtentans in fame.

V. 25. ABYSSI, id eſt aquæ; quaſi dicat, ſolo irriguo. ET VULVAE; quaſi dicat, filiorum.

V. 26. CONFORTATAE, id eſt ampliores; quaſi dicat: Maior eſt benedictio qua te benedico, quam ea qua ſum a patribus meis benedictus; ſcilicet, me felicior eris. VENIRET; pro, veniat; quaſi dicat, duret uſque ad Chriſtum deſideratum a Sanctis. FIANT, id eſt maneant, ſive impleantur, ſcilicet benedictiones. NAZARAEI, id eſt *ſeparati*, ſcilicet cum venditus eſt.

V. 27. LUPUS; pro, velut lupus. SPOLIA, ſcilicet hoſtium, quos ſuperabit, ut ſolet lupus oves. Significat autem, ut lupus mane & veſperi prædari ſolet, ita Beniamin ſæpe victoriam reportaturum de hoſtibus.

V. 28. OMNES HI, ſcilicet capita ſunt.

V. 29. POPULUM, ſcilicet qui in Limbo.

ESTII.

Verſ. 4. DE Ruben: EFFUSUS ES .... NON CRESCAS. *Non creſcas*, Hebr. *Non excellas*. Quare hac voce illum privatum nonnulli dicunt iure primogenituræ; quaſi dixiſſet Iacob, Nolo conſequaris prærogativam dignitatis. Certe conſtat primogenituram datam filiis Ioſeph: I. Paralip. v. Et benedictio quæ hoc loco Ioſeph data eſt, non obſcure etiam innuit plus Ioſeph omnibus ceteris fratribus eſſe tributum; ſpeciatim cum Iacob in ipſum ſe transfundere dicat benedictionem a patribus acceptam, quale nihil eſt in benedictionibus aliorum. Itaque ſenſus eſt: *Effuſus es ſicut aqua*; hoc eſt, evanuiſti, ad nihilum redactus es, contemptibilis factus es propter flagitium tuum, quod ſequitur. Et ſimilis locutio eſt Pſal. XXI. *Sicut aqua effuſus ſum*. QUIA ASCENDISTI CUBILE PATRIS TUI. Vide de hoc eius ſcelere, id eſt de concubitu cum uxore patris ſui cap. XXXV.

V. 5. SIMEON, ET LEVI ... VASA INIQUITATIS BELLANTIA. Vide dicta ſupra ad caput Geneſeos XXXIV. Porro quid ſibi velit, quod pater in eos dicit verſ. 7. *Dividam eos in Iacob, & diſpergam eos in Iſrael*, vide Ioſue XIX. & XXI.

Verſ. 10. NON AUFERETUR SCEPTRUM DE IUDA .... DONEC VENIAT QUI MITTENDUS EST. Manifeſta eſt de Chriſto prophetia: nam & Hebræorum plerique de Chriſto hoc teſtimonium accipiunt, & Chaldæus Paraphraſtes illud, *Donec veniat, qui mittendus eſt*, expreſſe ita reddidit, *Donec veniat Meſſias*. In captivitate quidem Babylonis finem habuit ſeries regum Iuda, ſed tamen tunc adhuc fuerunt iudices populi ex hac ipſa tribu, ut ſignificatur Danielis XIII. ac deinceps continuati ſunt huiuſmodi iudices ſeu duces, ut conſtat ex Libris Eſdræ, Machabæorum, & Ioſepho, uſque dum Herodes alienigena, primum quidem illud regnum invaſit, ſed ita tamen ut,

teste Iosepho, etiam consentientibus Iudæis, tandem in eo confirmatus sit. Significatur ergo quod tunc tempus erat expectandi Messiam hic promissum. Respondent Iudæi, quod tunc non venerit Iesus Nazarenus, sed aliquot annis post, atque ita ipse non sit hic Messias. Sed sciant, id quod modicum est pro nihilo reputari; aut si pertinaciter dicant in Herode non fuisse omnino sceptrum de Iuda sublatum, eo quod tunc adhuc esset concilium supremum Sanedrim, ex hac ipsa quoque potissimum tribu collectum sciant; illud ipsum quoque Christo iam iam nasciture sublatum, teste Iosepho. Sensus itaque est: non auferetur potestas regia a Iuda, nisi illi surrogetur (utpote ex eadem tribu) excellentius regnum Messiæ in omnes gentes. Nempe pro eo quod hic dicitur, ET IPSE ERIT EXPECTATIO GENTIUM, Aggæi II. dicitur: *Veniet desideratus cunctis gentibus*.

V. 17. FIAT DAN COLUBER IN VIA. Septuaginta habent γενηθήτω Δὰν ὄφις ἐφ' ὁδῷ; id est, *factus est ipsi Dan serpens in via*, ut non ipse Dan comparetur serpenti, sed potius pati dicatur serpentem. Sasbout in XIV. Isaiæ sic intelligit ut significetur fortitudo ipsius Dan contra hostes, quam per colubrum putat significari. Hinc impletum hoc multi volunt in Samsone, qui suis hostibus Philistæis fuit velut coluber in via, & cerastes in semita. Plerique tamen ad Antichristum referunt, & favere videtur Apocalypsis cap. VII. ubi tribus Dan inter electas tribus prætermittitur; quæ res ratione non caret. Ambrosius Lib. de Benedict. Patriarcharum cap. VII. *Non*, inquit, *Samsonem hæc prophetia significat*, *sed Antichristum*, *qui futurus est ex tribu Dan*.

V. 27. BENIAMIN LUPUS RAPAX. Ad litteram prædicitur bellicositas illius tribus, & victoriæ de hostibus; idque patet ex consequentibus, quæ sunt comedere prædam, & dividere spolia. Recte reiicit Liranus expositionem Hebræorum de altari sacrificiorum, quod fuit in tribu Beniamin, deque sacrificio matutino & vespertino. Quomodo enim hac contemplatione de tribu illa dicitur, quod sit lupus rapax, quodque prædam dividat, & comedat? Aptius sane de tribu Levitica, cui cedebant hostiarum partes, id dicere-tur. Ceterum mysticus sensus est de Saulo, postea Paulo dicto, Beniamiticæ tribus; primum quidem lupo rapace, id est persecutore, deinde vero spolia dividente, id est verbi divini eximio prædicatore.

V. 28. BENEDIXITQUE SINGULIS BENEDICTIONIBUS PROPRIIS. Quomodo singulis, seu unicuique propriis, cum Simeon, & Levi fuerint coniuncti; & quomodo benedictionibus, cum iidem, atque etiam Ruben loco benedictionis reportarint maledictiones? Respondeo: Idem est singuli quod pene singuli: nam exceptio tantum est in uno pari; quamvis ex consequenti quoque singuli eorum aliquid peculiare habuerint, ut mox patebit. Porro sub benedictionibus etiam maledictiones Scriptura comprehendit; quasi dicat imprecationes; tametsi quod de Simeone, & Levi dicitur: *Dividam eos in Iacob*, & *dispergam eos in Israel*: quamvis maledictio sit, si sola spectetur felicitas temporalis, Deus tamen vertit in benedictionem, nempe quando Tribus Levitica fuit evecta ad ministerium sacrum, & sacerdotale, cuius ratione debebat per universam illam gentem dispergi. Ex tribu autem Simeon fuerunt homines docti & periti legis, qui doctrina sua populum instruxerunt, ideoque & ipsi dispersi.

MARIANAE.

Vers. 1. IN DIEBUS NOVISSIMIS. Chald. *in fine dierum*; alii, *postmodum*: nec refert: nam quod Ioel. II. dicitur vers. 8. *Post hæc effundam spiritum meum*. Act. II. refertur per *in novissimis diebus*.

V. 3. RUBEN... PRINCIPIUM DOLORIS MEI. Sept. *filiorum meorum*: Chald. *fortitudinis meæ*. Variæ interpretationis occasio vox און *on*, quæ tum *dolorem* significat, quod Hieron. est secutus; tum *robur*: & quoniam robur in procreatione filiorum cernitur, Sept. dixere: *Tu principium filiorum*, id est primus. Ita his idem dicit: *Fortitudo mea*, & *principium roboris mei*. PRIOR IN DONIS, MAIOR IN IMPERIO; supple, esse debueras: quasi primogenito debebatur sacerdotium & regnum, ut Chald. explicat, & primogenitura, id est duplex hereditatis portio.

V. 5. SIMEON, ET LEVI FRATRES, VA-

VASA INIQUITATIS BELLANTIA. Hebr. *Vasa* (nempe instrumenta) *iniquitatis*, aut *indignationis gladii eorum*.

V. 6. IN CONSILIUM EORUM, in secretum, NON VENIAT: futurum pro præterito, *non venit*. Ostendit se eius proditionis participem non fuisse. IN COETU ILLORUM NON SIT GLORIA MEA. *Gloria*, pro *anima*, quod ostendit verbum תחד *tehad*, id est *uniatur*, feminini generis; cum כבוד *chabod*, id est *gloria*, masculinum sit Hebræis. Psal. LVI. *Exurge gloria mea*, id est anima mea. OCCIDERUNT VIRUM, Sichem, vel *virum*, id est viros, Sichimitas scilicet. SUFFODERUNT MURUM: sic Chald. at Sept. pro *muro* posuerunt *taurum*: qua metaphora intelligunt Hemor patrem Sichem, nam per arietes & hircos solent intelligi principes. Vox Hebr. *sor* utrumque significat, neque sententia discrepat: quando utraque interpretatio explicat direptionem Sichem, & cædem incolarum.

V. 7. DIVIDAM EOS IN IACOB, ET DISPERGAM: ne coire possint adversus fratres: & quidem Levitæ per omnes tribus erant dispersi. De Simeon in Iosue dicitur non habuisse propriam sortem, sed ex tribu Iuda parum quid accepisse, & in Lib. Paralip. quod ob multitudinem exierunt in desertum. Utrumque Hieron.

V. 8. IUDA, TE LAUDABUNT. Hebr. *Iuda tu*, *te laudabunt*. Alludit ad nomen, ut in aliis quibusdam, quoniam *Iuda* significat *confessionem*, & *laudem*. ADORABUNT TE: propter regni sceptrum eius posteris datum.

V. 9. CATULUS, ut catulus. AD PRAEDAM FILI MI ASCENDISTI. Hebr. *Ex præda ascendisti*, certe gloriosus, parta victoria. Vaticinatur fore Iudam victorem de hostibus. UT LEO, ET QUASI LEAENA. Pro *leæna*, Sept. *catulus leonis*, alii *quasi leo maior*, quod לביא *labi* volunt significare: quod Hieron. per *leænam* expressit, quod sit mare truculentior.

V. 10. DUX DE FEMORE EIUS, non deerit scilicet. Hebr. *Scriba de inter pedes eius*, id est de pedibus eius. Sed bene *scriba* sumitur pro principe, pro duce, qui leges populis scribit: & per *pedes* indicat locum pudendorum; quasi dicat, de pedibus, de posteris a te genitis non deerit dux, DONEC VENIAT QUI MITTENDUS EST. Hebr. *donec veniat Silo*, per quam vocem Hebræi vel *filium* intelligunt, vel *Messiam*. Hieron. proculdubio pro שילה *Siloh* legit שלח *Silah*, quando dixit, *qui mittendus est*: nam nisi eius litteræ mutatione ea significatio non constaret. Græci aliter legerunt, scilicet שלו *Selo*, dictio composita, & significat *quod ei*, vel *quæ*, supple *sunt reposita*, *τὰ ἀποκείμενα αὐτῷ*, tametsi ex Græcis multi legant *ᾧ ἀπόκειται*, *cui repositum est*; quæ interpretatio ex voce Hebraica nescio qui potuit oriri. Iustin. certe contra Tryph. eo modo posuisse Sept. Interpretes confirmat, argumento, Græcos codices, qui circumferuntur, ex pura Sept. interpretatione non esse.

V. 11. LIGANS AD VINEAM. Hebr. *ad vitem*. Significat tamen his verbis & sequentibus nil aliud quam vini copiam, quæ tanta futura erat in tribu Iuda, ut sine detrimento posset asinus ligari ad vitem, & asina ad vitem electam: id enim significat *Sorec*. Vel tantam fore copiam ut ex singulis vitibus iumenta possent onerare.

V. 12. PULCHRIORES SUNT OCULI EIUS VINO. Hebr. *Rubicundi oculi eius a vino*; idest, propter vini copiam & potum rubescent oculi, & albedo dentium a lacte. Vini, & lactis copiam designat.

V. 14. ISSACHAR ASINUS FORTIS; id est, sicut asinus fortis, Hebr. *osseus*, aut *dorsi*. ACCUBANS INTER TERMINOS. Sept. *inter sortes*. Hebræus Schol. *inter duos ordines*, per quos intelligit duas oneris partes, quæ iumentis imponi solent; quasi dicat: Libenter onera imposita sustinebit, idest tributa; quod sequentia magis declarant.

V. 15. VIDIT REQUIEM QUOD ESSET BONA. Quod Moyses dixit Deut. XXXIII. vers. 18. *Issachar in tabernaculis tuis*, scilicet habitabit. FACTUSQUE EST TRIBUTIS SERVIENS.

V. 16. DAN IUDICABIT. *Dan* significat *iudicium*: est ergo paranomasia. Hocque vaticinium in Samsone impletum est, quem colubrum & cerastem vocat, ob astum bellicum, & pugnandi virtutem, easque victorias, ob quas credi potuit esse Christus. Verum cum eo mortuo videret mala populi, prorupit in illas voces vers. 18.

18. SALUTARE TUUM EXPECTABO DOMINE.

V. 19. GAD, ACCINCTUS PRAELIABITUR. Hic eſt etiam Hebraice alluſio nominis, quoniam *ghadad* ſignificat *congregare exercitum*. Et verba Hebraica redduntur ſic: *Gad, exercitus veniet contra eum*, vel *diripiet eum*, *& ipſe ſuperabit calcaneum*; id eſt, in fine tandem victor evadet.

V. 20. ASER, PINGUIS PANIS EIUS. Abundabat olei copia ea tribus. Deut. cap. XXXIII. verſ. 24. *Tingat in oleo pedem ſuum*: unde panis pinguis (nisi forte & frumento abundabat) & ex oleo conficiendi unguenta facultas, quibus ea gens oblectabatur, reges in primis, id ſignificat. PRAEBEBIT DELICIAS REGIBUS. In Hebr. *Ex Aſer pinguis panis*: nempe ut indicet, non totum territorium pingue, ſed partem fore frugiferam.

V. 21. NEPHTHALI CERVUS EMISSUS, aut *cerva emiſſa*; Hieron. propter temporaneas fruges. ET DANS ELOQUIA PULCHRITUDINIS, ideſt pulchra: ſive quia gens eloquentiæ erat dedita; ſive per *eloquia*, ut per verba, res intelliguntur; quaſi dicat, dans & proferens res pulchras. Ergo *cerva emiſſa*, ideſt ut cerva emiſſa: quod alii ad pedum velocitatem referunt. Itaque valebat velocitate, & facundia.

V. 22. FILIUS ACCRESCENS IOSEPH, FILIUS ACCRESCENS, ET DECORUS ASPECTU. Hebr. *Filius fructificans Ioſeph, filius fructificans ſuper fontem*: nimirum ſicut arbor iuxta fontem plantata, quæ elegans ſimul, & frugifera eſt, ſic Ioſeph. FILIAE DISCURRERUNT SUPER MURUM: certe ut viderent eius pulchritudinem.

V. 23. SED EXASPERAVERUNT, ſcilicet hoſtes. Peritiam ſagittandi tribus Ephraim commendat. Iaculatores cum illo contenderunt.

V. 24. SEDIT IN FORTI, ſcilicet loco, ARCUS EIUS. ET DISSOLUTA SUNT VINCULA BRACHIORUM, &c. Hebr. *Et roborata ſunt brachia manuum eius ex manu potentis*, hoc eſt Dei Iacob. Et fortaſſis, *Sedit in forti*, melius explicabitur, *in forti*, ſcilicet Deo. INDE PASTOR EGRESSUS EST LAPIS ISRAEL. Hebr. *Inde egreſſus eſt paſcens lapidem Iſrael*. Hic fuit Ieroboam e tribu Ephraim. Vocat *Iſrael lapidem*, quoniam unum corpus efficiebant tribus illæ. Vel *lapis* fuit Ieroboam fundamentum eius ſceptri, aut *lapis* pro omni, paſcens omnem Iſrael. David Kimhi.

V. 25. UBERUM, ET VULVAE. Hebræus per *ubera* cælum intelligit, unde imber lactis inſtar; per *vulvam*, ſeu uterum, terram, quoniam fructus parit. Ergo benedictiones uberum & vulvæ, pluvias & fructus ſignificant, quibus Ioſephi poſteri abundarunt.

V. 26. CONFORTATAE SUNT BENEDICTIONIBUS, præ benedictionibus patrum meorum; ſcilicet, me felicior eris: uſque ad terminum, ſeu DESIDERIUM COLLIUM AETERNORUM erunt; hoc eſt, durabunt quamdiu mundus. Quod ait, FIANT IN CAPITE IOSEPH, ET IN VERTICE NAZARAEI, Hebr. *Ad caput Ioſeph, & ad verticem corona fratrum ſuorum*. Vox נזיר *Nezir*, *Nazaræum* ſignificare poteſt, niſi ſenſum loci involveret: ſignificat etiam *coronam*, quod magis quadrat. Sed Deuter. XXXIII. 16. in Moyſis benedictionibus, Ioſeph Nazaræus vocatur; ideo verſio Hieron. placet. *Fiant* (ſupple, benedictiones) *in capite Ioſeph, & in vertice Nazaræi*, id eſt eiuſdem qui inter fratres fuit Nazaræus ob decorem, & quia ſeparatus a fratribus, cum venditus eſt.

V. 27. BENIAMIN LUPUS RAPAX, ut lupus. Hic Saul qui mane, id eſt primus, obtinuit regnum, ſed veſpere poſt mortem diviſum eſt. Vel *mane*, & *veſpere*, alludit ad ingenium luporum, qui in iis temporibus prædantur. Ita Beniamin ſæpe de hoſtibus victoriam reportavit.

V. 28. OMNES HI; ſupple, capita ſunt.

V. 29. CONGREGOR AD POPULUM MEUM, ſcilicet ad beatos. Hinc colligunt, hæc verba, *congregatus*, vel *appoſitus eſt ad populum ſuum*, non dici niſi de prædeſtinatis. Abul.

Poſſeſſio agri & ſpeluncæ, quæ in eo (ſupple *eſt*) *a filiis Heth*. Verſus eſt in Hebræo, & Græco XXXII. quem Hieronymus omiſit, quoniam repetitur quod verſ. 30. erat poſitum.

V. 32. ET OBIIT: adde, *placide, ſine ægritudinis moleſtia*: id enim גוע *ghavah* ſigni:

significat. Sept. ἐξέλιπεν, *defecit*, eodem respicientes.

MALVENDAE.

Verf. 3. PRINCIPIUM DOLORIS MEI. Varie reddunt. I. *Principium roboris mei*, id eſt virilitatis meæ, in quo primum vim, efficaciam, robur facultatis & potentiæ generativæ expertus ſum, vel quem genui in florente & robuſta ætate mea. II. *Principium*, *primitiæ laboris*, *doloris mei*: quod filii moleſtias, labores, ſolicitudines, anxietates, dolores ſoleant afferre parentibus: ut ample docet Terentianus Demea in Adelphis; ac ſi dicat, principium, primus filiorum meorum, uti LXX. expreſſerunt. III. *Principium fortitudinis meæ*: quod primogenitus ſit columen familiæ, dux, & imperator aliorum, qui eam fortiter, ſtrenue adminiſtrare, tueri, & propugnare debet. IV. *Principium concupiſcentiæ meæ*; id eſt, in quo primum vim, & concupiſcentiam generationis exercui: nam patres illi virgines & integri ad uxores accedebant. Aiunt און *aven*, ſeu און *on*, eſſe *concupiſcentiam illam malam primorum parentum*, *qua perſuaſu ſerpentis*, *contra voluntatem* & *verbum Dei*, *de ligno ſcientiæ boni* & *mali fructum vetitum comederunt*; atque hæc mox in poſteros propagatione carnali transfuſa eſt, ut figmentum cordis humani malum ſit, tantum ad ea quæ Deo, eiuſque voluntati, ac verbo adverſantur, nempe ad mala promovens, impellens, affectans: unde ſemper de corruptione naturæ, cupiditate, concupiſcentia, conatu, & ſtudio carnali, quo quis affectus eſt, & aliis dolorem & vim infert, aut iis ipſe afficitur, accipi & intelligi debere. Hanc veri Theologi fomitem peccati, non quidem ipſam per ſe peccatum aut malum culpæ, ſed effectum peccati originalis, & cauſam aliorum peccatorum, recte nuncupant: quæ tot dolores, & labores invexit in mundum. Unde pro *ærumna*, *afflictione*, vel *propria*, vel *aliis illata* ſæpe uſurpatur. Deducunt ab אוה *avah*, *deſideravit*, *concupivit*, *affectavit*. V. Nec deſunt qui reddant, *principium impetus mei*: nam primogenitus videtur primus impetus parentis, cum ſe primum virtus eius genitalis exerit, ac profert. PRIOR IN DONIS, MAIOR IN IMPERIO. Varie quoqu hunc locum in fonte convertunt. I. *Excellentia*, *ſuperabundantia*, *exuberantia*, *ſuperrelictio*, *ſuperreſiduum*, *ſuperſaltatio*, *ſuperſilitio*, *elevationis*; & *excellentia*, *ſuperabundantia*, &c. (nam repetitur eadem dictio יתר *iether*) *fortitudinis*, *roboris*. II. adiective *Superabundans*, *exuberans*, *præſtans*, *excellens elevatione*, & *excellens potentia*, id eſt excellentiſſimus ſacerdotio, & regno: *Iether* poteſt eſſe abſtractum, & concretum, *excellentia*, vel *excellens*. III. *Excellentia dignitatis*, & *excellentia roboris*; id eſt, duplex primogeniti dignitas, imperii, & hereditatis duplæ: illa in Iudam tranſlata, verſ. 10. hæc in Ioſeph, ſupra cap. XLVIII. verſ. 22. & I. Paralipom. V. verſ. 1. IV. *Reſiduum*, *permanentia elevationis meæ*; id eſt, ille, in quo mea dignitas, & elevatio deberet remanere; & *reſiduum roboris mei*; id eſt, in quo progenies mea, & poſteritas, quæ robur domus paternæ dicitur, relinquenda erat. V. *Præcipuus ferendo*, *præcipuus robore*; id eſt, tu, qui præcipuus eſſe debueras in ferendo, & accipiendo maiorem, ſeu duplam partem hereditatis, iure primogenituræ; ac eodem iure debueras eſſe robur, & fulcrum, ſeu columen familiæ, levis fuiſti, caſſus, vanus, &c. VI. ex verbo ita quidam reddunt, *Excellens dignitate*, & *excellens robuſtus*, id eſt ſumme robuſtus: alii, *Excellentia extollendi*, *elevandi*, & *excellentia fortis*: quidam, *Excellentia doni*, & *excellentia regni*, *imperii*. עז *ghaz*, *obfirmationem*, *robur*, *imperium*, *regnum* ſignificare aiunt: nonnulli, *Excellentia alta*, & *excellentia fortis*. Vocem שאת *ſeeth*, quam omnes hic *elevationem*, *dignitatem* exponunt, pro *levanda*, id eſt portione, parte, dono, donario, quod alicui levatur, & defertur, explicaverunt: *Excellens levanda*, & *excellens robore*. Senſum huius Noſter egregie expreſſit.

V. 4. EFFUSUS ES SICUT AQUA. פחז *pachaz* quidam nomen ſubſtantivum faciunt: *Feſtinantia*, *levitas*, *rapiditas*, *inſtabilitas*, *velocitas*, *motus* (ſubaudi fuit tibi) *inſtar aquarum*. Alii nomen adiectivum eſſe volunt, *levis*, *temerarius*, *præceps*, qui audacter, & inconſiderate, ac tantum pro affectu ſuo fertur. Alibi hæc vox non invenitur; ſed participium eius radicis Iudicum IX. 4. Noſter *vagos*, & Sophoniæ III.

III. 4. *Væsanos* aptissime reddidit, quæ significatio huic loco recte convenit: *Væsanus, vagus sicut aqua*. Taxat væsanam, vagam, præcipitem, effusam, & effrenem Rubenis libidinem. NON CRESCAS. Hebr. *Non superabundare, exuberare facies*; quasi dicat: Non exscindetur penitus tribus Rubenica, sed non adeo augebitur, eritque parva numero. Moses explicavit Deuteron. XXXIII. 6. *Vivat Ruben, & non moriatur; & sit parvus in numero*. Quidam ex Hophal vertunt: *Non exuberare fies, non fies excellens*. ET MACULASTI STRATUM EIUS. Hebr. *Tunc maculasti stratum meum ascendit*. Quidam distinguunt post *maculasti*; id est, novercam, te, me, & totam familiam deturpasti: deinde per pathos subiungat senex, *Stratum meum ascendit*; quasi dicat: Potuit ne turpius scelus admitti? Alii *ascendit* seorsim legunt; id est, abiit, evanuit, veluti fumus, aut nebula ascendens, extincta, dilapsa, disparuit tota Rubenis excellentia, dignitas, prærogativa primogenituræ: quia lectum patris polluit, congrediendo cum Bala, supra cap. XXXV. vers. 22. Nonnulli exponunt, ut *stratum meum* sit nominandi casus, & suppositum verbi *ascendit*: *Stratum meum ascendit*; id est, exscissum est, sublatum est, desiit esse, evanuit; nimirum desiit esse meus lectus coniugalis, non amplius cognovi Balam, aut pro uxore habui, ex quo Ruben illam polluit. Frigidus & alienus sensus.

V. 5. FRATRES. Vel quia coniuncta successione alter post alterum nati sunt, supra cap. XXIX. vers. 33. & 34. vel propter consimile utriusque ingenium, & commune in Sichimitas facinus, supra cap. XXXIV. VASA INIQUITATIS BELLANTIA. Vocem מכרות *mecheroth* diversimode reddunt, uti a diversis radicibus deducunt. I. *Arma violentiæ machæræ eorum*, consentiente Græca voce, id est gladii eorum, *alfanjes*. II. *Vasa iniuriæ habitationes eorum*: Hispanice simili phrasi, *Vasos de poncona, sacos de maldad*: habitacula eorum plena sunt vi, & rapina. III. *Arma succisionis fornaces eorum*: conflant in suis fornacibus arma ad succidendum, ut illud Maronis in VII. AEneidos:

... *recoquunt patrios fornacibus enses*.

IV. *Vasa iniuriæ excisiones eorum*. V. *Vasa iniuriæ commutationes eorum*: spolia enim abstulerunt gladio iniuriæ; quasi dicat; negotiationes, contractus eorum, emptiones & venditiones eorum, commercia eorum, vasa, arma, instrumenta violentiæ, iniuriæ, rapinæ. VI. *Vasa violentiæ, conventiones, pactiones eorum*, quibus Sichimitas in fœdus transmiserunt; id est, conventionibus, & pactionibus fictis, dolosis, fraudulentis abusi sunt tamquam instrumentis, ad trucidandos Sichimitas. Vide cap. XXXIV. vers. 13. & seqq.

V. 6. IN CONSILIUM EORUM. סוד *sod, consilium, arcanum, mysterium, secretum, sacramentum*, a יסד *iasad*, *fundare*, quasi fundamentum rerum agendarum, interdum pro cœtu seu congregatione consiliantium, hoc est concilio, seu loco concilii, sumitur. Hic omnia ista complectitur, *secretum*, *arcanum*, *mysterium* iniquitatis, *consilium*, *cœtum consultantium*, seu *concilium*; quasi dicat: Anima mea, meus animus multum abhorret a consilio arcano, a congregatione & concilio eorum. Nec dubito sacrum senem prophetice abominatum conciliabulum illud, de quo Ioannes XI. vers. 48. *Collegerunt ergo Pontifices & Pharisæi concilium*: nam illud ex sacerdotibus & levitis potissimum constabat, qui erant ex tribu Levi, quem nunc Iacob detestatur. NON SIT GLORIA MEA. Quidam exponunt, *Anima mea*, ut dicat idem quod præcedenti hemistychio, & repetitio auxesim contineat. Alii, *Gloria mea*, id est pars animæ præcipua & præstantissima, nempe spiritus. Nonnulli, *Lingua mea*; id est, *in cœtu eorum non unietur lingua mea*: non dicam sententiam cum illis, neque verbis, neque pedibus in sententiam eorum ibo: aliter, lingua mea numquam probabit cœtum, seu coniurationem eorum; immo perpetuo verbis detestabitur. Notant, כביד *cabod*, id est *gloriam*, in Scriptura sancta, præsertim in Psalmis, aliquando synecdochice poni pro spiritu seu anima hominis, vel lingua, quæ glorificationis est instrumentum, vel instrumento musico, quo Deus glorificatur, ut Psalm. XV. 9. Psalm. XXIX. 13. Psalm. LIX. 9. Psalm. CVII. 2. 3. Alii hic *gloriam* universe capiunt pro honore, dignitate, &c. ut dicat Iacob, optare se ut in concilio ac cœtu eorum, nec de sua anima, id est vita, aut capite, nec de suo honore, dignitate, aut fortunis decernatur: quod iniqui-

iniqui essent ac tyranni. Sed aptior sensus est ut detestetur hic Iacob indignum illud & atrox facinus istorum, quo Sichimitas deleverunt; ac si dicat: Absit a tali concilio animus meus; & gravitas mea, seu dignitas & auctoritas non unietur, aut adunabitur, seu coniurabit cum illis. Quidam quod Hebraice verbum *unietur* sit femineum, & non recte cohaereat cum *gloria*, quae est masculeum, subaudiunt e praecedenti pericope *animam: Non unietur anima mea*, quae est gloria mea. Sed nihil necesse: nam usus est femineo verbo, ut indicaret, non fuisse virorum fortium illam coniurationem, adoriri languidos, & dolentes Sichimitas fraude & dolo.

V. 6. OCCIDERUNT VIRUM. Volunt poni singulare pro plurali, viros Sichimitas. Alii singulariter Sichem filium Hemor intelligunt, ut quod sequitur, de patre. Nonnulli e contra hic patrem, & in sequenti filium accipiunt. IN VOLUNTATE SUA. רצון *ratzon* recte notant sumi hic in malam partem, quod Iacob ex indignatione animi ea voce in malum uti voluerit pro *animi libidine, qua quid de industria fit, & voluptas in eo capitur*: unde reddunt, *In violentia sua*; alii, *In mala voluntate sua*; plerique, *Pro libidine sua*. SUFFODERUNT MURUM. Plerique quoque hic *murum* convertunt, ut Simeon & Levi muros etiam Sichem diruerint. Quidam reddunt, *Everterunt propugnaculum*: volunt enim שור *schur* significare *aedificium, ex quo prospicitur*, vel *quod procurrit, & foras extenditur, ad instar bovis stat compactum ac completum, ac per omnes commissuras coagmentatum, nempe propugnaculum*, seu *promontorium*, Hispanice *bestion*, a compactione bestiae, & habitudine. *Schur*, quidem Hebraeis *murum* significat, magis ex usu Chaldaico; at hic non *schur*, sed שור *schor*, diserte exemplaria praeferunt: est autem, uti notant, *bos iam crassior, & habitior, quique ad perfectam iam aetatem, & magnitudinem corporis excrevit, distenditque cutem, & corpus, habens corpus distentum, & plenum*. Alii sic dictum volunt a terribili vel torvo visu, seu aspectu, aut a forma conspicua & insigni. Nonnulli, quod magna pastoris inspectione & cura propter ferocitatem indigeat; & quod armenta praeeat, & iam generet: *scud* enim *aspicere, praeire, extendere* significat: Chaldaei, Graeci, Latini voce consentiente, *thor*, seu *taurum* reddidere, Iam varie locum exponunt. I. *Avulserunt bovem*, id est boves: nam est interdum collectivum, nempe abduxerunt, abegerunt boves seu armenta Sichimitarum, cap. XXXIV. vers. 20. II. *Enervaverunt boves*, quod bestias enervassent: quamvis enim eorum oves, boves, & asinos ceperint, fieri potest ut partim ceperint, partim subnervaverint: quia oneri fuisset illis abducere omnes urbis bestias, cum abirent tamquam fugientes. III. *Enervaverunt bovem*, id est Hemor patrem, & Sichem filium, & totam stirpem extirparunt. IV. Chaldaei Paraphrastae, & nonnulli alii singulariter *bovem* hic intelligunt Ioseph, quo etiam nomine insignitur Deuteron. XXXIII. 17. ut Iacob arguat nunc alterum facinus Simeonis & Levi, quod bovem, id est Ioseph, eradicaverint, & evulserint de terra sua, & de domo patris sui, vendendo illum externis. Hinc discimus Simeonem, & Levi praecipuos fuisse in scelere venditionis Ioseph; cum Ruben, & Iudas nefario ei consilio non adhaererent: atque ob eam causam Simeonem vinctum a Iosepho, cap. XLII. vers. 25. Quidam hic praedici putant Christum a pontificibus & sacerdotibus tamquam bovem & victimam eradicandum & crucifigendum.

Praetermittere hoc loco non possumus, quod quidam ut rem singularem observarunt, Apim, seu Serapim bovem, pro deo ab AEgyptiis cultum, a *schor, bove*, sive a Ioseph, qui dictus sit *schor*, hoc est *bos*, denominatum fuisse. Fuit enim Apis, seu Serapis bos, insignis AEgyptiorum deus, de quo haec annotant. quod etsi quidam dictum velint שרפי *serapi*. ab urendo; & alii צעיר אפים *tzeghir apaim*, *parvum faciem*, seu *aspectu*, quod sic Patriarcham Christum vocarint, a longe tamquam puerum ac parvum spiritu, ac fide prospicientes: tamen existimant potius dictum, שוראפי *schoraphi*, hoc est *bovis nasum*, vel *faciem*, eo quod tam AEgyptiis quam Hebraeis, השור *haschschor*, id est bos ille, Graecis paulo variato nomine Osiris postea dictus sit; atque originem, & cultum eius fluxisse a Iosepho, & familia ipsius, qui cum in AEgyptum translati, Deo boves, & pecudes sacrificarent, quae igni de cae-

lo elapso consumerentur, AEgyptii prava imitatione Apin bovem sacrum, & quasi de cælo delapsum coluerunt: quæ religio, & qui cultus etiam a populo Israelitico in deserto, prave acceptus est, adorato vitulo; item in vitulis aureis ab Ieroboam institutis. Hinc Lactantius Lib. IV. inquit: *Cum Moses dux eorum ascendisset in montem, atque ibi quadraginta diebus moraretur, aureum caput bovis, quem vocant ipsi Apin, quod eos signo præcederet, figurarunt.* Atque ita quidam de Api, seu Serapi philosophati sunt: quæ alii curiosa & aliena iudicant; ego ridiculum & falsum puto, AEgyptios imitatione Ioseph suum Apim aut Serapim consecrasse, aut Serapim, a *schor*, Iosepho, nomen accepisse: nam si rationes Africani, & Eusebii subsistunt, multo antequam Ioseph nasceretur, Apis, seu Serapis in AEgypto pro Deo colebatur. Vide Numerum Eusebianum CLXXXII. At non dubito, Israelitas in deserto, AEgyptiorum imitatione, Apim bovem adorasse, Exodi XXXII. vers. 4. uti ibi videbimus, ubi nonnulla de Api annotabimus.

V. 7. ET INDIGNATIO EORUM. עברה *ghebrah* aiunt esse *ardorem iræ, effervescentiam bilis, transitionem bilis, excandescentiam, furorem, qui inflammat, & pervadit in morem ignis, excessum iræ, furorem, indignationem, iram, quæ modum transgreditur.* Possis reddere, *Transgressio, transitio eorum*, id est gavissimum eorum peccatum. DIVIDAM EOS IN IACOB &c. Levitæ enim non habuerunt hereditatem, aut possessionem in terra promissa separatam & seiunctam ab aliis fratribus; sed in aliis tribubus assignatæ fuerunt portiones, & urbes, hinc inde procul inter se divisæ. Simeonitis non contigit sorte, propria & distincta regio; sed tribui Iudæ fuerunt permixti, Iosue XIX. I. 9. Deinde sub Ezechia rege Iuda, profecti in Gador, habitaverunt ibi; aliaque pars eorum abierunt in montem Seir, & expulsis inde Amalekitis, regionem incoluerunt, uti late refertur I. Paralip. IV. vers. 39. & seqq. Vide S. Hieronymum.

Vers. 8. IUDA, TE LAUDABUNT FRATRES TUI. Hebr. *Iehuda tu, laudabunt te fratres tui*: quod quidam ita resolvunt: Iehuda tu es ille quem celebrabunt fratres tui. Melius: *Iehudah tu*, id est tibi nomen Iudah, proinde *te laudabunt fratres tui*, alludens ad rationem nominis; quasi dicat: Tu diceris Iuda, id est *laus, celebritas, confessio*, merito: quia te laudabunt, celebrabunt fratres tui. Hebr. ex eadem radice: יהודה יודוך *iehudah ioducha*. Vide supra XXIX. vers. 35. MANUS TUA IN CERVICIBUS INIMICORUM TUORUM; id est, cervicibus eorum iugum impones, catenis colla eorum alligabis, tibi subiugabis: vel hostes tibi terga vertent, eorum terga, & cervices fugientium cædes. Prædicit huius tribus bella ac victorias, Iudicum I. deinde sub Davide, II. Samuel. VIII. tandem per Christum plenissime, Psalm. CIX. ADORABUNT TE FILII PATRIS TUI. Ius primogenituræ quantum ad dignitatem, dominium, & imperium, his verbis in Iudam transfert a Ruben: nam hoc primogenitis debebatur ut fratres alii illis assurgerent, & eos adorarent. Vide cap. XXV. vers. 31.

V. 9. CATULUS LEONIS IUDA: AD PRAEDAM FILI MI ASCENDISTI. Eleganter hic nomen leonis cum præda iunxit Hebraice: nam אריה *arieh, leo*, nomen habet a discerpendo; & טרף *tereph* est *discerptio, præda*, cum leo unguibus & dentibus prædam discerpit. Robur, & fortitudinem ac spolia ampla & opima ex victoriis, huius tribus prædicit; præsertim quæ reportavit David; sed præcipue Christi filii Iudæ, ex morte, peccato, diabolo, quæ tantopere Scriptura ubique celebrat: unde Leo de tribu Iuda insigni elogio appellatur. ET QUASI LEAENA. לביא *labi*, consentientibus Græco, & Latino vocabulis, *leo*, nomen habere volunt a לב *leb*, id est *corde*; quasi dicas, cordatus leo. Dictum sic existimant ab animositate, & generositate, seu fortitudine animi: iuxta illud II. Samuel. XVII. 10. *Cuius cor est sicut leonis.* Alii leonem immanem, & annosum, nondum tamen decrepitum interpretantur. In ætate leonis hos assignant gradus ex Scriptura: גור *gur, catulus*; כפיר *cephir, leunculus, leo iuvenis, adultus*; אריה *arieh, leo maior, & adultior*; לביא *labi, leo annosus*; ליש *laisch, leo decrepitus*. Qui hic verterunt *leænam*, eisdem litteris, sed diversis punctis legerunt femineum לביא *lebiia*. Quidam annotant, pulchram esse metaphoram

ram de leone, qui capta iam præda, procumbens super eam, incipit eam discerpere, aut devorare: tunc enim, si quis accesserit, magis efferatur, & violentior exurgit in iras, quod putet sibi prædam ereptum iri. Nemo tunc audet accedere, aut appropinquare, quod tunc ferocior sit leo. QUIS SUSCITABIT EUM? Heb. *Quis surgere faciet eum?* Mysterium hic esse resurrectionis Christi omnes agnoscunt, qui morte sua procubuit ad discerpendam, & devorandam prædam, nempe peccatum, mortem, satanam, quos discerpsit, & deglutivit: nemo tamen eum a mortuis excitavit; sed ipse sua virtute victor ab inferis resurrexit, opima referens, victis hostibus, spolia. Alii: Cum se composuerit, seu requieverit, quis eum in certamen provocare audebit? quasi dicat, erit fortissimus, & invictus.

Vers. 10. NON AUFERETUR SCEPTRUM DE IUDA. Hebr. *Non discedet, desistet virga, baculus de Iuda.* Chaldæi interpretes, Hebræi omnes, & nostri summo consensu hic virgam, baculum, sceptrum, regimen, regnum interpretantur, quod præcipuum insigne regiæ maiestatis sit virga, seu baculus, nempe sceptrum. Pulchre Virgilius XII. AEneidos:

Ut sceptrum hoc (dextra sceptrum nam forte gerebat)
Numquam fronde levi fundet virgulta, nec umbras,
Cum semel in silvis, ima de stirpe recisum.
Matre caret, posuitque comas, & brachia ferro,
Olim arbor, nunc artificis manus ære decoro
Inclusit, patribusque dedit gestare Latinis.

Istud annotaverim, propter eos, qui fanatice hic virgam, seu baculum, tribum Iuda ausi sunt exponere, quod ea ad Christum usque non esset defectura. ET DUX. מחוקק *mechokek* est participium Pohel, vel nomen participiale. Noster varie vertit, Numeror. XXI. 18. *datorem legis*, Deuteronomii XXXIII. 21. *doctorem*, Iudicum V. 14. *principem*, Psalm. LIX. 10. & Psalm. CVII. 10. *regem*, Isaiæ XXXIII. 22. *legiferum*. Aiunt proprie esse *statutarium*, qui constituit formam aliquam, & præscribit formam vivendi; Græceque dici *nomicon*, id est *legisperitum*; maiorisque auctoritatis fuisse quam *sopher*, id est *scribam*; etsi scribæ in novo testamento *nomici* quoque dicantur, id est *legisperiti*, sed divinæ. At *Mechokekim* gubernationi præerant, & leges præscribebant. Notant vero, eos qui post reges Iuda sublatos fuerunt in gubernatione in populo Iudaico, quasi præfecti summæ rerum, tam in captivitate Babylonica, quam post illam, usque ad primi Herodis tempora, sub quo Filius Dei Dominus noster Iesus Christus natus est verus Deus & homo, appellatos *Mechokekim*, ac fuisse de stirpe regia: quorum collegium postea Græce magnum synedrion, & corrupta voce, ac in Hebraicam translata, sanhedrin, id est consistorium, domus magni consilii appellatum est; atque illorum numerum LXX. fuisse, veteres scriptores affirmant: qui tandem paulo ante Herodis mortem, iussu ipsius trucidati sunt; ac tunc penitus defecisse reges, & duces, seu legislatores de tribu Iuda; impletamque fuisse hanc Iacobi prophetiam. De synedrio, seu sanhedrin plurima mentio apud Hebræos & nostros. *Mechokekim*, quidam decernentes, decretores, dictatores, constitutores exponunt: non tam recte alii scribas, aut scribere facientes: nonnulli, dominantes, seu dominatores. Haud dubie ea vox, gubernatores, principes, præsides, qui sine nomine regio populo præerant, illumque gubernabant, leges, & statuta, normamque vivendi præscribebant, significat: quales fuere Zorobabel, Salatiel, & alii. DE FEMORE EIUS. Hebr. *De inter pedes eius*. Quidam explicant, quod scriba seu minister regis ad pedes eius manere soleat, cum eius nomine scribit, aut pronuntiat decreta regia. Alii, de semine, de genitalibus, quæ sunt inter pedes. Locum pudendorum indicat, honeste dicens, *De inter pedes*. Sic Deuter. XXVIII. 57. *Et in secundina sua exeunte de inter pedes suos*. Recte quoque, & honeste Noster dixit, *De femore eius*. Vide II. Regum XVIII. vers. 27. Isaiæ XXXVI. 12. QUI MITTENDUS EST. Hunc locum de Messia intelligendum, & Chaldæi Paraphrastæ, & quique, ac præstantissimi Hebræorum affirmant. Vocem שילה *Schiloh* varie enucleant. I. componunt ex ש *sche* & לו *lo*, id est *Cui illi*: donec veniat ille cui debetur, & re-

servatur id sceptrum in sempiternum; ille cuius proprium est regnum & imperium in omnes gentes. II. ex שי *schai*, & לו *lo*, hoc est *Munus illi*: ille cui omnes reges terræ ac principes munera deferent, Psalm. LXVII. 30. Psalm. LXXI. 10. III. deducunt a שליה *schiliah*, *secunda*, *secundina*, *membrana*, seu *pellicula*, *qua fetus in utero obtectus*, & *involutus continetur*: Deuter. XXVIII. 57. *Donec veniat secundina eius*: metonymice continens pro contento, id est *filius eius*. Plerique omnes Hebræi *filium eius*, id est Iudæ, interpretantur, quod *eius* sit masculeum. Dicitur Christus filius Iudæ, quod e tribu eius ortus fuerit. At satius fuerit hic excludere pronomen *eius*, quod *He* in שליה *schiliah* sit radicale, & simpliciter reddere *Donec veniat secunda*. Nec sine mysterio hoc nomine insignit vates Christum, quod is solum ex secunda Virginis, non ex alio opere viri nasciturus erat; quasi dicat: Nihil viri, sed solum secundæ mulieris in hoc partu intercessere. IV. Quidam antonomasice exponunt, *Donec veniat fetus*, ille insignis, admirandus, & præter naturam. Sic prophetæ Christum צמח *tzemach*, id est *germen* appellant; & David ינון *iinnon*, id est *filium*, Psalm. XVII. 17. V. Nonnulli, *Donec veniat filius eius*, id est mulieris; quasi mysterio indicet, Christum ex femina sola sine opere virili nasciturum. Hos tamen aiunt peccare in grammaticam: nam affixum *oh*, *eius*, est masculeum; *Schiloh*, posito He, pro Vau, ut in אהלה *aholoh*, *tabernaculi eius*, Genes. IX. 21. & hic versu sequenti עירה *ghairoh*, *pullum suum*, & סותה *sutboh*, *operimentum suum*, ut etiam alias. Sed non intellexerunt quæ illi dicunt. Aiunt illi, scriptura quidem affixum esse femineum: nam He affixum femineum singulare usu & consuetudine linguæ est; & ex more dicendum erat שילה *Schilah*; at pronuntiatione & punctatione esse masculeum שילה *Schiloh*; sed id præter morem & normam, cum soleat in his Vau, & non He apponi. Notantque mysterium: voce & pronuntiatione, ac hominum appellatione, Christum dictum & existimatum Filium Ioseph; re ipsa tamen & exaratura, filium dumtaxat Virginis. VI. *Donec veniat felicitas*, seu *auctor felicitatis*, & *abundantia* omnium rerum, nimirum a verbo שלה *schalah*. VII. Sed multo melius, aptius, dignius illi qui ab eodem verbo שלה *schalah* deducentes, convertunt: *Donec veniat salvator*, *felix*, *prosper*, *fortunatus*, *faustus*, *augustus*, cui prospere debebant succedere omnia contra mundi sapientiam, & potentiam, & contra peccatum, mortem, diabolum; adeoque contra portas inferorum: ac spoliatos principatus, ac potestates ostentare, palam triumphando de illis per semetipsum. Atque hac appellatione & epitheto Iacobum patriarcham insignire ac nobilitare voluisse Iesum Christum, regem, & salvatorem nostrum, humani generis monarcham; multo iustius ac verius quam Romani, qui suos principes, felices, fortunatos, faustos, augustos, & his similibus titulis onerabant. VIII. Nec desunt qui, *Donec veniat pacificus*, *quietus*, *tranquillus*, *securus*, *lenis*, sive auctor tranquillitatis æternæ, eodem propemodum sensu. Noster, qui exposuit, *Donec veniat qui mittendus est*, vel sensum tantum attendit; vel pro He, legit Chet שילוח *schiloach*, *missus*: quam lectionem mirifice probant, voluntque mysterium eius exposuisse ipsum Christum Ioan. IX. 7. Numquam tamen crediderim Iudæos ex industria locum corrupisse, & pro *Schiloach*, una mutata consimili littera substituisse *Schiloh*, cum significatus *Schiloh* magis eos iuguletur. Hebræi notant litteras duarum istarum vocum יבוא שילה *iabo schiloh*, id est *veniet Schiloh*, efficere numerum CCCLVIII. atque eumdem omnino continere litteras nominis משיח *maschiah*, id est Messias, seu Christus. Nostri quidam observarunt, capitales litteras trium harum dictionum, יבוא שילה ולו *iabo schiloh velo*, id est *veniet Schiloth*, & *ipsi*, conficere nomen IESU. Sed hæc sunt parum solida.

Iam quod attinet ad impletionem huius vaticinii, mirifice recentiores in lato campo spatiantur, conferentes plaustra quæstionum, explanationum, solutionum, refutationum, quomodo, aut quando istud oraculum completum fuerit in Christo: ab his nos consilio abstinebimus, contenti, quod hic certissime de Christo loquatur, ac certo venturum Messiam prædicat; nec defecturum regnum, aut dominationem, seu iurisdictionem Iudaicam ad adventum usque Messiæ: quod fuit verissimum.

ſimum. Tractavit nuper hunc locum Caſaubonus in Exercitationibus Baronianis, inſigni varietate & copia; ſed iudicio præpoſtero ac peſſimo in pleriſque. Quidam ita exponunt: *Non auferetur ſceptrum de Iuda*, &c. hoc eſt, non prius Iudæ tribus confundetur cum aliis, nec diſtinctæ tribus nomen amittet; neque prius regnum Dei, ab ea ad alias gentes derivabitur; aut regnum Iudæorum, ſeu Iudaicæ gentis, quæ tota ab ea tribu nomen accepit, ab ea gente univerſe auferetur; quam veniat Chriſtus. Cum autem exhibitus fuit Chriſtus, & ab ipſis Iudæis reiectus, utrumque contigit: nam & tribus abducta, & diſſipata fuit, ut ne Iudæi ipſi diſcernere tribum poſſint: promiſcue enim connubia iungunt: & regnum Iudæorum prorſus extinctum, cum ipſi perpetuo ſub alieno imperio degant.

De AEchmalotarchis vero, & principibus exulum, ſeu patriarchis, quorum ſucceſſionem e tribu Iuda, & familia Davidis, hodieque Babylone ſervant Iudæi, ſed falſam & ementitam, ut cauſentur nondum hanc prophetiam Iacobi eſſe completam, necdumque veniſſe Meſſiam, atque clariſſimum totum iſtud vaticinium eludant, egimus pleniſſime in Antichriſto Lib. III. cap. XI. Prætendunt vanum & inanem principatum Iudaicæ tribus, cum ipſi AEchmalotarchæ ſint cum ſuis nihil niſi vera mancipia gentium, ſub quarum imperio vitam miſerrimam tranſigunt.

ET IPSE ERIT EXPECTATIO GENTIUM. Nomen יקהת *ikkehat*, quod Noſter *expectatio* vertit, varie a diverſis exponitur. I. a verbo יקה *iaka*, *obedivit*, *obtemperavit*, deducunt: *Et ipſi obedientia*, *obtemperantia*, *auſcultatio populorum*; id eſt, ipſi obedient, obtemperabunt populi, eius mandata recipient, iuſſa faceſſent. II. *Et erit ei devaſtatio*, *ſeu confractio populorum*. Si de Hebræis intelligas, eſt illud Pſalm. II. 9. *Et tamquam vas figuli confringes eos*: & illud Chriſti: *Super quem ceciderit lapis iſte*, *confringetur*. Fracti enim, & diſperſi per omnes plagas mundi Iudæi feruntur ob ſcelus occiſi Chriſti, & repudiati. Si de gentibus, peccato confractos, & mortuos accipias, ut ſit ſtrages illa ſpiritualis, de qua Iſaias LXIII. verſ. 3. & ſequentibus. III. Alii derivant a קהה *keba*, *obtundere*, *hebetare*, a ferro obtuſo ſumpta metaphora: *Ille obtundet*, *hebetabit populos*: oſtendet ſapientiam eorum eſſe inſipientiam. IV. a קוה *kavab*; quod eſt *intenta oculorum acie lineas ducere*, *collineare*, *collimare*, *ratione quadam geometrica confluere*, *congregari*. Vide Geneſ. I. verſ. 9. Noſter verbo *expectandi* ſolet reddere: *Et ipſe erit expectatio*, *intentio*, *collineatio*, *confluxus populorum*; id eſt, ad eum expectabunt, collimabunt, confluent, intendent, lineatim decurrent populi. V. a נקה *nakab*, *purgare*, *vacuare*, *purum facere*: *Et ei erit purgatio*, *puritas populorum*; id eſt, ipſe purgabit populos, ſcilicet a peccatis ipſorum. Quo alluſiſſe videtur Gabriel Matthæi I. 21. *Ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum a peccatis eorum*. VI. Quidam a קהל *kahal* deducunt, & volunt eſſe idem quod להקה *lahakah*, nempe יקהה *iikkehah*, facta literarum metatheſi, & abſorpta, ſeu extrita littera radicali Lamed; & duo ſignificare volunt. Primo *eccleſiam*, *concionem*, *aggregationem populorum*, voce & prædicatione Evangelii ad Chriſtum aggregandam; quemadmodum Paulus hac voce ac phraſi delectatus eſt, & eam ad ſecundam & futuram ad Chriſtum noſtri aggregationem refert, II. ad Theſſalonicenſ. II. I. *Rogamus autem vos fratres per adventum Domini noſtri Ieſu Chriſti*, *& noſtri aggregationem in illum*, &c. Sic hoc loco accipi volunt: *Et ei erit eccleſia*, *aggregatio populorum*. Inſigne vaticinium de Eccleſia gentium ad Chriſtum per Evangelii prædicationem aggregandam. Secundo ſignificare ipſam *concionem*, id eſt *vocem*, *& doctrinam*: in quo ſignificato uſus eſt Salomon hac voce Proverb. XXX. 17. *Oculum qui ſubſannat patri*, *& contemnit doctrinam matris*, *corvi iuxta torrentem effodient*, &c. Quare perinde ut Latinis vox *concio* nunc pro populi aggregatione, nunc pro ipſa doctrina & prædicatione ſumitur; ita יקהה *iikkehah* apud Hebræos, in hoc loco Geneſis pro eccleſia, & aggregatione; & a Salomone pro doctrina uſurpatur. Atqui hanc volunt eſſe genuinam vocis & etymologiam, & ſignificationem: ſcilicet bene maceratam, & concoctam metatheſi, & ablegatione genuinæ litteræ Lamed. Vox hæc tantum reperitur hic, & in loco Proverbiorum; ubi tamen Noſter *partum* reddit, quod haud perperam huic loco poſſit aptari: *Et ipſi erit partus populo-*

lorum; id eſt, generabit, & pariet populos multos Evangelio: ut ſit vaticinium baptiſmi, ſeu lavacri regenerationis, & renovationis.

V. 11. LIGANS AD VINEAM. אסרי *oſeri*, participium, cum Iod paragogico, non ſine myſterio, ad augendum ſignificatum; ac ſi dicat, valide, arcte vinciens, colligans, ut facile ſolvi non poſſit. Sic arcte conſtrinxit Chriſtus populum gentium in Eccleſia tot vinculis caritatis, gratiæ, ſacramentorum, beneficiorum, &c. S. Hieronymus: *Alligans ad vitem pullum ſuum. Pro pullo in Hebræo poſſit legi, Urbem ſuam, id eſt Eccleſiam ſuam.* ET AD VITEM. שורק *ſorek* ter tantum legitur in Bibliis. Hic *vitem*, Iſaiæ v. 2. *electam*, Ieremiæ II. 5. *vineam electam* Noſter expoſuit. Aiunt eſſe *genus vitis*, vel *uvæ optimæ*, *electæ*, *generoſæ*, *præſtantiſſimæ*. Quidam, conſentiente voce Latina, *ſurculum*, *malleolum*, *flagellum ſelectiſſimum*, & *tenerrimum* reddunt. In Valentino regno eſt genus quoddam uvæ laudatiſſimæ quod *plantam* appellant. O FILI MI, ASINAM SUAM. In בני *beni* volunt quidam Iod eſſe paragogicum ut paulo antea in אסרי *oſeri*, nec eſſe reddendum *fili mi*, ſed, *filium aſinæ ſuæ*: utitur enim his nominibus paragogicis veluti epithetis in hoc ſermone prophetico. Sed potior eſt Noſtri auctoritas.

V. 12. PULCHRIORES. חכילי *chachili*. Non alibi hæc vox reperitur. Quidam ſubſtantivum faciunt, & tranſpoſitum, a כחל *cachal*, *coloravit*, id eſt *rubor*, *rubedo*, ſcribique cum Iod paragogico, ut gaudet hic Iacob parogibus. ad intendendum ſenſum; quaſi dicat, magna & intenſa *rubedo*: alii malunt adiective, *ruber*, *rubicundus*, ut etiam ſequens לבן *laban*, *albus*, *candidus*. Hebræi, & plerique ex noſtris putant, hoc & præcedenti verſu commendari ſortem tribus Iudæ a copia, & abundantia vini, & lactis. Veteres Eccleſiæ tractatores myſterium hic cani exiſtimant, pulli, populi gentilis, & aſinæ, Iudaici, qui alligandi erant veræ viti Chriſti; qui ſanguine ſuo, & paſſione imbuturus erat humanitatem ſuam. Quidam lacte, & vino prædici volunt ſacramentum corporis, & ſanguinis Chriſti. Vide latius expoſitores.

V. 13. ZABULON IN LITTORE MARIS HABITABIT. Attribuit tribui Zabulon regionem maritimam: & ſane ad utrumque mare, eius ſors tendebatur, mediterraneum, & Geneſareticum: uti Ioſephus Lib. V. Antiquit. cap. I. annotat: idcirco videtur Hebraice bis poſuiſſe vocem חוף *choph*, id eſt *portus*, quod in utroque mari portum haberet. Quamquam aliqui de Geneſaretico negent. Vide Ioſue XIX. verſ. 11. & ſeqq. PERTINGENS. Hebr. *Femur eius*, id eſt latus eius. Similiter geographi Italiam inſtar tibiæ deſcribunt. cuius pes ſit Sicilia. USQUE AD SIDONEM. Inſignis urbs, cuius prima mentio Geneſ. X. 19. Euſebius, & S. Hieronymus in Locis: *Sidon urbs Phœnices inſignis, olim Chananæorum terminus ad aquilonem reſpiciens, & poſtea regionis Iudææ. Cecidit autem in ſortem tribus Aſer; ſed eam non poſſedit, quia hoſtes nequaquam valuit expellere*: ſcilicet Iudicum I. 31. De ea complura ſcriptores profani: quam etiam exquiſite deſcripſit Achilles Tatius Lib. I. de Amoribus Clitophontis, & Leucippes: a copia venationum, annonæ, vel commeatuum, videtur nomen Hebræis habere. Iuſtinus Lib. XVIII. *Condita ibi urbe, quam a piſcium ubertate Sidona appellaverunt. Nam piſcem Phœnices ſidon vocant.* Vide Ioſue XI. verſ. 8. Diſquirunt hic ſacri topographi quomodo Iacob prædicat Zabulonem extenſurum femur ſupra Sidonem; cum fines eius nec ad Ptolemaida, ſive Acen, aut Achonem, pertigerint, uti ex Ioſue XIX. 10. aperte liquet. Quidam Zabulonitas ſupra Aſeritas, Sidonem verſus collocarunt; ſed hoc manifeſte repugnat Ioſue XIX. 28. & Iudicum I. 31. Potuit eſſe ut Zabulonitarum angulus aliquis, quem hic femur, ſeu haſtile Iacob vocat, verſus Sidonem inter Aſeritas protenderetur, ut etiam S. Hieronymus aſtruit. Alii volunt, Iacobum tantum prædicere, Zabulonis poſteros habitaturos ad mare, verſaturoſque frequenter in portubus & navalibus, atque mercaturam facturos apud Sidonios, & cum Sidoniis, qui toto orbe mercatores fuere celeberrimi, quippe qui in eadem illa maris ora habitarent; & hoc eſſe quod Iacob ait, *Femur eorum*, ſeu haſtile. ut alludat ad malos navium, futurum uſque ad Sidonem: & quod navigatio, ſeu remigatio fiat ſedendo, & nixu femoris. Quod et-

iam

iam indicatum aiunt a Mose Deuteronom. XXXIII. 18. *Lætare Zabulon in exitu tuo. Qui inundationem maris quasi lac sugent, & thesauros absconditos arenarum*: propter emporia, & mercaturas.

V. 14. ISSACHAR ASINUS FORTIS. גרם *gherem* exponunt *Asinus ossis*, *osseus*, *fortis*, *robustus*, *magnis ferendis oneribus aptus*: alii, *asinus artus*, seu artuum, id est magnorum membrorum: nonnulli, *asinus fastigii*: forsan quod ea sors asinos altos ac proceros ferret: quidam, consentiente voce, *asinus grumi*, id est grumosus, quod magnos grumos ossium & lacertorum haberet. Nec desunt qui contraria significatione reddant, *Asinus exosseus*, *exossatus*, seu *fractis ossibus*: nam verbum גרם *gharam*, ex eo nomine factum, *exossare* significat, seu *frangere ossa*: quod a sententia huius loci non videtur alienum, cum dicitur asinus accubare inter sarcinas, & inclinare humerum ad onus, quasi fractus, defatigatus, humi proiectus, oneri non sufficiens. Sed cave hanc interpretationem æques cum ea Nostri. Nec tamen penitus contraria, quod forsan fracta asini ossa essent magna, fortia. Quidam, *Asinus dorsi*: quod magnum, & validum dorsum haberet ad ferenda onera: putant enim גרם *gherem os dorsi*, *seu spinam dorsi*, significare. Sed unde id divinant? Ridicule, & futiliter, cum *gherem* Hebræis *os* universe significet. ACCUBANS INTER TERMINOS. Duale משפתים *mischphethaim* exponunt *inter duas metas*, *limites*, *terminos*, inter quos aliquid reponitur & collocatur. Quidam volunt sic dictos, a שפת *schaphath*, *posuit*, *constituit*: quod in limitibus regionum constituerentur præsidia contra incursiones hostium. Dualem autem numerum poni, quod quæque regio duos habeat limites. Explicant, inter mare mediterraneum, & mare Genesarium. Alii, *Intra suos terminos*: erit sua sorte contentus, nec inde effundetur: alii, *Inter duas acies*: plerique, *Inter duos ordines sarcinarum*, sive *inter duas sarcinas*; id est, ut unam hinc, aliam inde ferat. Hispanice, *Entre dos costales*: Hispanicus Interpres, *Entre dos lios*; ac si dicat: Asinus adeo fortis ut etiam si iaceat inter duas sarcinas, gravi pondere pressus, resurgat tamen fortiter cum illis: ut nihil necesse sit cum exonerare, ut resurgat, quemadmodum solet fieri asinis sub sarcina iacentibus. Alii, è contrario sensu, id est qui ultro & sponte succumbit sarcinis; qui renuit ferre sarcinam magnam; qui quam primum onerari se videt, statim procumbit in terram. Hispanice, *Se becha con la carga*; ac si dicat: Asinus quidem fortis & validus, sed piger ac deses. Nec desunt qui exponunt: Asinus quidem robustissimus, sed natura segnis, adeo ut sarcinas graves sibi impositas segnitie quadam ferat, & non excutiat. Aliqui, *Accubans inter duas caulas*, vel *inter duo septa*, aut *inter duos ordines ovium*; quasi dicat: Asinus pastoritius, servitio, & oneribus gregis destinatus. Nonnulli hic משפתים *mischphethaim* capiunt pro binis *clathris*, & *perticis oblongioribus*, *quibus in stabulis spatia iumentis distinguuntur*; vertuntque, *Accubans inter duos clathros stabuli*. Ex vicino nomine אשפת *aschpoth*, possis exponere, *Accubans in timetis*, *stercoribus*: ut fortem uberem gleba, & stercoratam mirifice ad producendas fruges designet. Vide similem locutionem Iudicum V. vers. 16.

V. 15. VIDIT REQUIEM QUOD ESSET BONA, &c. Aiunt, hoc & præcedenti versu describi pulchritudinem, amœnitatem, fertilitatem sortis Issachar in Galilæa; & quod hæc tribus in re rustica, & labore terræ contenta, & in vehendis ad mare oneribus, quæ in suis finibus nascebantur, exerceretur; malletque tributa pendere, quam militiam, aut bella sectari. Quidam exponunt, prædicere Iacobum Issacharianos habituros solum felix, atque amœnum; ideoque non facile passuros se inde pelli; sed potius vectigales futuros suis hostibus, non secus atque clitellarii muli, quantumvis onusti, si læta gramina, quæ carpant, per iter nacti fuerint, neque onere, neque facile fustibus propelluntur. Alii: Quietis studio, & agri amœnitate captus, licet robustissimus sit, nihil præclari geret; sed domi desidens, ignaviter sibi tributa indici patietur: quod etiam vaticinatus est Moses Deuter. XXXIII. vers. 18. cum eum in tentoriis suis oblectari dixit. Vide Iudicum V. vers. 16. Indicari quoque eam otio litterario, & studiis doctrinæ vacare. Vide S. Hieronymum, & I. Paralip. XII. 32. Pulcherrimum elogium vitæ rusticanæ

næ leges apud Maronem II. Georgicorum, extremo:

O fortunatos nimium, sua si bona norint,
Agricolas!

& alia, quæ divine subiungit. Quin & Cicero in Catone Maiore, & innumeri alii plurimis laudibus eamdem extulere.

V. 16. DAN IUDICABIT POPULUM SUUM. Quidam observant alludi ad nomen eius: nam *dan* Hebræis *iudicare* significat, ut supra cap. XXX. vers. *6.* paulum diversa ratione: sensumque esse: licet Dan filius sit ancillæ, ac proinde ex iure & lege conditione sua inferior illis, quorum modo recordatus sum; principatum tamen aliquem nihilominus obtinebit inter fratres suos, divinitus sublato discrimine inter filios herarum, atque ancillarum. Quod autem hic, nominatim Dani attribuitur, quia primus inter filios ancillarum a Iahacobo recensetur, æque per analogiam de unoquoque ancillarum filio esse accipiendum, quia omnes spiritu prophetico natalibus restitutos volebat; quæ vero peculiariter ad tribum Danis pertinent, statim subiungere Iahakobum. ALIA TRIBUS. Notant, duo esse vocabula Hebræis fere synonima, שבט *schebeth*, & מטה *matteh*, quæ *virgam*, *baculum*, & metaphorice *sceptrum*, & *tribum* significant; sed diversa ratione: nam *matteh* tribum significare, quia nomen tribus erat inscriptum baculo, ut habetur Numeror. XVII. at *schebet*, quod ex arbore, seu stirpe, aut stipite, id est patre, nata, & propagata sit. Unde duodecim tribus virgæ, & baculi sunt dictæ. quod ex uno patre Iacobo prognatæ sint: & utrumque figurate pro sceptro, regimine. & regno sæpius usurpari.

V. 17. CERASTES IN SEMITA. שפיפון *schephiphon*. Mirum quam varie hoc genus serpentis interpretentur. I. a שפה *schaphah*, *serpentis speciem*, *quæ præceps feratur*, *acontiam*, seu *iaculum*, qui ex armis arborum. seu excelso loco se vi maxima vibrat, & præceps fertur. Plinius Lib. VIII. cap. XXIII. *Iaculum ex arborum ramis vibrari; nec pedibus tantum cavendas serpentes, sed & missili volare tormento*. Solinus cap. XXX. *Iaculi arbores subeunt, e quibus vi maxima turbinati, penetrant animal, quodcumque obvium fortuna fecerit*. Lucanus IX. Pharsaliæ

.... iaculisque volucres.

Sed hic serpens parum convenit cum eo; quod subditur, *Mordens ungulas equi*. II. a שוף *schuph*, *serpentis genus*, *qui festinanter obruat*, *seu opprimat afflatu*. S. Hieronymus *regulum* seu *basiliscum* interpretatur: ac etymologia *schuph* apte quadrat: de quo Plinius Lib. VIII. cap. XXI. *Sibilo omnes fugat serpentes: necat frutices, non contactos modo, verum & afflatos: exurit herbas, rumpit saxa*. Eadem Solinus cap. LVI. Vide Anastasium Bibliothecarium in vita Leonis Quarti Pontificis. Convenit etiam quod sequitur, *Mordens ungulas equi, ut cadat ascensor eius retro*: quem locum illustrant ista Plinii: *Creditum quondam, ex equo, occiso hasta, & per eam subeunte vi, non equitem modo, sed equum quoque absumptum*. AElianus Lib. II. Historiæ Animalium, cap. v. *Et si baculum, quem quispiam teneat, momorderit, baculi dominus necatur*. Vide huc facientia apud Iulium Cæsarem Scaligerum, Commentariis ad Historiam Animalium Aristotelis. pag. 240. III. *viperam*. IV. *aspidem*. V. *anguem*. VI. communiter tamen *cerasten* reddunt. Est serpens notissimus, e Plinio Lib. VIII. cap. XXIII. Solino cap. XXX. AEliano Lib. I. cap. LVII. & Lib. XII. cap. XXVIII. Nicandro, aliisque. Diodorus Siculus Lib. III, cap. L de australi Africæ regione: *Eo magis variæ magnitudinis, & formæ serpentibus luxuriat, maxime his quos cerastas vocant; lethales hi morsus inferunt, eiusdemque sunt cum arena coloris: ideo cum a substrato solo, ob coloris similitudinem a paucis discernantur, evenit ut plurimi calcantes illos ex errore, improvisum mortis periculum incurrant. Hos fama est, impressione quadam in AEgyptum facta magnam terræ partem habitatoribus destituisse*. Unde nihil mirum si Iacob in AEgypto vaticinans pestilentissimi & virulentissimi serpentis AEgypto exitialis similitudine sit usus. Græce, a cornibus nomen habet, quadrigemina enim cornicula præfert. Hebraice a ספן *saphan*, *occultare*, quod se arenis occultet: vel a שפה *schaphah*, *eminere*, quod ei cornicula emineant, quorum motu reliquo corpore occultato, sollicitet aves, ac perimat. Quidam vaticinium istud Iacobi de Dan, ad totam tribum spectare putant; quam cum serpente comparat, qui furtim, astu, & per insidias hominibus no-

nocet: ut tribus huius insignem astutiam, insidias, ac stratagemata bellica hic prædicat senex: quo etiam allusisse videtur Moses Deuter. XXXIII. 22. Aut tangat historiam captæ Laisæ urbis a Danitis, Iudicum XVIII. Alii ad Samsonem singulariter referunt, qui astu, ac numquam aperto marte Philistæis nocuit, Iudicum IV. usque ad XVII. cap. Plerique Patrum, sensu sublimiori & prophetico, præcipuo ac primario, de Antichristo, qui futurus est ex tribu Dan, vaticinatum Iacob, existimant, ut plenius Lib. III. de Antichristo, cap. VII. docuimus; ubi totum hunc locum ample elucidavimus.

V. 18. SALUTARE TUUM EXPECTABO, DOMINE. ישועה *ieschughah*, abstractum, *salutem tuam*. Solet Noster Græcos secutus hanc vocem abstractam, per concretum reddere, *salutare*, quod illi σωτήριον dicunt, id est *salutare*, *salvationem*, *salvatorem*, *opitulatorem*, ut Christum nimirum generis humani Salvatorem significantius exprimant: nam de eo loqui Iacobum, plusquam certissimum est. Sicut Simeon in hunc locum plane respiciens, canit: *Quia viderunt oculi mei salutare tuum*: quod Lucas σωτήριον, *salutare*, *salvatorem*, *opitulatorem*, *servatorem* vertit. Et Paulus Roman. III. 25. Christum ἱλαστήριον, id est *propitiatorium*, vocavit. Utrumque sane Christo mire convenit, qui nedum salvator, sed ipsamet salus est. Huius versus in Antichristo varias explanationes edidimus: eam nunc præferimus, ut mota mentione Antichristi, tam horribilis monstri specie exhorruerit sacer senex, totumque se ad Christum collegerit; quasi dicat: Antichristum abominor, exsecror; Christum amplector salvatorem. Iam Genes. I. vers. 9. vim & notationem verbi קוה *kavah* expendimus: hic proprie est *collectim*, *& aggregatim in aliquid intendere*, quemadmodum faciunt qui veluti ad amussim & lineam in aliquid collineant aut collimant: *magno animi desiderio, ac intentione aliquid spectare*, *& expectare*: ut fit gestus perspicacissime intuentium, & avide atque anxie expectantium; quasi sit seipsum totum colligere & congregare, & intensissime in aliquam rem, aut personam respicere, eamque expectare, affectare, amplecti, sibique applicare. Hac ratione ait hic Iacob se Christum expectare, generis humani unicum liberatorem. Egregium sane de Christo vaticinium!

V. 19. GAD, ACCINCTUS PRÆLIABITUR ANTE EUM. Hebr. mirus verborum eiusdem radicis & significationis concursus. גד גדוד יגודנו והוא יגד עקב *gad ghedud ieghudennu vehu iagud ghakeb*. Iuvat numerare expositiones. I. *Gad*, *congregationem congregabit ipse*; *& ipse congregabit calcem*. II. *Gad*, *exercitus superabit eum*; *& ipse superabit demum*, nimirum exercitum contra se venientem. III. *Gad*, *exercitus succidet eum*; *& ipse succidet calcaneum*, id est extremos. IV. *Gad*, *exercitus exercitabit eum*; *& ipse exercitabitur in fine*, seu *postea*, vel *a tergo*. V. *Gad*, *exercitus invadet illum*; *& ipse expugnabit demum*, vel *in fine*. VI. *Gad*, *turmatim excurret ipse*; *& ipse excurret retrorsum*. VII. *Gad*, *turma turmatim grassabitur in eum*; *& ipse turmatim grassabitur tandem*. VIII. *Gad*, *cuneus irrumpet in eum*; *& ipse irrumpet tandem*. IX. *Gad*, *turma turmatim populabitur eum*; *& ipse turmatim populabitur demum*. X. *Cuneus latronum grassabitur in Gad*; *at ipse tandem victoria potietur*. XI. *Gad*, *ipse quem turma incurret*; *at ipse incursionem faciet in finem*; id est, tandem Gad vincet hostes suos. XII. *Gad*, *turma congregabitur cum eo*; *& ipse congregabitur demum*. XIII. *Gad*, *exercitus concurret contra eum*; *& ipse concurret in fine*. Aiunt verbum גדד *gadad* proprie esse *turmatim excursionem*, *& incursionem*, *seu irruptionem facere*; quemadmodum milites levis armaturæ cuneatim excurrunt ad depopulandum agros, & exercenda latrocinia. Id verbum in Kal quater tantum in Scripturis habetur, Psalm. XCIII. 21. *captabunt*. Habacuc III. 15. *accinctum*, hic bis, *accinctus præliabitur*, & *accingetur*. גדוד *ghedud* vero docent esse *turmam*, *cuneum*, *globum*, *cohortem*, *collectam ex milite levis armaturæ ad faciendum excursiones & depopulationes*: ut non sit robur belli, aut iustus exercitus, sed turma militum quæ ad prædam excurrit. Alii volunt esse *turmam militum grassantium*, *ab exscindendo*, *& vastando dictam*. Noster hic, *accinctum*, *expeditum*, alias *latrones* vertere solet, optime. Nam milites olim *latrones* dicebantur, & *latrocinari* militare, & *latrocinium* militia. Vide quæ de his copiose

Aaaa nota-

notavimus in Antichristo Lib. VI. cap. VI. Unde hic vertere possis: *Gad, latrocinium latrocinabitur eum; & ipse latrocinabitur calce*, seu *finaliter*, aut *retrorsum*. Ita ferme hic S. Hieronymus erudite. Vide supra XXX. vers. 10. Nihil aliud in hoc vaticinio Gad divinare possumus, quam futuram tribum bello claram, passuram, & illaturam incursiones, irruptiones, grassationes, latrocinia, bella, alternante marte, sed tandem victoria potituram: quod & S. Hieronymus annotavit, & ab his, quæ I. Paralipom. V. vers. 18. & seqq. narrantur non abludit. Nam refertur ibi pugnasse cum Agarenis, seu Saracenis, & Ituræis, & Naphisæis, & Nodabæis, qui latrones sunt, excursores, grassatores.

V. 20. ASER, PINGUIS PANIS EIUS. Hebr. *pinguis* est femineum, *Aser*, & *panis* masculea: non recte ergo cum his construatur. Hebræi subaudiunt *terram*: *De Aser terra pingui panis eius*; vel *de Aser, terra pinguis*, vel *pinguis terræ panis eius*: aliqui, *De Aser, oleo lita*, aut *delibuta, panis eius*, ut prædicat, fortem Aser oleo, & tritico præstantissimo abundantissimam & fertilissimam fore, ut ex iis panes, & placentæ suavissimæ & delicatissimæ regum & principum dignæ mensis, confici possint. Et de oleo quidem diserte affirmat Moses Deuteronom. XXXIII. 24.

V. 21. CERVUS EMISSUS. Hebr. *Cerva missa*. Quidam exponunt, quæ ob pulchritudinem, & venustatem dono alicui principi, aut magnati mitti solet: solent enim eiusmodi animalia nobilibus esse in deliciis. Sic *cerva amorum*, Proverb. V. 10. Nota est cerva illa Q. Sertorii. Alii, *Cerva dimissa*; id est, quæ venatione capta non occiditur, sed potius fovetur in deliciis: nonnulli, *Cerva missa*, id est velocissima, celerrima, agillima. Existimant, commendari hanc sortem a pulchritudine, deliciis, amœnitate; item a celeritate & velocitate pedum, ut Achilles sæpe ab Homero, quem velocipedem solet nuncupare; vel ab animi promptitudine. Alii, notari eius timiditatem, quod se bellis, & magnis negotiis non immersabit. Cervi sunt natura timidiores. ELOQUIA PULCHRITUDINIS. Hebr. *Sermones illustrationis, explanationis, perspicuitatis*: alii, *Eloquia elegantiæ*: nonnulli, *Verba rotunditatis, sphæræ*, id est rotunda, & elegantia. Laudari putant hanc tribum a studiis eloquentiæ, elegantiæ, facundiæ. Hebræi, & plerique ex nostris, vaticinium istud de Nephthali, ad Baracum imperatorem de ea tribu, & Canticum Deboræ, Iudicum IV. & V. referunt: Barac enim primum timidior instar cervi, deinde missus, & confirmatus a Debora, nobilem reportavit victoriam; quam pulcherrimo, & elegantissimo carmine epinicio ipse, & Debora decantarunt. Atque Barac ipse est cervus emissus, qui dedit eloquia pulchritudinis, nempe suavissimum illud canticum. Quibusdam hæc interpretatio ineptissima videtur; sensumque verborum Iacob hunc esse putant: Nephtalitas in tuta atque ubere collocatos regione, exultaturos suavi libertate, similiter atque cervæ, nullis indaginibus, aut plagis conclusæ, sed in herbosis amœnisque saltibus libere versantes, pascentesque exultim ludunt. Præterea blandis appellationibus, & humanitatis artibus gratiam sibi conciliaturos apud omnes; ac proinde in summa pace divinis illis donis fruituros: quæ maxima est Dei benedictio. Atque hoc ipsum quoque esse quod Moses cecinit Deuteron. XXXIII. 23. *Nephthali abundantia perfruetur, & plenus erit benedictionibus Domini*. Non sunt omittenda quæ S. Hieronymus habet: *Nephthali virgultum resolutum, dans in generatione pulchritudinem. In Hebræo ita scriptum est: Nephthalim ager irriguus dans eloquia pulchritudinis: signans quod aquæ calidæ in ipsa nascuntur tribu: sive quod super lacum Genesareth, & fluento Iordanis irrigua sit. Hebræi autem volunt propter Tiberiadem, quæ legis videbatur habere notitiam, agrum irriguum, & eloquia pulchritudinis prophetari. Porro ubi nos agrum irriguum, & LXX. virgultum resolutum posuerunt, in Hebræo legitur* אילה שלחה *aialah scheluchah, quod potest & Cervus emissus transferri; propter temporaneas fruges, velocitatem terræ uberioris ostendens. Sed melius si ad doctrinam Salvatoris cuncta referamus: quod ibi vel maxime docuerit, ut in Evangelio quoque scriptum est*: nempe Matthæi IV. 13. Quod vero אילה *aialah, agrum* convertetit, est quod ipse איל *aiil*, vel אל *el* existimavit esse *planitiem*, vel *campestria*, Genes. XIV. 6. *missus*

6. *missus* vero figurate accepit pro irriguo. Quod autem LXX. *virgultum* dixerunt, videntur accepisse *cervam* metaphorice, pro emissione capreolorum vinearum: nam hic quidam *capream* reddunt: quod vero vocant *germen*, forsan אמרי *imre* putarunt esse e significato אמיר *amir*, *ramus*, *verber*.

V. 22. FILIUS ACCRESCENS. Hebr. varie exprimunt. I. *Ramus fructificans*, *fecundus*. II. *Filius rami crescentis*, & *inundantis instar Euphratis*. פורת *phorath* volunt esse radicem per se, cum Thau radicali. III. *Filius*, vel *ramus fructiferæ* vitis, id est ramus vitis fecundæ, unde palmites pullulabunt. IV. *Filius ramus floridus*. V. *Filius fructificationis*, *fecunditatis*, *fertilitatis*. *Phorath* quidam pro participio, alii pro nomine substantivo capiunt. Hebræi notant, non posse verti, *Filius fructificationis*, vel *ramosæ*, aut *fructiferæ* arboris, quod בן *ben*, *filius*, non sit constructum, seu in regimine: nam habet Tzeri, & si esset in regimine, haberet Segol: sed exponendum, *Filius*, vel *ramus fructificans*; & tunc *ben* esse femineum, cum construatur cum *phorath* femineo, id est *fructificans*, seu *ramus fecundus*: quod Iacob ob amorem & teneritudinem erga Ioseph, femineo nomine ipsum appellet. Sed ista nauci sunt, nec tanti faciendum est punctulum, pro arbitrio Masoretarum adiectum, ut utraque expositio constare non possit. Alii, *Filius decoris*, a פאר *phar*, *filium*, pro *ramo*, positum putant, ut Psalm. LXXIX. 16. FILIUS ACCRESCENS, ET DECORUS ASPECTU. Coniunxit duas significationes vocis *phorath*: *accrescens*, & *decorus*. Heb. *Filius fructificans*, vel *fructificationis*, ut in præcedente pericope, *super fontem*, vel *super oculum*, quod Noster dixit, *aspectu*. Volunt esse metaphoram arboris, vel vitis, seu rami iuxta fontem mirifice crescentis, & fructificantis. FILIAE DISCURRERUNT SUPER MURUM; id est, puellæ AEgyptiæ captæ forma & pulchritudine Ioseph, muros urbis, & edita domorum conscendebant ad videndum tam pulchrum iuvenem regio cultu augustum, regioque curru invectum, tamquam servatorem AEgypti incedentem. Alii perstantes in metaphora *rami*, exponunt: *Surculi*, *rami incesserunt super murum*; id est, ramusculi eius alte se & late diffuderunt ad muros usque: atque metaphoram sic enucleant: *Filius*, *ramus fructificans Ioseph*, *ramus fructificans super fontem*. Bis dicit ramum fructificantem, quod bifidus esset, & fructificaret in duas tribus Ephraim & Manasse: *filiæ*, id est surculi, vel germina eius, altitudine & latitudine adeo excrescent ut murum, iuxta quem plantatus est, superent. Vide Iosue XVI. 17. Nec dubium quin vox *phorath*, *fructificatio*, alludat ad nomen Ephraim, quod ab eadem radice, id est פרה *parah*, *fructificare*, dicitur. Quidam reddunt: *Duobus ramis suis procedit ultra murum*. Notandum quod Hebraice est ad verbum: *Filiæ incessit super murum*: cum supposito plurali verbum posuit singulare, partitive; id est, unaquæque ordine incessit, una post aliam. Aliqui: *Filiarum chorus incedit iuxta murum*. Notant, non simpliciter hic de tota tribu haberi sermonem, nec merum esse vaticinium futuri temporis; sed personam Ioseph cum suis posteris misceri, & quædam ei proprie convenire, alia ad duas tribus, Ephraim, & Manasse pertinere.

V. 23. ET IURGATI SUNT. Hebr. *Et multiplicaverunt*, vel *multiplicati sunt*; scilicet adversus eum, nempe fratres eius vel & *multiplicaverunt*, videlicet odia, iurgia, contentiones, prava consilia adversus eum: quidam, *Multoties fecerunt*, vel *contenderunt*: plerique, *Et sagittaverunt*, vel *iaculaverunt*, seu *iaculati sunt*; quod non probo. HABENTES IACULA. Hebr. *Magistri*, *Domini sagittarum*. Quidam hos, fratres Iosephi, dominum eius Putipharem, huiusque uxorem intelligunt: nam cum comparasset Ioseph arbori, istos sagittarios vocat, quasi sagittantes in arborem Ioseph. Forsan tecte innuit aulicorum, & principum regni invidiam odium, æmulationem, qui eius vitam, honorem, dignitatem petebant: nam eiusmodi fastigia numquam carent invidia, & odio. Nonnulli putant commendari hic tribum Ephraim a peritia sagittandi, ut Psalm. LXXVII. 9. *Filii Ephraim intendentes*, & *mittentes arcum*; ac si dicat Iacob: Tam excellentes erunt Ephraimitæ in arte sagittandi ut vel ipsi sagittandi magistri illis inviderent, ac propterea odio haberent, & in eos insurgerent. Frigidus

Aaaa 2 & alie-

& alienus sensus, ne dicam ineptus.

V. 24. SEDIT IN FORTI ARCUS EIUS. Hebr. *Et mansit in duritia, robore, vehementia, fortitudine, vi, arcus eius*; id est, non est fractus, aut factus remissior, non elanguit, vel *in durabilitate, perennitate, pertinacia*. ET DISSOLUTA SUNT VINCULA BRACHIORUM, ET MANUUM ILLIUS. Sensum expressit. Hebr. *Et consolidata, roborata, obfirmata sunt brachia manuum eius*. Quidam Hebræorum ex vocibus פז *paz*, & מופז *muphaz*, *aurum* reddunt: *Et aurata, deaurata sunt*, id est auro ornata, *brachia*, &c. quasi fuerint armillæ, dextrocheria, viriæ, brachialia aurea in brachiis Ioseph, ad insigne regiæ præfecturæ. Nonnulli, consentiente voce, *Et topaziis, seu margaritis ornata fuerunt*: ad verbum, *Topaziata brachia manuum eius*. Verbum פזז *pazaz* in Kal alibi non invenitur. Pauci, *Et extensa sunt brachia manuum eius*, more sagittantium. POTENTIS IACOB. אביר *abir* aiunt significare *fortem, robustum, potentem, validum, prævalidum, potentissimum, amplissimum*; ac dici de Deo, Angelis, hominibus, equis, tauris. Quidam *potentissimum* reddunt. Nec desunt, qui ex eo Latinum nomen *vir* effictum putent. Ego potius ab אבר *eber*, seu אברה *ebrah*, *ala, penna*, deduxerim; quasi dicas poetice, *pennigerum, pennatum, alatum, involatum*, qui pennis super alios efferatur, & in sublime se tollat, aliisque involet, tamquam superior & maior. *Pennipotentem* dicere possis, qua voce utitur Lucretius: quod mire Deo, & Angelis convenit; atque etiam hominibus qui aliis præstant, & equis cursu volantibus, & quasi pennatis; tauris, etiam habitatoribus, & ductoribus armentorum, qui feminis, & gregi præsint, & veluti involent. Hic epithetum est Dei. Et cum de Deo dicitur sæpe construitur cum nominibus Iacob, Israel, ut hic; quasi dicat: Cuius vires, & potentiam, auxilium, involatum, alas, protectionem sæpe expertus est Israel. INDE PASTOR EGRESSUS EST LAPIS ISRAEL. Hebr. *De ibi, exinde, unde pascens, pastor, lapis Israel*; hoc est, de manu potentis Iacob factum est ut Ioseph esset pastor, quasi nutritius pascens, & alens, & lapis, seu firmamentum Israelitici populi & familiæ. Hinc Ecclesiastici XLIX. 19. Ioseph dicitur *firmamentum gentis, & stabilimentum populi*. Alii, *Pascens lapidem Israelis*, non tam recte. Quidam notant, *lapidem* per antonomasiam, & figurate poni hic pro lapide insigni, seu pro regno; exponuntque: *Inde pastor, & lapis Israelis*, id est propheta, & gubernator. Positum vero singularem numerum pro plurali, pro lapidibus angularibus, quibus nititur, & ædificatur politia. Alii potius singulariter intelligunt, prophetas, & gubernatores esse fulcimentum, & firmamentum reipublicæ. Plerique *Israel* in recto hic sumunt: *Inde pastor, lapis ipse Israel*. Fanatice quidam Hebræorum, nomen *lapis*, pro *omnis*, capiunt: *Inde pastor omnis Israel*. Alii explicant, *Pastor, lapis Israel*: quod Israel sit præcipua pars ædificii mundi. Quidam, *Lapis Israel*, id est dux, & caput Israelis.

V. 26. DONEC VENIRET DESIDERIUM COLLIUM AETERNORUM. *Desiderium collium æternorum* plerique Christum intelligunt, quem & Patres antiqui, & ipsa terra, collesque mundi tantopere desiderarunt, Aggæi II. 8. Ceterum vox תאות *thaavath* diversimode redditur. Quidam deducunt ab אוה *avah*, *cupere, avere, desiderare*: *Usque ad desiderium collium sæculi*; id est, quantum desiderare possint colles mundi, id est terra, & mundus: colles, & terra ipsa non poterit desiderare maiores benedictiones, & felicitates cæli, solique, quam erunt benedictiones tribus Ioseph. Nonnulli reddunt, *Velut concupiscentia collium mundi erunt*, vel *iuxta optata collium sæculi*: eodem sensu: alii, *Usque ad pulchritudinem collium mundi*; id est, colles mundi non erunt pulchriores benedictionibus Ioseph. Alii derivant ab תאה *thaah*, vertuntque: *Usque ad definitionem, determinationem, circumscriptionem, finem, terminum, limitem collium perpetuorum*, seu *æternorum*: quod duplici sensu enucleant, vel ut loquatur de termino loci, vel temporis. I. Usque ad extremos mundi colles, felicitas Ioseph se longe lateque diffundunt. II. Durabit eius felicitas quousque stabunt colles sæculi, qui sunt firmissima terræ portio: vel erunt istæ benedictiones non temporales tantum, sed æternæ: coniungit enim spirituales promissiones cum terrenis, quia hæ illarum erant

sigu-

figuræ. Periphrasis est perpetuitatis, non dissimilis illis quæ habentur Psalm. LXXI. ver. 5. & 7. & 17. Psalm. LXXXVIII. vers. 37. & 38. Matth. v. vers. 18. NAZARAEI INTER FRATRES SUOS. Nazaræum vocat Ioseph, id est *separatum*, *selectum*, *segregatum*, *consecratum*, *coronatum*, *serto*, *diademate*, *corona redimitum*, *sanctimonia*, *devotione*, *religione*, *dignitate*, *reverentia*, *separatum*, *& eximium*, fratrum suorum, seu inter fratres suos. Quo nomine eum appellat, vel quod sit fratrum corona propter communem gloriam, quæ ab ipso in omnes eos redundavit; vel propter dignitatem, & sanctimoniam, qua omnibus aliis excelluit, & qua princeps fuit inter fratres suos. Quidam vers. 24. 25. 26. peculiariter de tribu Ephraim interpretantur, ex qua prodierit pastor, lapis Israelis Ieroboam, qui primus ex ea tribu regnum obtinuit, ac divisit a Iuda, rerumque potitus est in decem tribubus; fueritque ea sors mira fertilitate, copia, abundantia frugum, pecorum, & hominum; ut etiam Oseæ IX. II. dicitur fortis, stabilis, plena benedictionibus, seu felicitatibus. Vide S. Hieronymum, & Explanatores.

V. 27. BENIAMIN LUPUS RAPAX, &c. S. Hieronymus: *Quamquam de Paulo Apostolo manifestissima prophetia sit, quod in adolescentia sua persecutus Ecclesiam, in senectute prædicator Evangelii fuerit; tamen in Hebræo sic legitur: Beniamin lupus rapax, sive capiens, in matutino comedet prædam, & ad vesperam dividet spolia: quod ita Hebræi edisserunt. Altare, in quo immolabantur hostiæ, & victimarum sanguis ad basem illius fundebatur, in parte Beniamin fuit. Hoc, inquiunt, ergo significat quod sacerdotes mane immolant hostias, & ad vesperam dividunt ea, quæ sibi a populo ex lege collata sunt: lupum sanguinarium, lupum voracem super altaris interpretatione ponentes, & spoliorum divisionem super sacerdotibus, qui servientes altari, vivunt de altari.* Varie Expositores hoc vaticinium Beniaminicum distrahunt: quidam ad Paulum, alii ad Saulem, nonnulli ad raptam Levitæ uxorem: nec desunt qui ad Mardochæum. Ad tribum communiter, quæ ferox, violenta, bellicosa, rapinis, cædibus, spoliis gaudebat.

V. 32. COLLEGIT PEDES SUOS SUPER LECTUM. Quidam intelligunt, Iacobum sedentem in lectulo, pedibus pendulis, longum illum sermonem ad filios habuisse; quo finito, placide nunc pedes sustulisse, seu retraxisse super lectum, ac iacuisse. Alii exponunt, sanctum senem tranquillo ac quieto animi mentisque statu retraxisse pedes, & membra sua direxisse quo voluit, haud secus ut sani, ac vegeti se ad somnum componere solent. Nonnulli notant, Iacobum pedibus stantem, totam illam concionem peregisse, id honoris, verbo Dei, cuius tunc præconem agebat, deferentem; deinde, cum iam præ imbecillitate stare non posset, qualem potuit honorem verbo Dei exhibentem, collegisse pedes ac se in lecto composuisse. Sic observatum est, honorem verbo Dei stando deferri. Uti Genesis XLVII. 31. Numeror. XXIII. 18. Iudicum III. 20. II. Reg. XXIII. 3. I. Paralipom. XXVIII. vers. 2. II. Paralipom. XXXIV. 31. Nehemiæ VIII. 5.

MENOCHII.

Vers. I. VOCAVIT. Mos Hebræorum fuit filios, vel alios curæ suæ commissos morte imminente convocare, & salutaria monita dare, ac bene precari, & interdum futura prædicere. Exempla obvia in sacris Scripturis. IN NOVISSIMIS DIEBUS, futuris temporibus, imposterum.

V. 3. PRIMOGENITUS, secundum carnem: nam iura primogenituræ illi adempta, ut impio in patrem. FORTITUDO MEA, quem cum adhuc robustus, & viridis ætate essem, genui. INITIUM DOLORIS: quia nati liberi multum anxietatis, laboris, solicitudinis parentibus afferunt. Vel sensus est: tu mihi fuisti præcipua causa doloris, & tristitiæ ob tuum incestum. PRIOR IN DONIS: nam primogenito duplex hereditatis portio debebatur: Deuter. XXI. 17. Hoc ius in Iosephum translatum: nam duæ sortes eius posteris attributæ, seu duæ tribus, ager etiam eximius extra sortem cap. præcedenti num. 22. MAIOR IN IMPERIO: quia primogenito fratres debebant subesse fraterna quadam, & quasi paterna subiectione. Hoc quo ad duas tribus in Iuda, quo ad decem diu in Ephraim permansit; & quia

& quia utraque prærogativa cernitur in familia Ioseph, ideo I. Paralip. v. 1. dicitur Ioseph potitus primogenitura Rubeni.

V. 4. EFFUSUS ES SICUT AQUA: præceps in scelus ruisti. NON CRESCAS: non cresces, nam est prophetia. Tribus tua erit exigua numero. CUBILE PATRIS TUI: incestasti novercam, supra cap. xxxv. 22. MACULASTI STRATUM EIUS: me, novercam, te, ipsam prosapiam universam dehonestasti.

V. 5. FRATRES, non tam germani natura, sed simillimi, & coniunctissimi dolo, furore, crudelitate, & præ ceteris ob sororis dedecus exardescentes in ultionem, supra cap. xxxiv. 25. VASA INIQUITATIS, instrumenta iniquitatis. BELLANTIA, prompta, & strenua in flagitium, & ultionem.

V. 6. IN CONSILIUM EORUM NON VENIAT ANIMA MEA: absit ut glorier hoc filiorum meorum facinore. Olim detestatus sum, & nunc detestor. ET IN COETU ILLORUM NON SIT GLORIA MEA; quasi dicat: Illi in hac strage quasi indice fortitudinis suæ gloriati sunt: absit a me tale decus, & gloria. OCCIDERUNT VIRUM: en allage, singulare pro plurali. *viros*, ut complectatur omnem populum masculini sexus. IN VOLUNTATE SUA, in sua libidine sæviendi. LXX. habent. *In sua concupiscentia*. SUFFODERUNT MURUM. Vel murus proprie accipitur, quod scilicet urbis mœnia suffoderint, & aliqua saltem ex parte everterint: vel murus metaphorice sumitur, & significat Hemor, & Sichem principes civitatis, qui sua potentia illam muniebant. Hinc LXX. vertunt, *Subnervaverunt taurum*. Taurus quia in feminas ruebat, & quia in civitate potens.

V. 7. MALEDICTUS FUROR EORUM. Hæc maledictio prophetica in fratres istos temporaria, & conditionalis fuit, nisi scelus novis meritis expiarent. Hæc maledictio a Levi, & a Levitis sublata est per zelum tum Mosis, & Aaronis, aliorumque Levitarum in cæde adorantium vitulum aureum; tum Phinees Levitæ, qui Hebræum cum Madianitide concumbentem occidit, & Beelphegor evertit, Num. xxv. num. 5. & 6. ideoque tribus Levi & sacerdotium, & benedictionem a Mose accepit: Deuter. xxxiii. 10. In Simeone vero mansit hæc maledictio propter fornicationem, & idololatriam Zambri, qui fuit dux tribus Simeonis, quem occidit Phinees, Numer. xxv. Unde solus Simeon a Mose non fuit benedictus: Deuteron. xxxiii. QUIA PERTINAX. Excusari possent si subito impetu excanduissent; inexcusabiles fuerunt quod iracundia tenax, vindictæ amor insatiabilis, & flecti nescia fuit indignatio. DIVIDAM. Aptissima pœna malos consultores disgregandi, & conspirationem disturbandi, ne rursus in aliorum perniciem capita conferant. In Simeone id impletum, quando data ei sorte portio in medio tribus Iuda, Iosue xix. 2. & 9. quæ portio exigua fuit, & ita factum ut cum Simeonis tribus hominibus facta esset numerosior, exierint in desertum ad quærendas sibi sedes, pars in Gador, pars in montem Seir. Vide I. Paralip. iv. 27. 39. & 42. In Levitis impleta, quia Levitis nulla sors obtigit propria, sed per omnes tribus dispersi: Iof. xviii. 7.

Vers. 8. IUDA, TE LAUDABUNT FRATRES TUI. In Hebræis vocibus elegans allusio ad nomen Iuda continetur. Vocarat eum mater (supra cap. xxix. num. ult.) Iudam quoniam laudandi Deum causam habebat maximam; nunc pater aliam nominis rationem addit, quod tribus Iuda a ceteris fratribus sit laudanda. MANUS TUA IN CERVICIBUS INIMICORUM, ut eos in fugam agant, insequantur, capiant, trucident. ADORABUNT TE FILII PATRIS TUI, in rege, vel Messia ex ea nascituro.

V. 9 CATULUS LEONIS IUDA. Sicut Iudas inter fratres est, ita tribus Iuda inter alias erit instar leonis, impavida, fortis, bellicosa, victrix. AD PRAEDAM. FILI MI, ASCENDISTI. Hebr. Symmachus, & Aquila habent, *A præda*. Sensus est: a præda ad prædam ascendisti, assidue prædaris, iugiter a prædatione, & cum præda redis. Id maxime verum tempore Davidis viri bellatoris, & in multis bellis victoris. REQUIESCENS ACCUBUISTI: post victoriam læta pace potitus es, ut leo, qui adeptus prædam securus accubat, & illa fruitur. QUASI LEAENA, quæ catulos lactans sævior, & fortior est leone. QUIS SUSCI-

SCITABIT EUM? quis eum suscitare, & bello audeat lacessere?

V. 10. NON AUFERETUR SCEPTRUM DE IUDA. Sceptrum Iudaici erit regni in finibus tribus Iuda, hoc est Ierosolymis. ET DUX DE FEMORE EIUS, si non per lineam masculinam, certe per femininam: nam etiam hi de femore Iuda progressi sunt.

Dices: Herodes alienigena regnavit Ierosolymis ante Messiæ adventum, qui tamen non exierat de femore Iuda. Respondeo: Herodem non fuisse regem, sed tyrannum non legitime dominantem. Præterea intelligendam prophetiam de regno libero, & a nemine dependente; quale Herodis regnum non fuit, quod a Romanorum pendebat arbitrio. Tandem si Herodes aliquando legitime regnavit, id illi non contigit nisi secundo Christi anno, quo illum Iudæi in regem suum volentes susceperunt, vide Philonem Lib. II. de Tempore, & Iosephum XVII. Antiquit. cap. III.

QUI MITTENDUS EST, Messias. IPSE ERIT EXPECTATIO GENTIUM. Sic Aggæi II. 8. Christus vocatur *desideratus cunctis gentibus*, & hoc cap. num. 26. *desiderium collium æternorum*.

V. 11. LIGANS AD VINEAM PULLUM SUUM, ET AD VITEM, O FILI MI, ASINAM SUAM. Christus ligabit funiculo fidei, spei, & caritatis *ad vineam*, id est ad Ecclesiam primævam ex Iudæis collectam, *pullum suum*, id est populum Gentium, qui iugum legis nondum tulerat, cum eum Iudæis in una Ecclesia coniunxit, & adunavit; *& ad vitem*, id est ad seipsum (Christus enim vitis est Ioan. xv. 1.) o Iuda *fili mi*, ligabit idem Christus *asinam suam*, id est populum Iudæorum, iugo legis assuetum, & attritum. Recte Christus dicitur asinam ligasse ad se, quia per se ipsum prædicavit Iudæis; pullum vero alligasse vineæ, quia Gentibus per Iudæos, puta Apostolos prædicavit, & per eos Gentes sibi aggregavit. LAVABIT IN VINO, sanguinis sui. STOLAM SUAM, carnem suam. ET IN SANGUINE UVAE PALLIUM SUUM, sanguine suo Ecclesiam suam, cum scilicet mortuus est in cruce, & in dies lavat mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ.

V. 12. PULCHRIORES SUNT OCULI EIUS VINO. Hebr. *Rubicundiores*, *ardentiores*, *magis radiantes*, *quam vinum*: quia loti per passionem, & radiantes post resurrectionem, conferuntur cum vino, quia lætificant corda spectantium. ET DENTES EIUS LACTE CANDIDIORES. His, & ante dictis explicatur pulchritudo Christi, maxime resurgentis. Hæc enim potissimum in genis, oculis, & dentibus spectatur.

V. 13. ZABULON IN LITTORE MARIS HABITABIT, iuxta mare Mediterraneum, & mare Galilææ, sive stagnum Genezareth. IN STATIONE NAVIUM: quia terra Zabulon portuosa, PERTINGENS USQUE AD SIDONEM. Hebr. *Latus eius ad Sidonem*, vel *versus Sidonem*, spectat scilicet.

V. 14. ISSACHAR ASINUS FORTIS. Hebr. *Osseus*, robustus scilicet ad agriculturæ opera. ACCUBANS INTER TERMINOS, aliarum tribuum; ideo procul a navigationis sorte, & rure suo se pascet.

V. 15. VIDIT QUIETEM QUOD ESSET BONA, quietem vitæ rusticanæ. SUPPOSUIT HUMERUM AD PORTANDUM, ut asinus osseus, ac robustus onera rustica. FACTUSQUE EST TRIBUTIS SERVIENS: quod fere agricolis accidit, qui plus ceteris tributis gravantur, a quibus milites sunt immunes.

V. 16. DAN IUDICABIT. In Hebræo est allusio ad nominis etymologiam; quasi dicat, Iudex iudicabit; Samsonem scilicet Iudicem Israel, qui fuit de tribu Dan. SICUT ET ALIA TRIBUS, quæ suum Israeli dedit iudicem: non enim omnes tribus iudices protulerunt, nam ex Ruben, Gad, Simeon, & Aser nullus iudex extitit. Sensus ergo est: si quæ tribus Israeli iudicem dabit, & hæc dabit, non deerit illi hoc decus.

V. 17. FIAT DAN COLUBER IN VIA, CERASTES IN SEMITA. Samson Danita quasi coluber fuit, dolo Philistæos aggressus, ut patet in trecentis vulpibus, & in concussione columnarum: similis etiam serpenti, quia cum aures non sibi obturasset, pellacibus Dalilæ vocibus incantatus est. *Cerastes*, genus quoddam serpentis cornuti, de quo Plinius Libro VIII. cap. XXIX. nomen habet ἀπὸ τῶ

κε-

κέρατος. MORDENS UNGULAS EQUI, UT CADAT ASCENSOR EIUS RETRO. Hoc est cerastæ ingenium ut calcaneum equi petat; quo percusso, & deiecto, etiam equitem perdit. Conveniunt hæc Samsoni, qui & fortitudine, & dolis contra Philistæos grassatus. Conveniunt etiam propter eamdem rationem Antichristo ex tribu Dan nascituro, qui violentiam, & insidias contra fideles exeret.

V. 18. SALUTARE TUUM EXPECTABO, DOMINE: nam brevis requies sub Samsone; ideoque securior & diuturnior a Christo expectanda: expectabo etiam eumdem Christum ut Antichristum perdat, & nos salvos faciat.

V. 19. GAD, ACCINCTUS PRAELIABITUR ANTE EUM, ET IPSE ACCINGETUR RETRORSUM. Tribus Gad iuxta suum nomen (Gad enim accinctum significat) accincta erit, armata, & bellicosa; idque tunc maxime patebit quando ipsa armata ante Israelem ibit, hoc est ante reliquas tribus, quasi dux, easque per Iordanem ducet in Chananæam. Ipsa etiam accingetur retrorsum, quando aliis tribubus in sua sorte collocatis, ipsa post decimum quartum annum spoliis onusta gloriose domum in suam sortem trans Iordanem redibit.

V. 20. ASER, PINGUIS PANIS EIUS, ET PRAEBEBIT DELICIAS REGIBUS. Significat, & prædicit opes, fertilitatem, fructusque Aser, adeo sapidos, & delicatos ut in deliciis haberentur a regibus Israel, Iuda, & Tyri, quod illi ob soli bonitatem contingebat. Idem de Aser prædicit Moses cum ait Deuteron. XXXIII. 24. *Tingat in oleo pedem suum*, &c.

V. 21. NEPHTHALI CERVUS EMISSUS, ET DANS ELOQUIA PULCHRITUDINIS. Est prophetia de Barach Israelis duce, qui ex hac tribu. Hic prius ut cervus pavidus, quamvis ad bellum emissus, non nisi Debora comite in expeditionem ire ausus est, victoria vero luculenta reportata, dedit eloquia pulchritudinis, pulcherrimum nimirum carmen gratulatorium, & eucharisticum, quod habetur cap. v. Iudic.

V. 22. FILIUS ACCRESCENS IOSEPH. Sane accrescens, nam duas ipse tribus obtinuit de nomine filiorum dictas Manasse, & Ephraim, quarum ista iuxta suum nomen fructificans fecundissima fuit, ac florentissima, ac etiam regia. DECORUS ASPECTU. Ex Hebr. verti potest, *Super oculum*, adeo decorus ut oculos ad se raperet; quod præcipue verum in AEgyptia. FILIAE DISCURRERUNT SUPER MURUM, ut te formosum cultu regio amictum intuerentur.

V. 23. EXASPERAVERUNT EUM, fratres scilicet eius. ET IURGATI SUNT, dicentes: *Numquid rex noster eris?* &c. HABENTES IACULA, irrisionum, mendaciorum, calumniarum, verberum, vel etiam illum armatis manibus circumsistentes.

V. 24. SEDIT IN FORTI ARCUS EIUS: per spem in Deo quasi in arce fortissima, & inexpugnabili stetit. DISSOLUTA SUNT VINCULA BRACHIORUM, ET MANUUM ILLIUS, cum e carcere eductus est. PER MANUS POTENTIS IACOB, Dei potentis, quem Iacob coluit. INDE PASTOR EGRESSUS EST, LAPIS ISRAEL: effectus est rector, & princeps AEgyptiorum, & firmamentum populi sui Israel.

V. 25. BENEDICTIONIBUS CAELI, dando tibi e cælo opportunam pluviam, rorem, nivem. BENEDICTIONIBUS ABYSSI: terram dabit tibi irriguam, & fertilem ex aquis inferne ex abysso prodeuntibus. BENEDICTIONIBUS UBERUM, ET VULVAE, ut scilicet habeas copiosum lac, feturam, ac proles tum animalium, tum hominum.

V. 26. BENEDICTIONES PATRIS TUI CONFORTATAE SUNT BENEDICTIONIBUS PATRUM EIUS; quasi dicat: Maior est mea benedictio, qua ego tibi benedico, quam ea qua mihi parentes mei benedixerunt: eris me felicior, magisque benedictus. DONEC VENIRET DESIDERIUM COLLIUM AETERNORUM. Hæ benedictiones durabunt donec veniat Christus, quem omnis creatura reparatorem desiderat: ille maximam toti mundo benedictionem afferet. Colles æterni, id est qui æternum durant. Allegorice colles æterni sunt Patriarchæ sapientia, & sanctitate eminentes. ET IN VERTICE NAZARAEI. Nazaræum separatum, & coronatum significat. Fuit autem Ioseph a patre, & fratribus, & ab alio-

aliorum consuetudine segregatus, cum in AEgyptum venditus, & carcere conditus fuit; postea coronatus ipse in AEgypto, posteri eius in Israel. LXX. habent: *Supra verticem glorificatus in fratribus*.

V. 27. BENIAMIN LUPUS RAPAX. Prædicit tribum Beniamin instar lupi fortem, & bellicosam futuram; quod patet ex bello Gabaa, Iud. xx. Alludit etiam ad victorias, & prædas Saulis, Estheris, & Mardochæi, qui ex hac tribu fuerunt. MANE COMEDET PRAEDAM, ET VESPERE DIVIDET SPOLIA. Idem est comedere prædam, & dividere spolia, nimirum prædari, prædas dividere, comedere, &c.

V. 28. OMNES HI IN TRIBUBUS ISRAEL DUODECIM. Hebr. est, *Omnes istæ tribus Israel sunt duodecim*; quasi dicat: Ab his duodecim filiis Iacob descenderunt, & denominatæ sunt duodecim tribus Israel. BENEDIXITQUE SINGULIS BENEDICTIONIBUS PROPRIIS, hactenus recitatis.

V. 32. COLLEGIT PEDES SUOS SUPER LECTULUM: nam prius in sponda lectuli sedebat, cruribus pendentibus: colligit ergo pedes in lectulum, & sensim expirat. APPOSITUS EST AD POPULUM SUUM. Mortuus est, & quo ad animam descendit ad patres, & ad iustos in limbo, sinuque Abrahæ degentes.

TIRINI.

Vers. 3. RUBEN ...... PRIOR IN DONIS, MAIOR IN IMPERIO. Chaldæus sic habet: *Tu Ruben accepturus eras partes tres*, scilicet *primogenituram*, *sacerdotium*, & *regnum*; *sed quia secutus es perversam voluntatem tuam, sicut aqua effusa, non proficies, neque accipies portionem superexcrescentem*. Simile quid imprecatur Moyses eidem Rubeno, Deuter. XXXIII. *Vivat Ruben*, & *sit parvus in numero*. Et satis patet ex publico lustro, tribum Ruben plerisque aliis tribubus etiam numero inferiorem fuisse: ut sileam de exili gloria, potentia & dignitate illius tribus.

Nota, tria illa quæ Rubeno debebantur ratione primogenituræ (ut probabo I. Paralip. v. vers. 2.) quibus ipse suo scelere se privavit, data fuisse partim Iosepho, partim Iudæ, partim Levi. Nam duplex hereditatis portio, seu duplex tribus cessit Iosepho, ut dicitur I. Paralip. v. vers. 1. sacerdotium accepit Levi, in nepote suo Aarone; regnum quo ad nobiliorem partem accepit Iudas in Davide, & posteris; quo ad decem tribus, accepit Ephraim filius Iosephi, in Ieroboamo, & aliis regibus Israel.

V. 9. REQUIESCENS ACCUBUISTI UT LEO, &c. Alludit ad Davidem, & Salomonem, qui, debellatis Ammonitis, Idumæis, omnibusque Syriæ populis, iam prædarum saturi quiescentes, erant nihilominus terrori omnibus; ut solet leo etiam dum humi prosusus quiescit, terrori esse reliquis animalibus.

Vers. 10. NON AUFERETUR SCEPTRUM DE IUDA, ET DUX DE FEMORE EIUS; id est, tribus Iuda simulatque regium sceptrum acceperit, tamdiu illud retinebit, DONEC VENIAT QUI MITTENDUS EST, scilicet Messias, seu Christus, *Cuius est regnum*, habet Chaldæus; *Cui repositum est*, LXX. verterunt, & legit S. Ignatius Martyr, Irenæus, Tertullianus, Ambrosius & quidam alii. Nam sceptrum, seu imperium regium tam temporale, quam spirituale in universum orbem, Christo debebatur, & reservabatur. Et spirituale quidem per se administravit; temporale solum per vicarios. Hanc vero vicariam operam in Iudæa, seu inter Hebræos dicit hic committendam tribui Iudæ, non aliquo exiguo tempore (uti etiam tribui Ephraim in Ieroboamo eiusque posteris committenda fuit) sed usque ad ipsius Christi adventum in terras. Et ita contigit de facto. Nam David eiusque posteri ex Iuda oriundi, Iudæis titulo regio præfuerunt usque ad captivitatem Babylonicam. Ea durante, Iechonias, etsi in carcere, etiam regiis usus est insignibus. Finita captivitate, ex eadem tribu Iuda, titulo ducis præfuit Iudæis *a* Zorobabel nepos Iechoniæ; & illum secuti alii eiusdem familiæ duces usque ad Machabæos, seu Assamonæos; qui ad Herodem usque, sub quo natus est *b* Christus, sceptrum Iuda tenuerunt, quo iure, dicam *c* cum ad eos ventum fuerit. Et licet ex Levi essent oriundi, utpote sacerdotes, & filii Aaron; tamen censebantur vocabanturque filii Iuda, partim ob genu

Bbbb ma-

maternum, quod trahebant ex femore Iudæ, partim ob insitionem, & quasi adoptionem in tribum Iuda. Nam a reditu e Babylone, licet plurimi ex aliis tribubus reverterentur in patriam, non tamen aut regno, aut loco, ut ante, distincti fuerunt; sed uni regno, & tribui Iudæ adscripti, & quasi insiti: imperium vero in omnes uni soli tribui Iudæ cessit, & penes hanc unam remansit: omnesque Iudæi, seu tribus Iudæ vocati sunt. Unde licet in ea sceptrum tenuerint Machabæi ex alio sanguine prognati; quia tamen illud ipsum acceperunt ab eadem tribu Iuda, & in eadem tribu, in quam insiti fuerant, & nomine eiusdem tribus (nam omnes vocabántur Iudæi) vere proprieque dici poterat, sceptrum teneri a Iuda, & a femore Iudæ. Sicut olim Romani dicebantur imperare, licet non raro exteri, verbi gratia, Traianus Hispanus, & alii sceptrum apud illos tenerent. Et in Polonia, ubi haud ita pridem Stephanus Battoreus Transilvanus, & Henricus Valesius Gallus præfuerunt, & nunc præest Serenissimus Sigismundus non e Polonia, sed Svecia oriundus; dicitur tamen sceptrum Poloniæ teneri a Polonis, & gente Polonica: quia nempe & Stephanus, & Henricus, & Sigismundus electione statuum regni, insiti, & incorporati sunt genti Polonicæ. Secus esset, si vel a Turca, vel a Mosco tyrannice oppressi cogerentur alienigenam in regem accipere: tum enim censeretur sceptrum Polonis ereptum, & translatum ad exteros. Pari ergo ratione dicitur sceptrum regium Hebræorum mansisse in tribu Iuda usque ad Herodem, cuius anno 36. natus est Christus. Hic enim & alienigena erat, scilicet Philisthæus Ascalonita, & per vim a Romanis intrusus in solium, ac proinde non poterat tum dici sceptrum teneri a tribu Iuda. Ita Suarez III. Part. disp. 1. sect. 1. Pererius, & alii.

Petes: Quare ergo, Herode intruso, non statim advenit Christus, sed expectavit usque ad annum Herodis 36. Respondeo: Quia fere toto illo tempore sola vi & armis tenebat imperium Herodes, viventibus sub initium adhuc Aristobulo, & Hyrcano legitimis regni heredibus; & his dolo & nequitia ipsius occisis, repugnabant nihilominus Herodi primores Iudæorum cum Pharisæorum & sacerdotum principibus, detrectantes imperium Herodis, & suæ genti id vendicantes; atque ita sceptrum, quod re ipsa non poterant, saltem iure retinebant, donec tædio, & malis artibus victi, ac resistendo lassi, tandem ultimo Herodis anno manus illi dedere, & fidei iuramento dato acceptoque colla imperio eius subdidere: atque ita sceptrum tribui Iudæ subtractum, ipsimet ad alienigenam transtulere. Ita Philo, & Iosephus, *d* & Emmanuel Sa. Sed iam paucis ante mensibus Christus in Bethlehem natus fuerat.

Vide de his etiam Chronicon cap. XLV.

V. 11. LIGANS AD VINEAM PULLUM SUUM, &c. Hæc & sequentia Chaldæus, Rabbini, & plures alii litteraliter exponunt de fertilitate terræ quæ obtigit tribui Iudæ. Et vere alludit huc Patriarcha; sed principalius respicit ad Christum, illiusque passionem, & fructus inde toti orbi consecutos: ut eleganter exponunt Ambrosius, Augustinus, & alii SS. Patres *e*.

V. 17. FIAT, pro *fiet*. DAN COLUBER IN VIA, &c. Chaldæus, Hebræi, Hieronymus, Procopius, Lyranus, Tostatus, Pererius, Delrio, & quidam alii litteraliter hæc applicant Samsoni; Irenæus, Ambrosius, Augustinus, Theodoretus, Gregorius, & fere omnes antiqui Patres, explicant de Antichristo. Et utrique recte: nam & uterque oriundus erat ex Dan; & simili genere stratagematum, puta nunc aperta vi, instar colubri, nunc dolis & fallacia, ut cerastes, uterque usurus erat in suos hostes; sed Samson in Philisthæos, Antichristus in Christianos. Danitæ quoque in expugnatione Lais, sive urbis Dan, quæ post Cæsarea Philippi dicta fuit, simili calliditate usi sunt, Iudicum XVIII. Et utentur passim ministri & asseclæ Antichristi ad inducendum in fraudes universum mundum.

V. 22. FILIUS ACCRESCENS. Id significat nomen *Ioseph*. Nam pene in omnibus his benedictionibus alludit Iacob ad nomina singulorum propria, olim prophetice imposita, quibus quasi totidem litteris præsignabatur qualis futura esset & indoles animi, & conditio terræ singularum tribuum; itemque heroum ex singulis nasciturorum; ac denique Christi Domini

mini pene per singulos præfigurati. Verbi gratia per Iosephi ingentes opes, gloriam, fortitudinem, formamque speciosissimam, adeo ut passim filiæ AEgypti ad eum contemplandum per compita discurrerent, fenestras murosque conscenderent, ut hic dicitur; præsignificabatur quales futuri essent Ephraimitæ, & Manassæi, ac nominatim Iosue, Debora, Iephte, Gedeon, Iair, & Ieroboam cum aliis regibus decem tribuum, qui allegorice Christum & principes Ecclesiæ Christi præsignabant: nempe florentissimi opibus, splendore regni, robore, & gloria; seu allegorice fide, & cultu Dei opt. max.

Petes: Quomodo hæ benedictiones dicuntur hic futuræ *in vertice Nazaræi*, id est Iosephi, a fratribus *separati*, & *coronati* (nam utrumque significat *Nazaræus*) *donec veniret*, seu veniat, *desiderium collium æternorum*, id est Christus, quem & Angeli, & Patriarchæ, & orbis universus summo desiderio, si non omnes rationali, saltem naturali, tamquam redemptorem, dominum, gaudium, deliciasque suas optabant, & præstolabantur; cum constet, posteros Iosephi, simul ac sceptrum regium in Ieroboamo adepti sunt, a vero Dei cultu ad vitulos aureos deflexisse; & diu ante natum Christum, puta 687. annis, a Salmanassare Assyriorum rege in perpetuum exilium abductos fuisse IV. Reg. XVII. Respondeo, non esse absolutam promissionem, sed solum conditionatam, nempe si, & quamdiu Deo fidi permanserint. Adde, semper aliquos & sub idololatra Ieroboam, & sub tyranno Salmanassare, & post reditum e Babylone cum tribu Iuda, repertos fuisse e posteris Iosephi, qui ut Deo fidi permanserunt, ita benedictionibus cælestibus, forsan & terrenis (nam Ephraimitæ ceteris dignitate præcellebant) usque ad adventum Christi abundarunt. Vide Ambrosium, Rupertum, Caietanum & Lipomanum.

V. 27. BENIAMIN LUPUS RAPAX, MANE COMEDET PRAEDAM, ET VESPERE DIVIDET SPOLIA. Patuit in stupro Gabaa, & raptu virginum Silontinarum, Iudicum XIX. & XX. patuit in Saule ex Philisthæis, & Amalechitis prædas agentes; in Mardochæo, & Esthere: qui omnes fuerunt de tribu Beniamin. Verissime, clarissimeque, sed allegorice, completum fuit in Paulo Beniaminita, qui *mane*, seu prius, puta ante conversionem, instar lupi rapacis infestabat Christianos; *vespere* vero, id est post conversionem, cum esset Apostolus & doctor Ecclesiæ, toti orbi pabulum sanæ doctrinæ verbo, & exemplo suo distribuit. Ita Hieronymus, Ambrosius, Augustinus, Rupertus, Eucherius, Beda *f*.

(*a*) Aggæi 1. vers. 1.
(*b*) Matth. 11. vers. 1.
(*c*) 1. Machab. 11. vers. 1.
(*d*) Philo. Lib. II. de Tempor. Ioseph. XVII. Antiqu. cap. 111.
(*e*) Hieron. in Quæst. Heb. Iren. Lib. V. cap. ult. Amb. de Benedict. Patriarch. August. in Iosue quæst. XXII. Theod. quæst. CIX. in Genes. Gregor. XXXI. Mor. cap. XVIII.
(*f*) Hieron. in Quæst. Heb. Aug. serm. 1. de convers. S. Pauli.

GORDONI.

Vers. 1. VOCAVIT AUTEM IACOB FILIOS SUOS. Sequuntur prædictiones Iacob, quas vocant benedictiones Patriarchatum: sane mixtæ sunt etiam maledictiones aliquæ. Et res tota non tam personam filiorum quam posteros eorum respicit. Horum nomina Hebraica attigi supra cap. XXX.

Non patitur instituti ratio, ut hic mora trahatur quantam postulat huius prophetiæ maiestas. Passim id agunt Interpretes alii. Obiter hic de tota re sic statuo.

V. 3. RUBEN PRIMOGENITUS MEUS, &c. Ruben licet primogenitus, tamen privatur hac excellentia: quia præter alia peccata, etiam novercam polluere ausus est.

V. 4. EFFUSUS ES UT AQUA. Designat præcipitationem in libidinem. Itaque quamvis prior in donis esse debuisset, & maior in imperio; nihilominus, quæ duplex portio debebatur primogenito, transfertur in Iosephum, adoptione filiorum. Regia item dignitas in Iudam, & sacerdotium in Levi. Immo etiam non crescet; hoc est, parvo numero erit in tribu sua; ut constat ex censu tribuum. Vocatur fortitudo, quia in flore ætatis genitus.

V. 5. SIMEON, ET LEVI, VASA INIQUITATIS BELLANTIA. Hi arguuntur, & appellantur bellatores iniqui,

nempe contra Sichemitas, ut dixi cap. XXXIV. Pœnam futuram prædicit, scilicet ut qui male coniuncti erant, dissipentur. Sic factum est ut Levitæ dissiparentur per omnes tribus; & Simeon in angulum extremum Chanaan reiectus.

V. 8. IUDA TE LAUDABUNT FRATRES TUI: tibi confitebuntur fratres tui, ut omnium maximo & fortissimo: & exemplo Leonis amplificat id ipsum. Certe *τὸ ut adorent*, docet hoc clare referri ad Christum, ut aiunt Ireuæus, Cyprianus, & alii.

V. 9. CATULUS LEONIS IUDA. Hunc versiculum aliqui cum Hieronymo in Qq. Hebr. exponunt ad litteram de Davide; omnes vero de Christo vel ad litteram, vel mystice. Et Augustinus Lib. XVI. de Civit. cap. XLI. explicat ad litteram. Aliqui etiam de utroque recte: nam uterque erat ut catulus in pueritia, & postea leo factus, ac hostibus formidabilis.

V. 10. NON AUFERETUR SCEPTRUM DE IUDA. Hoc versiculo prophetiam contineri de Christi adventu primo, constat inter Catholicos; de quo iam dicam. Et quamvis inter textum Vulgatum & Septuaginta sit aliqua diversitas, consensus est Scriptorum semper intelligi de Christo nasciturо ex Iuda, ut Iacob hic implicite significat, & conspirant Prophetæ. Perdurasse sceptrum Iuda usque ad Christum, ostensum a me est in Opere Chronologico. Vide ibidem qq. XV. num. 19. de fine Hebdom. Dan. Res etiam gestæ de Iuda sic se habent: a Davide usque ad Zedechian, & captivitatem Babylonicam (de qua dixi ad an. 3374.) sola tribus Iuda principatum tenuit. Porro soluta captivitate, velut post interregnum rediit tribus Iuda cum aliquot aliis oriundis ex tribu Beniamin, & aliunde. Quotquot vero redierunt, a Iuda Iudæi dicti sunt. Quin & Machabæi censiti sunt sub hoc titulo; & plene cooptati in tribum Iuda. Sed illud etiam firmat quod asseritur de continuato ad Christum sceptro in Iuda: quia licet daretur, Machabæos non fuisse penitus de stirpe regia; tamen volentibus iubentibusque his qui erant ex Iuda, tenebant Machabæi sceptrum; atque ita non defecit sceptrum Iuda, donec veniret qui promissus est Messias. Quando vero cessaverint Machabæi tenere hoc sceptrum in Iuda, dixi ad annum mundi 3936. & in qq. cap. XVI. n. 32. Sic ergo regnatum est per Iechoniam in captivitate, Zorobabelem, aut per Pontifices post reditum, & per posteros Duces, & Machabæos, donec veniret qui mittendus erat. Hebr. *Donec veniat* שילה *Silo*. Mirum quidem est quam varie multi legant hoc Hebraicum שילה mutatis punctis. Depravatus a Iudæis locus est. Hieronymus legit שלוח *waluach*, *missus*. Participium est passivum præteritum, pro futuro passivo: carent enim Hebræi participio futuri temporis. Sic ergo ut ponerent Silo nomen urbis, mutarunt puncta, & pro ח, substituerunt ה. Sed nec Septuaginta legerunt Silo: vertunt enim: *ἀποκείμενα αὐτῷ*, *reposita ipsi sunt*, seu *promissa*: quod bene expressit Vulgatus. Immo & Chaldæus Paraphrastes aperte habet, *Donec veniat Messias*. ET IPSE ERIT EXPECTATIO GENTIUM. Ipse, inquam, non David, ut falso vertunt Iudæi; sed ipse Silo. Nec tunc defecit, sed potius cœpit hoc sceptrum. Vox expectatio יקהת *ikkehat*, a radice קוה *kavah*, speravit. Septuag. *προσδοκία*.

V. 11. LIGANS AD VINEAM PULLUM SUUM. Designat vini copiam.

V. 13. ZABULON IN LITTORE MARIS HABITABIT, &c. In tribu Zabulon sunt Nazareth, mons Tabor, & Capharnaum, loca nativitate, transfiguratione, & prædicatione Christi illustrata; ut mirum non sit, si Iacob hic mystica significatione Zabulon filium decimum, anteponat senioribus. Certe paulo ante de Christo vaticinatus est. Ceterum de hac Tribu nihil nisi de habitatione inter maria vaticinatur, Mediterraneum & Genesareth.

V. 14. ISSACHAR ASINUS FORTIS, &c. Vicina est Tribus Zabulonitis, ad meridiem. Prædicitur, ut apparet, solum felix, & fertile; ac hos fortis suæ tenaces futuros, adeo ut in agricultura, & messibus eligant potius velut clitellarii inservire, quam discedere a natali solo, aut aliud vivendi genus eligere.

V. 16. DAN IUDICABIT POPULUM SUUM, &c. Hinc natus est Samson iudex, & celebratur tota Tribus ob insignem tanti viri fortitudinem.

V. 17.

V. 17. & 18. FIAT DAN COLUBER IN VIA. Non desunt qui hunc versiculum referant ad Antichristum, quem putant ex hac Tribu nasciturum. Hinc ex abrupto exclamat: SALUTARE TUUM EXPECTABO DOMINE; hoc est, non sufficit Samson, veniat Silo. CERASTES est serpens, hoc nomen habens a cornibus, tamen Hieronymo est regulus.

V. 19. GAD ACCINCTUS PRAELIABITUR, &c. Hoc interpretatur Hieronymus de bellis fortiter gestis ab hac Tribu, tum quando antecedens Rubenitas, pugnavit pro terra promissa, tum quando regrediens in suam sortem, trans Iordanem, hostes bello vicit.

V. 20. ASER, PINGUIS PANIS EIUS. Laus Aser prædicitur ex agri ubertate, & fertili solo: unde principibus decimas præbebat.

V. 21. NEPHTALI CERVUS EMISSUS. Cervus emissus in tuto est, & gaudet campi amœnitate: sic in tuto diu habitabit Nephtali. Ad hoc etiam conferet morum, & linguæ moderatio.

V. 22. FILIUS ACCRESCENS IOSEPH, &c. Laudatur a formæ dignitate, a gloria regni in AEgypto, & constantia probitatis. Benedictionibus eum cumulat pater. Textus clarus est. Sub hoc sunt Ephraim, & Manasses.

V. 26. DESIDERIUM COLLIUM AETERNORUM. Per colles hos intelligi potest vel cælum beatorum; vel intelligantur Angeli optantes per Christum reparationem ruinæ; vel veri sancti ante Christum. Sit ergo benedictio Ioseph tanta, ut duret donec veniat Messias, qui est unicum desiderium collium æternorum, qui longe alias afferat mundo benedictiones; non vanas, & perituras, sed spirituales, & æternas. At quid illud, ET IN VERTICE NAZARAEI? Vide Num. cap. VI. & Thren. IV. Per Nazaræum intelligit Iosephum, a נזר separare: fuit enim Ioseph separatus a fratribus, moribus, & sanctitate, ac demum honore.

V. 27. BENIAMIN LUPUS RAPAX, &c. In magna interpretationum varietate, optima est illa quam sequitur Hieronymus in Qq. Hebr. esse hanc prophetiam de Paulo, qui ante conversionem erat ut lupus Christianis; postea doctor Ecclesiæ escam, & doctrinam dividens singulis.

V. 29. IN SPELUNCA DUPLICI. De hac spelunca vide cap. XXIII.



CAPUT L.

Ioseph corpus patris curans cum senioribus AEgypti proficiscitur ut in Terra Chanaan sepeliat: quo magna solemnitate peracto, fratres ob irrogatam illi iniuriam sibi timentes, benigne suscipit, & consolatur: qui ubi mandatum dedisset de suis ossibus in Terram Chanaan deferendis, in pace quievit.

1  Uod cernens Ioseph, ruit super faciem patris, flens, & deosculans eum. 2. Præcepitque servis suis medicis ut aromatibus condirent patrem. 3. Quibus iussa explentibus, transierunt quadraginta dies: iste quippe mos erat cadaverum conditorum. Flevitque eum AEgyptus septuaginta diebus. 4. Et expleto planctus tempore, locutus est Ioseph ad familiam Pharaonis: Si inveni gratiam in conspectu vestro, loquimini in auribus Pharaonis: 5. eo quod pater meus adiuraverit me, dicens: En morior: in sepulcro meo (*a*) quod fodi mihi in terra Chanaan, sepelies me. Ascendam igitur, & sepeliam patrem meum, ac revertar. 6. Dixitque ei Pharao: Ascende, & sepeli patrem tuum, sicut adiuratus es. 7. Quo ascendente, ierunt

cum

cum eo omnes senes domus Pharaonis, cunctique maiores natu Terræ AEgy-
pti: 8. domus Ioseph cum fratribus suis, absque parvulis, & gregibus, at-
que armentis, quæ dereliquerant in Terra Gessen: 9. habuit quoque in co-
mitatu currus, & equites: & facta est turba non modica. 10. Veneruntque
* ad Aream Atad, quæ sita est trans Iordanem: ubi celebrantes exequias
planctu magno atque vehementi, impleverunt septem dies. 11. Quod cum
vidissent habitatores Terræ Chanaan, dixerunt: Planctus magnus est iste
AEgyptiis. Et idcirco vocatum est nomen loci illius, Planctus AEgypti.
12. Fecerunt ergo filii Iacob sicut præceperat eis: 13. & portantes eum in
Terram Chanaan, (b) sepelierunt eum in spelunca duplici, (c) quam eme-
rat Abraham cum agro in possessionem sepulcri ab Ephron Hethæo contra fa-
ciem Mambre. 14. Reversusque est Ioseph in AEgyptum cum fratribus suis,
& omni comitatu, sepulto patre. 15. Quo mortuo, timentes fratres eius, &
mutuo colloquentes: Ne forte memor sit iniuriæ quam passus est, & reddat
nobis omne malum quod fecimus: 16. mandaverunt ei dicentes: Pater tuus
præcepit nobis antequam moreretur, 17. ut hæc tibi verbis illius diceremus:
Obsecro ut obliviscaris sceleris fratrum tuorum, & peccati atque malitiæ
quam exercuerunt in te: nos quoque oramus * ut servis Dei patris tui di-
mittas iniquitatem hanc. Quibus auditis flevit Ioseph. 18. Veneruntque ad
eum fratres sui, & proni adorantes in terram dixerunt: Servi tui sumus.
19. Quibus ille respondit: Nolite timere: num Dei possumus resistere vo-
luntati? 20. (d) Vos cogitastis de me malum; sed Deus vertit illud in bo-
num, ut exaltaret me, sicut inpræsentiarum cernitis, & salvos faceret mul-
tos populos. 21. Nolite timere: ego (e) pascam vos & parvulos vestros.
Consolatusque est eos, & blande ac leniter est locutus. 22. Et habitavit in
AEgypto cum omni domo patris sui; vixitque centum decem annis. Et vi-
dit Ephraim filios usque ad tertiam generationem. (f) Filii quoque Machir
filii Manasse nati sunt in genibus Ioseph. 23. Quibus transactis, (g) locutus
est fratribus suis: Post mortem meam Deus visitabit vos, & ascendere vos
faciet de terra ista ad terram quam iuravit Abraham, Isaac, & Iacob. 24.
Cumque adiurasset eos, atque dixisset: Deus visitabit vos: (h) asportate os-
sa mea vobiscum de loco isto: 25. mortuus est, expletis centum decem vi-
tæ suæ annis. Et conditus aromatibus, repositus est in loculo in AEgypto.

(a) Sup. xlvii. 29. (b) Actor. vii. 16. (c) Sup. xxiii. 16. (d) Sup. xlv. 5. (e) Sup. xlix. 12. (f) Num. xxxii. 39. (g) Heb. xi. 22. (h) Exod. xiii. 19. Ios. xxiv. 32.

B R U G E N S I S

ROMANAE CORRECTIONES.

V. 16. *Ad aream Atad*. Adulterinum est, quod quidam scribunt *Arad*; ita ut media littera sit postrema liquidarum *r* pro muta *t*.

V. 17. *Ut servis Dei patris tui dimittas iniquitatem hanc*. Non est mutandus numerus pluralis *servis* cum singulari *servo*; nec secundus casus *patris tui* cum tertio *patri tuo*: sic enim legunt plerique: *Ut servo Dei patri tuo dimittas iniquitatem hanc*.

COM-

COMMENTARIA

S A.

Verf. 3. TRANSIERUNT, fcilicet dum condiretur:tamdiu enim durabat ille apparatus.

V. 5. ADIURAVERIT, id eft iurare fecerit.

V. 10. TRANS IORDANEM, fcilicet inter Iordanem & Iericho, qui locus poftea dictus Iof. xv. Bethagla: Hieron. MAGNO, non longis lacrymis, fed funeris ornatu: Hieronymus epift. xxv.

Verf. 15. MEMOR SIT INIURIAE QUAM PASSUS EST. Hebr. *Odio nos habeat*.

V. 17. OBLIVISCARIS. Hebr. *parcas*, feu *remittas*. NOS QUOQUE: fcilicet fubfecuti fuerant nuntium, ut paulo poft dicitur: vel id etiam per nuntium dixerunt, & poftea venerunt.

V. 19. NUM DEI POSSUMUS RESISTERE VOLUNTATI? Hebr. *Num pro Deo ego fum?*

V. 20. SALVOS FACERET. Hebr. *Vivificaret*.

V. 22. IN GENIBUS, fcilicet pofiti poft nativitatem.

V. 24. ADIURASSET, id eft feciffet iurare.

V. 25. CENTUM DECEM: fcilicet regnavit 80. annis. Vide cap. XLI.

E S T I I.

Verf. 4. LOCUTUS EST IOSEPH AD FAMILIAM PHARAONIS. Quare Iofeph interpellat proceres, & familiam Pharaonis, ut pro fe ad Pharaonem loquantur, ut liceat fibi fepelire patrem in terra Chanaan, cum ipfe effet fecundus in regno? An hoc modeftiæ adfcribendum eft, fimulque ne præfumptione nimiæ auctoritatis paternam cognationem ibi odiofam redderet? An forte paulatim fuccedente tempore, & ceffante adminiftratione cibariorum, quam tempore famis habuerat, decrevit ei poteftas apud regem & proceres, tamquam homini externo, cuius fratres effent ovium paftores AEgyptiis contemptibiles?

V. 10. UBI CELEBRANTES EXEQUIAS ...... IMPLEVERUNT SEPTEM DIES. En hoc loco, exequiarum Iacob feptem dies impleti leguntur. Sic & I. Reg. ult. habitatores Iabes Galaad fuper Saul & filio eius exequias cum ieiunio celebrarunt diebus feptem, ipfo David quoque eorum pietatem approbante. Et generaliter dictum eft Eccli. XXII. *Luctus mortui feptem dies*. Sed & de luctu triginta dierum tria reperiuntur teftimonia: nempe primum Num. 20. Aaron a populo lugetur triginta diebus; fecundo totidem diebus lugetur Mofes Deut. ult. ac denique quod hoc capite verf. 2. dicitur de quadraginta diebus quibus AEgyptii condierant aromatibus corpus Iacob, ac immediate fubnectitur: *Flevitque eum AEgyptus feptuaginta diebus*: fic feparatim accipiendum eft, ut ficuti Hebræi fe accommodarant mori AEgyptiorum in quadraginta diebus corpori condiendo deputatis; ita viciffim AEgyptii fimul præterea fecuti fint morem Hebræorum, ut defunctum triginta diebus lugerent; qui fimul efficiunt dies feptuaginta. Porro fi fignificatio utriufque numeri apud Hebræos venerabilis (feptenarii fcilicet, & tricenarii) requiratur; feptenarius requiem fignificat mortuorum, quam illis viventes apprecantur: requievit enim Deus die feptimo: tricenarius autem, qui eft denarius ter ductus, meritum quietis fignificat; videlicet obfervationem Decalogi per fidem Trinitatis. Ceterum alios numeros ab iis qui exemplis fanctorum, aut ecclefiaftica traditione approbati funt, in exequiis mortuorum obfervare, non caret periculo fuperftitionis.

V. 19. NUM DEI POSSUMUS RESISTERE VOLUNTATI? Nequaquam hic peccatum venditi Iofeph in Deum refertur, quod cap. XLV. verf. 5. ad fimilem phrafim annotavimus. Quin apud Hebræos fic ad verbum legitur: *Num pro Deo ego fum?* Et apud Septuaginta: *Num Deus fum ego?* Et ea em verba funt in Hebræo cap. XXX. ubi Iacob Rachel dicenti, *Da mihi liberos, alioqui moriar*, refpondet: *Num pro Deo ego fum*? Et convenit etiam ibi fenfus quem Interpres hoc loco expreffit. *Num Dei pof-*

fumus

sumus resistere voluntati ? nam sequitur : *Qui privavit te fructu uteri* . Sensus ergo genuinus hoc capite esse videtur : nolite timere, ne ego vindicem iniuriam ; vestrum fuit malum , sed Deus vertit illud in bonum . Itaque ego quoque pascam vos, & parvulos vestros.

V. 24. DEUS VISITABIT VOS : ASPORTATE OSSA MEA. Rationem huius præcepti vide apud Liranum: tametsi quod ille addit , Ioseph sperasse se resurrecturum cum illis qui tempore resurrectionis Christi a morte suscitandi erant (id quod etiam supra de Iacob dixerat) vanum arbitror. Alia etiam ratio dari potest , ut filii Israel secum habentes ossa Ioseph , cum præcepto ea transferendi , quia Deus visitaturus esset eos , semper illius promissionis memores essent , atque eiusdem promissionis veluti pignus haberent illa ossa , ut mirum non sit semper ossa sanctorum Ecclesiam honorasse.

MARIANAE.

Vers. 3. FLEVITQUE EUM AEGYPTUS SEPTUAGINTA DIEBUS. Mos erat AEgyptiis in regum suorum funere luctum septuaginta dies continuare: Diodorus Lib. II. cap. III. Histor. Scholast. AEgyptios fuisse solitos quadraginta dies corpora defunctorum servare, Hebræos triginta, & utrumque in Iacobi corpore servatum. Hebræi dies quadraginta unctioni corporis datos, luctui triginta dicunt.

V. 5. IN SEPULCRO MEO QUOD FODI MIHI. Verbum כרה *carah* , quod hic est, non *fodere* tantum, sed *possidere*, sed *emere* significat . Ita verti potuit , *quod emi*, ut Chaldæus ait, *quod possedi* . Ceterum Sept. etiam in fodiendi significatione acceperunt.

Vers. 10. VENERUNTQUE AD AREAM ATAD. Quidam *Achad* legunt , sed *Atad* est in libris correctioribus , & in Vulgata Romana, Quæ vox Hebraice & potest esse nomen proprium , quod Hieron. Sept. & Chald. putarunt ; vel potest spinæ genus significare, nempe *rhamnum*, ut sit perinde ac si diceret, *ad aream spinarum* . TRANS IORDANEM , ultra Iordanem, Ierosolymæ comparatione ; alioqui AEgypto comparata, cis Iordanem erat. Aut עבר *heber* tam *citra* quam *trans* significat ; quasi dicat, in transitu, ad vada Iordanis. IMPLEVERUNT SEPTEM DIES. Vicina promissionis terra , luctus quam in AEgypto fit minor. In Evangelio lugere diu mortuos non decet , quia ad meliorem vitam transeunt.

V. 13. CONTRA FACIEM MAMBRE. Hebraismus, pro, e regione Mambre.

V. 16. MANDAVERUNT EI. Hebr. *præceperunt ei* , nimirum iussa patris illi exposuerunt, fratres Iosepho.

V. 17. SERVIS DEI PATRIS TUI. Hebr. sic, & in Vulgata Romana: sic in Gotth. scilicet dimittas noxam tuæ venditionis.

V. 19. NUM DEI POSSUMUS RESISTERE VOLUNTATI? Hebr. *Quoniam num pro Deo ego*; supple, sum? sed Vulgata optime sententiam expressit. Perinde enim est ac si diceret : Num ego disturbare Dei consilium possum?

V. 21. BLANDE AC LENITER EST LOCUTUS. Hebr. *Locutus est super* , vel *iuxta cor eorum*. Alia verba , eadem sententia.

V. 22. IN GENIBUS IOSEPH . In illis positi sunt post nativitatem nepotes Ioseph.

V. 25. EXPLETIS CENTUM DECEM VITAE SUAE ANNIS , obiit Ioseph . Ex his AEgyptum rexit annis octoginta : sic colligitur ex cap. XLI. vers. 46. *Triginta annorum erat* (Ioseph) *quando stetit in conspectu regis Pharaonis*.

MALVENDAE.

Vers. 2. UT AROMATIBUS CONDIRENT PATREM. Verbum חנט *chanat* Hebræis est *proferre*, *aprotrudere*, *aperire* . Hic quidam existimant esse peregrinum , & AEgyptium, pro *condire aromatibus* , & adscitum in Hebraismum ; aut si pure Hebraicum est , contraria significatione hoc loco usurpari : nam ut significet *aperire*, hic denotat operire humana corpora aromatibus : ridicule : immo hic mire convenit aperiendi significatus , cum corpora aperiuntur , exenterantur , protruduntur , exprimuntur , & differuntur ac infarciuntur aromatibus . Hispanice dicimus *abrir* , id est aperire corpora . Non male hic quidam reddunt gene-

generali voce *balsamare*, qua etiam nos utimur, *embalsamar*: ut comprehendat nedum balsamum, sed alia quævis aromata condiendis, & conservandis corporibus apta. Ritum AEgyptiorum condiendi cadavera Herodotus Lib. II. num. 86. & Diodorus Siculus Lib. II. num. 57. 58. & plures alii fuse descripserunt. Vide Plinium Lib. XVI. cap. XI. Tantum pauca Herodoti verba subiicio: *Apud AEgyptios homines certi sunt ad hoc ipsum constituti, qui cadavera primum condiunt, ita ut cerebrum, & alvum extrahant, eorumque loca medicamentis, & odoribus compleant. Postea saliunt intra abditum, septuaginta dies. His exactis cadavera abluunt, sindone involvunt, & in ligneam hominis effigiem ad hoc factam includunt; atque ita reponunt*. Hunc morem servasse Israelitas in illustrium corporibus constat e II. Paral. XVI. 14. & XXI. 17. & in sepultura Christi.

V. 3. SEPTUAGINTA DIEBUS. AEgyptii reges suos septuaginta duos dies flebant, auctore Diodoro Siculo Lib. I. num. 46. idem fere tempus honoris causa Iacob tributum.

V. 4. AD FAMILIAM PHARAONIS. Notant quidam, quia fas non erat ipsum per se, pullatum in luctu adire regem. Esther. IV. 2.

V. 5. QUOD FODI MIHI. Alii, *Acquisivi*, *emi*. Notant, verbum כרה *charab*, *excidere*, usurpari sæpe in emptione & venditione, sumpta significatione a ritu ementium & vendentium: quod isti dextras datas discindunt percussione, sive discissione, qua emptionem factam & ratam significari volunt. Sic quoque in ineundis fœderibus scissiones & dissectiones animalium fiebant, quibus fœdera confirmabantur: unde verbum כרת *carath*, *scindere*, & *pacisci* significat. Sic verbum שבר *schabar*, *frangere*, in emptione & venditione panis, vel annonæ usum habet, quod tunc fieret fractio, seu distributio annonæ; uti satis superius cap. XLI. XLII. XLIII. XLIV. vidimus. Vel si verbum *charab* proprie sumitur, id erit e ritu Hebræorum, qui sibi in saxis, seu rupibus sepulcra excidebant, ut apparet ex Isaiæ XXII. vers. 16. & evangelica historia sepulcri dominici. Asserit autem Iacob se scidisse, aut fodisse, vel emisse sepulcrum, cum id fecerit Abraham: quia loquitur iure hereditario, succedens in bonis, & in persona defuncti.

V. 10. AD AREAM ATAD. Hebr. *Usque ad Goren-Atad*. Quidam nomen proprium loci esse volunt ultra Iordanem. Alii reddunt, *Aream*, vel *borreum rhamni*, vel *cardui*, vel *spinæ*, aut *kynosbati*, id est *sentis canis*, seu *rubi canini*, genus spinæ summe aculeatæ: quod is locus circumseptus fuerit rhamnis, aut eiusmodi spinis. Eusebius, & S. Hieronymus in Locis Hebraicis: *Area Atad, locus trans Iordanem, in quo planxerunt quondam Iacob, tertio ab Iericho lapide, duobus millibus ab Iordane: qui nunc vocatur Beth-Haglab, quod interpretatur Locus gyri: eo quod ibi more plangentium circumierint in funere Iacob*. Hinc Virgilius in VI. AEneidos:

Ergo omnes magno circum clamore fremebant:

in funere Miseni. Et de funere Severi idem prodit Herodianus Lib. IV. Sed quidam verisimile non putant aream Atad fuisse Beth-Haglam, Iosue XV. 6. quod per Beth-Haglam non erat iter ex AEgypto in Hebronem. De Beth-Hagla dicemus in loco Iosue. QUAE SITA EST TRANS IORDANEM. בעבר *begheber* proprie *in transitu*, *trans*, *citra*: nam Hebræi hac voce pro utroque, *ultra*, & *citra*, utuntur; ex loco autem loquentis, aliisque circumstantiis cognoscitur *ultra* ne an *citra* significet. Hic ex circumstantiis, ex situ Mosis loquentis in deserto apparet, quod illi fuerint in parte orientali, ac transmisso Iordane venerint in occidentem versus. Ergo respectu AEgypti, & venientium, ac Mosis hæc scribentis, erat trans Iordanem; respectu Ierusalem, & Hebron, erat cis Iordanem. IMPLEVERUNT SEPTEM DIES: qui numerus fere servatus est in faciendis iustis, Ecclesiastici XXII. vers. 11. sicut in funere Severi imperatoris, apud Herodianum Lib. IV. & in funere filii Grumbatæ regis Chionitarum, apud Ammianum Lib. XIX. cap. 11. alioqui apud gentiles novendialia erant in usu, ut hic annotat S. August. de quibus vide Kirchmanum Lib. IV. de Funeribus Romanorum, cap. 1.

V. 19. NUM DEI POSSUMUS RESISTERE VOLUNTATI? Sensum recte expressit. Hebr. varie redduntur, & distrahuntur. I. *Num enim loco Dei sum*? sub-

subaudi, ut id fecerim, ordinaverim, disposuerim; quasi dicat: Hoc non factum est consilio meo, sed divino: permisit Deus vestrum peccatum, ut inde tantum bonum eliceret, ut ego in hanc dignitatem cum tanto vestro honore eveherer; & vos nedum conservaremini, sed etiam maximis opibus augeremini. II. *An enim sum pro Deo*, vel *vice Dei*? ut illi me parem existimem; ut quod ille erga vos disposuit in salutem, ego in perniciem vertam? III. *An non enim, non enim, sub Deo ego?* id est, nonne Deo parere debeo, illum sequi, me ei totum committere, eum timere, eius iussis obtemperare, ut non audeam secius aliquid in vos statuere? An non ille dominus & moderator meæ voluntatis, qui quamvis ego pravo essem in vos animo, ille tamen non fineret me vobis nocere? IV. *An loco Dei sum ego?* Vide Notas supra cap. xxx. vers. 2. Sensus est: non est meum mutare divinum decretum, & vobis nocere, quibus Deus prodesse voluit: servi Dei estis, ut supra vers. 17. & ego sum: quapropter eius consilium utrique spectemus; ut sequentibus verbis exponitur.

V. 22. Filios usque ad tertiam generationem. Hebr. *Filios tertianorum*, id est filiorum, qui tertia generatione nati sunt; quasi dicat: vidit quartam generationem, nempe abnepotes. In שִׁלֵּשִׁים *schileschim*, *tertiis*, seu *tertianis*, Mem est magnum; & hæc est tertia littera quæ in Hebraicis Bibliis magna occurrit: cuius causam ego hariolari nescio, nisi forsitan ad indicandam magnam felicitatem Ioseph. Vide Genes. xxxiv. vers. 31.

Torrenti, 5. Iulii MDCXXI. ætatis meæ LVI.

MENOCHII.

Vers. 1. Ruit super faciem patris. Hic elucet affectus filialis vehementia. Deosculans. Moris erat recens mortuos in præteriti amoris signum deosculari.

V. 2. Medicis, pollinctoribus, funeratoribus, entaphiastis, qui corpora mortuorum condiunt, involvunt, humant. Aromatibus, unguentis ex balsamo, myrrha, casia, & similibus; quæ apta ad prohibendam putredinem, & bonum odorem conciliandum.

V. 3. Quadraginta dies, qui conditura impendebantur. Septuaginta diebus. Ad dies quadraginta conditura, alios triginta luctui adiecit. Iudæis conditura, & luctus simul tantum fuisse dies triginta collegit Procopius ex Num. xx. ultim. de Aaron, & Deut. ult. de Mose.

V. 5. Fodi, præparavi mihi.

V. 8. Absque parvulis. Cum his matres manserunt, & cum gregibus pecuarii.

V. 9. Currus, et equites, milites, & falcatos currus, qui funebri pompæ præsidio essent.

V. 10. Aream Atad, quæ tertio ab Hierico, secundo ab Iordane lapide distat. Trans Iordanem, venientibus ex Chananæa, nam venientibus ex AEgypto cis Iordanem erat. In area Atad luctum facere maluerunt, ne si tamdiu hærerent in intimis Chananææ, periculum aliquod immineret, aut occasio pugnæ oriretur. Septem dies. Hic numerus approbatur ex Eccli. xxii. 15. *Luctus mortui, septem dies.*

V. 13. Emerat Abraham: supra cap. xxiii.

V. 16. Mandaverunt ei: cum ipsi verecundarentur, aliquem insontem, fortasse Beniamin, miserunt. Pater tuus praecepit nobis &c. Videntur mentiti hic fratres Ioseph, & nomine patris abusi: nam Iacob de Ioseph clementia, & mansuetudine certus, nihil super hac re illi mandaverat.

V. 17. Servis Dei patris tui, qui eidem Deo servimus, cui & pater tuus servivit. Flevit Ioseph, dolens fratres adeo solitos eius voluntati, & sinceræ reconciliationi diffidere.

V. 19. Num Dei possumus resistere voluntati? Hebr. *Num Deus ego sum?* scilicet ut quæ ille in bonum vestrum disposuit, ego queam in perniciem convertere?

V. 20. Vos cogitastis; sed quia homines, nequivistis perficere. Deus vertit: quia Dei velle efficax est, de facto convertit.

V. 21. Blande, et leniter. Heb.

Le-

Locutus est ad cor eorum, apte ad eosconsolandos.

V. 22. FILII QUOQUE MACHIR: enallage, filium, nam Machir unum tantum filium suscepit. NATI SUNT IN GENIBUS; quasi dicat: Ioseph filium, quem Machir genuit, mox ut natus est, sibi in filium adoptavit; ideoque in genibus suis eum statuit, & excepit, ut fecit Rachel cap. xxx. 3.

V. 24. ASPORTATE OSSA MEA, ut cum patre, avo, & abavo sepeliar in Chanaan.

TIRINI.

Vers. 10. PLANCTU MAGNO ATQUE VEHEMENTI. Solemnia Iudæis in funere erant, primo ieiunium usque ad vesperam; secundo fletus publicus; tertio virtutum defuncti commemoratio & laudes; quarto lamentationes cum voce & cantu lugubri; & hic proprie planctus dicebatur. Accedebat plerumque manuum complosio, pectoris, & femoris percussio, vestium conscissio, iniecti cineres capiti, saccus cilicinus, capita terræ allisa, &c. forte etiam corporis incisio cultellis, pilorum capitis evulsio adusque calvitium: nam licet hæc postea Iudæis inhibita fuisse videantur Levitici xix. vers. 28. & Deuter. xiv. vers. 1. iam tamen verosimile est, more, & exemplo AEgyptiorum adhibita fuisse in tam celebri funere. Habent hæc susius Herodotus, & Diodorus Siculus, *a* qui etiam varios modos condiendorum & sepeliendorum cadaverum apud AEgyptios fuisse docent, quibus incorrupta longissimo tempore asservabantur.

V. 19. NUM DEI POSSUMUS RESISTERE VOLUNTATI? Hoc iam supra explicui cap. XLV. vers. 8. Acta Iacobi Patriarchæ, & Iosephi ordine annorum digesta, vide in Chronico cap. XVI. Genealogiam vero posterorum utriusque cap. XLVI.

(*a*) Herod. in Euterpe. Diod. Lib. I.

GORDONI.

Vers. 3. DE simili luctu, & ritu apud AEgyptios, lege Diodorum Lib. II. cap. III.

V. 5. QUOD FODI. Hebr. כרה *charah* significat etiam emere, & possidere.

V. 15. CONTRA FACIEM, id est e regione Mambre.

V. 19. NUM DEI POSSUMUS RESISTERE VOLUNTATI? Impie hic Calvinus, cum suo Melancthone: Tam, inquiunt, est opus Dei proditio Iudæ, & venditio Ioseph, quam vocatio Petri. Stupida est hæc Calvini temeritas, nescientis Deum alia permittere, alia præcipere. Mala permittit, & facta ordinat ad pœnam; bona plurima præcipit, approbat, & afficit præmio. Ita Ioseph, Dei, inquit, voluntati permittenti hanc venditionem, & ordinanti iam factam, ad commune bonum, acquiescere oportet. Sed de libertate (quæ stat cum gratia) aliud est; & de quo Theologi in Qq. de voluntate Dei, & gratia efficaci. Ergo est, ac si dixisset Ioseph: Quod Deus post decretum permissionis futurum præscivit, eveniet omnino; hoc tamen, nisi aliud adsit, non destruxit libertatem in fratrum peccato: nam post decretam permissionem stat libertas. Nec recte ex hoc loco colligitur, cognosci certo peccata in solo hoc decreto permissivo.

Hic pro coronide sit chronologia Iosephi, reducta ad annos mundi recte putatos. Ioseph ergo qui hic Patriarcharum agmen claudit, natus est anno mundi 2229. (dissentiunt, qui Cainam omittunt) venditur anno ætatis 17. inchoato. Servit annis 13. Stetit ergo coram Pharaone anno ætatis 30. anno mundi 2259 ut apparet exeunte. Post novem annos excepit patrem venientem in AEgyptum, anno mundi 2268. Obiit anno ætatis 110. ab obitu patris 54. seu anno mundi 2338. pene exeunte. Moses nascitur anno 2403.

V. 22. IN GENIBUS IOSEPH. Post nativitatem sic collocati, vel positi sunt nepotes Ioseph. Hebr. *Nati sunt super genua Ioseph*.



FINIS TOMI PRIMI.

Er-

Errorum quorumdam graviorum qui in hoc Tomo obrepsere, correctionem subiicimus, alios minoris momenti Lectorum benignitati corrigendos dimittentes.

Pag.	col.	lin.	*Errores*	*corrige sic:*
43	2	32	אנק אק	אנף אף
65	2	7	*μήποσο*	*μήποτε*
69	2	28	עצבוך	עצבון
96	2	4	gravius	gravis
115	1	27	obruptus	obrutus
	2	33	תולגות	תולדות
126	2	27	ergo	ego
129	1	10	bis	his
145	1	9	morticinio	morticino
149	2	24	dciat	dicat
153		12	cogitationes	cognationes
168	1	in medio	ROMANAE CORRECTIONES	LECTIONUM VARIETAS:
206	1	23	כחם	בחם
230	2	43	*ἴυσταςιν*	*ἔκστασιν*
240	1	36	המדן	המון
249	2	31	*istac*	*isfac*
252	1	51	commedenda	commendanda
254	1	10	propie	proprie
261	1	39	sensi	sensit
268	1	27	verentia	virentia
269	2	42	vesti	vestri
270	2	50	עפרית	גפרית
326	2	16	חעיר	חציר
405	2	36	גלות	עלות
414	2	33	נער	נערה
416	1	7	isto	esto
442	1	38	ארוא	סרים
490	2	2	*vatietse*	*vaietse*
494	1	38	יראת	ידות





